


64

Complete — E.O.


348443 (2 vols)



John Carter Brown
Library
Brown University

M 4° 2617

Vieira
Ul 33.407



ADMODUM REVERENDI PATRIS

ANTONII VIEIRA

E SOCIETATE JESU,


Regii in Lusitania Prædicatoris,

SERMONES SELECTISSIMI,

Fœcunditate Materiarum, Sublimitate,
Subtilitate, & acumine Conceptuum
admirabiles:
Idiomate Lusitanico conscripti & typis evulgati,
Nunc in Cartusia Coloniensi latinitate donati.

Cum triplici Indice, Thematum, Locorum Sacræ Scripturæ, & rerum memorabilium.

PARS QUARTA.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Sumptibus HERMANNI DEMEN M.DCCVII.
Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.

CENSURA Adm. R. P. Fr. Thomæ de Conceptione, Sacri Ordinis Carmelitarum, Qualificatoris Sancti Officii Inquisitionis.

Illustrissime Domine.

DE Mandato Concilii Generalis Sancti Officii, vidi hanc Quartam Partem Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA Soc. Jesu, suæ Majestatis Prædicatoris dignissimi. Omnes legi sollicitudine & attentione quâ potui, quâ & tam ritè formati Tribunalis Qualificatoris obligatio exigit. Fateor, quod in Sermonibus hujusce magni Talenti Prædicatorisque admirandi nihil inveniat, quod censuret crisis sagacissima, & attentio scrupulosa: cùm enim tam subtilis sit sublimitate Conceptuum; tam clarus & elegans in verbis, quibus eos exprimit; & tum prædicando, tum scribendo efficaciter adeò persuadeat; tantus Veritatis Scripturarum, & SS. Patrum explanator in nullo à sanctæ Fidei nostræ sinceritate discrepet, omniaque sua dicta ad morum reformationem dirigat. Unâ tantùm censurâ Author dignus videtur, non propter Sermones, quibus prodit in lucem; sed quia non prodiit in lucem cum Sermonibus suis omnibus: Cùm enim in Prologo Tomi primi promittat duodecim, tres tantùm inveniuntur impressi, & nunc præsens Quartus. Et dolendum, morâ temporis oblivione sepeliri Opera, aureis characteribus æternitati transcribi digna. Sermonum horum Authori quadrare potest, quod de Magno Hieronymo dixit Cassiodorus de divin. lect. c. 21. *Planus, doctus, dulcis, parata copia sermonum ad quamcunque partem convertit ingenium: totum explicans, totum exornans, & per diversa disertus, semper aqualis incedens.* Finio dicens quod Author in nullo Sermonum suorum verbum habeat superfluum, aut minus: & non potuit dicere minus; quia in singulis dicit, quicquid dici potest. Hæc mea est opinio & sententia. Ex Carmelo Ulyssiponensi 11. Februarii 1684. *F. Thomas de Conceptione.*


CENSURA Admodum Reverendi P. Fr. Emmanuelis de S. Jacobo Seraphici Ordinis S. Francisci, Qualificatoris Sancti Officii.

Illustrissime Domine.

VIdi hunc Librum, cui Titulus, Quarta pars Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA Soc. JESU, Prædicatoris per omnia Regii. In quolibet horum magna invenitur substantia, maximè spiritui attemperata Allegoria; methodus singularis, efficax, pura & sana doctrina, quâ Fidem illustravit in America; mores castigavit in Europa: nationemque Lusitanam celebrem reddidit in Italia. In primo Sermone de peccatore ad non amplius peccandum resoluto, quem Author majore attentione & patientiâ legi petit, ita placet, quasi à reprehendendo abstinuisset: & ita reprehendit, quasi non placere, pro-

posuisset;Et in omnibus dulcedine linguæ,suavem reddit reprehensionis amaritudinem; & doctrinæ efficaciâ omnem à se abigit censuræ adulationem. Utrumque pari facit libertate,eloquentiâ, modestiâ & subtilitate: libertati non obstat modestia: neque modestiæ officit libertas. In hoc Opere habent Oratores,Theologi,Prædicatores,& Statistæ, quibus studeant & proficiant;ita ut non plus desiderent docti, neque bonis immixti Auditoribus malevoli habeant,quod carpant & sugillent. Denique cùm Sermones hoc Libro contenti SS. Patrum menti respondeant , sanctæ Fidei nostræ puritati consonent: malisque reformandis moribus utilissimi existant ; petitâ ab Illustrissima Dominatione vestra licentiâ dignissimi videntur qui imprimantur , typosque sortiantur aureos. Ulyssippone in S.Francisco 14. Febr.1684.

Fr. Emmanuel de S. Jacobo.



CENSURA *Admodum Reverendi P. Fr. Josephi à Jesu Maria Religiosi Capucini Provinciæ Arabidæ.*

Clementissime Domine.

MAndavit mihi Majestas tua , revidere hanc Quartam Partem Sermonum R.P. ANTONII VIEIRA Soc.JESU , Majestatis tuæ Prædicatoris dignissimi,& ex hac commissione,me à Majestate tua,in Libri hujus approbatione. Archiepiscopo de Bahia substitutum cognosco. Porrò grato recolens & æstimans animo honorem hunc , ob judicium, quod cùm ante de illo tul t magnus ille Præsul,dico,delatum mihi hoc casu honorem longè majorem esse illo, quo Præsul ille modò gaudet;Gloriâ & prærogativâ manifestâ: si enim Majestas tua, ipsi suo in Archiepiscopatu contulit Mitram,mihi in hoc Libro dedit Coronam: sic enim mea illud agnoscit æstimatio:*Coronam mihi* Job.c.31. v.35. Ex quo P.Antonius Vieira ingenium suum reposuit in Bahia , incomparabiliter ditiores inde veniunt Status illius classes: nam omnes usque modò, velut maximi ponderis,& pretii onus , Volumen unum Sermonum ejus conferunt,quod cùm tantâ exuberet scientiâ & sapientiâ velut istud, casu quo in domo quadam commercantium attineretur,unde pro condigno redimendum esset, omni totius mundi auro redimi nequiret: sic enim judicio suo aulico illud taxavit Regum sapientissimus: *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua* (Sap.c.7.v.8.) Porrò in volumine hoc,cùm sit quartum,invenio (quamvis in distantia infinita) similitudinem lucidissimam, quam prophetiam esse spero. Ad illustrandum mundum, inquit S.Scriptura creatum fuisse Solem die quarto: & ut P Antonius Vieira cooperaretur ædificationi, & admirationi mundi in promovenda Gloria Dei,Volumen illud velut Solem emisit similiter die quarta.Quod Sol facit,Salomon expressit;& Salomon nostri hujus sæculi,idem,quod Sol facit,hoc suo facturus est Libro: *Lustrans universa in circuitu* Eccles.1.6. Et plus adhuc faciet,divinâ favente gratiâ: ad apicem enim sacræ suæ Societatis,Instituto respondebit, Gloriosa Patriarchæ sui facta iteratis repeti vicibus,effecturus. Instituto,suorum vivacitate verborum ad fines usque terræ penetrando: quo jam cum admiratione magna,vo-


cunque

cumque suarum harmoniâ pervenit, quibus Sacræ Religionis suæ Filii continuò occupantur: *Et in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. Et factis respondebit gloriosis; extimulabit enim omnes Librum hunc lecturos, ut dent laudem Deo, quod tam singularem Ministrum Evangelicum, in sua creaverit Ecclesia: & hoc est, quod ejus S. Patriarcha semper & in omnibus continuò repetebat: *Ad majorem Dei gloriam.* Sermo primus spiritu tam sublimiter docto est dispositus, cum tam efficaci conscientias reformandi desiderio, tam impenso animas convertendi zelo, ut in eo nobis Author exhibeat totum; quod in Sermone primo Voluminis primi nobis reliquit observandum. In illo dixit cum Isaia c. 6. v. 8. Prædicatores debere esse velut nubes, è quibus fulgura, tonitrua, egrederentur & fulgetra. Et hæc omnia in primo Tomi hujus Sermone præstat. Emittit fulgura, quæ peccatorum cæcitates illuminent: Tonitrua, quæ vitas mortificent: & fulgetra, quæ culpas occidant, gravis, tremendus, & admirabilis Sermo! & tam admirabilis, ut cùm sit primus in Libri hujus quarti frontispicio, optimè de illo dici possit, quod instar Ezechielis aquilæ, & se, & tria alia volumina perpropriè excedat: *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ezech. 1. v 10. Et hæc mea opinio culpâ non vacaret, nisi ejus singularitas tam esset manifesta: Est enim Author tam unicus, ut à se solo possit excedi. In duobus Sermonibus de Mandato, sponsione suâ cecidisse videtur magnus quidam Aulicus & Auditor, qui ambobus auditis meliorem judicavit matutinum: fundante illo dubium in alterius docti ratione, affirmare audentis esse in hac Aula, qui melius prædicaret P. Antonio Vieira; occurrit statim dicens, eundem esse Patrem, qui secundâ vice prædicaret. Ego sanè impossibile puto dari posse judicium, quod differentiam ibi faciat, ubi vel maxima judicia se suspendunt. Verùm, ut conciliemus opiniones, debitum Authori præservando respectum, dico, omnes Sermones ejus esse excellentes, quia omnes sunt sui: nam sicut tam eruditione dives est Vena mineralis, unde hi doctissimi nascuntur partus, non deserit secundos, quin de primorum vivant alimentis; omnes enim sunt primogeniti, Eximii sui Oratoris celebre conservantes nomen, qui scriptorum suorum spiritu nostras exagitando conscientias, supplet & restituit defectum vocis suæ in pulpitis: pro hac substitutione observans omnia, quæ advertit Seneca, Valerii Maximi scripta ponderans. *Tribus modis homines aggreditur, penetrando aures, demulcendo oculos, & animos invadendo.* Docto & Judicioso invitat ad se aures ad docendum clarè: Politico & Discreto allicit ad se oculos ad recreandum doctè: & doctrinali, Catholico penetrat corda ad convertendum efficaciter: per omnia, & in omnibus existens admirabilis, ingenii sui subtilitate, Discursus sui excellentiâ, styli sui facundiâ, rationum pondere, verborum suorum proprietate & puritate: Quia verbis spiritualibus elevat, discretis complacet, compassivis movet, affectivis attrahit, terribilibus compungit, & omnibus persuadet; mirabilis in omnibus omnis exaggerationis excedens hyperbolen. Proinde spero Libros ejus in omnia Europæ idiomata transferendos typisque mandandos, prout jam multi Sermonum suorum diversis sunt impressi: dicetur que cum Cassiodoro, in utroque sensu: *Habent hæc distributa præconium, conjuncta miraculum.* Nihil in hoc Libro invenitur, Regium offendens servitium, multa quæ regnum deprædicant. Hinc

 licen-

licentia petita debetur alacritati obedientiæ, quâ executus est, quod Tua Majestas illi imperavit. Neque dubito, quin Majestas tua illam sit concessura, eò quod velut Rex tam justus cognoscat, quod si petitiones Gratiæ, tantùm de Regio omnem suam habent dependentiam; in supplicationibus justitiæ Majestas videtur non habere Regalitatem. Istud videtur mihi, Majestas tua utique mandabit quod sibi placuerit. E Conventu nostro de Felici Itinere 27. Febr. 1684.

F Josephus de Jesu Maria.



LICENTIA R. P. PROVINCIALIS.

EGo Antonius de Oliveyra S. J. Provinciæ Brasiliensis Provincialis, ex speciali commissione mihi facta à Revmo. P. Carolo de Noyelle Præposito Generale, concedo Licentiam imprimendi hunc Librum cui Titulus, *Pars Quarta Sermonum P. Antonii Vieira*, ejusdem Societatis in Provincia Brasiliensi, Prædicatoris Majestatis suæ, per doctos & graves ejusdem Societatis Religiosos revisum & approbatum. In cujus rei fidem hasce literas patentes manu meâ subscriptas, & Officii mei Sigillo munitas dedi. Bahiæ 20 Julii *1683*.

Antonius de Oliveyra.

APPROBATIONES RR. PP. PRÆDICATORUM.

S*Ermones Quarto hoc Tomo contenti, è Lusitanico Idiomate in Latinum versi, operâ & studio Venerabilium Patrum Cartusiæ Coloniensis* P. Joannis Grüter & Godefridi Herding *excellentes sunt; tum quia sunt Admodum Reverendi Patris* Antonii Vieira *Soc. JESU Prædicatoris Regis Lusitaniæ dignißimi, Virique admirandi; tum quia in nullo à Catholicæ Fidei sinceritate discrepant, & ad morum reformationem haud mediocriter conducunt. Dignissimi ergo sunt, qui unà cum reliquis à nobis hactenus visis & forsitan proximè videndis; si præcedentibus similes fuerint, (de quo prudenter dubitare nemo potest) aureis characteribus æternitati transcribantur. Ita sentimus Anno* 1692. *die septimâ Februarii.*

F. Adrianus Schoen Ord. Præd. SS. Theolog. Magister.
F Petrus Dietzinger Ord. Præd. SS. Theol. Magister

QUartus hic Sermonum Tomus, Adm. R. Patris *Antonii Vieira* S. J. eisdem Versoribus, quibus tres priores Tomi in Latinum ex Lusitano Idiomate translatus est, judicio Revisorum Theologorum dignissimus, ut typis divulgetur & in publicum edatur. Coloniæ vigesimâ quintâ Febr. 1692.

F. Leonardus Messen Ord. Præd. Inquisitor Apostolicus, & SS. Theol. Doctor.

Licentia

Licentia & Extractus Litterarum
Reverendissimi Patris D. INNOCENTII LE MAISSON, Prioris Cartusiæ, nec non Sacri Ordinis Cartusiensis Generalis.

Venerabiles in Christo Patres,

STatim atque primam Epistolam vestram recepi, responsum dedi simul & consensum ad postulata vestra executioni mandanda, scilicet quoad impressionem Sermonum Admodum Reverendi *P. Antonii Vieira* Soc JESU, à vobis latinitate donatorum ex Idiomate Lusitanico, servatis tamen de jure & statutis servandis: per me ergo non stabit quin labor vester utilis sit, & publicè appareat ad Dei honorem & proximi ædificationem quod valdè aveo, & omnia faustissima vobis apprecor. Benè valete. Cartusiæ hac 29. Martii 1690.

Vester in Christo Confrater
Fr. INNOCENTIUS
Prior Cartusiæ.

Licentia Venerandorum PP. Visitatorum
Sacri Ordinis Cartusiensis in Provincia Rheni.


NOs infrascripti concedimus licentiam, Sermones Admodum Reverendi Patris *Antonii Vieira* Soc. JESU ex Idiomate Lusitanico à duobus PP. Cartusiæ Coloniensis in Latinum translatos, & à RR. PP. Prædicatoribus revisos & approbatos ad boni publici emolumentum typis mandari. Mertzlich supra Treverim 27. Octobris 1690.

Fr. MARTINUS SCHUE, Prior Cartusiæ Trevirensis, ac Provinciæ Rheni Visitator.

Fr. JODOCUS SCHWAB. Prior Cartusiæ Moguntinæ, ac Provinciæ Rheni Convisitator



INDEX
SERMONUM ET THEMATUM
Qui in hac Quarta Parte continentur.



SERMO

IN

Sabbathum quartum Quadragesimæ dictus

In Ecclesia Beatissimæ V. MARIÆ de auxilio, Bahiæ. Anno 1640.

Author petit ab omnibus Librum hunc in manus accepturis, ut amore DEI, & sui, sermonem hunc de Peccatore, ad non peccandum amplius resoluto, cum attentione & patientia, quam materia exigit, legant.

Iam amplius noli peccare. Joan. 8.

§. I.



Malorum omnium maximum (non dico bene) malum, quod solùm est malum, & summum malum, est Peccatum. Quemadmodum enim Deus summum essentialiter est Bonum; ita peccatum, quia Dei est offensivum, summum est malum. Verùm si inter peccatum & peccatum, quoad nos, dari potest comparatio & differentia: Peccatum futurum pejus & periculosius est malum. Peccatum præteritum & præsens, quia fuit, estque peccatum, summa est miseria; sed peccatum futurum, quia adhuc erit, præterquam quod summa sit miseria, summum involvit periculum.

Hæc, Auditores, utilissima est doctrina, quam Christus supremus Magister ac Dominus noster, velut documentum finale, in ultimâ præsentis Evangelii clausulâ nobis commendatam reliquit. Adduxerunt ad Christum in flagranti deprehensam delicto peccatricem, ut Christus tanquam legis interpres in eam pronunciaret sententiam. Et quænam seu qualis subsecuta fuit sententia? non alia

quàm à pietate & Misericordia Dei amore hominum hominis facti poterat sperari. Confudit accusatores propria ipsorum conscribendo peccata (solus enim Deus aliquos novit liberare, aliis formando processum) & absolutâ jam à peccato, de quo fuerat accusata, & ab omnibus documentum breve, admirandum & divinum, quo illam à se dimisit consolatam, adjunxit his verbis: *Jam Amplius noli peccare.*

Joan 8. v. 11.

IstudChristus fælici illi mandavit peccatrici, in cujus admirabili historia judicium nobis perpropriè repræsentatur Sacramentale, ad quod omnes peremptorio horum quadraginta dierum termino sumus citati. Omnes sumus peccatores, omnesque sacro hoc tempore personaliter, & non per alium, sacro huic tribunali nos sistere obligamur, ubi Christus ipse Judex invisibilis præsidet. Ibi existentes nos ipsi rei & accusatores, omnes nostras culpas spontaneè confitemur: Quod si corde verè contrito, & vera cum detestatione peccati, pro ut oportet, uni Deo infinitè bono infiniteque offenso facimus, idem Dominus qui accusatorum peccata hodie scripsit, è suis libris nostra delet: Nosque ex integro sibi reconciliatos & absolutos, intra misericordiæ suæ brachia collidit, & in gratiam recipit. Hic felicissimus est status, in quem virtute Sacramenti Pœnitentiæ restituuntur omnes, quotquot illud dignè recipiunt: Velut etiam illa peccatrix Evangelica, quando ex ore Redemptoris audivit; *Nec ego te condemnabo.* Sed quamvis absolutio & gratia à præteritis liberat peccatis, non tamen quo ad futura nos à periculo assecurat. Contra præsentissimum illud recidendi in infirmitatem post sanitatem acceptam, & relabendi postquàm sumus erecti: Divinum nobis oraculum efficax præscribit Præservativum, exhortando nos omnes & singulos, velut ipsam peccatricem, ad deinceps non peccandum: *Jam amplius noli peccare.*

Joan. 8. v. 11.

Istud unicum doctrinæ Christi fuit punctum (quod non solùm est consilii, verùm etiam Præcepti) cui & ego hodie unicè insistere intendo. Cùm enim Christus illud elegerit assumptum, nec mihi aliud eligere fas est. Sermonis ergo totius summè necessaria & utilis materia est ista. Peccator ad nunquam amplius peccandum resolutus. In Prima discursus mei parte omnium rationum & prætextuum fallaciam & fraudem illi detegam, quibus à diabolo ad continuanda peccata facile inducitur. In Secunda novum illi (quod nunquam fortè audîstis) efficacissimum, validissimum, terribilissimumque inculcabo motivum, quod dari potest, ad nunquam amplius peccandum: *Iam amplius noli peccare.* Porrò à Beatissima Virgine Maria, omnis semper peccati experte, velut à Matre peccatorumque Advocata petamus, ut pro utilissima hac resolutione necessariam nobis obtineat gratiam. Ave Maria.

§ II.

Jam amplius noli peccare.

AD non peccandum amplius, aut non peccâsse unquàm sufficiebat, peccatū offensivum esse Dei; & Deum esse, est: infinitam scilicet & ineffabilem bonitatem; infinitam immensamque magnificentiam; infinitam incomprehensibilemque Majestatem; infinitam sapientiam; infinitam omnipotentiam; infinitum, increatum, æternum, & incommutabile esse; solum esse à seipso; & ex hoc infinito amore dignis-

dignissimum, velut illum, qui solus se comprehendit, se amat; nec alio fine, seu respectu, quàm quod sit, qui est. Verùm quia luti nostri vilitas nativâ sibi ponderositate ad tam altè scandendum, & ad amandum purè sine proprii respectu commodi suâ grossitudine præpeditur; Spiritus S. naturæ nostræ fragilis & corruptæ infirmitati, ad quam primo peccato devenit, sese accommodans, ad non peccandum, quatuor nos docuit motiva timoris, tam valida, tamque notoria, quàm malè & perperam à nobis applicata: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* enim verò quis hominum tam erit judicii, rationisq; inops, qui se certò moriturum sciens, nec quicquam ex hac vita præter opera, bona seu mala delaturum, & cum illis ante divinæ justitiæ tribunal rigidissimè judicandum appariturum; & latâ sententiâ, à qua non datur appellatio, nec executioni poni potest obex, vel æternùm se Dei gloriâ fruiturum, vel eâdem æternùm privandum semper & sine remissione igne infernali exurendum considerans; quis inquam hominum, repeto, nisi rationis judiciique impos, horum quatuor motivorum fide vivâ & consideratione condignâ habitâ, tam erit temerarius & cæcus, ut audeat committere peccatum?

Eccles. 7. v. 40.

Cùm itaque veritas hæc tam certa sit & infallibilis, ejusque consequentia tam sit rationi consentanea, tam utilis, & hinc timori, illinc verò desiderio speique humanæ tam consona; quænam, quæso, est, aut esse potest causa, quod experientia quotidiana ostendat contrarium; sitque tam consuetudinarium hominibus id credentibus & confitentibus, peccare, in peccatis vivere, & peccata peccatis condensare? Nulla alia rei hujus causa existit, nisi quod quemadmodum Spiritus Sanctus quatuor nobis suggerit motiva excitandæ memoriæ; ita Diabolus adinvenit, nobisque quatuor alia offert ad inducendum oblivionis lethargum: Illa excitant intellectum ut semper vigilet oculis apertis, ne consentiamus peccato: Hæc verò consopiunt voluntatem, ut quasi languida & incuria, & cæca nos inclinet ad peccatum. Et quænam infernalia ista sunt quatuor motiva? ut magis sint infernalia, omnia in veritate fidei & experientia sunt fundata. Primum est dilatio pœnæ; secundum fiducia misericordiæ; tertium propositum contritionis vel pœnitentiæ; quartum facilitas & promptitudo remedii. Quemadmodum Spiritus Sanctus nos refrænat memoriâ quatuor novissimorum; ita Diabolus peccatori, & peccator sibi ipsi loquitur. Novissima Gloriæ infernalisque pœnæ non venient, nisi post judicium; novissima judicii non erunt nisi præviâ morte; novissimum mortis non erit nisi finiente vitâ: durante igitur vitâ meæ indulgebo voluntati, meis laxabo frænos appetitibus; & ne ex hoc mea periclitetur salus, securum me faciunt quatuor motiva, sic fundata & certa, uti fuerunt illa quæ jam retulimus, & nunc videbimus.

§. III.

PRimò ad faciliùs peccandum inducitur homo dilatione pœnæ; licèt enim fide credat, quod Deus peccatum non relinquat inultum, nihilosecius videt per experientiam ordinariam, quod Deus non statim puniat. Hinc orta est notabilis consideratio, quæ Davidi incidit ad tollenda mundi peccata. Tantam Rex Sanctus videbat Dei leges violandi facilitatem,

hominumque in peccata temerè ruendi inconſiderationem, ut ſenſus iſte ſeu dolor ipſi quodammodò vitam eripuerit: Pſalm. 118. v. 55. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Prima expergefacti à ſomno conſideratio & meditatio erat, omni curâ & ſolicitudine excogitare medium, quo peccatores tolli poſſent de mundo: Pſalm. 100. v. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Occurrit illi tandem medium efficaciſſimum quod dari poterat, quod etiam quà tale in alloquio quodam Deo obtulit. Domine, inquit David, conſilio tibi præſto eſſe nequeo, neque infinita tua ſapientia illo indiget: Non tamen zelus meus omittere poteſt, quin tibi aperiat medium quod mihi incidit, ut ceſſet peccatum, divinæque Majeſtatis tuæ offenſa. Quàm diverſum illud eſt arbitrium ab iis, quæ ordinariè adinveniri magniſque Gratiis præmiari ſolent: tantum pro commodis Principum & depreſſione ſubditorum. Illud verò Davidis, tam Deo, quàm hominibus fructuoſum & utile erat; & magis adhuc hominibus, quàm Deo, Deus enim non offenderetur, ſi homines à peccando abſtinerent. Quodnam verò medium erat, aut eſſe poterat quo peccata tollerentur è mundo, & legis divinæ tranſgreſſor ceſſaret? propoſitionis verba dicunt: Pſal. 7. v. 7. & 8. *Exurge Domine in ira tua Exurge in præcepto, quod mandâſti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Quoties divina Majeſtas tua offenditur, toties iratam ſe oſtendat; & ſicut comminatio pœnæ annexa eſt præcepto, ita pariter executio pœnæ conjungatur peccato: quia homines pœnam non tardare neque differri cernentes, omnes promptè obedientes ſervient Deo, nulluſque peccare audebit. *Exurge in ira tua: Exurge in præcepto quod mandâſti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Ad hoc alludit Poëta.

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Si toties, quoties peccant homines, fulmen è cœlo delinquentem feriret, finem fulmina acciperent. Verum non dixit, nec intulit bene. Si toties, quoties peccant homines, mox fulmen è cœlo peccantem correptum exureret, non finirentur, ſed adhuc fulmina ſupereſſent: quæ finem acciperent vel eſſent homines, vel eſſent peccata, ſed certum eſt quod forent peccata, & non homines: Si enim pœna conjuncta eſſet peccato, nullus hominū adeò foret cœcus, ut rueret in peccatum. Iſtud per modum conſilii David propoſuit Deo. Quid verò reſpondit illi Deus? mox ipſe illud innuit David. Deus idem reſpondit illi, quod dicunt ſibi, qui in dilatione pœnæ confiſi, ad continuanda animantur peccata: *Deus judex juſtus, fortis, & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Ibidem v. 12. Deus, (inquit peccator, verbis divinis ad appetitûs ſui placitum abutens) quamvis juſtus ſit judex, & tam fortis, ut nullus peccator & delinquens ejus poſſit evadere manus; ipſius nihilominùs valdè pium eſt cor, & multùm longanimis patientia: & quamvis peccata noſtra ſint quotidiana, ira tamen ipſius non exardeſcit quotidie: *Nunquid iraſcetur per ſingulos dies?*

Iſto fundamento judicioſè dixit Tertullianus, quod Deus in ſua ipſius patientia patiatur: *Deus ſuâ ſibi patientiâ detrahit*: Tertull. quia eo ipſo quod talia patitur, occaſio datur ut juſtitiæ ipſius timor evaneſcat, authoritatiſq; reſpectus deficiat. Oza iu-

intentione quamvis bonâ ausus contingere arcam Testamenti, ipso mox instanti luens temeritatem mortuus corruit in terram. O si Deus illud semper aut sæpius faceret, peccataque statim paratâ solverentur monetâ, quàm cautè & timoratè se gererent homines in peccatis, quámque illis ligarentur manus etiam in dubio peccati! cur putatis peccâsse Adamum de fructu vetito comedendo, cùm Deus comesturo mortem fuerit comminatus? quia vidit comedisse Evam, nec tamen fuisse mortuam: sic nec ego (argumentabatur Adam) quamvis comedam, non moriar. Veniat fructus, satietur appetitus, oblectamentis indulgeamus. Istud fecit Adam: idem nos filii ipsius imitamur. Consideratio, inquit textus sacer, quâ homines peccata jam commissa audacter novis accumulant, est ista: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Peccavi, nec mihi quicquam ex hoc afflictivum evenit: vivebam, & adhuc vivo, ut ante; valebam benè, & valeo adhuc ut ante; domum redii, neque ex hoc collapsam, neque filios meos sub illâ mortuos & sepultos, velut Job, reperi; greges non abegerunt hostes, occisis pastoribus & mancipiis: Sementi non defuit pluvia, quæ irrigaret, neque solis æstus, qui fertilem redderet: missa ad Granarium frumenta fuêre conservata: navi commissa ad transportandum, salva appulerunt ad portum: omnia mihi denique cessêre tam prosperè, ut ipso, quo peccavi, die, in domo lusoriâ semper sim lucratus; lite mihi exortâ favorabili gavisus fuerim sententiâ: supplicare compulsus, exiverim benè expeditus: & si manum exosculari debuerim Regis, oculis me semper respexerit benignis. Si igitur, nec in vitâ, nec in bonis, nec in honore & famâ, quicquam mihi nocuêre peccata; quare non iterarem peccata? peccabo ut antè & adhuc amplius.

Eccles. 5, v. 4.

Sic discurrendo plus minusvè expressè homines, ad continuanda proruunt peccata. Sed attendite quid illis Spiritus Sanctus dicat: *Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens redditor.* Ibidem. Ne dicas, peccavi & nihil mihi mali accidit: quamvis enim patientia Altissimi multo dissimulet tempore neque statim ulciscatur injuriam, debitúmve exigat, tandem capitale cum censu rapit. Redditus vocat Tertullianus, *Peccati censum.* Tertul. Porrò S. Gregorius redditu um illorum summam declarans, tam rigidam intolerabilémque judicii executionem futuram asserit, quàm larga ante & longanimis fuit patientia Dei, in dilatione pœnæ: *Tantò strictiorem in judicio justitiam exiget, quantò largiorem patientiam antè judicium prorogavit.* S. Greg. Eheu, quomodo nos homines patientiâ Dei nos decipimus, quæ quò magis dissimulare videtur, minùs evaditur. Deus Fratricidium Caini permittendo non statim morte punivit: sed exul mox à facie Dei, & vagus per mundum, omnibus odiosus & horribilis, in summa ignominia & miseria, in nemore quodam fera reputatus infelicissimè proprii Nepotis sui Lamech manibus peremptus occubuit. Dissimulavit Deus inobedientiam Saulis, Sacerdotalisque officii usurpationem, nec non odium & ingratitudines, quibus persecutus est innocentiam, & merita solvit Davidis; cui honorem, vitam debebat & coronam: Verùm ipsos interrogate Gelboe montes, quàm luctuosa fuerit ipsius Saulis cata-

ſtrophe; dum propudiosè profligatus, proprio ſibi enſe vim intulit, mortuusque ex muro Civitatis ab hoſtibus fuit ſuſpenſus. Permiſit Deus rebellis ſuo Parenti & Regi Abſalonis ambitiones & ſtultitias; nec non impia, ab omnique lege divina & humana aliena Architophelis conſilia: ſed unum propriis manibus ex domus ſuæ trabe videbitis ſuſpenſum; alterum per proprios capillos arboris brachiis comprehenſum & illaqueatum, tribus lanceis in corde transfixum. Toleravit Deus Regis Achab Idololatrias, Uxoriſque ipſius Jezabelis perſecutiones Prophetarum, & falſa contra Naboth data teſtimonia, raptamque mediante perjurio hæreditatem; verùm uterque tandem infami fine & regno & vitâ fuit privatus: Ille ſagittâ trajectus, hæc è palatii ſui feneſtrâ præcipitata: hujus devorârunt carnes & oſſa, illius linxerunt ſanguinem canes. Nabuchodonoſoris ſuperbi, Antiochi ſacrilegi, & Judæ proditoris exempla prætereo: unum in brutum converſum, alium vivum à vermibus comeſtum; tertium medium crepantem infelicemq; cum viſceribus animam evomentem: omnes tres longanimiter quidem tolerati, ſed tandem ſeveriſſimè puniti: ut nemo in pœnæ dilatione fidat; quæ ſi tardat, ſemper appropinquat, tarditatemque rigoris uſurâ compenſat.

§. IV.

SEcundum motivum homines ad peccandum & continuanda peccata alliciens & quaſi invitans, eſt fiducia ſeu præſumptio de miſericordia Dei. Nullum in Deo attributum magis omnes deprædicant Scripturæ, quàm ejuſdem miſericordiam, magnam, infinitam, immenſam. Non ſolùm Deum vocant miſericordem, ſed miſeratorem: *Miſericors, & miſerator*: & quaſi multiplicâſſet ſe ipſum, ad multiplicandas miſericordias, dicunt; quod *multus ſit ad ignoſcendum*: eidem miſericordiæ, licèt ſit una, nomen ei imponunt multitudinis: *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum*. Et tandem quia multitudo conſtat in numeris; miſericordiam Dei innumerabilem afferunt: *Cujus miſericordiæ non eſt numerus*. Quid igitur mirum, quod multiplicante ſe Deo ad ignoſcendum, homines pariter veniæ multiplicent materiam, quæ ſunt peccata, & non cûrent peccatis accumulare peccata? nam licèt numerus eorundem ſit magnus, numerus innumerabilis, & multitudo ſine numero miſericordiarum Dei ſemper eſt major. In tantùm radicatus, tamque profundè infixus eſt ille in fiducia miſericordiæ Dei peccati deſpectus, ut ſi ego (inquit de ſe loquens S. Auguſtinus) perſuadere contenderem hominibus, ut Deum, Juſtitiæque ipſius extimeſcendo rigorem deſiſtant à peccando; quiſpiam in ſcripturis verſatus contra me inſurgendo, in faciem regerere non dubitet: *Quid me terres de Deo noſtro? ille miſericors, & miſerator, & multùm miſericors*. Cumque tanta & talis ſit miſericordia, quod eſt de fide; quamvis peccemus, & amplius peccemus, & peccata iteremus, condonatio ſemper ſequetur.

Pſalm. 110. v. 4.
Iſai. 55. verſ. 7.
Pſalm. 50 v. 2.
S. Aug.

Iſtud multi dicunt peccatores, idemque faciunt omnes, quamvis non dicant. Eſtque res ſuper omnem admirationem & exaggerationem notabilis, quod cùm Deus cœlum polliceatur & beatitudinem; & nihil dare poſſit Diabolus præterquam quod habet, quod eſt infernus; cùm Deus tam ſit bonus, & Diabolus tam malus;

Deus

Deus tam pulcher, & Diabolus tam deformis, nihilominus tot animas fascinatas teneat & captivas, quæ Deo derelicto amicitiam ineant cum Diabolo. Palatius doctissimus Scripturæ Interpres, tamque pius quàm eruditus, huic respondendo admirationi aliquid dicit, quod ex nomine, quo illud declarat, utrum ad hunc locum referendum esset, dubitavi. Verùm quia subsecuti ipsum Commentatores illud velut scitu dictuque dignissimum allegant; tacendum mihi non putavi. Dicit itaque Author ille gravis causam, cur multæ animæ relicto Deo familiaritatem ineant cum Diabolo, esse, quia Diabolus aliquam habet solicitatricem, quâ agente tam sagaciter, dextrè, callidè, & blandè imponit & illudit hominibus; ut suis astibus, promissis & illiciis irretiat & attrahat animas. Et quænam solicitatrix seu ministra est ista? quænam incentrix illa tam potens, ut diabolus hujus operâ intellectum decipiat, voluntatemque captivet? num fortasse una est Circe, vel aliqua Medæa, larvis incantationibusque suis homines dementans? num Furia quæpiam infernalis in Angelum transfigurata lucis, quæ lenociniis spebusque vanis metum ejusdem auferat inferni? non ex inferno, neque ex terra, neque solùm ex cœlo; verùm prodit ex sinu & visceribus ipsius Dei, qui cœlum fecit & terram. Est ipsa (quis tale quid sibi imaginaretur?) ipsa inquam est misericordia divina, quam homines summâ temeritate & impudentiâ solicitatricem sive lenam faciunt Diaboli, quâ mediante familiaritatem cum eo ineunt: *Immane flagitium est, misericordiam Dei facere lenam Diaboli; & quod per misericordiam, per quam Deo conjungi debueras, Diabolo conjungaris.* (*Palat.*) Enormius atrociusque dari nequit sacrilegium, neque horribilior impiæ cæcæque malitiæ excessus, quàm misericordiam Dei lenam facere Diaboli, & ejusdem occasione misericordiæ, per quam homo magis se unire deberet Deo, familiariùs sese associet Diabolo. Tantum igitur, tamque execrandum est, quod omnes isti faciunt, qui solâ Dei misericordia freti, pro eo quod veniam peccatorum petere deberent, majori audacia, excluso timore in eis perseverant.

Audiant sic misericordiâ delusi, quod idem ipse misericordiarum Pater ipsis intonat: *Ne adjicias peccatum super peccatum; & ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* (*Eccles. 5. v. 5. 6.*) Et quare Domine? si peccata nostra fuerint multa, tua verò misericordia modica & parva, argumentum haberemus de venia diffidendi: sed cùm misericordia semper sit magna, omnibusque peccatis nostris major; quantumcunque illa accumulemus; quare confisi non ageremus securi, cum semper nobis ignoscet tua misericordia? Ipse Deus rationem dat, & tam divinam velut suam: *Misericordia enim & ira ab illo citò proximant.* (*Ibidem v. 7.*) Ne nimium meæ fidatis misericordiæ, (inquit Deus) Misericordia enim & Justitia subitò sibi in me consociantur. Admirabilis sententia? in Deo, cujus natura & essentia est simplicissima, totum idem est, quia totum Deus est: nihil verò in Deo magis inter se unitum, & identificatum, neque magis unum & idem, quàm misericordia & justitia. In Deo Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus, misericordia est Deus, & justitia est Deus: sed Pater, Filius, & Spiritus S.

quamvis

quamvis sint Deus,& idem Deus, realiter distinguuntur: Misericordia verò & Justitia nullam patiuntur distinctionem. Pater est Deus, sed non est Filius; Filius est Deus, sed non est Pater; Pater & Filius sunt Deus,sed non sunt Spiritus Sanctus: Spiritus S. est Deus,sed non est Pater nec Filius. Misericordia verò & justitia in Deo tali modo sunt Deus; ut eadem justitia sit misericordia; & eadem misericordia sit justitia. Hinc celebrem illam Davidis intelligemus sententiam, quæ ænigma potiùs, quàm sententia videtur: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi.* Deus, inquit David, unum dixit, & ego duo audivi. Quod auditur, benè auditum, est idem quod dicitur: si ergo Deus tantùm dixit unum, quonam pacto tam sanus Auditor David audivit duo? idem David se explicavit, sed nescio utrum se magis implicârit: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes unicuiq; juxta opera sua.* Quod audivi (inquit David) est, quod Deus omnipotens misericordiam habet & justitiam, quibus cuique operum suorum merita retribuit. Benè igitur audivit David & dixit quod audiverit duo, quia Deum justitiam & misericordiam habere audivit: verùm si ille audivit ista duo: *Duo hæc audivi*; quomodo Deus unum tantùm est locutus; semel locutus est Deus? quia hæc est differentia, quæ inter Deum & homines datur in realitate seu apprehensione misericordiæ & justitiæ divinæ: quo ad nos,& in apprehensione, quâ misericordiam & justitiam divinam consideramus sunt duo; & hinc: *Duo hæc audivi*: Verùm in realitate, quâ eadem misericordia & justitia divina est in Deo, tantùm unum est: & hinc: *Semel locutus est Deus.* Quoad nos misericordia & justitia duo sunt; quia apprehendimus misericordiam velut misericordiam, & justitiam velut justitiam à misericordia distinctam: Verùm quoad Deum, in ipso sunt realiter identificata, sine omni distinctione; In Deo enim justitia est misericordia, & misericordia est justitia.

Psalm 61.v.12.

Ibidem v.13.

Cùm itaque tam sit inseparabilis, tamque intima, non dico unio, sed unitas binorum horum attributorum divinorum, à quibus absolutio seu condemnatio omnium peccantium dependet: videre nunc, an non salutare nobis, Deoque dignum sit consilium, quo tam seriò nos idem admonet & hortatur, ne accumulemus peccata super misericordiâ, de sua præsumendo misericordia; quia misericordia & justitia in Deo sibi valde sunt propinquæ: *Ne adjicias peccatum super peccatum: & ne dicas, miseratio Domini magna est; misericordia enim & ira ab illo citò proximant.* Tanta nihilominus humana est cœcitas & malitia, ut cùm misericordia & justitia tam sibi sint proximæ, non hæretici tantùm, verùm etiam Catholici medium adinvenerint eas separandi. Hæretici Marcionistæ, misericordiam Deo tribuebant, ast non justitiam, eò quòd alienum ab ipsius bonitate putarent, punire: ac si ad hoc bonus esset Deus, ut homines impunè essent mali; uti optimè eos redarguit Tertullianus. Et Catholici majore adhuc absurditate & incongruentiâ cognoscentes & confitentes Deum esse misericordem & justum: *Misericors Dominus & justus*; quid faciunt? Deum per medium dividunt (inquit S. Basilius) *Deum ex dimidia tantũ parte agnoscunt.* Unde sequitur, quod facilè peccando contra dimidium, quo cognoscitur misericors;

Psalm. 114.v.5.

Basil.

ricors; alterum dimidium non curent, quasi justum esse non crederent. O quàm sapienter egissent homines, qui eam nunc divisionem faciunt, si contrariam fecissent ante! sic illam faciebat David proprio jam peccato cautior factus; *Domine memorabor Justitiæ tuæ solius.* q. d. Ego deinceps tuæ tantùm recordabor justitiæ Et quare non ejus misericordiæ, tot ante à divina misericordia favoribus receptis? Eandem ob causam, ne illâ abuteretur. Solius justitiæ divinæ memor, ac si misericordia deesset; timendo peccare, consequitur salutem. E contrario solius misericordiæ divinæ memores, ac si justitiam non haberet, proni in peccata & consequenter in damnationem ruunt. Et istud omnibus de misericordia Dei præsumentibus accidit.

Psalm. 70. v. 16.

§. V.

TErtium motivum homines ad facilius peccandum, & ad continuanda multiplicandaque peccata inducens, est propositum contritionis & doloris. Ego, inquit peccator, pecco nunc, & peccabo, non tamen semper in peccatis perseverandi animo, sed intentione propositoque firmo dolendi postea, pœnitentiamque agendi ex toto corde, de illo ipso quod nunc operor. Tali modo talique suppositione omnis homo ad peccandum se resolvit, qui aliam vitam credit. Hoc ita declaravit admirabiliter quidam eorum in peccatis complex, multò tamen magis in contritionibus & pœnitentiis exercitatus. *Ecce parturiit injustitiam; concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Peccator inquit David) quando se resolvit ad peccandum, concepit dolorem & peperit iniquitatem. In productione & nativitate rerum animatarum, conceptio semper præcedit partum, & partus sequitur conceptionem: idem usu venit in peccato. Homo determinans se ad peccandum, concipit peccatum, & patrando, seu in effectum deducendo illud perit: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Verùm benè in se considerata ista verba implicationem involvere videntur naturalem. Conceptio & partus ejusdem semper sunt speciei: si partus est homo, etiam conceptus fuit homo; si partus est leo, etiam conceptus fuit leo; & si partus fortè sit monstrum, sicut omne peccatum est monstrum, similiter conceptus fuit monstrum. Si igitur David inquit, quod peccator peperit peccatum, *Peperit iniquitatem*; quare consequenter non dicit, quod concepit peccatum, sed concepit dolorem: *Concepit dolorem?* Quia hoc modo & suppositione omnis homo fide præditus se resolvit ad peccandum. Primò concepit dolorem futurum, scilicet contritionis futuræ, proposito dolendi facto de peccato, quod jam committere determinavit; & sub hoc jam concepto doloris contritionisque proposito, tamque salvi conductus & immunitatis à pœna singrapha posito metu præsumptuosè delinquit Novit utique peccator Christianus, quod peccatum occidat animam, eamque ad infernum condemnet. Verùm delinitus & victus à concupiscentia, quasi se apud animam suam se purgando, sibi ipsi loquitur: scio equidem, anima mea, quod peccando te occidam, & ad infernum condemnem: verùm si modò te occidam, condemnemque te peccando, postmodum dolore & pœnitentiâ te resuscitabo & redimam: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Psalm. 7. v. 15.

Contractum illum seu pactum nimis

quàm temerarium & inconſideratum, pejuſque intellectum, teſte Iſaiâ, homines cum morte pangunt & inferno:
Iſai, 28, v. 14, 15. *Audite verbum Domini viri illuſores: dixiſtis enim, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Sic percutientes fœdus cum Diabolo & peccare paratos, non illuſos, ſed illuſores Deus vocat: *Viri illuſores*; Quia non ſolùm non deceptos ſe à Diabolo, ſed ipſum Diabolum ſe decipere putant. Modò peccando ipſi donant animam, ut illam poſteà dolendo pœnitendoque repetant; & hoc modo ſeu arte Diabolo, & non ipſis illuderetur. Sed conditiones examinemus. Quod homines timere poſſunt, quodque timorati omnes meritò timent, eſt, quod mortui in peccato tendant in Infernum: hinc fœdus & pactum cum Diabolo ſuper morte & inferno percuſſum & initum eſt: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Vigore fœderis cum morte, promittit illis Diabolus non defuturum illis tempus ſuum complendi propoſitum, doloremque & contritionem eliciendi de peccatis: & vigore pacti cum inferno initi, ſecuros illos futuros perſuadet Diabolus, quod nullatenus eò ſint deventuri; omnis enim ante mortem de peccatis ſuis verè contritus & dolens, certus eſt, ſe evaſurum infernum. Si igitur conditiones iſtæ hoc modo practicatæ tam utiles ſunt hominibus, Diaboloque illis illuditur, quonam, quæſo, pacto idem Diabolus tam callidus & ſagax, tam temerè ſub hiſce conditionibus fœdus ineat? quia ſub illis illuſus, totaliterque perditus, non eſt ipſe, ſed homo. Maxima, ſtyluſque Diaboli ſuis in contractibus cum hominibus (inquit S. Baſilius) ex parte noſtra hanc conditionem habet, ut demus illi præſens ſub appromiſſione futuri ex ſe: pecca modò, dole poſtea; & quoniam præſens facile eſt & certum: & futurum contingens & difficile; hinc ſequitur quod tempore præſenti, quod eſt emendationis omnes peccent; & tempore futuro, quod erit reddendæ rationis, in pœnam ipſius peccati, rarì, vel nullus pœniteat.

Enim verò adhuc amplius quiddam agit Diabolus, quàm in verbis Davidis conſideravimus: *concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Natura delectationem conſtituit in conceptu, & dolorem in partu: vice versâ diabolus delectationem in partu, dolorem verò collocat in conceptu. Delectationem ponit in partu, quod eſt peccatum: quia quodlibet peccatum, in quacunque peccati ſpecie, ſemper comitatur delectatio: dolorem verò ponit in conceptione, quia in determinatione peccandi, nobis ſuggerit, & concipere facit dolorem futurum de peccato commiſſo. Et quoniam appetitus humanus tam cœcè ducitur à delectabili, hinc peccato, cui ineſt delectatio & perditio, tempus tribuimus præſens: dolorem verò, cui ineſt remedium & ſalus, relinquimus futuro. Hoc modo ipſa noſtra propoſita, quæ contritiones vocamus, ſunt condemnationes; ipſaque peccata quæ ex confidentia ipſorum committere reſolvimus, eorundem nobis falſitatem ob oculos ponere deberent. Propoſita illa vel falſa ſunt exempla, quare illis fidimus? ſi autē ſunt vera, & ſunt propoſita contritionis, quare non ſtatim conterimur, dum adhuc tempus non peccandi habemus? certum eſt quod nec propoſita ſint propoſita nec contritiones dicendæ contritiones; quia propoſita ſunt contritionum, quæ non erunt; conſequenter nec propoſitorum nomine digna. Verùm ſuppoſito, pactum illud

illud factum esse cum inferno: *Cum inferno fecimus pactum*: In ipsum descendendo infernum quomodo ibidem servetur videamus. Num in carcere isto infernali, in teterrimo & tenebricoso ergastulo aliquis invenitur Christianorum? valde multi. Respondeat mihi aliquis. Homo infelix, quiscunque es, si fuisti Christianus, adhuc talis es, character enim Baptismi animæ impressus est indelebilis. Si igitur es & fuisti Christianus & credis quicquid S. Mater Ecclesia credit, quare Fide Sacramentisque non es usus; quare doctrinâ exemplisque Evangelii quæ toties audivisti non es usus; & quare tandem damnatus fuisti? ob mea peccata. Et nunquid sciebas quod peccata, immò unicum peccatum sufficiat ad præcipitandum in infernum? omnia ista sciebam: sed & veram contritionem sufficere sciebam, ut Deus ea condonet: & hâc habitâ notitiâ, quoties peccare determinabam, cum magnis pœnitendi posteà propositis fiebat. Tot igitur factis contritionis propositis, quare non fuisti contritus? quia ista deceptio huc nos traxit omnes. Duo isti juxta me ardentes, duo illi fuerunt Fratres, Summi Sacerdotis Heli filii Ophni & Phinees, & quà tales sufficienter eruditi & in omnibus fidei salutisque mysteriis instructi. Reprehendebat eos Pater eorum, mandans ut mores corrigerent, & de peccatis pœnitentiam agerent; respondebant illi: *Cùm senuerimus, tunc pœnitebimus.* quod quia Juvenes erant, nunc libertati frœna laxare, tunc verò pœnitentiam acturi essent. Verùm mors veniens Nunc, prævenit illud Tunc. Contritiones & proposita abierunt in ventum, & animæ descenderunt in infernum. Hic jam ardent à bis mille & septingentis annis, & ardebunt mecum qui sim liter rationes meas disposui, quou que Deus fuerit Deus.

Christiani, sumpto hinc exemplo, ne similiter nostris confidamus paopositis. Propositũ contritionis conjunctum cum resolutione peccandi, nec est contritio, nec propositum: resolutio enim peccandi, proposito contritionis contradicit, & peccatum præsens contritionem dissolvit futuram. Quod si proposita non peccandi, etiam in gratia Dei facta, parùm sunt secura, proposita pœnitendi de peccatis facta, dum peccare volumus actualiterq; peccamus, qualem habere possunt firmitatem? firmiora nunquam in mundo facta fuêre proposita, quàm fortia illa S. Petri, non in ore solùm, sed quod rarò conjungitur, in ore simul & in gladio. Et quid dixit S. Petrus? *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* *Matth. 26. v. 33.* Domine, licèt omnes fidei, amorique tibi debito defuerint, ego nunquam deero. Quid ampliùs dixit? *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* *Ibidem v. 35.* Etsi necessitas etiam exegerit, vitam sanguinemq; tecum profundere; potiùs moriar, quàm te negabo. Nunquid heroica magis & cordata, splendidiúsque declarata esse poterant proposita? non poterant. Cúmq; essent tam constantia totiésq; repetita, & vera tanquã ex toto corde facta, nondum sex transierant horæ, quando labendo & relabendo iterumq; cadendo, non minùs quàm tribus vicibus suum negaverat Magistrum. Porrò si proposita non peccandi finiuntur negando Christum; quid ab illis quæ actualiter peccando, Christumque negando incipiunt sperari potest? peccata Petri subsecuta fuit contritio, quia fuerant proposita non peccandi, cùm esset in gratia: sed peccanti cum proposito pœni-

pœnitendi posteà, unde veniet contritio, si illam neget, ipsoque demereatur peccato? peccabitis uti peccatis; sed non pœnitebitis; sicut promittitis.

§. VI.

QUartum ultimumque motivum quo excœcati homines in peccatis perseverare non formidant, quamvis infirmitatem mortalem cognoscant, facilitas & promptitudo est remedii. Christus Dominus noster fragilitati condescendendo humanæ, peccatis post Baptismum commissis in remedium eorundem confessionem reliquit. Hinc Sacramentum Pœnitentiæ, secunda post naufragium tabula, quâ homo salvus evadere possit, appellatur. Verùm quemadmodum nimis magna temeritas esset, voluntariè se projicere in mare tanquam securum mediante tabulâ perveniendi ad portum; major verò adhuc temeritas foret ejusdem tabulæ fiduciâ magis, magisque sese immergere undis: sic faciunt, qui sub Confessionis prætextu, sese præcipitant in peccata, dicentes: Confitebor: & sic peccata peccatis accumulant.

Ego hoc ipso, Confessionis remedium promptum valde & facile non negabo. Nonne facile est medium curare tantum verbis, sive hoc inventum esset per superstitionem, sive per artem? ex hoc genere est, & gloriosè quidem, remedium Confessionis. Non solùm ab aliquibus, sed ab omnibus, quamvis lethalibus sanat vulneribus; non tantùm pauca, seu multa, sed omnia, licèt innumera curat; immò taliter, ut curet omnia, quot gravatur infirmus, nullo excepto; nam uno tantùm excepto, non curatur ullum: porrò totum istud facit Confessio, non longo temporis tractu, sed in instanti, & sine alio, ex nostra parte applicamento, quàm verborum usu.

Propheta Osee homines cohortans ut ad Deum sese converterent sic inquit: *Convertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem.* Nihil itaque faciendum aliud, quàm dicendum Deo, ut nostra tollat peccata, & non aliqua, sed omnia; *Omnem aufer iniquitatem:* Et si Deus ex parte sua, omnia à nobis tollat peccata, quid nobis ex nostra agendum est parte, ut ipse ea tollat? Idem Propheta illud jam dixit, estque notabile: *Tollite vobiscum verba.* Diversimodè valde eodem Oseæ tempore alii loquebantur Prophetæ in lege veteri. Alii dicebant: *Tollite hostias; offerte Sacrificia*, quibus justam ipsius mitigetis iram, ut vestra vobis peccata condonet. Si igitur Prophetæ alii dicebant: *Tollite hostias*; quare Osee inquit; *Tollite verba?* Quia Osee in hoc textu, prout cum Ruperto inquit Glossa, propheticè de Confessionis Sacramento loquebatur, quod Christus in lege Gratiæ erat instituturus; & ad obtinendam peccatorum indulgentiam mediante Confessione, ex parte nostra nihil requiritur aliud, præterquam verba (non informia, sed formata) quibus illa confitemur. Egregiè Rupertus: *Non dico, tollite vobiscum multitudinem hircorum aut vitulorum, sed verba, quæ consequi potestis, sine dispendio rerum: verba Confessionis Deo pro salute vestra sufficiunt, pro iniquitatibus vestris satisfaciunt.* Nunquid facilius quippiam dari potest?

Ose. 14. v. 3.

Ibidem.

Psalm. 98. v. 8.

Rupert.

Tam profectò facilè & expeditum hoc medium est, ut referente S. Augustino, sui temporis Gentiles objecerint Christianis dicentes; non posse bonam esse legem illam, quâ tam facilè remitterentur peccata, foret enim licentiam dare peccandi. Istud ita ignorantes asseverabant Barbari; cogitationisque blasphemiam, scanda-

lofo

toto Christianorum multorum justificare poterant exemplo, qui sic Confessionis facilitate abutuntur; ac si esset licentia à Deo data peccandi quantum liberet. Quâ super re Sanctus Augustinus informavit Gentiles, tantùm abesse à Confessionis facilitate peccatum; ut novum potiùs sit frœnum ad coërcendum peccatum. Quemadmodum enim in Confessione tantùm remittuntur peccata, nunquam ampliùs peccare resolventi; si in peccato violatur lex, quâ Deus peccare vetat, in Confessione non solùm eadem lex comprobatur: verùm ipsi novam nobis ponimus legem, quâ nos ad non reincidendum in peccata, seu alia non committenda obligamus. Tam ingeniosa Confessionis fuit inventio; vel verè tam divina; ut cùm ex parte una portam aperiat veniæ; ex altera eandem claudat peccato. Si domus duos habeat introitus junctos, eâdem portâ, quâ panditur unus, claudi potest alter. Idem in Confessionis Sacramento fecit Deus. Quemadmodum enim Confessio vera essentialiter includit commissorum detestationem peccatorum, firmumque non ampliùs peccandi propositum: detestatione portam aperuit peccatis præteritis, & proposito non peccandi januam clausit futuris.

Ex hoc nunc intelligere incipient plus æquo Confessionis remedio confidentes, quàm erronea & deceptoria eorum sit fiducia. Confessio vera & fructuosa debet ducere secum confitentem & illum constituere totum, & pro semper ad pedes Dei: si non ducit secum confitentem, non est Confessio. Ecce quod Osee dicebat; & nondum advertistis: *Tollite vobiscum verba, & dicite: omnem aufer iniquitatem.* Ut Deus vobis remittat peccata, non solùm inquit, ut verba feratis ad confessionem; sed ut illa feratis vobiscum: *Tollite vobiscum verba.* Si enim verba confessionis vos non fertis vobiscum, & illa non adducunt vos secum, Confessio non est Confessio, sed tantùm verba. Abelis sacrificium quare placuit Deo? quia secum ducebat Abelem. Illud verò Caini quare reprobavit Deus? quia comitem non habebat Cainum. David dixit ad Nathan: *Peccavi.* Idem similiter Saul dixit Samueli: *Peccavi.* Cumque idem esset verbum, Davide absoluto, Saul remansit sub reatu: David enim suam secum tulit Confessionem; Saul verò minimè. Videant nunc qui ad horam usque mortis suam differunt Confessionem, utrum eorum verba possint ipsos ducere secum, quando jam amplius sibi non sunt præsentes. Ecce quare tot sine confessionibus, vel cum confessionibus, quæ non sunt confessiones, mori cernimus. Justa enim Dei pœna est; ut qui peccavit confessionis fiduciâ, ei desit, vel non prosit Confessio.

2. Reg. 12. v. 13.
1 Reg. 15. v. 24.

Habitatores Jerusalem licentèr & effrænes, & quasi nullâ sibi positâ lege in peccata ruebant: hâc solâ fiduciâ freti, quod Deus templum suum in Jerusalem haberet. Deus (inquiebant) Templum suũ in nostra habet civitate? defendet ergò domos nostras, ne perdat suã. Sed ecce quid sic sermocinantibus Propheta Jeremias prædicavit: Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est:* Vos confidentes in templo Domini homicidia, furta, adulteria committitis, ac si ipsum templum ad liberiùs peccandum licentiam vobis indulgeret; securitatemque promitteret, ast scitote, quod omnis illa vestra fiducia fallax est & erronea & finaliter vos decipiet: *Nolite* con-

Jerem. 7. v. 4.

confidere in verbis mendacii. Peccanti enim ex confidentia Templi, non prodest Templum, & ita accidit. Idem de Confessione esto judicium; Deus enim & Justitia ejus semper est idem, & eadem. Quemadmodum templum nihil prodest peccanti fiduciâ templi, ita justo Dei judicio & pœna, confessio non proficit peccantibus confessionis fiduciâ fretis. Deus confessionem instituit in remedium fragilitatis, & non in stimulum malitiæ. Est medicina ad sanandum, & non securitatis chirographum ad infirmandum. Hinc justissimè permittit Deus, ut vel omnino desit Confessio, vel non prosit multis: non enim rationi est consentaneum, ut remedium prosit illi, qui injuriam ipsi remedio infert.

Hîc nunc sisterem, meque satisfecisse jam crederem; nisi scirem validam quandam recentem in terris vagari Propositionem, seu Theologiam, quam credere non poteram, nisi Septentrio illam ex Hollandia invexisset in Pernambucum; & Aquilo, Pernambuco Bahiam. Quænam verò est ista? quod Christiano ad cœli ingressum Confessarius sufficiat & pecunia: Confessarius pro peccatis, & pecunia pro suffragiis. Confessarius pro culpis, qui vos liberet ab inferno; & pecunia pro pœnis, quâ vos à purgatorio liberetis. Quibus adhuc gratias ago sic loquentibus, eò quòd purgatorium esse credant & infernum: verùm sic incipiunt hæreses. Pauperes egeni, qui non habent pecuniam: pauperiores sunt opulenti, qui in illa confidunt. Sed ego Confessarium ipsis & pecuniam concedo; relictóque Judæ exemplo efficaciore adhuc demonstro, quod cum confessario & pecunia mori possint sine confessione. In exordio Ecclesiæ Christiani pecuniam omnem ad pedes Apostolorum afferebant; modernorum enim religiosorum more in communi vivebant: fuêre nihilominus duo Conjuges Ananias & Saphira, qui vendentes agrum contra votum quod fecerant, partem pretii sibi reservârunt. Porrò S. Petrus vocato ad se *Act. 5.* Ananiâ eidem commissum improperat *v. 5.* peccatum; contestatus ipsum Spiritui Sancto fuisse mentitum, cum arbitrio ipsius subesset pretium: eodemque mox instanti nullo prolato verbo Ananias cecidit mortuus. Quo facto Uxor ipsius Saphira similiter citata se stitit judicio: ejusdem à S. Petro insimulata criminis, quia particeps hæreditatis, & in occultanda pecunia erat complex, obmutescens repentè mortua corruit. Agedùm nunquid his duobus infelicibus pecunia defuit & Confessarius? utrumque adfuit; Confessarius quidem velut S. Petrus Summus Ecclesiæ Pontifex; nec defuit pecunia, quam propterea suppressam reservârunt: & nunquid alteruter ipsorum confessus est neuter. Ita ut ambo habuerint confessarium, ambo habuerint pecuniam; ambo ad pedes Confessarii fuerint mortui; & ambo mortui sine confessione. Hæc jam nova illis, novæ istius referte Theologiæ Sectatoribus; non enim præsentium quempiam, talem de ipso ignorantiam præsumendo, rubore suffundere volo.

Non Confessarii copia in hora mortis, ut anima salutem consequatur: Confessario enim adstante ad lectuli pulvinar, quibusdam deest confessio: & quidam confessioni desunt. Destitutis vitâ, loquelâ, rationisque usu deest confessio: quibus verò vita, loquela ratioque suppetit, illi

illi desunt confessioni; In pœnam quippe in illam usque horam dilatæ confessionis, & peccatorum in fiducia ipsius commissorum, justè permittit Deus ut veræ defectu dispositionis (qui multis contingere potest modis) illis confessio non prosit. Dicite mihi, si quis hominum propriis se manibus pugione iteratis vicibus adacto confoderet; nonne stultum ipsum reputaretis? quo respondente, se illud facere, eò quod phialam habeat olei ex auro probatissimo, quo facilè sanare se posset, nunquid majorem ipsum stultum haberetis? Tales sunt, idque faciunt, qui confessionis facilitate freti peccata continuant. Et stultitia & amentia ipsorum enormior est; quia nec confessio, nec effectus ejus eorum arbitrio subest. Hinc condemnati sunt tot sine confessione; totque damnantur jam confessi: ut nemo tandem in remedii hujus facilitate confidat.

§. VII.

FUsiùs quidem quàm volebam, brevitate nihilominus maximè mihi possibili vidimus, quàm deceptoria sint motiva, quámque fallaces appetitus nostri sint prætextus, quibus Diabolus nos animat ad peccandum, & ad perseverandum in peccatis, contra præceptum & consilium ejus, qui tanto salutis nostræ ardet desiderio, & propterea pro nobis vitam dedit: *Jam amplius noli peccare.* Omnia motiva fallacia esse & deceptoria vidimus: nam nec pœnæ dilatio illam imminuit, sed potiùs auget: nec confidentia in misericordia divina nos securos reddit de ejusdem justitia, immò eam provocat: nec pœnitentiæ agendæ proposita ullam in vita, neque in voluntate habent firmitatem. Denique nec remedii facilitas ita est expedita, quin tot scateat difficultatibus, quot periculis, quorum vel minimum ad animæ perditionem damnationemque sufficit. Verùm, quia istud punctum de non peccando ampliùs tam est arduum, natura tam corrupta, habitusque labendi & recidivandi tam est consuetudinarius in humana cœcitate: desideranti mihi medium aliquod omnibus istis potentius & efficacius vobis proponere, divinæ placuit bonitati mihi detegere & inspirare quoddam tam validum & efficax, & insuper tam terribile; ut postquam auditum innotuerit, quale in semetipso est, nullus hominum futurus sit, qui peccato mortali se obstringere ausit, nisi adeò foret obstinatus & resolutus, ut sine remedio damnare se vellet. Hocce medium est istud, quod forsan non audîstis, sicut promisi in principio: proinde nunc denuò Dominum illum Crucifixum, per infinitum sanguinis sui pretium, Sanctissimæque Matris suæ intercessionem deprecor, quatenùs & mihi & vobis omnibus tantâ gratiæ suæ vi & efficaciâ assistat in hoc puncto, quantam gravitas ejusdem requirit. Porrò si ullo in sermone attentas præbuistis aures; in hoc vel maximè idem fiat: quem ut impressum semper geratis memoriæ, substantialis erit & succinctus.

Primò, tanquam pro fundamento totius supponendum est & sciendum, Deum in mente sua divina certam cuique determinâsse peccatorum mensuram, quâ nondum impletâ, locus est remedio, & venia speranda peccatis: eâ verò impletâ, remedium omninò omne evanescit. Istud Providentiæ, justitiæque suæ divinæ secretum Deus primò in regnorum, Civitatum, & Rerumpublicarum revelavit peccatis, quæ suppositio & doctrina optimè

timè quadrat tempori,statui, & eventibus,in quibus Brasilia comprehensam se cernit. Deus Abrahamo se ipsi seminique ipsius terras Amorrhæorum daturum promisit, propterea terras promissionis vocatas;hoc verò non statim,sed multorum annorum emensâ periodo adimplendum; rationem addens : *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* Quia ad præsens usque tempus Amorrhæi nondum implevêre determinatam sibi à me peccatorum mensuram quam castigare decrevi. Et hæc causarum fuit una, quare Filii Israel tanto tempore peregrinati fuêre in solitudine,usque dum portum attingerent in Jordanis flumine : ut interim Amorrhæi peccatorum suorum mensuram implerent.Eodem sensu Christus Dominus Scribis & Pharisæis,reprehensis peccatis eorum & injustitiis dixit, ut patrum suorum mensuram implerent: *Implete mensuram patrum vestrorum.* In corporibus quippe politicis, qualia sunt Respublicæ,ad multa æva durantes,peccata Patrum,Filiorum,& nepotum ad implendam concurrunt mensuram.

Gen.15. v.16.

Matth. 23.v.32.

Zacharias Propheta illustrem quandam veritatis hujus, cum omnibus circumstantiis nobis exhibet repræsentationem. Angelus Zachariæ apparuit dicens, ut sublatis oculis videret, quidnam de portis Jerusalem egrederetur. Suspiciens,amphoram quandam certum mensuræ genus ex omni parte quadrangulam exire vidit, tum temporis Hebræis æquè,ac latinis vas usitatum : post amphoram massa exivit plumbea pondere talenti; præviisque duabus hisce figuris inanimatis,eâdem portâ egredientem vidit mulierem, quæ pergens ad amphoram sedit super illam : verùm Angelus declarans eam esse impietatem : *Hæc est impietas* : ipsam demisit in amphoram, quam massâ plumbeâ clausit, quæ cùm esset eidem accommodata effectui, naturalitèr cum ea convenit. Quo facto,reversus fui,inquit Propheta,ad videndum: Et vidi egredientes è civitate mulieres duas alis milvi volantes, quæ ex utrâque parte amphoram elevantes, illam per aërem in terram Sennaar detulerunt. Hucusque de verbo ad verbum, de litera ad literam visio Zachariæ, in qua ipsi Deus Civitatis Jerusalem, Regnique Juda desolationem & eversionem repræsentavit, quando ab Exercitu Nabuchodonosoris obsessâ & expugnatâ Civitate, omnes capti captivique in Babylonem fuêre traducti. Istud significare voluit, Terra Sennaar;quia in illa terra ædificari cœpit Turris Babel, unde nomen accepit Babylonia. Verùm si tota visionis hujus intentio, & scopus erat, quòd Deus Zachariæ captivitatem transmigrationemque Populi præsignificare voluerit, quod utique paucioribus fieri poterat verbis,prout ego dico; ut quid Sapientia divina illud facit tot cæremoniis, tanto apparatu,tot figuris,tali ordine, tamque variis rerum successibus; nec non tam notabilibus circumstantiis, in qualibet repræsentationis ejusdem scena vel actu? quia hoc pacto Deus Prophetæ suo, & in illo omnibus nobis,occultos Justitiæ suæ, desolationisque Civitatum, Regnorum, Nationum causæ stylos revelare voluit; quando ad extremam cum illis proceditur punitionem.

Zach. 5. v.8.

Primum apparens in judicio, est mensura,seu amphora; quam Deus determinavit peccatis; quâ necdum impletâ differtur

fertur & suspenditur pœna: eâ verò impletâ executio sequitur sine remedio. Hocce mysterio Angelus mulierem, quæ erat impietas, demisit in amphoram, in qua significabantur peccata Jerusalem, totiusque Gentis, impiæ in Deum Idololatriis & sacrilegiis: & in proximos impiæ furtis, homicidiis, adulteriis, omnigenûmque crudelitatum & injustitiarum genere. Et quia ista peccata suam jam impleverant mensuram, ut plus capere non posset; hinc Angelus eam plenam & superabundantem plumbeo isto clausit operculo, tam ponderoso tamque justo, ut nec ad imminuendum, nec ad augendum potuerit aperiri. Itaque sic plenâ ad summum usque mensurâ, sola supererat executio pœnæ sine mora, vel dilationis momento: & hæc fuit consecuta, quando eodem instanti duæ mulieres alatæ egressæ, non ambulantes in terra, sed per aërem volantes amphoram illam in suos receptam humeros transtulerunt de Jerusalem in Babyloniam. Enim verò si interrogaverimus, quænam istæ duæ fuerint mulieres non tangentes terram? optimi respondent interpretes, in Prophetarum oraculis fundati, fuisse misericordiam justitiamque divinam: misericordiam ad justificandam pœnam, & justitiam ad illam exequendam. Nam si homines abscidissent cursum multiplicationemque peccatorum, divina semper misericordia, quæ ad hoc eos per Prophetas hortabatur prompta fuit ad illa condonanda. Verùm quia illi desistere recusârunt, & mensuram impleverunt, jam justitia executionem omittere nequibat, sicut punitionem fuit executa. Scire tantùm restat, quare harum duarum Executricum alæ fuerint de milvo; sed & hoc idem mirificè rei declaravit eventus Milvus quippe fuit Nabuzardan Dux Exercitus Nabuchodonosoris, qui semel atque iterum Civitatem obsidens rapacium more avium invadens Populum totum, unguibus transtulit in Babylonem.

Ita ut ex hac aliisque allegatis revelationibus nobis constet (quod alio modo sciri nequit) Deum in mente sua divina, sicut diximus, profundissimisque divinæ suæ Providentiæ decretis, cuilibet Civitati, Regno, Provinciæ, & Genti, certam determinâsse peccatorum mensuram, quâ impletâ infallibiliter sequitur pœna, & nondum impletâ differtur. Porrò in hoc casu captivitatis Babylonicæ graves authores notant & advertunt, quod nequaquam silentio mihi prætereundum puto, eò quòd è re nostra esse posse videatur. Duraverat captivitas illa annis septuaginta, quibus evolutis Judæi patriæ suæ sunt restituti; verùm tam parum emendati, priorisque memores pœnæ, ut modicâ temporis intercapedine abinde reinceperint tanto excessu implere mensuram, ut eâ denuò ad summum impletâ, Deus illos aliâ castigaverit captivitate & universali transmigratione non septuaginta, neque septingentorum, sed adhuc continuantium annorum, qui ad mille quingentos & septuaginta septem excreverunt, ignoto restantium adhuc numero. Notam hanc & advertentiam è re nostra futuram dixi, & credo quod me jam intellexistis. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Deus punivit Bahiam eam tradendo Hollandis, quamvis captivitas illa annum non excesserit, sicut novem jam annis capta tenetur Civitas Pernambuco A Tempore illo usque huc, certum est (prô dolor) peccata reince-

pisse secundam implere mensuram, tamque celeriter, ut nesciam, quomodo jam non sit impleta. In nostro situm est arbitrio ut non plenè adimpleatur, alæ quippe de milvo ita appropinquant, ut divinæ non sit opus justitiæ mandare ut Ambstelodamo veniant.

§. VIII.

VErùm enim verò de mensura peccatorum communium transeundo ad illam particularem singulorum; quemadmodum Deus certam determinavit mensuram peccatis cujuslibet Civitatis vel Regni: ita quoque similem determinavit peccatis singulorum hominum. Quantò magis hæc secunda timenda sit mensura, neminem fore puto qui in dubium vocet: Civitas enim & regnum ad infernum non vadunt; sed homines. Et quòd Deus hoc determinârit cuilibet nostrûm, est res non tantùm liquida, sed liquidissima inquit S. Augustinus. Adducit Sanctus jam allegata Scripturæ exempla, & alia, nec non in libro de vita Christiana concludit in hunc modum: *Manifestissimè instruimur & docemur, singulos secundùm peccatorum suorum multitudinem consummari, & tam diu, ut convertantur, sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint delictorum consummatum.* Manifestissimè nos docet, nobisque declarat Deus (inquit S. Augustinus) quod cuilibet hominum certam assignavit mensuram vel cumulum peccatorum; quo nondum expleto & consummato, nos, ut convertamur, expectat: dictâ verò mensurâ impletâ, & cumulo peccatorum consummato, abruptâ morâ, remedioque sublato Deus nos damnat. Idem S. Ambrosius sequentibus verbis confirmat: *Dei verba sunt; non sunt completa peccata Amorrhæorum: per quod ostendit mensuram quandam esse delictorum, quam cum impleverint peccatores, vitâ digni minimè judicentur.* Porrò, quia hic communis est S. Scripturæ Expositorum sensus, vel maximè versatum & exercitatum in omnibus, doctissimum accuratissimumque referre libet Cornelium à Lapide, super amphoram Zachariæ sic commentantem: *Amphora est mensura peccatorum cujusque tum hominis, tum populi, quâ impletâ, Dei vindicta prosilit in ultionem.* Et super verba Apostoli S. Pauli ad Thessalonicenses inferiùs citanda, inquit: *Hinc patet, Deum urbibus, regnis, & pari proportione impiis privatis certum statuisse peccatorum cumulum, ut illo impleto, omnia simul & perfectè vindicet, & castiget.* Similiterque commentando, alia tam veteris quàm novi testamenti loca declarat, colligens semper de revelationibus divinis, textibus ipsis expressis, quod cuilibet homini certam Deus designârit mensuram, certumque peccatorum determinârit numerum, quo finaliter & ultimatè impleto, non venia, sed locum invenit punitio.

S. Aug. — S. Ambr. — Cornel. à Lap. — Idem.

Non exotica vel admirabilis, nedum aliena à Justitia Misericordiaque divina videri debet jam dicta mensuræ hujus cujuslibet hominis peccatis decreta determinatio; si enim in punitionibus Regnorum & Civitatum conjunguntur peccata præsentium & vivorum, qui implevêre mensuram, cum peccatis præteritorum & mortuorum, qui eam implere cœperunt; quid mirum, quod quilibet peccatis jam ante à se commissis, & iis quæ ultimò committit, etiam impleat suam? neque difficultatem auget, quod

alii

aliis major minorvè numerus sit determinatus; eadem enim quæ infirmo nostro intellectui videtur inæqualitas, in divinæ Providentiæ arbitrio summa est justitia. Et si minùs ita vobis fuerit visum respondete mihi. Similitèr etiam Deus cuilibet homini numerum dierum vitæ circumscripsit. Unde David: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Porrò ista mensura tam est certa & determinata, ut ultimo jam præsente die, remedio careat, teste Job: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Quemadmodum igitur nemo conqueritur de Deo, neque in his aliisvè mensuræ dierum inæqualitatem admiratur, multò minùs peccatorum mensuræ inæqualitatem admirari fas est; siquidem Deus justissimo judicio ob unum peccatum mortale in infernum præcipitat, qui illud commisit. Et ratio utriusque Justitiæ & Providentiæ fundamentalis est, dominiumDei supremũ, quia æqualiter gratiæ Author est & naturæ. Et quemadmodum quâ author naturæ circumscribere potest, certum dierum numerum vitæ sine hominis injuria: Ita sine ejusdem hominis injuria certum numerum peccatorum præscribere potest veniæ. Unde sequitur, quod sicut dies ille, qui dierum vestrorum numerum complevit necessariò est ultimus, & illo jam præsente vitam finiri necesse est: pari modo peccatum illud, quod numerum implevit peccatorum, similitèr est ultimum, quo commisso non potest non subsequi condemnatio: quia clausa est mensura, & jam locum ampliùs non invenit venia.

Psalm. 38.v.6.

Job.14. 5.

Ipsum auscultate Deum ex ore Amos Prophetæ: *Hæc dicit Dominus. Super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum: Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum:* Idem Damasco, Tyro, Moab, Edom, aliisque denunciat. Et quid significare intendit? unum commiserunt peccatum & remisi illis; duo commiserunt peccata, & condonavi: tria commiserunt peccata & similitèr ignovi; quia verò commiserunt quatuor jam illis non condonabo. Ergóne infinitè misericors Deus non nisi tria dimittit peccata? utique plura dimittit. Condonat trecenta, condonat tria millia: & si peccator ex toto corde pœniteat, tres condonat peccatorum milliones. Verùm in his sententiis certus ponitur numerus pro incerto, ut ex hoc exemplo & supposito meliùs intelligatur illud, quod Deus hoc ipso innuere intendit. Reductâ igitur mensurâ seu numero ad quatuor, inquit Deus, quod primum, secundum & tertium condonabit peccatum, & ad condonanda omnia ista, convertet peccatorem: verùm quarto commisso, nec condonaturus sit peccatum, nec conversurus peccatorem. Quartum enim peccatum est illud quod mensuram complet: est peccatum sine remedio & sine venia: neque enim illud remittit Deus, neque peccator se convertet *Et super quatuor non convertã eum.*

Amos.2. v.4.& 6.

Hinc facilè intelligetur difficillimus locus primæ Epistolæ Sancti Joannis, ad probandum quod diximus VerbaS. Apostoli, inter omnes per antonomasiã Theologi, sunt ista: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortẽ, petat & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* Si quis Christianus sciverit proximum suum peccare, roget pro eo, & dabitur ei vita, si peccatum non fuerit

1.Joan. 5.v.16.

peccatum ad mortem: ſed ſi peccatū fuerit ad mortem, non dico ut quiſquam pro illo roget. Textûs hujus tanta eſt difficultas, ut Expoſitores illius & Theologi in plùs quàm quindecim diverſas abeant opiniones; quodnam ſit illud, quod S. Joannes vocat peccatum *ad mortem*, & pro quo tanquam veniæ incapace, irremiſſibili, & ſine remedio orari vetat. Nonnulli dicunt eſſe peccatum homicidii & adulterii; Sanctus Auguſtinus & Beda non dubitârunt aſſerere eſſe illud invidiæ. Verùm quia iſta peccata non adeò videntur enormia, cùm alia longè altiùs aſcendant, eſſe peccatum blaſphemiæ inquiunt, alii peccatum infidelitatis; alii Apoſtaſiæ, alii obſtinationis, alii omiſſâ ſpecificatione, genericè peccatum aliquod graviſſimum eſſe affirmant. Sed contra omnes haſce ſententias pugnat, quod nullum detur peccatum quantumcunque grave, ſeu graviſſimum, quod Deus non remittat. Quodnam igitur eſt peccatum illud incapax veniæ & irremiſſibile, quod S. Joannes vocat peccatum *ad mortem*? Reſpondeo, nullum peccatum in particulari, nec ex natura ſua gravius aliis, niſi quodlibet peccatum mortale, immò multò minoris malitiæ, quàm quæ retulimus: ſed eò quòd ſit ultimum, & à Deo ſtatutam homini implet menſuram; menſurâ jam impletâ, qualecunque id demum fuerit peccatum, jam non eſt locus veniæ, neque converſionis: *Et ſuper quatuor non convertam illum* Et hâc proprietate S. Joannes vocat illud, *Peccatum ad mortem*: peccatum quod ſine remedio ad mortem ducit æternam: quamvis enim omne peccatum mortale occidat animam; ex aliis reſuſcitari & redire poteſt ad vitam, ex hoc verò minimè, prout clarè idem textus diſtinguit: *Et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*

§. IX.

VEritate hâc adeò evictâ, & Juſtitiæ Providentiæque divinæ, ab ipſo Deo toties revelato ſtylo ſuppoſitis; videat nunc quilibet noſtrûm, utrum, ſicut promiſi in principio, haberi poſſit medium, ſeu motivum efficacius, potentius, terribilius, ut homo rationis compos, & Chriſtianus fide præditus firmitèr reſolvat, & præſumere formidet peccare ampliùs: *Jam ampliùs noli peccare.* Alia motiva, ſeu prætextus ſpem poſt peccatum relinquebant. Hoc verò ita omnem ſimul & totalitèr ſpem præſcindit, ut non niſi damnari paratus, & in infernum rectà tendere promptus, auſit peccare. Si enim ſcio quod Deus certum mihi præſtituerit numerum, certamque peccatorum determinaverit menſuram; certuſque ſum, quod iſto conſummato numero, iſtâque impletâ menſurâ, jam non ſit locus veniæ, ſed condemnationis ſine remedio; quis, quæſo, ſecurum me reddet, aut dicere audebit, peccatum illud, quod patraturus ſum non eſſe ultimum: & eſſe illud quod ſolum menſuræ implendæ deeſt? dicetis: quod ſicut eſſe poteſt ultimum, pari ratione etiam non ultimum eſſe poteſt: & ſi fuerit? & ſi fuerit? Decreveram quidem hîc meum terminare Sermonem, Voſque hâc expedire interrogatione. Verùm operæ pretium eſt, ad magis obſtupeſcendum, ſcire, quid Deus in illo ipſo facit inſtanti, quo homo ultimo peccato implet menſuram.

Deus ipſo puncto, quo peccator implet menſuram, vel ſtatim eum morte mulctat, vel gratiæ auxiliive ſui ſubtractâ manu eum derelinquit. Ecce quàm disjunctiva

junctiva illa utrimque æqualitèr terribilis! vel rectà mox tendere in infernum, vel paucis post diebus: sed infallibiliter. Quantum ad primum, quo Deus statim vitâ privat, qui peccatorum suorum adimplevêre mensuram, sententia servit S. Augustini: *Sed hoc magis sentire nos convenit, tam diu unumquemque Dei patientiâ sustentari, quamdiu nondum peccatorum suorum terminum, finemque compleverit; quo consummato illicò percuti, nec illi ullam veniam jam reservari: esse autem certum peccatorum modium, atque mensuram, Dei ipsius testimonio comprobatur.* Vult dicere, incipiendo à fine: quod Deus, sicut ex proprio & divino ipsius testimonio constat, cujuslibet hominis peccatis certum statuit numerum & mensuram, quâ nondum impletâ, suâ ipsum infinitâ patientiâ sustentat & suffert: mox verò ut illam impleverit vitam ipsi sine ulteriore remedio, veniæque loco tollit. Ita Balthasari Regi evênit, cui mensæ assidenti mortis suæ sententia tribus verbis in opposito pariete exarata apparuit, primùm dicebat: *Numeravit:* Deus enim cum peccatis Balthasaris rationem posuit. Et sicut eâdem nocte & horâ ultimum commisit peccatum, quo determinatam sibi à Deo complevit mensuram; eâdem quoque horâ scripta fuit sententia: *Eâdem hora apparuerunt digiti:* Et eâdem hora mortuus est: *Eadem nocte interfectus est Balthasar.* Sed si tunc impletus est numerus peccatorum Balthasaris, quomodo eadem dicit Scriptura, *Inventus est minus habens?* Eodem ex capite, & quia sic fuit. Quando Balthasar accubuit mensæ, unum tantummodo peccatum minùs habuit ex eis, quæ ad complendum numerum requirebantur. Porrò sicut ad eandem mensam sacra afferri jussit vasa Templi ad profanos usus illud ipsum Sacrilegii peccatum clausit numerum, implevitque mensuram, & mox illâ impletâ violentâ morte occubuit: *Interfectus est.*

S. Aug.

Dan. 5. v.26.

Ibid. v.5.

Ibid. v.30.

Ibid. v.27.

Quoties idem evenit in mundo, quamvis non advertatur! hâc nocte talem & talem illac venientem occiderunt: & quot noctibus illac non ierat & redierat? frequenter sanè. Ut quid igitur non tunc sed nunc occiderunt eum? offensa Dei hominumque injuria eadem erat, & frequenter notoria: quare igitur dissimulavit eam Deus, nec vindicarunt homines, nisi istâ die & horâ? quia peccata antecedentia pergebant implere mensuram; Illud verò diei hujus & horæ illam adimplevit. Idem in mortibus accidentibusque repentinis, quamvis videantur esse naturales, in aliisque casibus & infortuniis accidit, quæ videntur quidem fortuita, & sæpiùs effectus sunt & executio peccati ultimi & decretorii; quod aliis sese conjungendo peccatis tandem implevit mensuram. Proinde (assertore magno Dionysio Cartusiano, tàm spiritu illuminato, quàm in omni literarum genere insigni) idem ille homo, qui secundùm leges naturæ, incolumitatisque dispositionem & ætatem, multis adhuc annis vivere potuisset, solùm quia peccatorum implevit mensuram, simul & sine remedio dies absolvit vitæ: *Sæpè enim homines propter peccata intempestivè moriuntur, quando videlicet impletæ sunt iniquitates eorum: unde de peccatore apud Job scriptum est: antequam impleantur dies ejus, peribit.* Job inquit, peccatorem moriturum antequam impleat dies suos: neque hujus alia est ratio, quàm quòd ante numerum die- Dion. Carth.

 rum,

rum, numerum absolverit peccatorum: *Quando videlicet impletæ sunt iniquitates eorum.* Portò quis die hâc & hora vivos & sanos assecurabit, quod primum committendum à se peccatum, non sit ultimum etiam futurum? Hebræus ille, & Madianitis illa, quos zelosus Phinees interfecit actualiter peccantes, non putabant eodem in actu finem accepturam suam vitam, sicut & multis aliis accidit: sed quia istud tantùm peccatum implendæ deerat mensuræ, vita & peccatum simul finem accepêre; ut timeant, tremantque omnes, ampliusque peccare formident, ignari num peccatum illud ultimum sit futurum.

Enim verò quando cum ultimo peccato non simul terminatur vita (quæ disjunctivæ nostræ pars erat secunda (nec idcircò melioris conditionis sunt illi, qui jam implêrunt peccatorum mensuram; gratia enim & auxilio Dei destitutis quibus supervixerunt, dies pro majoribus tantum deserviunt inferni tormentis: *Væ eis, cùm recessero ab illis,* inquit Deus per Osee Prophetam. Ah utinam homines penetrare & comprehendere possent significationem unius væ Dei! ah quàm altum, & profundum væ! tam altum, ut ad cœlum pertingat empyreum; tam profundum, ut inferni penetret abyssum; ubi peccator catenis tenebitur astrictus ad ardendum, quousque Deus erit Deus. Huic væ per omnem æternitatem infinita væ respondebunt: sed væ doloris, sine pœnitentia; væ tormentorum, sine consolatione; væ desperationis sine remedio. Ante hæc unum sufficit væ veræ contritionis, ut Deus omnia condonet peccata: sed impleta jam mensura & animâ à Deo derelictâ, væ ista locum non invenient eruntque

Osee 9. v. 12.

infructuosa: siquidem sine Deo, nemo se ad Deum convertere potest. Quo pacto anima revertetur ad Deum, jam ab eo derelicta, *Cùm recessero ab eis?* Rupertus & cum eo Glossa in verba ista sic commentantur: *Postquam recessero ab eis, sequitur adhuc væ, id est judicium æternæ damnationis.* Postquam deseruerit animam Deus sequitur adhuc aliud væ ejusdẽ Dei: Istudque væ non est, nec significat minùs, quàm damnationem æternam. S. Isidorus asserit idem: *Dei secreto & justo judicio deseritur homo, & perdendus in potestate dæmonum relinquitur: nam revera quem Deus deserit, dæmones suscipiunt.* Quando Deus occulto & arcano suo judicio animam aliquam deserit, mox possessionem ipsius diabolus apprehendit, ad perdendam æternùm; Dei enim à se dimittere, est eam Diabolo tradere.

Rupert. Glossa.

Isidor.

Theologi cum rigore declarantes, in quo consistat, quod Deus animam derelinquat, nonnulli dixerunt; quod in privando illam auxiliis etiam ordinariis, in pœnam præcedentium peccatorum. Et reverà relictis aliis Scripturæ locis, aliquis cap. 5 Isaiæ ad literam illud dicere videtur: *Et nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem; & ponam eam desertam: non putabitur, & non foditur; & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* Si istud non est animam omni privare auxilio; nemo negabit sic videri. Et quo Deus hoc casu suam justificet Providentiam, Concilii Tridentini sufficit definitio: *Nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.* Sed quia sententia magis pia, magis recepta, com-

Isai. 5. v. 5. & 6.

Concil. Trid.

communiterque pro certa approbata est, quod in nullo vitæ hujus statu homini auxiliis sufficientibus deest; quid hinc sequitur, mensurâ peccatorum impletâ, nisi, prout dixi, major infernus? Peccator mensuram peccatorum vel implevit, vel non implevit; si non implevit, se salvabit; si implevit, se condemnabit: & quid interest, quod se condemnârit cum auxiliis, si illis non fuit bene usus?

Hic infelicissimus impœnitentiæ finalis est status, quæ in altera vita consummatur, sed in hac incipitur. Eheu quot adhuc inter nos vivunt & ambulant damnandi; non quia absolutè non possent, sed quia se convertere nollent. Peccatis tenentur constricti, quorum jam implevêre mensuram: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Putant quod expedire se possint ab ultimo, sicut se excusserunt ab aliis; sed sua eos cogitatio decepit, sicut Sampsonem fefellit. Sampson tribus vicibus funes dirupit, quibus ipsum Philystæi captum ligatumque venerant; verùm rasa jam capitis cæsarie, quarta vice, ut notat Scriptura, cum capturi adessent, putavit se similiter, ut ante, omnia vincula disrupturum, nesciebat se à Domino derelictum: *Qui consurgens de somno dixit in animo suo! egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens quod ab eo recessisset Dominus.* Deus dereliquerat Sampsonem, & quoniam ipsum dereliquerat non se excussit ut ante, comprehenderunt eum Philistæi; erutisque ipsi oculis molæ ad molendum applicuerunt. Idem animæ accidit à Deo derelictæ; capiunt ipsam Diaboli, possidentque, ut supra dixit Isidorus, erutisque sibi oculis ipsa cœca remanet, obstinata & impœnitens: deducunt eam ad molendum, & ardendum in inferni molendino, cujus rota ex omni parte principium habere potest, & fine caret; quia æternitatis est rota. Porrò si illud facit aut fieri permittit ultimum peccatum quod implet mensuram; & nullus quodnam illud sit novit, nec est peccatum quod tale esse nequeat: quisnam, quæso, quodcunque committere audebit peccatum, & non cordatè se resolvet ad nunquam ampliùs peccandum? *Jam ampliùs noli peccare.*

Psalm. 118. v. 61.

Jud. 16. v. 20.

§. X.

Coronidis loco binis respondebo dubiis; quæ occurrere possunt, ne in illis nos decipiamus. Primum est, utrum peccata jam confessa & remissa etiam intrent in numerum ad implendam mensuram. Respondeo quod sic. Quamvis enim remissa sint quantum ad culpam, & expiata quantum ad pœnam, ad numerum implendum, computumque faciendum sufficit fuisse. Quemadmodum dies, qui omnes transeunt, vel benè vel malè fuissent impensi, numerum, mensuramque implent vitæ; sic peccata, sive remissa sive non, determinatum implent numerum, componendum ex omnibus peccatis, quæ quilibet committeret: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, inquit Spiritus Sanctus. Et quare, si jam est remissum? quia licèt peccatum remissum jam non est quoad culpam, & etiam possit non esse quoad pœnam; quantum ad numerum & summam, quo jam intravit cum reliquis, sufficit fuisse peccatum, ut ad implendam concurreret mensuram. Et quia ad implendam peccatorum mensuram concurrere, res est timenda & discriminis extremi, idcircò omne peccatum, quamvis moraliter vel aliâ nobis certiore

Eccles. 5. v. 8.

certiore viâ constaret esse remissum, summum nobis nihilominùs incutere deberet horrorem. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Alterum dubium apparentèr adhuc magis nos decipere potest. Materia quippe in qua nos Diabolus tentaverit, levior esse potest quàm illa aliorum commissorũ à nobis peccatorum fuit: proinde si illa, cùm sint multò majora, non implevêre mensuram, multò minùs implere posse videtur quo nunc tentor, cùm multò sit leviùs. Istud quoq; dolo deceptioneq; non vacat. Quod authoritate fidei, & majore evidentioreque demonstratur exemplo, quã excogitari possit. S. Paulus de Judæis conqueritur, quòd se persequerentur, & in Evangelii prædicatione impedimento essent: cùmque illa persecutio, viginti annis post mortem Christi vigeret, inquit Apostolus, quod hac ipsâ Judæi mensuram peccatorum suorum implerent; propter quæ penitus essent perdendi pœnâ desolationis exterminiiq finalis. *Qui Dominum Jesum occiderunt, & nos persecuti sunt, prohibentes nos Gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super eos, usq; in finẽ.* (1. Thess. 2. v. 15. & 16.) Christi occisio, maximum fuit peccatum, quod unquam fuit commissum, aut potuit committi: & persecutio Pauli, obexq; positus ipsius prædicationi, quamvis magnũ foret peccatum, incomparabilitèr minus erat illo: quonam igitur pacto idem S. Paulus inquit, mentionẽ occisionis Christi per Judæos ingerens, quod concitatâ in ipsum persecutione, suorum peccatorum mensuram implerent? *Ut impleant peccata sua?* quia ad peccatorum implendam mensuram, necesse non est, ut peccatum implens majus sit, aut æquale jam commissis; sed multò minus esse sufficit. In rebus aridis ultimum granum, & in liquidis ultima gutta consummant mensuram, & non magnitudine & quantitate suâ, sed quia sunt ultima. Eodem modo se res habet in quolibet peccato, quatenus ex natura sua est mortale: ut timeamus omnes & singuli, neque credamus majori minorivè apparentiæ ut temerè illud committere præsumamus.

O utinam Divina faxit Majestas & Misericordia, quo cœlestis illa lectio ita nostræ imprimatur animæ, sicque eam penetret, ut ab hac hora, & ab hoc momento resolvamus constantissimè nunquam amplius peccare imposterum, pro nullo commodo, pro nulla delectatione, ex nullo timore & eventu vitæ vel mortis. Attendite, quis vobis dicat ut peccetis, & quis peccare vetet. Peccare vobis suadens potest esse mundus, potest esse Diabolus, potest esse Caro; tres hostes capitales, qui non nisi æternam vobis machinantur damnationem. Peccare verò prohibens, est ille ipse Deus, qui postquam vobis dedit esse, factus est homo amore vestri; & ille Deus, & Homo, qui ad vos tantùm salvandos beatosq; faciendos, tot non dubitavit pati injurias & tormenta, & mori cruci acclavatus. Dominus iste tam potens, Consiliarius iste tam sapiens, iste tam verus fidelisque amicus vobis, ne ampliùs peccetis præcipit. *Jam ampliùs noli peccare.*

Considerate benè ista Amabilissimi Jesu Christi verba, quæ non ad persuadendum tantùm, verùm ad emolliendum etiam valent eum cui adhuc fuerit cor: *Jam ampliùs* Sufficit jam, Christiane, sanguine meo redempte, sufficit jam peccâsse; sufficiat jam te vixisse sine lege, sine ratione,

ratione, ſine conſcientia, ſine anima: ſufficiat jam me offendiſſe, me ſpreviſſe, me crucifixiſſe. Si non compateris mihi, compatere ſaltem tibi, quia tibi amore tui hoc dico. Si non ſufficit quòd tibi non peccare præcipiam; ego à te peto, neque ſolùm meam tibi inſinuo voluntatem, verùm propriæ voluntatis tuæ conteſtor potentiam: *Noli noli peccare.* Iterum iterumque te ne velis peccare adhortor; ne te non poſſe opineris, in tua ſitum eſt voluntate & arbitrio, te ſalvare ſi volueris; ut videas, qualis miſeria, qualis cæcitas, qualis amentia, qualis infelicitas, & qualis æterna confuſio, irremediabiliſque dolor futurus ſit; ſi ſuapte voluntate, neque uni reſiſtendo peccato damnationem incurreris. Si jam eſſes in inferno, quò tam præceps ruebas, & ubi jam arderes? niſi ego Juſtitiæ gladium retinuiſſem, quid iſtâ horâ de te fieret? & ſi hac eâdem horâ, optionem tibi darem evadendi infernum, cœlumque obtinendi, hâc tantùm conditione, ne ampliùs pecces, quid tibi faciendum foret, & quales mihi gratiæ agendæ? ſi igitur ex gratia miſericordiaque mea, ibi adhuc ſuperſit tempus, quare ex toto te corde ad hoc non reſolvis? quare æterna non ſatagis evadere mala, & æterna tibi aſſecurare bona? quare non curas cœleſtem lucrari coronam & beatitudinem æternam? & hoc totum tantum volendo, tam honeſtum, tam utile, tamque delectabile, ſicut eſt nolle peccare? deſine, deſine, jam inimicus tibi eſſe; deſine tantùm te amantem offendere: deſine jam velle infernum potiùs ſine me; quàm gloriam meam mecum. *Jam ampliùs noli peccare.*

AMEN.

SERMO
De Feſto O
Sive De
Feſto Expectationis Partûs Deiparæ;
Dictus
In Eccleſia Beatiſſimæ Virginis de auxilio, Bahiæ. Anno 1640.

Ecce concipies in Utero, & paries Filium. Luc. I.

§. I.



FIGURARUM OMNIUM, quotquot adinvenit natura, & novit Geometria, perfectiſſima & capaciſſima eſt circulus. Circularis eſt terræ globus; circulares ſunt ſphæræ cœleſtes; circularis eſt tota illa Univerſi machina, inde orbis dicta: Et ipſe quoque Deus, cùm ſit Spiritus, ſi figuræ foret capax, non niſi circularem haberet.

haberet. Certum est omnia opera suo proportionata esse Authori: proinde Deo omnia sua opera intra circulum concudente, Idea non foret naturalis, nisi suæ similis esset naturæ. Hinc Theologorum omnium facilè illuminatissimus S. Dionysius Areopagita, summam Dei perfectionem definire nequiens, ipsam circuli figurâ declaravit: *Velut circulus quidam sempiternus propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum, certa, & nunquam aberrante glomeratione circumiens.* Isti duo circuli sunt maximi, qui usque in diem Incarnationis Verbi fuerunt cogniti: Verùm hodie nobis Evangelium alium describit circulum suo modo majorem. Primus circulus qui est mundus, omnes in se res creatas continet: Secundus increatus & infinitus, qui est Deus, intra se continet Mundum, hic tertius, quem hodie nobis revelat Fides, ipsum intra se continet Deum: *Ecce concipies in utero & paries Filium; hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Novem mensibus hic circulus Deum intra se continuit; Et quis sibi imaginari posset, quòd cùm totaliter Deo foret plenus, desiderium adhuc ibidem spatium inveniret, & locum, alii circulo formando? Ita fuit; & novus hic circulus desiderio formatus, sub figura & nomine O, est ille, quem hodie specialiter celebramus, conceptum jam partum expectando *Ecce concipies & paries.* Ex utroque circulo mutuò sibi inhærente noster componetur discursus; conciliando (quæ maxima hujus diei est difficultas) Evangelium cum titulo Festi, & titulum cum Evangelio. Mysterium Evangelii, est conceptio Verbi, in Sanctissimæ Mariæ utero Virginali: titulus Festi, est expectatio partus, & desideria ejusdem Dominæ sub nomine O. Et quoniam O est circulus unus, & uterus Virginalis circulus est alter; in utroque demonstrare statui, quòd sicut circulus uteri Virginalis in Conceptione Verbi fuit unum O comprehendens immensum; sic O desideriorum Beatissimæ Virginis in expectatione partûs fuit alter circulus, comprehendens æternum. Omnia nobis, cœlesti assistente gratiâ, assumpta thematis loco verba declarabunt. Ave Maria.

Dionys. Areop.

Luc. I v. 31. & 32.

§. II.

Ecce concipies in utero, & paries.

Ex potissimis Scripturarum divinarum excellentiis non minima est, ne verbum quidem unicum, neque syllabam, sed nec literam quidem in iis inveniri superfluam & mysterio vacuam. Tale quid est mysteriosum illud, O, quod hodie celebrare incipimus, & singulis hisce diebus sequentibus repetit Ecclesia. Sono breve; significatione magnum, mysteriisque profundissimum. Sed huic principio contrarium videtur, quòd cùm in nostro textu tam sit breve, non literam solùm unicam, sed syllabam, immò & verbum otiosum & superfluum habemus. Quænam autem ista est syllaba, & quodnam illud est verbum? *In utero.* Dicente Angelo ad Mariam: *Ecce concipies & paries:* quòd conceptura & paritura foret Filium Dei, clarè intelligebatur non solùm mysterii substantia, sed etiam modus & locus, quodque futurus esset iste Sacrarium Virginale Sanctissimi ventris. Otiosum igitur videtur, præter verbum *Concipies*, addere, *in utero.* Legationem verò istam obivit Angelus, præcepit Deus, & refert Evangelista: Et neque Deus, neque Angelus, neque Evangelista dicere debebat verba superflua. Quem igitur

igitur in finem, in oraculi iſtius (quo majus nunquam de cælo venit aut venturum eſt in terram) annunciatione, trium ore, divino uno, Angelico altero, tertio plus quàm humano, dicitur & repetitur, quòd Conceptionis myſterium peragendum eſſet ſignanter in utero Matris: *Ecce concipies in utero*? ſine dubio: quia tanta erat novitas, tamque ſtupendum erat prodigium fidem compellens ad credendum omnibus ibidem expreſſis. Quod Deus fieret homo: novum fuit, quod omnes obſtupuêre Prophetæ, quando audiêrunt. Verùm quod idem ille Deus, cùm ſit immenſus, circulo quopiam tam contracto, utero ſcilicet Virginis includatur, *In utero*? Iſtud mirabile omnem capacitatis creatæ menſuram excedit.

Immenſitatem Dei conſiderantes videbitis, quouſque pertingat, ſeque hujus tam modici, ſeu magni verbi, ſignificatum extendat. *In utero*. Immenſitas eſt extenſio ſine limite, cujus centrum eſt in omni parte, & circumferentia in nulla; cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam. Ponite centrum immenſitatis in terra, ponite illud in ſole, in cœlo ponite empyreo, bene collocatum eſt. Centri hujus peripheriam modò quærite; & nuſquam invenietis. Quare? ratio eſt, cùm terra tam ſit ſpatioſa, & Sol centies & ſexagies terrâ major; & cœlum multis myriadibus Sole majus; & cœlum empyreum magnitudine incomparabiliter cæteros excedat cœlos; omnia illa ſpatia vaſtiſſima limitibus circumſcribuntur: immenſitas minimè. Deus immenſitate ſuâ, ſicut benè declaravit S. Gregorius Nazianzenus, eſt in mundo & extra mundum *Deus in* *S. Greg. Naz.* *univerſo eſt, & extra univerſum*. Sed ſi extra mundum non eſt locus; quia nihil eſt extra mundum, ubinam eſt Deus extra mundum? eſt ubi erat antequam crearet iſtum mundum. Si Deus non fuiſſet in iſto ſpatio ubi hodie eſt mundus, illum creare nequiviſſet: & quemadmodum Deus extra mundum infinitos poterit condere mundos, ita ſeſe res habet cum infinitis illis ſpatiis, quæ imaginaria vocamus. Sed quia alia ſpatia imaginaria, quæ ſub imaginationem cadunt, ſed comprehendere non poſſumus, nec limitationem habent: hinc immenſitatis centrum, quod intra vel extra mundum poni poteſt, nec intra nec extra mundum peripheriam habere poteſt. Comparate mare diluvio. Mare habet littora, quia termino circumſcribitur: diluvium quia mare erat ſine termino, non habebat littora: *Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto*. Sic immenſitas Dei (quantum comparatio patitur) eſt in mundo & extra mundum: in omni eſt loco, & ubi non eſt locus: eſt intra, abſque quod includatur; eſt extra, abſque quod egrediatur; nam ſemper eſt in ſe ipſo. Senſibile, imaginarium, exiſtens, poſſibile, finitum, & infinitum; omnia implet, omnia inundat, per omnia ſe extendit, & uſquequo? eouſque ubi non eſt ubi. Sine termino, ſine limite, ſine Horizonte, ſine fine: ideoque incapax circumferentiæ: *Circumferentia nuſquam*.

§ III.

Verùm ô magnificentiarum magnificentia, miraculorum miraculum illud uteri Virginalis Mariæ! non dicatur jam immenſitatem nō habere circumferentiam, cum uterus Mariæ Deum cum omni immenſitate ſua totum intra ſe concipit, comprehendit, & circumdat. Eadem illa immenſitas, cui peripheriam conficere nequeunt orbes cœleſtes, neq; totus

univerſi Globus, neque ſpatia imaginaria quantumcunque infinita, eadem inquam, & non alia comprehenditur, includitur, continetur illo uteri Virginalis circulo. Porrò ſi circulus ille facer, quantum quantum in ſua immenſitate ipſum circumdat Deum, dicatur ſic, quod Divinitatis centrum in tota ſit parte: *Cujus centrum ubique.* Sed non dicatur modò, quod in nulla parte circumferentiam habeat: *Circumferentia nuſquam.* Virginalis quippe uteri circulus eſt pars, ubi tam ſpatioſam & latam habet circumferentiam ut Deum totum immenſum, quantus qualiſque eſt, comprehendat & circumdet. Hæc conſideratio non eſt mea, ſed Prophetæ Jeremiæ, vel Dei ipſius per os Prophetæ. *Creavit Dominus novum ſuper terram*, inquit Jeremias Propheta. Deus creavit rem novam ſuper terram, & tam novam, ut nec in terra ſimilis fuerit viſa, nec in cœlo ſub imaginationem ceciderit. Et quæ quæſo, tam nova res eſt? *Fœmina circumdabit virum.* Vir per antonomaſiam, hoc caſu, æternum eſt Verbum Incarnatum. Omnes alii homines in ventre matris generati & concepti non ſunt viri, neque adhuc parvuli, vita tantum vegetativa & ſenſitiva fruentes, animaque rationali necdum informati: Verbum verò Incarnatum Chriſtus, à primo conceptionis ſuæ inſtanti, Vir fuit perfectus & perfectiſſimus, non ſolùm omnibus animæ corporiſque potentiis, ſed earundem etiam uſu. Sicut Adam nunquam parvulus fuit, ſed vir; & quidem vir perfectus à primo creationis ſuæ inſtanti: pari ratione etiam Adam ſecundus, & majore miraculo; fuit enim vir perfectus non in corpore & ſtatura virili inſtar primi; ſed in illa quantitate minima, in qua alii concipiuntur homines. Hanc ob rationem Chriſtus ad cæterorum differentiam hominum, qui nati ſunt de muliere, Scripturæ phraſi in ortu ſuo vir appellatur: *Vir oriens nomen ejus.* De hoc igitur viro nunquā puero, & ſemper viro, quia ſemper Vir & Deus, loquitur Jeremias dicens, mulierem circumdaturam virum: *Fœmina circumdabit virum.*

Jerem. 31. v. 22.

Zach. 6. v. 12.

Verùm enim verò, ut quid Propheta ſe declarat per verbum circumdare, termino tam novo & inaudito? Iſaias idem vaticinando myſterium dixit: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Id eſt, Virgo concipiet, parietque Deum. Si Jeremias rem narrare volebat novam & inauditam: *Creavit Deus novum ſuper terram*, quare rem illam novam non ponderat per miraculum conceptionis, partumque Virginalem; & loco illius, quod dicat mulierem concepturam pariturramque Deum hominem factum, non dicit, concipiet & pariet, ſed circumdabit, *Fæmina circumdabit virum*? utique, quia maximè ſtupendum Incarnationis myſterii miraculum eſt, quod Deus in eo ſit circumdatus. Deum circumdari intra Virginis ventrem, cùm ſit immenſus, fuit facere, ut immenſitas haberet circumferentiam; & circumferentiam conjungere cum immenſitate, fuit plus quàm virginitatem partui conſociare. Copulare partum cum Virginitate, fuit Deo dignam divinitate ſua adinvenire nativitatem: Afferente quippe S. Bernardo, cum Deus habere deberet matrem, hæc non potuit eſſe niſi Virgo: & ſi habere debebat filium, hic eſſe non poterat niſi Deus. Verùm quod Virgo intra clauſtrum maternum totum circumdaret Deum, immenſitati-

Iſai. 7. v. 14.

S. Bern.

ſitatique circumferentiam copularet, maximum fuit miraculum, opusque ſtupendum. Quare? quia fuit alterum immenſum, majus immenſo producere. Hîc mihi S. Bonaventura ſuccurrit: *Immenſum vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum: Maria autem vas immenſum fuit, ex quo illum, qui cælo major eſt, continere potuit.* Supponit ſimulque probat Doctor Seraphicus, ventrem Virginalem fuiſſe immenſum; capacitas enim recipiens continenſque immenſum, nonniſi immenſa eſſe poteſt. Deus eſt immenſus: ergo venter etiam Virginalis, qui concepit & habuit intra ſe Deum, etiam eſt immenſus. Et nunquid iſtud ſufficit? minimè. *Maria autem Vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major eſt, continere potuit.* Non ſolùm immenſum, ſed immenſiſſimum ventrem Mariæ aſſerit. Et quare Theologe Divine? quia circumdedit Deum. Quando immenſum unum alterum circumdat immenſum, utraque ſunt immenſa: circumdans verò circumdato immenſus exiſtit; Et hinc ſi Deus circumdatus fuit immenſus; ventrem, qui illum circumdedit, non immenſum, ſed immenſiſſimum eſſe oportet: Sana Philoſophia infinitum unum infinito alio majus dari admittit; nam ſi infiniti eſſent homines, infinitos quoque oporteret eſſe capillos: ſed infinitum capillorum majus eſt infinito hominum. Quemadmodum igitur dari poteſt infinitum unum majus infinito altero; pari pacto dari poteſt immenſum unum, immenſius altero: & tale fuit Virginale ventris Mariæ clauſtrum: *Ecce concipies in utero.* Deus conceptus fuit immenſus; & uterus qui eum concepit, quia illum circumdedit, fuit immenſiſſimus: *Maria autem vas immenſiſſimum fuit.*

S. Bonavent. in Specul.

Meliorem adhuc habemus authorem S. Bonaventurâ, quamvis Doctore tanto, ut Eccleſia ipſum quatuor Eccleſiæ Latinæ & Græcæ Doctoribus ſupernumerarium adjunxerit. Et quis ille eſt Author? eadem Virgo Domina noſtra. De ſeipſa loquens Eccleſiaſtici vigeſimo quarto inquit: *Gyrum cœli circuivi ſola.* Circulum cœlum circumdantem ego ſola circuivi. Admirabile dictum, Circulus creatus mundum circumiens eſt cœlum; circulus increatus & immenſus cœlum circumdans eſt Deus: & circulus immenſiſſimus, qui immenſum iſtum circuivit Deum, eſt Maria: *Gyrum cœli circuivi ſola.* Suum tribuamus Domino. Conſideratio, commentatioque S. Richardi de S. Laurentio eſt: *Gyrum cœli id eſt, illum qui claudit omnia, Chriſtum ſcilicet, qui eſt Gyrus ingyrabilis, circuivi gremio uteri mei.* Circulus circumiens cœlum, eſt ille, qui circuit & includit in ſe omnia, qui eſt Deus. Iſte porrò circulus per eſſentiam ſuam & magnitudinem talis exiſtit, ut includi non poſſit, *Gyrus ingyrabilis.* Non poterat res tam nova declarari, quin novo hoc fieret verbo: *Gyrus*: Deus enim immenſitate ſuâ circumit, gyrat omnia: & ſimul *Ingyrabilis*; Illa enim eadem immenſitas, prout diximus, illum circumferentiæ incapacem reddit, & quod circumdari nequeat. Verùm impoſſibile illud, quod immenſitatis eſſentia & definitio non permittebat, non ſolùm immenſa, ſed immenſiſſima uteri Virginalis Mariæ capacitas evicit: Omnia claudentem, Gyrum ingyrabilem uteri mei gremio circuivi. Illud Eccleſiaſticus dixit in perſona Beatiſſimæ Virgi-

Eccleſ. 24. v. 8.

Richar. de S. Laur. lib. 7.

nis pronunciando: *Gyrum cœli circuivi sola.* Idem vaticinatus est Jeremias dicens: *Fœmina circumdabit Virum.* Idem denique ipsi evangelizavit Angelus: *Ecce concipies in utero.*

§. IV.

HUcúsque dicta sufficiebant, ut promissioni meæ satisfacerem, demonstrando Virginalis uteri circulum esse unum O, Immensum intra se complectens. Verùm operæ pretium erit, ut idem immensum illud dicat, similiter ad unum O suam reducendo Immensitatem. Christus Dominus noster, S. Joanni Evangelistæ, in prima Apocalypseos suæ visione apparens dixit: *Ego sum Alpha & Omega: principium & finis.* Ego sum Alpha & Omega; quia sum principium & finis omnium: Principium, in quantum Creator est mundi: & finis, in quantum Reparator est ejusdem. Alpha & Omega sunt primæ & ultimæ Alphabeti Græci literæ, quod incipit ab A, & definit in O. Et hâc ratione & mysterio cùm Christus esset Hebræus, & Sanctus Joannes similitèr Hebræus, Christus Dominus ipsi non Hebraïcâ, sed Græcâ linguâ est locutus; Græcum enim Alphabetum explicit in O; Hebraicum verò minimè. Alphabetum Hebraicum etiam incipit ab A. Quod est Aleph: & ad significanda Creationis opera in litera prima, in quantum Christus est principium; tantum Hebraicum, quantum Græcum serviebat Alphabetum. Christus Dominus verò Alphabeto usus est Græco, quamvis extraneo, relicto Hebraico quamvis naturali linguæq; propriæ; quia ad significandum ultimâ literâ mysterium reparationis, quatenùs idem Christus est finis, illud O solum proprietatem similitudinemque habebat. Ista verò similitudo in quonam consistit? in eo quod O figura sit circularis: & quemadmodum O est circulus unus, ita Incarnationis mysterium circulus est alter: *Deus humanatus dicitur esse circulus, ut circumferentia dicatur Humanitas; Centrum autem Divinitas.* Mysterium Incarnationis Verbi, inquit S Bonaventura, est unus circulus; Deo enim nostram induente carnem, Humanitas Christi circuivit, & in se Divinitatem inclusit: & hoc modo ineffabili mansit cum ipsa divinitas, cum divinitas esset centrum, & Humanitas circumferentia. Cum igitur Incarnationis mysterium, quod fuit finis & ultima perfectio omnium operum Dei, iste perfectissimus sit circulus: Hinc Christus S. Joanni dixit, quod sicut ille, in quantum principium primum, litera sit A; ita, in quantum ultimus finis, ultima sit litera O: *Ego sum Alpha & Omega.*

Apoc. 1. v. 8.

S. Bon. in psal. 11. ad illud in circuitu impii ambulant.

Verùm qaotquot vel ruditèr Idiomatis Græci noverint Elementa, hîc mihi dubium movebunt, in eodem O, & eodem in Alphabeto fundatum. In Alphabeto Græco non est unum simplex O, sed duplex, quod Omega vocatur, quod significat magnum: & alterum quod vocatur Omicron, & parvum significat. Christus igitur locuturus, prout actu loquebatur, de Incarnationis suæ mysterio comparare se debuisse videtur cum O parvo & non cum O magno Nomen magni non solùm in comparatione hominis, sed absolutè & extra omnem comparationem competit Divinitati. E contrario Humanitas comparata cum alhis creaturis est parva, & minor illis: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Si igitur Christus loquebatur de se quà homine,

Psalm. 8. v 6.

ne,quare se non comparat cum O parvo, sed cum O magno ; & quare non dicit, Ego sum Omicron sed Omega ? ratio est, quia Christus de sua Humanitate loquens in Metaphora O, & circuli,considerare non debebat quod erat, sed quod circuibat. Circuibat Divinitatem Verbi, immensitatem circuibat Divinam;& circulus tam infinitæ capacitatis,ipsi immensitati peripheriam conficiens unum O formare nequibat, quod non majus esset omnibus.*Ego sum Alpha & Omega;principium & finis.* Quà Deus,qui est principium,erat Alpha : quà Homo,qui est finis,erat Omega. Sed cùm tantùm esset illud Omega, quod intra se inclusit Alpha;cùm tantum tamque immensum esset illud O, quod intra se conclusit illud A. Quo,quæso,pactó O parvum esse poterat?

Congratulor tibi, Virgo purissima,de hac Humanitatis Filii tui magnificentia, iterùmque congratulor;neque enim tanta illius O foret capacitas, nisi de circulo,unde erat conceptus,illam participâsset. Manilius Lib quarto Astronomiæ suæ mirabile quiddam refert,& est,quòd qui sub Signo Virginis nascuntur,eam ab hac influentia recipiant in scribendo gratiam , ut litera una verbum contineat : *Hic & Scriptor erit felix , cui litera verbum est.* Ego fundamentū non referam, quo motus Manilius cum axiomate isto in publicum prodivit ; neque Astronomi alii facilè sic commentantur. Sed certum est Christum sub signo Virginis natum : certum est, Christum in mysterio isto dixisse de se,se unum O esse : certum est,istam literam , & istud O continere primum & maximum Verbum, quod est Verbum æternum;*Cui litera verbum est.*

Manil. Astrol. lib.4.

Magna,singularis,immensa capacitas Filii,sed participata ab utero Virginali Matris, in quo quatenùs homo fuit conceptus:*Ecce concipies in utero.* Quà Deus, Christus similiter fuit conceptus in utero Patris : *Ex utero ante Luciferum genui te.* Verùm advertite differentiam cum stupore potiùs,quàm admiratione. Deus Pater tali modo concepit Filium Deum,ut omnem suam incluserit in illo essentiam in unico verbo : & Mater Virgo tali modo concepit Filium hominem , ut in illo eandem incluserit essentiam in unica litera : Verbum,est Verbum,litera est O : *Cui litera verbum est.*

Psalm. 109. v 4.

§. V.

Demonstrato jam,ut vidimus, circulum ventris Virginalis in Conceptione Verbi unum fuisse O , immensum complectens : demonstrandū restat,quomodo illud O desideriorum ejusdem Beatissimæ Virginis in expectatione partûs fuerit circulus comprehendens æternum. Æternitas & desiderium,sunt duo tam sibi similia, ut ambo eâdem depingantur figurâ. Ægyptii in suis Hieroglyphicis,& ante ipsos Chaldæi ad repræsentandam æternitatem unum O pinxêre; quia figura orbicularis principio fineque caret;& istud est esse æternum. Desideriū adhuc meliorem sortitum est pictorem, scilicet Naturam. Quotquot desiderant, affectus rumpens silentium, & ex corde ad os procedens , naturaliter unum O pronunciat. David aquam de cisterna Bethlehemitica desiderans,antequā militibus suis suum aperiret desiderium unum O præmisit. *Desideravit ergo David & ait:O si quis mihi daret potum aquæ de Cisterna , quæ est in Bethlehem !* O O fuit vox desiderii : reliquæ declarationes.

2. Reg. 23. v. 15.

Et

Et quemadmodum natura in uno O dedit desiderio figuram æternitatis, & ars in altero O dedit æternitati figuram desiderii: non datur desiderium, si est magnum, quod in mora & duratione non participet multum de æterno.

Desideria Virginis Sanctissimæ, quæ omnia erant: ô quando veniet ille dies! ô quando illa felix aderit hora, quâ oculis videam, brachiisque meis Dei, meumque Filium amplectar! ô quando! ô quando! ô quando! Ista Beatissimæ Virginis desideria cœperunt in Conceptione, cessâruntque in partu. Verùm desideria, quæ inceperunt, & cessârunt; desideria quæ principium habuerunt & finem, quomodo potuerunt esse æterna? quo pacto æternitatis durationem adæquare potuit novem mensium spatium? Inter Conceptionem & partum, Angelus non nisi unum, *Et*, collocavit: *Ecce concipies & paries.* Sed nihil novum in hac legatione, quod Beatissima Virgo unum verbum Angeli mutet in aliud. Quemadmodum Eva mutavit in Ave; sic illud *Et* in *O* mutavit; & novem mensibus ad circulum perfectum istius O reductis, non est mirum quod essent æterni. Illud ipsum *Et* etiam non variatum si non totam exprimit æternitatem, saltem ejus innuit partem; & in æternitate non est pars, quæ non sit æterna. In *Et* Angeli, æterna cœperunt esse desideria: & in O continuato & repetito à Beatissima Virgine æternitatis suæ circulus fuit terminatus. Neque naturali æternitatis extensioni, novem mensium temporis limitatio repugnat; non enim Beatissimæ Virginis capacitati cordis minùs est concedendū, quàm ejusdem sanctissimi capacitati ventris. Maxima capacitas à natura creata, est illa cordis humani: Porrò si venter Mariæ capax fuit ad includendum Immensum, quare cor ipsius capax non foret ad constringendum æternum? temporale & æternum tam sibi sunt opposita, sicut tempus & æternitas. Æternitas dies non numerat nec menses, tempus sic; idcircò enim numeravit novem à conceptione, usque ad Virginis partum, quem S. Joannes Damascenus *miraculorum officinam* appellavit. Et si in hac miraculosa officina, æternum fieri possit temporale, quare tempus fieri nequeat æternum? S. Joan. Dam.

In celebri isto Curru ab Ezechiële Propheta descripto, quo vehebatur Deus, admirabilis artificii videbantur rotæ; in medio enim rotæ cujusdam, alia gyrabatur Rota: *Rota in medio Rotæ.* Et quæ fuerunt istæ duæ rotæ? una erat temporis, altera æternitatis, inquit Sanctus Ambrosius: *Rota in medio rotæ, veluti vita intra vitam, quod in hac vita corporis vitæ volvatur usus æternæ.* Rota temporis modica est & brevis, rota æternitatis maxima est & amplissima; & nihilominùs rota temporis includit, & intra se revolvit rotam æternitatis; nam qualis fuerit vita cujusque temporalis, talis erit æterna, inquit Sanctus. Ita ut binarum rotarum istarum mirabile esset; quod cùm tanta tamque immensa foret æternitas, æternitatis rota, temporis rotæ includeretur. Nunc interrogo, quisnam Currus Dei istis in rotis movebatur? non solùm Beatissima Virgo, juxta allegoricum SS. Patrum assertum, verùm eadem Beatissima Virgo signanter in spatio novem mensium, quibus Deum suis in visceribus gestavit. Quemadmodum curru vectus passum non facit, nec alium habet motum, quàm illum currus: Ita filius, quatenùs in visceribus

Ezech. 1. v 16.

S Ambr.

ribus gestatur Matris, non movetur, neque locum mutat, nisi eâdem motâ matre: & hoc modo fuit, novemque mensibus ambulavit, qui à Conceptione usque ad Nativitatem ejus numerantur. Jam conceptus statim perrexit in Montânâ Judææ ad Præcursorem suum sanctificandum: ex Montanis Nazarethum rediit: Hinc in Bethlehem abiit; & non solùm in omnibus istis itineribus longissimis, sed in omnibus suis motibus nullum Majestas Humanata fecit passum, qui non esset in eodem Curru regali; qui idcircò vocabatur suus, velut proprius Personæ Verbi. Et quia currus iste Matrem repræsentabat ipsius Dei, In omni illo tempore, quo ipsum intra se gestabat; hinc, rotæ, quibus movebatur tali fabrefactæ erant & intra se revolutæ artificio, ut intra rotam temporis volveretur rota æternitatis, ad significandum, quod dies & menses inter conceptionem & partum evoluti, quamvis breves viderentur, duratione, desiderio essent æterni.

§. VI.

INterrogatus à Philosophis, quo pacto desiderium illud dies istos potuerit facere æternos, cùm tam paucorum essent mensium? respondeo modum fuisse, rationemque esse; quia desideria Beatæ Virginis, illaq; desideriorum eorundem O O quæ etiam sunt rotæ) juncta & addita rotæ temporis, quamvis tempus esset finitum, illud multiplicabant infinitè. Sic David illud asserit de eodem Dei curru loquens: *Currus Dei decem millibus multiplex*. Chaldæus legit; *Centum millibus*. S. Augustinus; *Millies millibus*. S. Hieronymus; *Innumerabilis*. Novatianus: *Infinitus immensus*. Vult dicere, quod numerus Currus Dei multiplicetur in millia, in decem millia, in centum millia; ad numerum in millies millia. In summa quod evadat innumerabilis, infinitus, immensus. Quod dico, nec meliore comparatione, neque appropiato magis declarari posset exemplo, quàm istâ multiplicatione arithmeticâ: *Decem, centum, millies millibus multiplex*. Novist sne Quomodo ista O O desideria erant desideriorum Beatæ Virginis, omnibus mensium illorum diebus, horis, momentis expectationis sancti partûs, quibus conceptum jam in visceribus suis Dei Filium natum videre desiderabat? Illa O O desideriorū B. Virginis in multiplicatione temporis, erant sicut Ziphræ Arithmeticæ, quæ etiam sunt O O. Conjuncta *Ziphra* numero quid facit? prima addit decem, secunda centum, tertia mille, & si ad viginti quatuor pervenerint, quot sunt horæ diei, tot millia millibus; totque milliones addunt millionibus: ut omnē humanam comprehendendi capacitatem excedant. Curiosè quærunt Mathematici, si à centro terræ, usque ad cœlum, mundus plenus esset arenâ minutissimâ, utrum numerus illorum arenæ granorum sciri possit? Quæstionem illam jam olim excitavit Archimedes, adhuc extensioré, nec difficilis illius est solutio. Primò, dimensâ geometricè capacitate seu concavo cœli Lunæ, statim per demonstrationem Arithmeticam colligitur certitudinalitèr numerus arenarum quæ illud possent implere: Isto verò numero innumerabili, ad figuras arithmeticas reducto, res videtur admiratione digna, quod tota ista summa resumatur in una unitate, & triginta duabus tantùm Ziphris. De O O harum Ziphrarum ad O O desideriorum Beatissimæ Virginis transeamus.

Psalm. 67. v. 18.

O O deſideriorum Beatiſſimæ Virginis novem illorum menſium ſpatio computanda non veniunt per dies, neq; per horas, neque per minuta, niſi per inſtantia. Neq; enim toto iſto tempore fuit inſtans, nec die, nec nocte, quo non in Beatiſſimæ Virginis corde ſeſe multiplicâſſent eadem O O ſuſpirando & anhelando ad illam horam, quæ tanto magis tardari & elongare videbatur, quantò ardentiùs deſiderabatur; Et dico; nec die nec nocte; quia quamvis breviſſimus ſomnus refocillaret ſenſus, cor individuum ab eo, ubi ſuus erat theſaurus, ardentis adinſtar facis vigilabat ſemper: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* (Cant. 5. v. 2.) Sicut igitur illa O O triginta trium Ziphrarum illum multiplicabant, ſeu multiplicarent numerum ſine numero: Ita tot tamque continuata inſtantia, quæ in qualibet temporis parte infinita inſunt, nunquid numerum conflarent æternum? artificialis Ziphrarum multiplicatio (ſine mutatione figuræ, quæ ſemper eſt idem O) conſiſtit in eo, quod ziphra ſecunda proportionatè excedat primam, tertia ſecundam; quarta tertiam: & ſic de reliquis. Eodem modo ſeſe excedebant, & excedere pergebant Beatæ Virginis deſideria: cùm ſubſequentia præcedentibus ſemper eſſent intenſiora. Ratio Theologica & connaturalis hujus argumenti erat, quia cuilibet Matris Dei deſiderio novum gratiæ correſpondebat augmentum, & cuilibet gratiæ augmento major ejuſdem Filii amor: majorique amori majus intenſiúſque deſiderium reſpondebat. Ita ut cum primorum O O circuli eſſent magni: ſuccedentes ſemper majores eſſent & majores. Exemplum nobis hîc ſuppeditet natura, ſicut hucuſque nobis præbuit Arithmetica.

Caſu ſeu induſtriâ lapide in mare tranquillum & limpidum projecto, mox ut aquam tetigerit, turbationem in aqua videbitis: quâ ceſſante, & lapide petente fundum, eodem momento circulus in ea formatus apparet, & mox circulus major, & alius, aliuſque, omnes eâdem ſucceſſivâ proportione: omneſque extenſiores & ſphœræ latioris. Admirabilem hunc effectum, Seneca Lib. 1. quæſtionum ſuarum naturalium valde celebrat: à quo Philoſophi modum, quo vox & lux per totum multiplicantur & dilatantur aërem didicerunt. Verùm ſi natura in circulorum horum multiplicatione & extenſione ſublimius quid intendit, ſine dubio fuit, ut hâc nobis proprietate comparationis hujus declararet modum quo illa O O deſideriorum Beatæ Virginis, quemadmodũ multiplicantur, ſimiliter extendantur. Beatiſſima Virgo Maria erat mare, illud enim ſignificat Maria: Petra erat Verbum Incarnatum Chriſtus; *Petra autem erat Chriſtus.* (1. Cor. 1. v. 4.) Primò Mare tetigit hæc Petra, quando Angelus ad Beatiſſimam Virginem legatus illud tetigit, in quo Mater futura erat Dei, inter, & ſuper omnes mulieres benedicta: *Benedicta tu inter mulieres.* (Luc. 1. v. 29.) Et quid tunc accidit? duo notabilia. Primum quod maris hujus tranquillitas puriſſima nonnihil turbata ſit: *Turbata eſt in ſermone ejus.* Secundum, quod conquieſcente illâ turbatione: *Ne timeas Maria:* eodem puncto quo Beatiſſima Virgo dixit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* (Ibidem v. 28.) Et Petra ſuum petiit centrum, mox circuli O O deſideriorum ſic in ejus corde formari & creſcere cœperunt, ut ſuccedentia ſemper multiplicata ſecundùm inardeſcentis & augeſcentis amoris menſuram, ſimiliter excreſcendo ſphæram dilatarent.

§ VII.

§. VII.

NUnc videamus istos circulos, sive illa O O desideriorum, circulo vel rotæ temporis juncta, quos effectus causârunt in illo. Effectus fuerunt, ut cùm periodus Expectationis partûs tam foret brevis, velut novem mensium, illum fecerint æternum. Et quare, vel quomodo? quia desiderium juxta proportionem crevit amoris: & tempus juxta proportionem desiderii. Non mihi, sed duobus majoribus Ecclesiæ fidem habetote Doctoribus, Nazianzeno inter Græcos, & Augustino inter Latinos. S. Gregorius Nazianzenus in Præfatione, quâ magnam affirmat veritatem, inquit, unum solummodò ardentis & anxii desiderii diem, omni tempori esse æqualem, ad quod vita humana sese extendere potest: *Profectò vel unicus dies, totius, vitæ humanæ instar est, desiderio laborantibus.* Scripturæ communitèr humanæ vitæ durationi centum tribuunt annos: & si quilibet intensorum desideriorum dies, centum durationis mensuretur annis, & quibuslibet decem diebus, respondeant sæcula decem, quæ mille conflant annos, ecce quot millia ultra millia novem mensium circulo poterunt includi! Et si illud tam asseverantèr affirmat Nazianzenus per Antonomasiam Theologus, non determinando objectum vel subjectum, quid esset si supponeret, quod objectum desideratum erat Deus; subjectum verò desiderans cor Matris Deiparæ? Hinc S. Augustinus totam hanc quæstionem remisit ad Deum, velut Dominum temporum & authorem desideriorum, inquiens, quod Deus concatenârit inter se mutuò tempus cum desiderio tali modo, ut dilatando tempus dilatet desiderium, & dilatando desiderium dilatet & tempus. *Deus dilatando extendit desiderium.* Cùm igitur O O desideriorum Beatissimæ Virginis sint circuli tam extensi, sicut vidimus, benè infertur, quod dilatati in eis fuerint circuli temporis: sic dilatati, ut rota temporis in se complecti possit rotam æternitatis, *Et rota in medio rotæ.* Enim verò quid opus est ad argumenta recurrere Doctorum, suppetente in proprio casu ejusdem Dominæ de O expresso testimonio? Et quando Domina ista, quibusq; verbis considerationi suæ adæquatis, desideriisque suis commensuratis, illud suum testimoniũ dedit? Quando desideria sua desiderato suo esse conformia dixit: *Dilectus meus totus desiderabilis: Dilectus meus totus desideria,* & desideria mea omnia sunt, sicut ille totus: Ita transfert & interpretatur versio Chaldaica. Porrò si Beatissimæ Virginis desideria totaliter erant desiderato commensurata, & desideratus immensus, infinitus, æternus; videte an non etiam desideria ipsius fuerint æterna.

S. Greg. Naz.

S. Aug.

Cant. 5. v. 16.

Denique ne exaggeratio videatur quod dico, orationem meam me paululùm demittere finite, ut melius illam probem; & auscultate quomodo desideria multò minùs desiderantis], solùm quia circa idem versabantur objectum, similiter fuerint æterna. Quando Jacob filiis suis in hora mortis valedicendo benedictionẽ impertiit (quæ simul Benedictio & Prophetia erat) ultimo quasi termino & clausulâ, omnes appromissas felicitates consignavit Messiæ adventu, quem collium æternorũ desiderium nuncupabat; *donec veniret desiderium collium æternorum* G. avida, & mysteriosa verba! Jacob Messiam non desideratum, sed desiderium vocat: quia tam singulariter & unicè desideratus

Gen. 49. v. 26.

erat futurus, ut omnia cunctarum rerum aliarum desideria hujus comparatione, nec essent, nec dici mererentur desideria. Quare verò eum non hominum, sed montium colliumque desiderium compellat, *desiderium collium?* Num fortassis, quia creaturæ insensitivæ sine rationis usu, vel tanti notitia boni illum suo modo desiderare, & ad eum suspirare debebant? Nonnulli locum hunc sic explicant, figuræ illius emphasi, quâ cecinit Poëta:

Poëta.

Ipsæ te Tytire Pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Verùm Jacob in vero quo loquebatur sensu, per montes & colles Patriarchas & Prophetas, tam præteritos, quàm futuros intelligebat: in quibus solis fides explicita residebat, quod Messias Filius Dei esset futurus. Hinc sponsa de eodem Messiæ adventu dicebat: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Et vocantur Patriarchæ & Prophetæ montes & colles quemadmodum enim montes & colles exurgunt super valles, & elevantur super terram, viciniores sunt cœlo; Ita Patriarchæ & Prophetæ dignitatis, Sanctitatis, verique Dei cognitionis eminentiâ, alterius Populi rudis, ac indisciplinati, tantorumque mysteriorum incapacis respectu, montes erant, & colles mundi. Sed ecce hîc dubium subintrat, quod omnes jam notâsse credo, & est, quare illos vocet æternos, Desiderium collium æternorum? quamvis Patriarchis & Prophetis antiquitatem assignemus, à primo omnium Adamo; ab Adam usque ad mortem Jacob, duo millia annorum transierunt: & continuando à morte Jacob usq; ad adventum Messiæ, iterum duo annorum millia transierunt. Quantò magis quod in hac secunda ætate, homines quamvis Patriarchæ & Prophetæ, tam brevi viverent tempore sicut & nos: si igitur isti montes & colles, cadebant, sepeliebantur, in cineres resolvebantur tempore tantillo, quo pacto illos Jacob vocabat æternos, *Desiderium collium æternorum?* in verbo, *Desideriũ* Jacob expressit Quare. Nonne cernitis quod Patriarcharum Prophetarumq; istorum desideriũ, in quo vivebant, non nisi ad Messiæ adventum suspiraret, & ad cœlum Deumque suspensum anxiis ingeminaret vocibus *Donec veniret?* Idem Jacob dicebat: *Salutare tuum expectabo.* Moyses: *Mitte quem missurus es.* David: *Ostende nobis Domine Misericordiam tuam, & Salutare tuum da nobis.* Isaias: *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum*: *Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Porrò sicut Patriarcharũ desideria tam erant intensa, & tam longa bona desiderati dilatio, quamvis vitæ tempus tam esset in se breve, desideriorum dilatio illud reddebat æternum. Erant magni, erant Sancti, erant personis eminentissimi; sed multò magis in illis extendebatur tempus, quàm illos dignitas eveheret; dignitas illos faciebat montes, & desiderium æternos. *Desiderium collium æternorum.*

Cant. 2. v. 8.

Gen. 49. v. 18. Exod. 4. v. 13. Psalm. 84. v. 8. Isai. 45. v. 24.

Mensuram istam nec minuit nec auxit David, quẽ desideria & desideratus propriè magis tangebant: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Si considero Patriarcharum & Prophetarũ antiquitatem (ita locum hunc Expositores graviores intelligunt) si considero tempora antiqua, Patriarcharũ traditionem, & Prophetarum fidem; Homines illos adeò illuminatos à Deo, qui eò usque ex-

Psalm. 76. v. 6.

expectabant, & desiderabant, idem quod solùm ego nunc expecto & desidero: dies in intellectu meo sunt anni; & anni sunt æternitates: *Cogitavi dies antiquos. & annos æternos in mente habui.* Majore adhuc mysterio distinctio hæc, temporisque repartitio non vacat. Adamo revelavit Deus hominem se futurum; sed non dixit quomodo, & quo mediante: Abrahamo revelavit, quod ex semine & progenie ipsius descensurus: Davidi, quod ex ejus domo & familia esset nasciturus. Quantoque propius bonum istud tangebat homines, tantò ardentius illius in ipsis accendebatur desiderium, & cum desiderio ingravescebat dilatio. In remotissima Adami antiquitate momenta erant dies; in propiore Abrahami, dies erant anni: in propinquiore, & jam vicina Davidis, anni erant æternitates: *Et annos æternos in mente habui.* Omnia ista secundùm naturalem istam eveniebant regulam; quò bonum desideratum est vicinius, eò desiderium excitat ardentius: Quemadmodum lapis in aërem jactus, quantò descendendo centro suo magis appropinquat, majore fertur impetu: *Desiderium acuit absentis vicinitas*: Sententiosè dixit Comicus. *Comic.*

Enimverò si vicinitas ista jam in Davide, de tempore faciebat æternitates; solùm quia David eum in sua domo nasciturum sciebat, quid in corde esset Beatissimæ Virginis, quæ jam illum suis in visceribus conceperat? duo isti, qui desideria illa reputârunt æterna, nominatim fuêre David & Jacob; iidem, quorum hæredem futurum Christum Angelus nunciavit: *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum.* Et si David & Jacob sic eminùs istam cognoverunt æternitatem, quomodo Beatissimæ Virginis cor intra O O desideriorum suorum non comprehendisset, quæ quantò viciniora, tantò intensiora, quantoque magis intensa, tantò & extensiora? Patriarcharum unus desiderabat dicens ô Sapientia! alter suspirabat, ô Adonai! alter ingeminabat, ô Radix Jesse! reliqui anhelabant & æstuabant dicentes, ô Clavis David! ô Oriens! ô Rex Gentium! ô Emmanuel! nulli verò dicere licebat ô Fili! Et si ista O O talium desideriorum aliquos conficiebant circulos, sic extensos ut essent æterni: *Desiderium collium æternorum; & annos æternos in mente habui.* Quid, amabo, forent illa O O cordis istius, & Matris, quæ conceperat illum suis in visceribus, illumque natum in suis visura erat brachiis? *Ecce concipies & paries Filium.*

Luc. 1. v. 32.

§. VIII.

CErtus nunc sum futurum neminem, qui dubitet quin Beatissimæ Virginis desideria fuerint æterna. Hoc tantùm timeo ne non desit qui in dubium vocet, utrum desideria fuerint. Bonum (quispiam replicabit Philosophus) quod objectum est voluntatis, quemadmodum differentia habet tempora, ita differentes in eadem voluntate operatur affectus. Bonum vel est præsens, vel præteritum, vel futurum: Si est præsens, excitat gaudium; si est præteritum, anxietates causat: si est futurum, producit desiderium. Et quoniam Bonum, & summum Bonum affectuum Beatissimæ Virginis objectum, quod erat filius unicus Dei, & suus, non solùm habebat præsens, sed plus quàm præsens, quia illud habebat intra seipsam;

videtur in corde ipsius causare debuisse potiùs jubilos gaudii, quàm anxietates desiderii. Sic argumentans & discurrens, nondum intellexit, præsentiam, ut sit præsentia, aliquid participare de absentia. Objectum visus, ut videri possit, debet esse præsens: si verò affixum & unitum est potentiæ, est quasi absens: ab oculis removendum est, ut videri possit. Eodem se modo habet præsentia, ut sit præsentia; non ad intima transire licet, neque totaliter uniri, sed aliquatenus distare. In historia fabulosa rationabiliter queritur Narcissus:

Quod cupio, mecum est, inopem me copia facit.

Quid igitur remedii?

Votum in amante novum:

Remedium est desiderium novum, quale amans habuit nunquam. Et quale est istud?

Vellem quod amamus abesse:

Desiderare ut, quod amo, absit, & à me separetur. Hujuscemodi erat Beatissimæ Virginis desiderium, & talis ejusdem ratio Eodem carebat bono, quod habebat, quia illud intra se habebat: idcireo anxiè suspirabat & desiderabat illum habere foris: & hæc suorum OOO

Cant. 8. v. 5. causa erat: *Quis mihi det te Fratrem meum ut inveniam te foris.* O quis mihi dabit Fratei & Fili mi (Frater, quia humanam à me sumpsisti naturam; & Fili, quia eam tibi dedi) quis mihi jam dabit te foris extra viscera mea videre! quamvis enim in eis te teneo & possideo, non tamen te frui possum; *Ut inveniam te*, inquit majore adhuc emphasi. O quis mihi dabit ut inveniam te! quasi anxia Mater cum eodem Filio loquens dixisset: in die quo te concepi, te quasi perdidi, teque abscondisti à me; quia te videre non possum. Si me interroget Fides, ubi es? *Ubi est Deus tuus*? certissimè respon- Psalm. 41. v. 11.
debo, quod intra me. Interrogantibus verò oculis respondere nequeo, nisi quod adhuc te quæram, & ad inveniendum te suspirem: *Ut inveniam te.* Et cùm ista sit boni sui præsentia (absentis, quantumcunque præsentis) videte, utrum causam habebat Beata Virgo illum anxiè desiderandi, ardentiusque pro eo suspirandi!

Desiderat Beatissima Virgo suo Filio eo frui modo, quo Pater æternus illo gaudet; erat enim Filius utrique communis. Agite, subvolate nunc, si tantùm potestis, qui dubium posuistis. Sanctus Joannes Evangelista æternam Verbi Divini generationem describens dicit, quod Filius erat apud Patrem, vel prope illum: *Et verbum erat apud Deum.* Illud, *Apud*, Joann. 1.
sicut scandalum fuit Arianis; ita profun- v. 1.
dissima fuit consideratio omnibus maximis Theologis. Nunquid ipse Christus, de eadem generatione sua, quà Deus loquens, se in Patre, & Patrem in se esse dicit? *Ego in Patre, & Pater in me est.* Joann.
Cur igitur etiam Sanctus Joannes non 14. v. 10.
dicit, quod Verbum erat in Patre, sed apud Patrem: *Et Verbum erat apud Deum?* Et si erat apud eum, ubinam erat, & qualis erat locus ejus? *Ubi erat hoc* Rupert.
Verbum? Quis erat locus ejus? Quærit Rupertus; & respondet locum, ubi erat Verbum fuisse distinctionem realem, quâ Persona Patris distinguitur à Filio; & Persona Filii distinguitur à Patre: *Verbum erat apud Deum, ut de Personis non dubites, dum alteram audis esse, vel fuisse ad alteram.* Idem ante ipsum Sanctus Basilius asseruerat, & post hos ambos, Sanctus Thomas. Verùm altiùs in materia

materia hac sublimissima discurrentem Richardum Victorinum audiamus. Deus est summè bonus, & summè beatus; in quantùm summè bonus, est summè & infinitè communicabilis; ergò non nisi Deo, qui est iste filius, sese Infinitè potuit communicare. Quà summè Beatus, non potuit esse solus, non enim beatitudo datur sine societate; ergò qui in beatitudine summa faceret societatem, debebat esse distinctus ab illo; porrò hæc est distinctio realis, quæ inter Patrem Filiumque intercedit.

Richar. Victor. In puncto hoc secundo, quod est nostrum, verba Richardi sunt ista: *Felicitas summa non potest esse unius Solitarii sine consortio; Deus autem est summè felix, quare consortium debet habere.* Quod si quis replicaverit, Deum ante mundum conditum fuisse solum, quia solus erat Deus; respondet Tertullianus, solitudinem unam distinguendo ab altera, tam profundè ut assolet: *Deus ante omnia* Tertull. *solus erat, ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia; solus autem, quia nihil extrinsecus præter illum; cæterùm ne tum quidem solus; habebat enim secum rationem suam. Hanc Græci Logon dicunt.* Deus ante mundum solus erat, extra se quippe nihil produxerat. Verùm nec sic solus erat, quia cum Verbo sociatus erat quod secum habebat. Notate benè verba: *Habebat secum.* Ita ut in natura divina summè communicabili, non suffecerit Patrem habuisse Filium in se: *Ego in Patre*; sed ut idem Pater non esset solus, & ut summè esset beatus, necesse fuerit Filium habere secum: *Habebat secum.* Proinde quia illum non haberet secum, nisi unam ab altero realiter distinguendo personam; hinc necesse fuit ut Filius realiter distingueretur à Patre; ut sic non solùm esset in illo, sed apud illum: *Et verbum erat apud Deum.* Filius erat in Patre per identitatem naturæ; & erat apud Patrem personali distinctione. Eandemque differentiam, quam in Patre faciebat identitas & distinctio, in Matre faciebat Conceptio, & facturus erat partus: post Conceptionem enim habebat Filium in se, & post partum illum habitura erat secum. Porrò si in differentia illius *In* & *Apud, ego in Patre, & Verbum apud Deum*, summæ in Deo felicitatis ratio consistebat; *Deus autem est summè felix, quare consortium debet habere.* An non sufficiens in ejusdē Dei Matre motivum erat, quamvis illum haberet intra se, etiam desiderandi, & quidem ardentissimè, illum habere apud se?

Hæc vera evincit Philosophia, quare bonum præsens excitare queat desideria: & quare præsens ad plenè se fruendum, aliquid participare debeat de absentia. Bonum, summumque Beatissimæ Virginis Bonum, quatenus illud intra se habebat, quantumcunque præsens faciebat illud invisibile præsentia; postquam verò illud habuit extra se & in suis brachiis, illa ipsa distantia, quæ erat pars absentiæ fecit ut illum videre, illoque frui posset. Proinde si summo bono viso proprium est facere æternitates breves, quid mirum quod non visum, & invisibile dies faciat æternos? S. Gregorius Nazianzenus intelligere nequivit, quomodo anni, quibus Jacob pro Rachele serviebat Labano, illi visi fuissent dies pauci: tandemque invenit deditq; rationem veram, quæ nec erat, nec esse poterat alia, quàm quod toto isto tēpore Jacob Rachelis aspectu fruebatur: *Cujus rei hæc fortè causa erat, quia rei expetitæ conspectu fruebatur.* S.Greg. Naz.

Si

Si, quamdiu B. Virgo benedictum ventris sui fructum habebat intra se, illum oculis intueri potuisset, novem menses nonnisi brevissimi illi visi fuissent dies; verùm quia erat bonum summumque Bonum, & quantumvis præsens, tamen invisibile; totum illud tempus, quo nec videbat, nec videre dabatur, æternum illi erat: proindeque desideria ipsius, pro ut vidimus, illud *Et* Angeli, mutârunt in *O*, æternitatem consummando, quæ in eodem. *Et* principium suum habuit: *Ecce concipies & paries.*

§. IX.

SErmonem meum absolvi, & fortasse imaginatione vestrâ celeriùs. Omnes me duarum absolutarum obligationum memorem futurum sperarunt, quarum totaliter videor oblitus; præsente enim Sacrosanctâ divinissimi Sacramenti Majestate, tam gravi frequentique auditorio loquens, ac si ad Altare non respexissem, neque de Sanctissimo Sacramento ullum dixi verbum; neque auditorio vel unicum dedi documentum. Istud utique in duobus, quos feci, discursibus omnes observastis; & ego nunc intelligo, quod non bene perceperitis primum; nec ut debebatis, applicâstis secundum; primus enim totus fuit de Sacramento, maximâ ipsius exaggeratâ excellentiâ; Secundus accommodatus fuit Auditorio, utilissimâ illi datâ instructione.

Nunquid in primo meo discursu, super verba: *Ecce concipies in utero*; Virginalem B. Virginis ventrem, per Conceptionem Verbi Incarnati, Immensitatis circumferentiam & circulum Immensi comprehensivum probavi? Idipsum igitur Divina Omnipotentia amore nostri in altissimo Sacramenti Mysterio fuit operata, parvo isti hostiæ circulo, totam divini & humani sui esse Immensitatem includendo. Enim verò, quare Ecclesiam instituisse putatis, ut forma Hostiæ consecratæ esset in figura circulari, sicut à principio hucusque semper continuavit? Nonnulli in Ecclesia Græca figuram Hostiæ quadratam voluerunt ad significandum quatuor Elementa, ex quibus Christi Corpus est compositum, & quatuor Mundi partes, in quas supremum obtinet dominium; prævaluit verò figura circularis, non solùm quia in circulo etiam mundi rotunditas repræsentatur; verùm, cùm, juxta Sancti Gregorii Papæ assertum, figura sit nec principium habens nec finem, in nulla alia, æternitas, infinitas & immensitas divina clarius exprimitur, quàm in miraculoso illo circulo inclusa. Sic factum est, & sic fieri oportebat; Multis enim ante incarnationem Filii Dei sæculis, jam erat Doctorum Hebræorum in expositione Psalmi septuagesimi primi opinio, quod Sacrificium Messiæ, veluti Sacerdotis secundùm Ordinem Melchisedech constitutum esset in pane, isteque panis in figura formatus orbiculari ad magnitudinem volæ manus: *Sacrificium Messiæ fore placentam rotundam, sicut est vola manûs.* *Doct. Heb.*

Sed quorsum traditiones, cùm Rituale Davidis habeamus? *Circuivi & immolavi hostiam vociferationis.* *Psalm. 26. v. 6.* David de sacrificio loquitur, quod in gratiarum actionem obtulit Deo (prout ex toto Psalmo constat) & tale est sacrificium nostrum. Quando Christus illud instituit, primò omnium gratias egit: *Gratias agens, fregit.* *1. Cor. 11. v. 24.* Et hinc Eucharistiæ, quod gratiarum actionem

actionem significat, Sacaramentum appellatur. Quinam verò ritus, vel ceremoniæ hujus Sacrificii fuêre? tria innuit Propheta, quæ tantùm velut Propheta prævidere potuit, & imitari. Circulum ad modum rotæ se fecisse dicit, *Circuivi*: Hostiam se obtulisse adjungit: *Immolavi hostiam*; & hanc non precibus, sed ejulatibus, & clamoribus se prosecutum adstruit: *Vociferationis*. In Sacrificio sub nomine Hostiæ prævidebat & significabat illam, quam habemus & adoramus præsentem: In circulo quem in modum fecit rotæ, figuram orbicularem, de qua Hostia erat formanda, ad repræsentandam immensitatem divinam, quam intra se includit: In vocibus verò non articulatis sed vociferationibus, quidnam, quæso, David significare voluit? præsentem hujus diei festivitatem sibi ob oculos proposuisse videtur. Ab hodierna die usque ad Nativitatem Domini, in Cathedrali Toletana, ubi exordium sumpsit hæc institutio, nec non in aliis multis Christianis Ecclesiis officia divina inconditis & & dissonis concluduntur vocibus; Clero toto clamante, omnique Populo vociferante O O O. Istud propriè significat, *Vociferationis*. Et quia divinissimum Sacramentum est secunda Pars Mysterii Incarnationis (unde S. Chrysostomus illud vocavit Incarnationem magis extensam) non est alienum à spiritu Davidis, imò ardentissimis ejus affectibus valde proprium; quod ad conspectum illius Sacræ Hostiæ, quando illam immolabat in figura, comitaretur idem circulus quem formabat, exclamans ille, & faciens exclamare omnes eum O O jubilorum, O O applausuum, O O admirationum. O Hostia, in qua immolatur Deus! O circule, qui circumdas & comprehendis incomprehensibilem! ô maximæ Sapientiæ adinventio! ô miraculum singulare omnipotentiæ! ô excessus! ô infiniti in homines amoris extremum! omnia denique illa O O Ecclesia ad unum O reduxit: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur!* *Eccles.*

Hæc primi discursus mei allegoria, Domine, tota ad divinam & humanam tuam Majestatem in Sacramento, fuit directa: Et doctrina secundi, in affectibus adeò superhumanis primi Virtutum exemplaris, tota similiter ad Auditorum imitationem fuit directa. Quidnam super secunda thematis verba, *Et paries Filium*, audistis? Audistis, quod quamvis Beatissima Virgo Deo foret plena, nihilominus desideriis ipsius satis non fuerit factum, desiderans illum habere secum, quem habebat intra se; coramque intueri oculis, qui absconditus in suis erat visceribus. Agite nunc illud vobis applicate: Nil illo minus, quod Beatissima Virgo intra se concepit, intra nos recipimus communicando. Illa Verbum Divinum, quod carne vestivit; & nos Verbum Incarnatum. Illa Deum totum quantumcunque immensum; nos eundem cum immensitate sua tota. Unde colligitur, quantam injuriam irroget Deo, qui postquam illum totum in se recepit, adhuc aliud desiderat. Quodcunque aliud hujus mundi, hocce casu, desiderium, vel est manifesta hæresis, vel extrema stultitia. Hæresis, quia esset non habere fidem: Stultitia, quia esset carere judicio. Seneca monstrosam Alexandri improbans ambitionem, profundâ dixit sententiâ: *Inventus est, qui aliquid concupisceret post omnia.* Ergone in mundo invenie- *Seneca.*

invenietur homo, qui habens omnia, aliquid adhuc desideret ultra? Omnia quæ habebat, quibusque dominabatur Alexander, erant nihil: Solus Deus verè est omnia. Et Christianus habens Deum, & ipsum totum intra se, adhuc mundi nihila desideret? ô cœca, ô deceptoria, ô perdita, ô infidelia desideria! tantùm unum licitè & Christianè desiderari potest ab eo, qui eò pervenit, ut Deum habeat intra se. Et quodnam istud? etiam pervenire ad illud habendum secum, quod secum B. Virgo desideravit.

Ad Philip. 1. v. 23. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*: Unum tantùm desidero, inquit S. Paulus, quod est, animam meam dissolvi à vinculis corporis, & esse cum Christo. Apostole Sacer, repete quod dicis, quia te non intelligo: nonne dicis quod in hac vita Christus sit in te: *Vivit verò in me Christus*? Ad Gal. 2. v. 20. Si igitur Christus in te, etiam in hac vita, quare vis deserere vitam, ut sis cum Christo? Quia multum distat, esse Christum in me, & me esse cum illo. Christum esse in me, est illum possidere, absque eo quod videam: me esse cum illo, est illum videre, illoque frui. Eandem ob causam B. Virgo Filium, & Deum suum habendo in se, adhuc desiderabat & suspirabat; quia modum optabat, quo illum videre, illoque frui posset. Eandemque ob causam (si ratione utimur) habentibus nobis Christum sacramentalitèr & invisibilitèr, eadem felicitas excitare debet in nobis desiderium alterius majoris & maximæ Beatitudinis: qualis est obtinere esse cum illo, ubi illum videamus, eòque fruamur per omnem æternitatem. Ad satiandam omnium aliorum desideriorum famem, sufficit totum in nobis habere Deum: sed ex hac ipsa jam satiata fame, sitim nasci oportet insatiabilem, ut ruptis nubibus illis, eum clarè videamus in Gloria: *Sitivit anima mea ad Deum Fontem vivum* Psalm. 41. v. 3. *Satiabor cùm apparuerit Gloria tua.* Psalm. 16. v. 15. Hæc desideriorum nostrorum O O esse oportet, quomodo ejusdem erant Prophetæ: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei!* Psalm. 41 v. 3. O quando veniet felix ille dies, in quo, mi Deus, ante te apparebo! O quando illa appropinquabit hora, quâ te facie ad faciem videbo! O quando anima mea à vinculis mortalis hujus corporis, quod tui visionem impedit, sese expeditam videbit! *O quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Rom. 7. v. 14. *O Domine libera animam meam! O Domine salvum me fac.* Psalm. 114. v. 4. *O Domine benè prosperare!* Psalm. 117. v. 25. Hæc desideriorum nostrorum O O O esse oportet, & non illa Mundi, non Concupiscentiæ, non illa Ambitionis, fallacisque Amoris, quæ non sunt O O, sed Ah, Ah: Heu Heu; *Heu mihi quia Incolatus meus prolongatus est.* Psalm. 119. v. 5. Beatissima Virgo de O, hanc gratiam omnes nos hodie à te petere fas est, quamque Ego omnium nomine ex toto corde à te peto; ut omnia nostra inordinata desideria reformes; ab omnibus temporalibus terrenisque rebus segreges; ad Cœlum ea erigas, & ad Æternitatem dirigas: Ut per intercessionem tuam, & infinita Sanctissimi Filii tui merita, cum visione ipsius fine fine, finem consequamur, ad quem omnes conditi sumus. Amen.

SERMO

SERMO

In Feriam Sextam post Cineres

In Conventu Sanctimonialium de Odivellas. Anno 1644.

Diligite Inimicos vestros. Matth. 5. v. 44.

§. I.

DUELLUM hodie habemus potentissimorũ & periculosissimorum duorũ humanæ Voluntatis Affectuum; adeò potentium, ut si Voluntas eos vincat sit Domina: Adeò periculosorum, ut si succumbat, mancipium sit & ancilla. Et qui isti sunt bini affectus? Amor & Odium. Amoris objectum, est bonum ad amplectendum; Odii verò objectum, est malum ad fugiendum: & ista potentia est universalis, quæ extenditur sine limite ad omnia quæ sunt in mundo. Verùm sicut malum frequentèr valdè speciosum, & è contra bonum valde detestabile apparet: hinc venit, ut apparentiis decepta voluntas, amplectatur malum sub specie boni; & detestetur bonum sub specie mali: & hîc est periculum. Veteres dicebant, amantem te ama, & odientem te odi: id est, benefac te amanti, & malefac te odienti. Illud ipsum autem dictamen ita hodiedùm adhuc usitatum, quamvis in Justitia & æquitate videatur fundatum, gravissimus periculosissimusque est error, quem Divina Sapientia reformatura & demonstratura venit in mundum. In præsenti Evangelio præcipit nobis Christus diligere inimicos: & in alio nobis mandat odisse amicos: in hoc nobis mandat amare odientes; in altero nobis mandat odisse amantes. Porrò cùm gemini hujus Præcepti tam sibi contrarii idem Legislator divinus sit Author, persuadere sibi debet modica nostra capacitas, quod nec sciamus quid sit Amor, neque sciamus quid sit Odium, nec amare sciamus, nec odisse; nec velle bonum, nec velle malum sciamus. Decipit nos malum sub specie boni, & tollit amorem: decipit nos bonum specie mali, odiumque immittit cordi. Et quid sic decepta, sic captiva tristis faciet voluntas? geminum hunc errorem sermone hodiernò detegere intendo; bonasque & non malas informare voluntates; quomodo scire oporteat amare, & odisse. Est materia, in qua excussâ controversiâ, admirabile vobis detegam secretum. Adestote mihi in petenda gratia. Ave Maria.

§. II.

Diligite inimicos vestros.

Matth.5.℣.44.

SAnctus Augustinus judicii sui singularis pondere Præcepti hujus profunditatem penetrans,inquit ita : *Recole in omnibus justificationibus Domini nulla esse mirabiliora,nec difficiliora , quàm ut suos quisque diligat inimicos.* Omnes sacras legite Scripturas, omnia ponderate Præcepta,Consilia & documenta divina: & in nullo invenietis,inquit Augustinus, aut admirabilius aut difficilius quippiam, quàm quod Deus homini ex carne & sanguine suos præcipiat diligere inimicos. Admirabile & difficile inquit Sanctus; & reservando,admirabile, pro fine (prout promisi) Ly difficile consideremus primò. Præcepti illius tanta est difficultas ut Gentiles illud habuerint pro impossibili , & similiter multi Hæretici, quos doctissimè confutat , & convincit Sanctus Hieronymus. In eo verò, quod difficile sit,& difficile valde , idem Sanctus Hieronymus cum Sancto Augustino concordat : & cum SS.Hieronymo & Augustino omnes alii SS.Patres, Ecclesiæque Doctores. Omnes illud rigidissimum Legis Evangelicæ Præceptum , & quàm maximè arduum Religionis Christianæ opus affirmant. Si tam rarus amicos suos verè amantium inter homines reperitur numerus; quàm difficile & repugnans erit humanæ naturæ ad inimicos amandos descendere?

S.Aug. in Ps.118.

Verùm,cùm id fieri quotidiana testetur experientia,hanc doctrinam dubiam saltem , magnæque instantiæ obnoxiam arbitror. S. Augustinus in recitatis jam verbis suis inquit, ut legamus scripturas omnes,& quod in nulla earum difficilius Præceptum & documentum sit inveniendum.Ego vero dico,ad reperiendum difficilius multò præceptum & documentum , necessarium non esse omnes , aut multas legere Scripturas, unicus tantùm Evangelii textus ad hoc sufficit. Idem Christus,qui dixit : *Diligite inimicos vestros* : etiam cap.14. S Lucæ dicit : *Qui non odit patrem suum & matrem , & uxorem,& filios,& fratres,& sorores , adhuc autem & animam suam , non potest meus esse Discipulus.* Præceptum istud omnibus in casibus obligat , ubi amor Parentum & consanguineorum divinæ legis observantiæ repugnat. Et generalitèr omnem obligat Christianum,non redamare illicitè amantem ; quamvis citrà gratiæ jacturam, perfectionisque præjudicium,quam profitetur. Proinde legis Christi Canones ex una parte nobis mandant amare odientes : *Diligite inimicos vestros* : Ex altera nobis præcipiunt odisse amantes : *Qui non odit patrem suum & matrem &c. non potest meus esse discipulus.* Quæro igitur. Utrumnam Præceptorum horum est difficilius;odisse hominem qui amat,an amare eum qui odit?Odium rependere amori,vel amorem odio? antequam Quæstionem hanc resolvamus , prius eam ventilemus & excutiamus: in utramq; alleganda partem attentè auscultate , siquidem judicio vestro decidenda committetur.

Luc.14. v.26.

§. III.

PRimò quidem odientem amare difficilius videtur , quàm odisse amantem. Probo. Gravamen seu molestia quâ me offendit inimicus dolorem infert cordi proprio ; & quod non redamem amicum,dolorem ingerit cordi alieno : & in

remediis

remediis dolorum, intensiori semper priùs occurritur, acerbiusque toleratur vicinior: Magis ergò naturale est in homine odium in inimicum, quàm amor in amicum: In odio enim inimici dolori proprio vindictâ succurritur: in amore amici dolori succurritur alieno Correspondentiâ. Ulteriùs. Quando amamus amantem, voluntas ratione regitur: quando odio habemus odientem, appetitus ab ira movetur; & impetus iræ semper fortiores sunt, impulsibus rationis: efficaciùs semper agunt offensi, quàm obligati: Offensa enim stimulatur consideratione honoris; obligatio verò gratiarum actionis: tolerabiliúsque est nomen habere ingrati, quàm notam injuriâ affecti. Ampliùs adhuc. Amando amantem solvo quod debeo: dum me ulciscor de lædente, solvit mihi, quod debet: & quis, quæso, non magis propendet ad recipiendam satisfactionem, quàm ad debitum solvendum? Ergò difficilius est cessare ab odio odientis, quàm ab amore amantis. Experientia tantùm isti resolutioni nostræ obstare videtur; cùm enim in mundo plures dentur offensæ, quàm beneficia, plures sunt ingratitudines, quàm vindictæ: Ergo homines magis videntur ingrati quàm vindicativi. Sed non est ita. Nam pro vindicta requiritur potestas; pro ingratitudine sufficit voluntas. Proinde si rariores sunt vindictæ, inde venit, quod homines minùs sint potentes: & non quod minus sint inimici.

Ex altera parte difficilius videtur odisse nos amantem, quàm amare nos odientem. Probo. Amare odientem est humanum esse in eum, qui inhumanum se mihi ostendit: odisse verò eum qui me amat, est crudelem me ostendere immeritò. Humanum esse, est hominem esse: crudelem esse, est feram esse: Odisse ergò nos amantes tantò difficilius est, quantò magis naturæ repugnat. Ulteriùs. Hæc fortis est ratio. Ex parte objecti tantum provocat odium ad odiendum, quantum amor ad amandum; Ex parte verò potentiæ, voluntas magis inclinatur ad amandum, quàm ad odiendum; amare enim est actus naturalis, odisse verò est actus violentus. Unde sequitur, quod voluntas æqualiter ab odio inimici ad odiendum, & ab amore amici ad amandum invitata, naturalitèr se magis inclinabit ad amandum amicum, quàm ad odiendum inimicum. Majorem ergò violentiam patitur voluntas in odiendo amantem, quàm in amando odientem. Adhuc amplius. Amare odientem generositatis est actus; odisse amantem, actus est ingratitudinis: Et quodnam cor tam erit irrationale, ut malit potiùs ingratum esse, quàm generosum? Quis generositatis nobilitatem & excellentiam, cum ingratitudinis vilitate & macula commutabit? Denique difficilius est odisse sine causa, quàm amare cum ratione. In odiente me subest ratio ad eum amandum; quia si odissem velut inimicum, amare possum sicut proximum: In amante verò, ad odiendum nec subest ratio; nam si illum amare teneor velut proximum, quare odio haberem velut inimicum? Ergò difficilius est odisse amantem, quàm amare odientem.

§. IV.

PRopositâ Quæstione in his terminis, ad continuandum Sermonem, oportet primò suffragia colligere Auditorum; nam ubi illi majorem deprehenderint difficultatem, ibidem omnes orationis

nervi ſunt intendendi. Quid igitur duobus hiſce caſibus dicitis? num amare inimicos, vel odiſſe amantes difficilius putatis? ſilent omnes: nemo mihi reſpondet. Video autem, quod ſuffragia veſtra, quo ſint liberiora & veriora ſecreta velitis. Videte, utrum ea benè interpreter & diſtinguam. Quoad primam generoſorum iſtorum, vel vindicativorum Spirituum ſæculariũ claſſem, difficiliùs illis videtur, amare inimicos, injuriaſque remittere: verùm quoad ſecundam Religioſarũ harum claſſem (quæ melior principaliorque pars eſt Auditorii) ſicuti corda naturalitèr ſunt benigniora, amorem majora pro ſe ſuffragia ſortiturum opinor: tantoque plura & meliora, quantò melius intellecta. De Amore (diſcretiores melioriſque cordis dicunt animæ) ab amore me liberet Deus; nam per odium non me ad infernum abripiet Diabolus. Status Religioſus tanquam immunis ab injuriis, eſt quaſi incapax odii: ad eximendum autem illum ab amore, qui pennas habet & alas, non ſufficiunt muri & clauſuræ. Poſito igitur & non conceſſo, amorem aliquem moratum & ordinatum hûc poſſe intrare, vel non intrare; ſi cor amatum hoc caſu non redamaret amantem, non eſt dubium quin punctum illud durum eſſet & difficile: & præceptum illud legis divinæ valde arduum videretur. Ita mihi videtur, Virgines devotæ, & generaliter ſic veſtrum ſuffragari ſilentium. Cum quo in ſecunda Quæſtionis noſtræ parte ſubtiliter diſtinguitur alius tertius caſus, tantò perplexior, quantò tenerior; tantóque difficilior quantò magis repugnans. Non amare, minus eſt, quàm odiſſe amantem; & ſicuti in præcepto odiendi etiam includitur illud non amandi; in hoc non amandi, quod eſt minus, maxima conſiſtit difficultas. Ita intelligere & concludere puto ſaniora judicia. Et ne rationis veſtræ vim formidare videar, ad illam potiùs diſſolvendam & conterendam, primam amplectendo partem, illam pro merito corroborare & propugnare conabor.

Primò ipſe ſacræ hujus Reipublicæ Legislator S. Bernardus ſuper illa Canticorum: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: à ſummo deſcendens dicit, amorem, quo anima diligit Deum, naſci ab amore, quo diligitur à Deo: *Amor Dei amorem animæ parit*: & addit, idcirco amare animam, quia ſe ſcit amari: *Nec dubitat ſe amari, quæ amat*. In naturali & terreno hoc amore accidit idem. Amor naturalitèr invitat amorem: nec eſt cor adeò ſurdum, quod vocatum non audiat; nec adeò mutum, quod ſi audierit, non reſpondeat. Etiam Deſertorum petræ reddunt vocec, & ipſum Echo, quod videtur repulſa, eſt correſpondentia. Correſpondentia non eſt aliud, quàm amoris ejuſdem reflexio, quæ geminata redit unde venit. Porrò ſicut non eſt marmor, aut æs adeò durum, quin à radio ſolis percuſſum, radii ſui reflexione Soli reſpondeat; ſic non eſt cor adeò marmoreum duritiâ, aut æneum reſiſtentiâ, quod in amore præventum, illum non reduplicet, reciprocóque alio reſpondeat.

Cant. 2. v. 16.

Bern. ſerm. 69.

Tam certa & manifeſta vis eſt amoris, tamque conſtans omnium Sapientûm judicio, ut Poëtæ, Oratores, Philoſophi, & ipſi SS. Patres, eandem confiteantur & exaggerent. Inter Poëtas, omnes Martialis Epigramma ſciunt.

Ut ameris, ama. *Mart.*

Alias hujus generis Authorum citationes omit-

omitto; ſunt quippe gens quæ adulationem magis, quàm veritatem profitetur. Oratorum omnium facilè Princeps Marcus Tullius ad Brutum ſcribens inquit: *Clodius valde me amat, quod cùm mihi perſuaſum ſit, non dubito quod illum judices à me quoque amari. Et quare? Nihil enim minus hominis eſt, quàm non reſpondere in amore eis, à quibus provocamur.* Ita ut hominis illius ſententiâ, de cujus lingua ſententiæ pendebant omnium, homo amatus amantem neceſſariò redamare, aut homo eſſe deſinere debeat. Inter Philoſophos Hecaton, quem refert & ſecutus eſt Seneca (quæ duplex eſt authoritas) dixit idem; ſed Cothurno Philoſophico, & Magiſtrorum Magiſtri fiduciâ. Verba ipſius, quaſi tubicinio promulgantis & vendentis amorem, ſunt iſta: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine.* Si quis amari appetat, non herbas à natura, nec confectiones à medicina, neque veneficia ab arte magica requirat, veniat ad me, nam ego ſecretum illi unum detegam, majoris virtutis quàm omnes habent herbæ; majoris efficaciæ, quàm omnia habent medicamenta: effectûſque amplioris, quàm omnia habent veneficia. Et quodnam tam potens eſt ſecretum? *Si vis amari, ama.* Plus non dixit Philoſophus, & duobus hiſce verbis totam complexus eſt Philoſophiam amoris. Amare & amari reciprocæ ſunt relationes, ut poſitâ, ſeu ſuppoſitâ unâ, mox naturaliter ſequatur altera. Et quemadmodum amor ſolo acquiritur amore, ſic non eſt amor tam validus & robuſtus, qui alio non vincatur amore. Ad SS. Patres procedamus.

Tullius.

Hecat. Seneca.

§. V.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quamvis non allegato Hecatone (ſimiliter Græcus) quaſi propriam ejuſdem ſententiam dixit: *Si vis amari, ama.* Sed quod ille non fecerat; hic illam naturâ ejuſdem probavit amoris. Amor eſſentialiter eſt unio; unio verò unum non poteſt unire extremum niſi etiam uniat alterum. Si te fors alicui alligaveris homini, nunquid non ille manebit alligatus tibi? ſic. Eodem igitur modo, inquit Chryſoſtomus, ſi amâſti, non potes non amari. *Quomodo enim ſi velis te ipſum alteri alligare, non aliter poteris, niſi ipſum quoque tibi ipſi alliges.* Hoc modo ſe univit & alligavit Jonathas Davidi: moxque David unitus & alligatus manſit cum Jonatha. Eidem termini, quibus id Scriptura refert, amorem inſuper & comparationem declarant: *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David.* Non dicit quod Jonathas Davidem, & David Jonathan amaverit: ſed quod anima Jonathæ conglutinata fuerit animæ Davidis. Sicut enim tabula non poteſt conglutinari tabulæ, quin utraque ſibi invicem jungatur; ita, anima non poteſt amare animam, quin ab ea redametur. Animus & affectus Davidis impulit animum Jonathæ ut illum amaret; & amor Jonathæ obligavit Davidem ut illi correſponderet. Jonathas non amatus amavit, & David jam amatus non potuit ab amore abſtinere. Primus amor fuit liber: Secundus neceſſarius. Concludit denique idem S. Chryſoſtomus, quod cujuſque voluntas alienæ voluntatis lex eſt: *Voluntas tibi ſit lex.* Prout quippe quilibet voluerit, vel noluerit amari amabitur, vel non amabitur. Ita ut ſi ego amem, mandare ſit & obligare ut amer. Amor eſt præceptum, correſpon-

Chryſ.

1. Reg. 18. v. 1.

respondentia est obligatio: amare est imperium; amari est obedientia.

Sanctus Augustinus minoribus verbis non dixit minus: *Nulla major est ad amorem invitatio, quàm amantem amore prævenire: & nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Potentissimum certissimumque motivum ut quis ametur, est suum anticipare amorem, qui alterius cupit lucrari amorem. Quæcunque alia quantumcunque fortia videantur & usitata sint motiva, vanitatem & deceptionem & non verum acquirunt honorem. Pulchritudo & species occupat oculos, munera implent manus, suaviloquentia lenocinatur auribus, deliciæ saporem prænocinatur gustui; potestas & majestas incurvant genua; cor verò subigere & vincere solus potest amor. Adeò generosum est cor humanum, ut non nisi à suo compari vincatur: non alio commodo, vi vel arte acquiri potest, quàm amando: *Nulla major est ad amorem invitatio, quàm amore prævenire*: qui præoccupavit amare primus, totum reciprocum lucratus est amorem. Ratio est, inquit S. Augustinus, quia si in mundo daretur cor tam durum, & durissimum, quod nec amet, nec amare velit; nullum sanè tam ab omni affectione humana erit alienum (quamvis sit idipsum) quod amatum æquali nolit respondere amore: *Et nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Notate benè illud *nolebat*, & istud *nolit*. Antequam quis amaretur, cor tam durum esse potuit ut non amaret, nec amare vellet; sed postquam amari se vidit, debet & vult amare quamvis non vellet.

S Aug.

Hoc tam est certum (ut & ego exaggerando dicam) hoc tam est certum, ut si Deus cor creâsset ferreum, & illud amaretur, naturaliter & necessariò illud redamare deberet. Plinius de magnete loquens amorem ipsius seu amores cum ferro hoc modo describit: *Quid ferri duritiâ pugnacius? sed cedit patiturque amores. Trahitur namq; à magnete lapide, dominatrixq; illa rerum omnium materia, ut propiùs venit, assistit, teneturq;, & complexu hæret.* A Magnete ferrum amatur (quem Galli lapidem amantem vocant) estque tam admirabilis, tamque amorosa inter utrumque naturalis hujus Sympathiæ vis, ut lapis velut amans ferrum sibi attrahat, & ferrum velut amatum semper respondeat. Ille invitat, hoc movetur; Ille ducit, hoc sequitur; ille hoc elevat, hoc pendet; ille ligat, hoc capi se sinit: Ille hoc sistit, hoc quiescit: cum ascendente ascendit, & cum descendente descendit: cum circumeunte circuit semper simul, semper juncta, semper concordia, semper unita, & sibi invicem cohærentia quasi utrumque foret ex cera. Et si id in ferro qualitas operatur occulta, quid, quæso, in corde quamvis ferreo operabitur amor manifestus: ferrum amatum à lapide dissolvere nequit amorem: & cor humanum amatum poterit non amare? Omnes stando dicitis, quod non; & rectè dicere videmini.

Plinius.

Hæc opinio seu Regula universalis, unam tantùm contra habet exceptionem, quam Sanctus Ambrosius, & post illum S. Augustinus notavit, iisdem uterq; verbis. Casum ponderant Josephi, animumque plus quàm hominis, quo fugit in manibus Dominæ suæ pallio relicto, & quod præ omnibus exaggerant, est, quod amatus non amaverit. *Adamatus non redamavit.*

S. Amb. S. Aug.

vit. Ergo neque tam certum, neque tam universale est assertum, quod hucusque probare intendimus; neque repugnans & quasi impossibile humano cordi, non respondere amore, quando alieno est amore præventum, vel non redamare ante amatum. Respondere hîc possem optimè, quod unius exceptio exempli, quando unum tantùm vel rarissimum est, regulam generalem non dissolvat, sed potiùs stabiliat & confirmet. Ipsaque admiratio, quâ Sancti casum istum decantant, & prodigiosum vocant, novam majoremque probationem parit, quàm proprium & naturale voluntati & propensioni sit humanæ, sequi semperque contrarium operari. Verùm SS. Ambrosii & Augustini pace, ego non consentio, quod Joseph amatus non amârit: imò, non solum amâsse, sed intensius multò ipsum amâsse affirmo. Ægyptia velut impudica accusavit Joseph, & quod amor esse cœpit, in vindictam degeneravit: Joseph è contrario, velut honestus, cùm esset innocens, non se excusavit, & quod videbatur non esse amor, amoris patuit esse excellentia. Excellebat enim amor erga Deum, noluit enim peccare: excellebat amor erga Dominum, quē noluit offendere: magis amavit illam, à qua fuerat amatus: apprehensus enim, ferroque oneratus, & quasi ad mortem damnatus, non sese purgavit, ne ream ageret illâ: amorem rependit celando delictum. Illa amorem vestivit pallio, hic silentio. Adeò est impossibile, ut amor etiam in terra sterilissima & durissima, etiam repulsus & repudiatus non producrt amorem.

Verùm enim verò, concesso Ægyptiam amantem non fuisse redamatam; & Josephum amatum non redamâsse; in terminis merè naturalibus & humanis, in hoc similivè alio casu loquendo, cujusnam miserabilior & infelicior foret conditio, utrum amantis non amati; vel amati non redamentis? Respondeo, quod tali contingente casu (à quo Deus omne cor humanum liberet) amans non amatus, majore compassione; & amatus non amans, majore horrore dignus videretur. Amare & non amari, maximum est tormentum, amari, & non redamare, maxima est injustitia. Illud verò est pati, hoc verò est injuriam inferre: melius igitur est amare, & non amari, quàm amari & non amare; amare enim, & non amari est esse martyrem: amari, & non redamare, est agere tyrannum. Cùm igitur adeò alienus sit à ratione excessus, humanitate indignus, omnique affectioni naturali tam contrarius, amorem amore non solvere: quis dubitet aut dubitare ausit, quin non solùm odisse eum, qui nos amat (quod est actus) sed etiam ipsum solummodò non amare (quod est suspensio) sit maxima libertatis humanæ violentia, maxima cordis pressura, maximaque naturæ tyrannis.

§. VI.

HOc modo discussis aliquatenus tribus difficultatibus, quibus hucusque immorati sumus (quarum vis & efficacia sentiri magis, quàm declarari potest) quid humana voluntas, tot circumdata & obsessa partibus, tribusque simul tam validis impugnata violentiis faceret? uno Præcepto jubetur diligere inimicos; alterum præcipit odisse amicos; & tertium, quod inde sequitur, non amare, neque correspondere (ut proprio illud exprimamus nomine) amantibus

mandat. Et si cuilibet horum obedire, per se sufficit, ad inducendum cordi generosissimo deliquium, omnibus junctis, quid fiet? ex parte vitalis, ex parte sensitivi, & ex parte rationalis, hic homo in extremis agit angustiis. Mandans amare inimicum, videtur ipsum velle insensitivum; præcipiens odisse amicum, videtur illi tollere rationale; jubens amatum non redamandum, lapidem illum seu mortuum esse supponit. Quid igitur remedii, ad satisfaciendum tot tamq; difficilibus simul junctis obligationibus, ne in illis confundatur intellectus, in desperationem abeat voluntas; & tota anima opprimatur? Tam suavis est lex divina, ut si aggravet præcepta, facilitet remedia. Omnes istæ tres difficultates, quantumcunque absurdæ & horribiles, cordi occurrunt humano, sicut earum sunt tres, ita tribus vincuntur verbis, quæ thematis loco assumpsi, *Diligite, inimicos, vestros.* Christus Dominus noster inimicos nostros nos diligere mandat; & hujus solùm observatione præcepti, quod difficultatem quandam habet, reliqua duo sine difficultate servantur. Dixi cum observatione solùm. Non enim præcepti hujus observantia ad alia implenda est necessaria. Verùm si præceptum istud tractet de inimicis, & reliqua duo de amicis: Si præceptum istud mandat amare, & unum ex aliis duobus Præceptis, odio habere: Si istud dicit, diligite eum, qui vos odit, & alterum amare vetat eum, qui vos amat; quomodo in hujus observatione præcepti aliorum observantia consistere potest? nunquid, quod dico, valde vobis admirabile videtur. Hoc est secretum illud admirabile, quod vobis pollicitus sum; pro cujus intelligentia,

Supponendum est primò, duo esse inimicorum genera: aliqui sunt inimici, qui nobis malè volunt & faciunt ex odio. Alii sunt, qui nobis malè volunt & faciunt ex amore. Inimici nobis malè volentes & facientes ex odio, sunt illi quos Christus nobis præcipit amare; & hos novimus omnes quales sint. Inimici, qui nobis malè volunt & faciunt cum amore, sunt illi, quos Christus odisse mandat: & hosce fortasse ignoratis, nec imaginari potestis, quinam sint, & nunc illud scietis. Nostisnè quinam illi sint inimici? sunt omnes illi, qui sanguine seu affinitate plus minusvè vobis juncti, propter consanguinitatē aut affinitatem, vel propter inclinationē naturalem, vel commerciorum communionem, vel propter beneficia, vel propter spes & dependentias, vel ob gratias, vel quodlibet aliud denique affectûs motivum inordinato vos amore prosequuntur. Sacra Sponsa dicebat: *Ordinavit in me charitatem.* Amor ordinatus est charitas; amor inordinatus, quamvis inordinatio levis sit, nec charitas, nec amor, sed odium est. Quomodo me amare, vel benè mihi velle potest, qui me summo bono privat, vel ab eo me elongat? *Cant. 2. v. 4.*

Hinc sequitur Causa secunda, quam supponere oportet; & est, quemadmodū duo sunt genera inimicorum, ita duo sunt genera amandi, & odiendi. Datur amare benè, & amare malè; & datur odisse benè, & odisse malè. In quonā verò istud amare, & odisse istud distinguitur? per affectus, similitèr & per effectus; amare enim malè, est odisse: & odisse benè, est amare. Veteres amorem & odium æqualibus pingebant armis instructos: utrumque scilicet arcu & pharetra; sed amorem

rem ejaculati sagittas aureas dicebant, quæ darent vitam: odium verò sagittas ferreas, quæ inferrent mortem Hîc nunc quæro, si amor & odium mutâssent pharetras, quid hoc casu evenisset? hoc utiq;, quod ab Anacreonte narratur, morti cum amore accidisse. Ambulabant, inquit, amor & mors singuli suo passu, & uterque in idem convenerat hospitium ad hospitandum & pernoctandum: mane facto maturè surrexerunt, ut cœptū prosequerentur iter; & quia nondum satis illuxerat, accidit ut pharetræ mutarentur: Et quia Amor accepit pharetram mortis, hinc venit, ut deinceps vulnera ejus forent lethalia. Idem in nostro casu eventurum dico non fabulosè, sed verè. Si amor ejacularetur sagittas odii, amare esset odisse: & si odium ejacularetur sagittas amoris, odisse esset amare. Illud ipsum itaque quod eventurum esset, est quod evenit: & idipsum, quod futurum fuisset, est id, quod est: inquit S. Augustinus. Amor enim amando malè odit, ac si odium esset; & odium odiendo benè, amat ac si amor esset: *Si malè amaveris tunc odisti; si benè oderis, tunc amâsti.* Est sententia expressa & sine variatione ulla ex Christi Textu deducta. Et ne Ly *admirabilis*, quod huic Arcano dedi per me impositum videatur, idem Augustinus hoc illi nomen imposuit: *Magna & mira sententia.*

S. Aug.

Suppositis duabus hisce veritatibus certis & evidentibus, in quibus hominum plurimi adeò decepti excœcatiq; agunt, se amare amarique putantes, quando & ipsi oderunt, & odio habentur: Ecce quàm facilis maneat executio, quamque leve & naturale omnium illarum veritatum exercitium, quæ in principio nobis difficultates, violentiæ, & tyrannides videbantur. Interrogo. Nonne multò facilius mihi est, non amare eum, qui me non amat, & odio habere illum qui me odit? vel maximè. Illud itaque nobis præcipit Deus. Quòd si amantes me, amant malè; hinc sequitur quod tam facile & promptum est mihi non amare me amantē, sicuti non amarem non amantem: malè enim amans, non me amat. Eodemque modo tam facile est odisse eum qui me amat, sicut odisse eum qui me odit; amor enim me malè amantis, tantùm absit, ut sit amor, ut potiùs horror sit & odium. Et si quis dixerit, me hac saltem via, non implere præceptum amandi inimicos, similiter malè infert & errat; illud ipsum enim odisse, & non amare, est illos amare. Probatio est manifesta, sed attentione indiget. Amare malè, est odisse: *Si malè amaveris tunc odisti.* Ergò qui amat me malè, me odit; & quia me odit, meus inimicus est. Estne meus inimicus? ergò ipsum amare teneor: *Diligite inimicos vestros.* Ipsum quà inimicum diligere teneor? ergo ipsum benè odisse obligor, sicut ille me amat malè: & si ego illum odi benè, jam illum amo: quia odisse benè, est amare: *Si benè oderis, tunc amâsti.*

§. VII.

Satis Philosophatum videtur, posito quod tota ista speculatio fuerit necessaria, quò perveniretur ad punctum in quo stamus. Ad ejus nunc praxin descendamus, quod magis est utile; exemplum ponamus in amicitiis, affectibus, & correspondentiis in mundo usitatis, pariterque in eis, quæ extra mundum malè usurpantur, ut doctrina perveniat ad omnes. Nullus amor magis est naturalis, licitus magis & ab omni suspicione remotus, quàm ille parentum ergà

filios. Nihilominus omnem excedit admirationem: quod magister divinus dicat, prout in principio diximus, quod qui non odit patrem suum & matrem suus nequeat esse discipulus: *Qui non odit Patrem & Matrem suam, non potest meus esse discipulus*. Post Deum diligere oportet parentes, qui post illum nobis esse dederunt; quonam igitur pacto dicit ipse Deus quod qui suus velit esse discipulus, proprios debeat odisse parentes? certè textus ille declaratione indigere videtur, & nemo dat meliorem quàm Sanctus Gregorius Papa. Amor parentum frequenter est inordinatus, legique Dei & amori non conformis. Non omnes Jephte sunt similes, qui propriam filiam immolavit; neque similes Abrahamo, qui suum non dubitavit immolare unigenitum. Quot ad successionem stabiliendam suæ domus & familiæ à statûs Religiosi ingressu filios suos impediunt, & ut filiorum gaudeant præsentiâ, Dei à se absentiam parvi pendunt? porrò Parentes, qui suam magis amant familiam, quàm meam animam; parentes, qui pluris faciunt suam obiectationem, quàm meam salutem; parentes, qui quoniam vitam mihi dederunt temporalem, impedimento mihi sunt, quo minùs vitam mihi assecurem æternam; considerate quæso, utrum amore an odio digni sint? felices vos Religiosæ, quæ amore Sponsi cœlestis generosè parentibus renunciastis terrenis; felices si illos consentientes deseruistis; multòque feliciores, si ipsis invitis, ab eis fugistis. Illi consentientes derelicti, suum in vobis sacrificarunt amorem; & vos violenter fugiendo ab invitis, vestrum in illis odium consecrastis. Hoc odio sancto Christus patrem & matrem odisse illis præcepit, qui vellent sui esse discipuli; & iste est honor, quo filii su[...] illis rependere debent amorem. Neque præceptum illud amandi parentes, illi odiendi eosdem Præcepto seu Consilio repugnat (inquit S. Gregorius) nam si illi me oderunt amando; justum est ut ego illos amem odiendo: *Quasi enim per odium diligitur, qui dum prava nobis suggerit, non auditur*. Illi me oderunt, malè me amando. *Si malè amaveris, tunc odisti*: ego amo illos odiendo, quia odi illos benè; *Si benè oderis, tunc amasti*. S.Greg.

Post amorem parentum (in quo omnes consanguinitatis gradus comprehenduntur) sub communi amicorum nomine intrabunt generaliter & decorè omnes alii amantes & amati. Quando amici veri erant amici, Professionis quoq; hujus nomen sacrũ erat, & venerabile: *Illud amicitiæ sanctum & venerabile nomen*. Sed postquam sincera amicitia, quæ inter choros virtutum honoratum adeò tenebat locum à sua dignitate descendit vitiis associata. Quis, quæso, amicus seu vocatus amicus est hodie, qui quemadmodum maximus sui ipsius est inimicus, non sit similiter amici sui inimicus? Tertullianus de certis quibusdam hæreticis loquens, qui resurrectionem carnis negabant; cùm nihilominus magni ipsius amatores essent, prudenter illos amicissimos carnis inimicos appellavit: *Inimicos carnis, & nihilominus amicissimos ejus*. Et sepositâ hæresi, quid sunt amici Usuales, nullam aliis inferendo injuriam, quid sunt, nisi amici inimicissimi, seu amicissimi inimici? si minus; dicite mihi vos juniores, (ut revereamur seniores) dicite mihi candidè confitentes, ad quid vobis serviunt, quos pro intimis amicis habetis? Tertull.

betis? qualesque sunt amicitiæ eorum? comitantur vos ad spectacula & comœdias; deducunt vos ad domos lusorias; domos infames & scandalosas; comitantur vos de nocte ad honoris alieni furta occultamve vindictam: secundos vestros sese offerunt in provocatione ad duella, quo vos ducunt jam excommunicatos, & mortuos seu periculosè vulneratos; Secretarii esse gestiunt omnium vestrarum curarum & cogitationum; omnium adinventionum, confusionum, stultitiarumque vestrarum, & effrœnium appetituum exequendorum Consiliarii: denique individui omnium criminum peccatorumque vestrorum complices & socii, certissimique ad infernum duces, cujus aditum vobis aperiunt, & expediunt; & hæc omnia tali fidei oblivione, rationisque contemptu, ac si alia non superesset vita, nec ratio reddenda, nec conscientia, nec anima, nec Deus. Etsi quantumcunque dixi, minus est illo quod subticeo, & vos scitis: Judicate utrum crudelior quispiam dari possit inimicus, magis inimicus quàm isti amici? non solum majores sunt inimici; verùm maximo majores: Maximus quippe inimicus semel tantùm corporalem vobis potest tollere vitam; & illi millies vobis vitam eripiunt animæ. Audite, quid illis dicat, quomodovè illos perstringat Sanctus Apostolus Jacobus.

Jacob. 4. v. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* Amicitiam vocat inimicam; nam sub nomine amicorum crudelissimi latent inimici; neque est inimicitia tam contraria; neque hostilitas tam immanis, tam perniciosa, tamque inimica, sicut istæ sunt amicitiæ. Sed extra ordinarium illud Adulterorum nomen consideremus, quo Apostolus Sanctus amicos illos indigetat, seu exagitat: quod non solùm amicis & inimicis est improprium; sed & illi ipsi sunt incapaces, ut nomen illud ipsis possit applicari. Adulterium non nisi inter tres committi potest: Inter Adulterum, propriam uxorem, cui legitimus negatur amor; & extraneam, quæ illicitè quæritur & adamatur. Si igitur actus ille tragicus repræsentari nequit tribus nisi personis: Si adulterium committi nequit nisi inter tres, quomodo adulterium inter duos tantùm amicos, & istos quidem à se invicem amatos, concordes, & non offensos, seu odio habitos dari potest? hinc Apostolus illos vocando adulteros, simul ignorantes appellat. *Adulteri nescitis:* Quia nesciunt, quod amor eorum sit horror; eorum consensus, discordia; eorum fidelitas proditio; omnisque eorum amicitia maxima sit inimicitia. Adulter affectus suos seu amores inter duas dividit: unam abhorret, alteram amat: unam contemnit, alteram magni facit; unam contristat, alteram oblectat; uni est infidelis, alteri fidelitatem ostendit; unam per omnia velut amicam, alteram velut inimicam tractat. Et omnia illa contraria, quæ in adulterio inter duo dividuntur subjecta; in falsa hac & adulterina amicitia, sese consociant & concurrunt in uno solo, quod reciprocè quilibet est falsorum amicorum. Quoniam eorum amicitia est inimica; & amor eorum non est amor sed odium; Idem, qui quà amicus, amatur, æstimatur, defenditur, favoribus gaudet & servitiis, bonisque apparentèr fruitur; Idem quà inimicus odio habetur, offensas & persecutionem patitur, malè tractatur, & opprobrio habitus omnia mala

odii experitur. Et omnium horum tam contrariorum & sibi junctorum effectuum finaliter ratio non est alia, quàm à nobis jam dicta. Amicorum talium amicitia & sic se amantium amor, quia malè se amant, verum est odium. Quid igitur mirum, cùm vero inter se odio flagrent, malè sibi velint, & faciant? Idem quod volunt faciunt; quia si facerent benè, vellent benè: Sed qui vult malè, & facit malè, quia malè amat; non potest velle benè, nec facere benè, sed benè odisse: *Si benè oderis, tunc amâsti: Si malè amaveris, tunc odisti.*

§. VIII.

TEmpus est colligendi retia & quot forrassis invenientur cordaiis irretita & capta? sed si pisces inter omnia animantia magis bruti, tantam vim retibus inferunt, ut ea lacerent, seque expediant; quænam quæso anima tam erit irrationalis & insensata, ut cùm captivitas sit lethalis, uti revera est, captivitatem malit quàm libertatem? Quod possidetur cum amore (ait S. Bernardus) non deseritur sine dolore. Et quis hodiernus erit dolor (sed quæ lachrymæ tam felices & lætæ) si omnibus sese amantium cordibus, generalis facienda esset ab invicem segregatio: huc totus meus, quem audîstis, tetendit Discursus. Porrò si auscultâstis illum, prout petii, intellexistis utiq; quàm facilè quis se resolvere possit, quod vobis persuadere intendi. Non dico, ut amantes se, amare se cessent; & qui benè sibi volebant, malè sibi velint: Sed tantùm dico, ut si se amabant, se ament; si volebant sibi benè, sibi non velint malè. Conveniant igitur se amando, qui se amant; sed ament se prout debent, & quemadmodum utrimq; expedit. Qui dicit quod me amet, quia sic putat, vel mihi vult benè, vel malè: si mihi vult malè, amabo illum veluti Christianus: *Diligite inimicos vestros:* si vult benè amabo illum uti hominem, omnis homo seu gentilis, seu Christianus, amantem se amat inquit Christus: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, nonne & Ethnici hoc faciunt?* In doctrina nostra, quæ tota ejusdem est Christi, utrumque multò videtur facilius. Se amare malè, est odisse; quam difficultatem habet, odisse me odientem? & si odisse benè, est amare; quænam difficultas in amando amantem? hinc dico ut se ament, qui se amant; sed taliter ut se ament benè, & non faciant sibi malè. Matth. 5. v. 46. & 47.

Verùm quia in hac separatione (quæ est necessaria) Personarum, & in hac commutatione (quæ voluntaria esse debet) in aliquo amando, vel alterum redamandi modo; nec malè amati conquerentur de iis qui se benè oderunt; neque odio habiti benè, de iis qui se malè amabant. Consolentur se utrimq; querelâ istâ Davidis quam faciebat de illis, qui eodem casu contrà se deponebant; *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* q. d. perfecto odio odivi eos quos debebam odisse, & ipsi illud tam malè intellexerunt, ut idcircò sint mihi facti inimici. Psalm. 38. v. 22.

Si vos illos odio habuistis, quid mirum, quod illi vos oderint? & si vos illos abhorruistis, quid mirum quod illi similiter vos abhorreant, & ex amicis in inimicos convertantur? Multum est (inquit David) & qui aliquantulum intelligit, quantum inter odium & odium intersit. Odium quo illos odi, odium fuit perfectum: *Perfecto odio oderam illos:* & odium perfectum est amor verus. Si igitur ego

ego illos vero amavi amore, & hic est odii perfectio quo illos odi; quænam illis justa fuit causa, ut mei fierent inimici; *Et inimici facti sunt mihi.* Nulla igitur subest causa conquerendi, quo ad odium hoc perfectum; nec illis quidem qui non profitentur perfectionem, illi enim similiter obligantur ad conscientiam: nec illis (& quidem multò minus) qui eam profitentur; esset enim committere sacrilegium, & consentire & concurrere ad aliud, cum duplici offensâ & injuria (ne dicamus scandalo) perfectionis ejusdem. Porrò omnes, qui se malè amabant, & odio habebant, in hac imperfecti illicitiq; amoris, cum odio perfecto & sancto mutatione, & sibi ipsis & proprio amori congratulari oportet; non enim justior jucundiorque congratulatio esse potest, quàm quando quod erat malum, conversum est in bonum; & quando incipiunt se amare benè sine dolo, qui delusi & cœci se amabant malè.

Et si nomen odii (quod semper odiosum est) quamvis sit odium perfectum, quendam illis horrorem ingerat: Divinâ suavitatem audiant, quâ suprema Veritas, ipsiusque Christi Sapientia, omnem istum metum alio majore ipsis sustulit: *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit eam, in vitam æternam custodit eam.* q.d. Nonne melius est odium, quod salvū me faciet, quàm amor qui me perdet? nonne melior est Theriaca amara, quæ mihi dat vitam, quàm dulce mortem inferens venenum? Tale quid igitur est amor, & venenum, quod Medicus divinus reprobat & damnat: & tale quid est odium & Theriaca quā præscribit, approbat & recommendat. O quàm insipidus, & irrationalis omnis est amor inordinatus? Nunquid stultiùs quippiam dari potest, quàm, pluris facere infirmitatem, quàm salutem, & mortem, quàm vitam? si malè vos amatis, animam saltem vos amantem ne occidatis. *Animam suam*, in lingua, quâ loquebatur Christus, significat animam, vitam & personam. Enim verò quare vos amans contentus non erit, si sic ametur à vobis, uti vos amatis vestram animam, vitam & personam? Istud non est non amare vel odisse, nec Christus hoc exegit, quando dixit ut minùs nos amaremus, sed ut vanam se amantium verificaremus exaggerationem. Tunc amantem vos, tanquam vestram amabitis animam, tanquam vestram vitam & tanquam vos ipsos in anima & corpore, ubi amaveritis, & zelati fueritis æqualiter, ipsius ac vestram salutem: quæ non nisi odii hujus beneficio obtinetur, & obtineri potest: *Qui odit animam suam, in vitam æternā custodit eam.*

Joan. 12. v. 25.

Considerate, si fidem habetis, illud, *æternam.* Vita ab hoc odio dependens non est alia, quàm æterna. Hæc per Amoris perditur quatriduum: & hæc eadem per aliud quatriduum Odii assecuratur in æternum. Et quid dicent & cogitabunt, quasi se ament benè, qui tantùm ad se amandum, non amant summum bonum? nonne credimus, quod nos amamus & nō odimus, quando pro cœlo nos odio habemus, & quòd sic diligendo nos diligimus pro inferno? Si vos amatis, & amari tanti æstimatis, amore proprii amoris vestri desistere, affectusque inter vos & illum suspendere oportet; si enim in cœlum iveritis, vos ipsi qui vos jam amatis, ibi vos amabitis æternùm; & è contrario, si contigerit vos ire in infernum (quod Deus avertat) ibi immortali vos odio pro-

prosequimini, quoúsque Deus erit Deus. Consultumne igitur videbitur, pro aliquo falso paucorum dierum amore, verùm totiùs æternitatis perdere amorem; & ut iste amor, quo vos amatis (& solùm, quia vos amatis) in odium æternum convertatur?

§. IX.

Enim verò, quamvis nec infernus, nec Paradisus, nec Christianitas esset nec Religio; intellectum rationemque habere sufficeret, ut apprehensio ista & chymera, quæ amor dicitur, tanquam extrema stultitia detestanda odioq; habenda appareret. Si in mundo foret amor, & supra mundum (ut dixi) non esset cœlum, nec subtus mundum infernus, amare vobis indulgerem: sed perdere, non dico jam animam, de qua modò loquor, sed libertatem, quietem, vitam, & cor triste ad perpetuum curarum, confusionum & tormentorum condemnare martyrium, semperque tortum incedere & cruciatibus absorptum, pro aliqua imaginatione phantasticâ illius quod non est; nec stultitiæ, nec cœcitatis nomen, istum tam pœnosi doli labyrinthum declarare potest.

Et ne decipiamini putantes esse amorem; & speciosum istud nomen, quamvis videatur esse purum, esse falsum videatis: In sexu utroque ponamus exemplum, ut omnes errorem detectum agnoscant, ne viri in fœminis, neque fœminæ decipiantur in viris. Nunquid in viris quispiam magis perditus Adamo per Evam? adeò deceptus ut pro medio pomo totum dederit mundum: & non tam pro pomo, quàm pro manu, à qua veniebat. Sic deceptus ut perdiderit Paradisum, perdiderit seipsum, perdiderit nos omnes, omnemque ex se descensuram progeniem; ne levi careret blandimento imaginario illius quam valde amabat. Sed quemadmodum Adam deceptus fuit pomo, sic proprio quoque similiter deceptus fuit amore. Aderat occasio ostendendi qualis esset, moxque eandem tam grossè prostituit excellentiam; ut cum præceptum esset sub pœna mortis, ad hanc evadendam accusavit Evam: *Mulier, quam dedisti mihi.* Gen. 3. v. 12. In quantum pœnam legis, esse tantùm comminationem, magnasque amoris apparentias (quia omnia, quæ diximus, nonnisi apparentiæ erant) excellentiam putavit: verùm mox ut vidit ad executionem procedi: liberet me Deus semel, & patiatur Eva in nomine Domini. Ergóne, Adam, tales tui fuerunt amores, tuæ excellentiæ, & tam affectuosa tua extrema? talia erant. Illa erant Adami, illaque omnium posterorum ipsius sunt similia: ut in prima muliere discant mulieres, & in primo viro detecto dolo veritatem cognoscant omnes.

Et unde viri mulierum cognoverunt amorem? non est necesse exemplum repetere, quod in amatrice Josephi jam vidimus. Non attendit dignitatem, cùm esset Principissa; nec fidelitatem matrimonio juncta, neque imparitatem, cùm illa Domina, & hic servus esset; quia nihil horum videbat. Hinc Scriptura sacra dicit, non quod oculos direxerit in Joseph, sed quod miserit illos ut attraheret: *Injecit oculos in Joseph.* Gen. 39. Ad significandum, quod in omnibus, quæ fecit & prætendit adinstar cœcæ fuerit operata. v. 7. Verùm mox recuperato visu, amoris falsitatem deprehendens, se vindicatura quasi Eva, idem quod Adam dixit Deo; illa dixit ad maritum: *Ingressus est servus Hebraus,* Gen. 16. v. 17.

bræus, *quem adduxisti, ut illuderet mihi.* O fallax! ô infidelis! ô perfida! ô fœdifraga! verùm in hoc nunc tantùm verax, quando cordis tui perversitatem, internam inconstantiam, & mutabilitatem detexisti, quâ Josephum decipiebas tibique ipsi mentiebaris. Sed quid mirum, quod tam subitò scenam mutârit amor mulieris, quando primus similem tragœdiam vir exorsus est? si viri aliud exemplum desiderent, amorem Dalilæ erga Samsonem ad mentem revocent. Et si mulieres similitèr exemplum aliud velint; amorem Amnonis erga Thamar ad memoriã reducant; quæ eodem die summo adamata amore, eodem quoq; die summo fuit odio habita. Hoc modo vir, virũm omni honore dignissimum sese præstare obligatus, Illustrissimam Israëlis Fœminam tractavit: & hoc modo mulier famosissimo mundi viro, cui fidem promiserat, amorem rependit.

Audio quidem, mulieres & non viros inconstantiæ notâ laborare; verùm hi illarum sunt filii. Ecce quàm benè illud Job notavit, cùm vir esset. *Homo natus de muliere nunquam in eodem statu permanet.* Sed si omnis homo de muliere & de viro nascitur, quare Job illum de muliere tantùm natum appellat? *Homo natus de muliere?* Quia viri quoad sexũ egrediuntur à patribus, & quoad inconstantiam à matribus. Sed ex hoc ipso colligitur, quod Viri inconstantiâ mulieres adæquent: Viri quia talium matrũm filii; & mulieres, quia talium filiorum matres sunt: *Homo natus de muliere.* Mulier inconstans ex conditione; Vir inconstans ex nativitate: Mulier velut Luna per naturam; & Vir velut mare per influentiam. Ecce quid Christus mulieri Samaritanæ dixerit. Illa non solùm erat ex prudentioribus de quibus legitur in Evangelio, sed sapientissima, propter quæstiones quibus cum Christo contendebat. Et quid Christus illi dixit? *Quinque viros habuisti: & quem nunc habes, non est tuus Vir.* Quinque igitur successivè maritos habuit una sola mulier, & non provectæ ætatis? Hîc amoris humani patebit inconstantia. Verùm considerate quod fortè non advertistis. Vel Samaritana dimisit quinque, vel à quinque fuit dimissa: si illi dimiserunt eam, in amore virorum confidite, & si hæc dimisit eos, quis mulieris amori credet?

Job. 14. v. 1. & 2.

Joan. 4. v. 8.

Benè igitur infero & concludo, illud quod amor vocatur, in mundo, non esse neque dari à parte rei; esse Chymæram, esse mendacium, esse fraudem, esse imaginativæ infirmitatem; & hinc sufficit esse tormentum. Majusne dari potest tormentum, quàm amare saltem in perpetuo dubio, in perpetua suspicione, an amemur vel non amemur? Istud igitur est infernus sine redemptione, ad quem se condemnant qui humanitùs amant, tantóque ampliùs, quantò magis amaverint. Auscultate verba nonnulla, quæ jam audistis sæpiùs, sed ea consideratione, quam nunquam advertistis: *Fortis est ut mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Quod sic declarat textus Originalis Hebraicus, Græcus, Syriacus, & Arabicus. *Crudelis sicut infernus Zelotypia.* Omnes nôstis, mortẽ, quæ est transitus, duos alios subsequi terminos, à quibus non transitur: Infernum vel Paradisum. Si igitur amor est sicut mors: *Fortis est ut mors dilectio:* Quare similiter post amorem non sequitur paradisus vel infernus, sed infernus tantùm; *Dura sicut infernus æmulatio?*

Cant. 8. v. 6.

Quia hujus vitæ & mundi amor est mors, quæ tantùm habet præscitos, & non prædestinatos: est mors, quâ mediante semper itur ad Infernum & nunquam ad Paradisum. Paradisus amoris (si esset) esse deberet, amare semper & amari, & cum certitudine, quod nunquã odio foret habendus. Verùm sicut nõ datur, nec esse potest in Mundo amor iste, & certitudo; sed dubia, anxietates, diffidentiæ, timores & suspiciones, utrum amer nec ne; utrum minus amer quàm ante, vel quod amorem mutent cum alio, vel alius idem prætendat, quod ego amo: in quo variis modis immanissimum Zelotypiæ tormentum consistit; ista Zelotypia semper anxia, semper credula, semper imaginationi hærens, & nunquam pacata, ista inquam infernus est inevitabilis, ad quem se damnant omnes amantes, & in quo durè torquentur sine fine & remedio: *Dura sicut infernus æmulatio.*

Si igitur, id quod in hoc mundo vocatur amor, benè consideratum & perspectum, oculisque apertis arbitratum est infernus, quid, quæso, erit si huic inferno, illum vitæ alterius adjunxerimus, in quo ardent & ardebunt tot infelices animæ, quæ, quia non amandum amârunt, non considerârunt quod ad illum se æternùm damnarent? Verùm gratiæ divino sint Magistro, nostrarumq; cæcitatum illuminatori; quod earum labyrintho & abysso extricare se volenti tempus adhuc suppetat, duos istos infernos, in totidẽ commutandi Paradisos; unum hîc, alterum in Cœlo. Vero abhorreamus amore, quod vero amabamus odio: verum sibi velint bonum, qui verè sibi volebant malum Et ut ab hoc momento præsentem ingrediamur paradisum à pœnis curisq; vacuum, illum tantum supremum diligamus. Amantem quĩ sicut certum est & de fide, unam nostram voluntatem, geminâ suâ divinâ scilicet & humanâ remunerabit: tam fidelis, tam constans, tam amans, ut quotquot ipsum vero, quamvis finito amore diligunt, ille nunquam immenso infinitoq; amore redamare cesset: *Ego diligentes me diligo:* dixit ipse Christus. Porrò S. Bernardus Religiosis suis prædicans certitudinique fidei evidentias suas, quas expertus fuerat consocians, dicebat: *Ego amans, amari me dubitare non possum, non plus quam amare.* Ego quando Jesum amo, nullo modo dubitare possum, quin etiam redamer ab illo; tam securus de amore ejus quem non video oculis, quàm certus de amore meo quem sentio in corde.

prov. 8. v. 17. *S. Bern.*

Quod cum ita se habeat, & idem sit Christus, & nos Christiani & fide prædití: unde est quod tanta nostra sit vesania, ut non amemus illum, nostrumque cor alieno impendamus amori; & animæ dentur ratione gaudentes, tam insensatæ, Deoque inimicæ & sibi, ut in semetipsas talem exerceant inhumanitatem, & talem contra Deum committant despectum: Despectum dico, sub nomine despecti & rejecti; idem de nobis lamentatur Christus. Apparuit Christus Dominus noster S. Brigittæ vultu pudibundo & confusione pleno, & quasi verecundus sequentia illi verba sensibiliter dixit: *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus repulsus sum, quia nemo me in amore suo habere desiderat.* Reverâ qui hisce verbis non compungitur, neque Filio Dei, neque tam justè querulo amori ipsius compatitur, nec Christianus, nec homo est. Et quid foret, si despicientium & repellentium ipsum numero accenseri mereremur?

Revel. S. Brig.

Do-

Domine, Domine, ne, quæso, tale quid bonitas tua admittat; neque tam severè nos justa amoris tui indignatio puniat. Omnes ad pedes tuos prostrati pœnitemus, non quod illum despexerimus, nam semper amorem illum velut nostrum æstimamus & veneramur; sed quod illum tam cœcè offenderimus, nostram confitemur cœcitatem, nostram confitemur ingratitudinem, tuâ solùm misericordiâ minorem. Illa nos ex piissimo corde tuo adjuvet; & nos cum omnibus nostris, adjuramus, abrenunciamus, anathematizamus in oblivionem sempiternam, omnem alium affectum, omne aliud desiderium, omnem aliam cogitationem, quæ non fuerit de te solo amando & desiderando. Moriatur in hac hora, & in generali hac resolutione finietur semper omnis amor, qui non fuerit de Jesu. Et cognoscat & intelligat omnis alia affectio, visio, conversatio, vel correspondentia humana, quod non nisi cum horrore amabitur in terra: ut falsus brevisque amor in verum conversus continuetur æternùm, & infinitus perseveret in cœlo. Amen.

SERMO
De
Catenis Sancti PETRI
Romæ

Dictus in Ecclesia Sancti PETRI, in quo Sermone Prædicator ex statuto obligatur ad tractandum de Providentia. Anno 1674.

Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Matth. 16.
Vinctus catenis duabus. Actor. 12.

§. I.



S. JOANNES in sua Apocalypsi vidit Angelum manu unâ clavem, alterâ verò catenam habentem: *Habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.* (Apoc. 20. v. 1.) Et quis, ô Roma, iste fuit Angelus, nisi tuus magnus Custos Petrus? Petrus cum clavibus in manibus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* (Matth. 16. v. 19.) Et Petrus cum manibus in Catenis: *Vinctus catenis duabus.* (Act. 12. v. 6.) Ibi visus fuit cum clave una in manu, & catena in altera: sic enim esse oportebat. Hodie

 verò

verò ipsum cum clavibus in utrâque manu, & cum utrâque manu in Catenis habemus; venturum quippe erat tempus, quo sic fieri oportebat. Hocce, Auditores, indignissimum est spectaculum quod unquam vidit mundus; & quod ego eminùs, cum dolore aspicio: Vos verò cominùs cum admiratione intuemini. Petrus cum clavibus in manibus, & cum manibus ligatis. An putas Herodes, Christum Vicario suo tradidisse claves ad tolerandam simul cum eis Catenarum servitutem? Dominus sit & Captivus? Liber & Ligatus? potens & sine potestate? nullâ ratione. Scio equidem claves Petri etiam Catenas esse, sed Catenas quibus solvat, & non quibus ipse ligetur. Notate textum: *Tibi dabo claves regni Cœlorum; & quodcunque ligaveris, erit ligatum; & quodcunque solveris, erit solutum.* Supremus legislator tale regni sui gubernaculum esse voluit: Regimen quod ligaret & solveret; & non regimina quæ nec ligant, nec solvunt. Verùm si potestas Petri consistebat in Clavibus, *Tibi dabo claves*, Christus videtur dicere debuisse: Quicquid reseraveris erit apertum; & quicquid obseraveris erit clausum. Quare igitur non dicit; quod occluseris, vel aperueris; sed quod ligaveris vel solveris? Ut Claves Petro traditas etiam Catenas esse ostenderet; sed Catenas ad ligandum solvendumque alios si voluerint: & non Catenas, quibus ille ligaretur, qualem illum hodie videmus: *Vinctus catenis duabus.*

Matth. 16. v. 19.

Agedum, Auditores, quid ad Clavium harum & Catenarum conspectum mihi faciendum: nisi etiam ligatus essem, & libera mihi foret discurrendi facultas, orationem præsentem in duas libenter dividerem invectivas, justitiâ, ratione, & irâ armatas contra bina illa Sacrilega monstra, quæ diversis temporibus & locis, primâ & secundâ Catenâ Petrum capere & ligare fuerunt ansa. Unâ te exagitarem invectivâ, Herodes, qui fuisti Nero Jerosolymis: & alterâ te, Nero, qui fuisti Herodes Romæ. Verùm quia hodie Cathedra obligat, ut Sermonis argumentum sit de providentia; eadem providentia quæ Petro tradidit claves, eundemque catenis ligari permisit, gloriosè solvet, quod nobis implicatum videbatur. Catenis alligabo Claves, & Clavibus dissolvam catenas: porrò sicuti clavium catenarumque materiâ tota est ex ferro: Imago, quam formabo de providentia, si minus fuerit pretiosa, & splendida, saltem solida erit, & valida. Deus cujus idea est, suâ mihi assistat gratiâ. Ave Maria.

§. II.

Tibi dabo Claves Regni Cœlorũ.

Divinæ Providentiæ, in creaturarum suarum gubernatione ordo Hierarchicus, est gubernare Superiores & subditos; sed subditos per Superiores; Superiores verò per se ipsum. Utrumque in Clavibus S. Petri & Catenis habemus. Toti orbi Christiano non nisi unus præest Superior, & in eodem non nisi unus est subditus: unus Petrus, & una Ecclesia. Istum verò Superiorem, & istum subditum; istum Petrum & istam Ecclesiam quis gubernat? Ecclesiam Petri Providentia gubernat qui Clavium potestatem habet. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum:* Petrum, Christi providentia gubernat, qui illum ab Herodis catenis liberavit: *Ceciderũt catenæ de manibus ejus:* Ista est sublimissima delineatio, & hæc securissima est Providentiæ divinæ fabrica. Ecclesia secura *Act. 21. v. 7.*

cura sub providentia Petri & Petrus securus in providentia Christi.

Casus sanè fuit admirabilis,& hinc ab ipsomet Historiographo sacro notatus & animadversus; quod Petrus custodiis circumdatus,catenisque ligatus duabus,ipsâ nocte diei illius quâ educendus erat ad mortem,velut omni curâ metuq; vacuus dormierit: *In illa nocte erat Petrus dormiens.* Et si à terra transierimus ad mare non est minore admiratione dignus casus, quod periclitante Nave Petri in tam terribili tempestate Christus in eâdem navi dormiverit. *Ipse verò dormiebat.* Christus & Vicarius ejus ambo dormientes? Christus dormiens in medio tempestatis,& Petrus in medio custodûm & catenarum; & ambo præsente morte, sine solicitudine? Ità planè. Sæviente tempestate dormit Christus,quia navis secura est providentiâ Petri: & in catenis dormit Petrus,quia securus est in providentia Christi. Sub providentia Christi dormit Petrus ad sonitum catenarum : & sub providentia Petri Christus dormit ad sonitum tempestatis & undarum.

Ibid v.6.

Matt. 8. v.24.

Si,quod dico,metaphora tantùm vobis esse videatur, vertamus scenam & theatrum,& personæ mutentur. Christus sit ille,qui erat in catenis, & Petrus qui in tempestate. Eâdem illâ nocte obscurissimâ,qua Christum sui captivârunt inimici,eodemque loco quo fuit captus,eadem Petri navis tam furibundæ exposita fuit tempestati,ut navis, nauclerus, & socii omnes in præsentissimo naufragii versati fuerint periculo, parumq; abfuerit quin penitùs perirent omnes. Quid tam extremo in discrimine providentia Christi fecit? *Ego autem rogavi pro te Petre. Pro te*, inquit, mi Domine? & quare non pro aliis? nonne dixisti omnibus: *Omnes vos scandalum patiemini in me istâ nocte?* si periculum naufragiumque imminebat omnibus, omnesque fermè in ruinam præcipitati, quare pro solo rogas Petro? Quia Petrus providentiâ regebatur & protegebatur Christi, alii sub providentia agebant Petri. Idem textus affirmat: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* Notate benè illud *Ego*,& *Tu*. Ego tui curam gessi, Tu aliorum geres: *Ego autem rogavi pro te:* Ecce providentiam Christi erga Petrum: *Tu confirma fratres tuos:* Ecce providentiam Petri erga reliquos.

Luc.22. v.32.

Matt.26 v.31.

Luc.22. v.32.

Enim verò si utramque, illam Christi, & hanc Petri providentiam miraculosè practicatam clariùs adhuc intueri lubet, maris ingrediendo sinum, quid fecerit Christus, quidque fecerit Petrus, in eâdem uterq; nave, quando mari fuit commissa,contemplemur: *Erat navis in medio mari.* Christus in navi erat S. Petri, nonnihil remota à terra; & postquam prædicâsset turbis, quæ confusa in multitudine ipsum audiebant in littore,sublatis anchoris Christus jussit Petrum in altum ducere: *Duc in altum.* Silentio hîc transire fas non habeo, quod hîc S. advertit Chrysostomus; hæc enim Cathedra in loco,in quo nunc videtur,est sua.Qui sese alto committit mari, terram è conspectu perdit: & hinc (inquit Chrysostomus) mandat Christus Petro ut ducat in altum: *Duc in altum.* Quando enim navis Petri ex oculis & conspectu perdiderit terram, feliciter navigabit. Ita hoc S.Archi-Episcopus Constantinopolitanus,prædicavit, quando orbis duobus adhuc Capitibus in temporalibus regebatur: & similiter

Marc.6. v 47.

Luc.5. v.4.

NB. Capella Ecclesiæ S.Petr. in qua hac die prædicatur: est S.Joan. Chrysostomi.

Romæ id ipſum Eccleſiaſticè prædicare poſſet. Verùm ad meum revertendo propoſitum, quod in verbis illis, *Duc in altum*, conſidero, eſt verbulum illud, *Duc.* Enim verò ſi Chriſtus in eâdem Petri moratur navi, quare mandat Petro, ut ducat, & non ipſe perſonaliter ducit? quemadmodum Chriſtus in Officina Joſephi propriis manibus trahebat ſerram, ſic in navi Petri ſine dedecoris periculo, manum admovere potuiſſet gubernaculo. Quare igitur Chriſtus hîc exercet officium Gubernatoris; & non Chriſtus, ſed Petrus gubernaculum regit navis? quia hic eſt ordo, & utriuſque Providentiæ ſubordinatio. Navis ſubordinata Providentiæ Petri, & Petrus ſubordinatus Providentiæ Chriſti. Petrus Gubernator navis; & Gubernatoris Gubernator Chriſtus: *Duc in altum.* O admirabilem univerſalis Eccleſiæ regiminis Providentiam! navis una, & Gubernatores duo. Apoſtoli remigabant, ſed mandante Petro; & Petrus gubernaculum regebat, ſed mandante Chriſto: Petrus gubernabat planè: ſed gubernatus gubernabat. Navis dirigebatur à gubernante Petro: ſed Petrus gubernabat dirigente Chriſto: *Duc in altum.*

Verùm enim verò, dicet fors aliquis & rationabiliter vel apparentèr ſic, quod ſimul Chriſtus & Petrus tunc in eadem fuerint nave, nec mirum eſſe, quod tum temporis tam benè fuerit gubernata à **Petro.** Sed poſtquam Chriſtus aſcendit in cœlum, & Petrus ſolus manſit in mari, quomodo in navi & Navarcho duplex illa erit providentia? Eadem illud verba innuunt: *Duc in altum.* Navigatio in alto mari verè eſt admirabilis: *Maria undique, & undique cœlum.* Et nihilominus in immenſo iſto campo ſine veſtigio, ſine ſemita, ſine platea Navarchus quaſi per filum ducit navim: non ad remotiſſimos ſolùm hemiſphærii hujus Horizontes, ſed ad abditiſſimum Antipodarum portum. Et quomodo illud facit, ſeu facere poteſt Navarchus? Ille gubernando in mari, & gubernationem habendo ex cœlo. Navarchus accepto Aſtrolabio in manus, altitudinem dimetitur Poli, vel (ut ajunt) explorat Solem: & hoc modo Navarchus gubernat navem, & Sol gubernat Navarchum: Ita ut Gubernator navis agat in mari, & Gubernator Navarchi agat in cœlo. Et idem ipſum agitur in Eccleſiæ Regimine. Quamvis Chriſtus aſcenderit in cœlum, & Petrus manſerit in mundo; Petrus è puppi navis gubernat mundum: & Chriſtus è Zodiaco cœli gubernat Petrum.

Eiſdem in clavibus, iiſdemque in Catenis Petri illud contemplemini. Quando Chriſtus Petro dedit Claves, & quando eundem à catenis liberavit? claves illi tradidit, antequam exiret ex hoc mundo; nam Providentia Petri erga Eccleſiam manſit in terra: & de catenis illum liberavit, quando multo jam tempore ad Patris dexteram conſidebat; Providentia enim Chriſti erga Petrum eſt in cœlo. In ſumma, ut gemina hæc ſit Providentia, quâ Monarcha & Monarchia Eccleſiæ gubernetur in mundo, & ſupra mundum: in mundo immediatè per Petrum, quod in clavium monſtratur poteſtate: *Tibi dabo claves regni cœlorum*: & ſuper mundum immediatè per Chriſtum, quod in catenarum ſuarum ſolutione probatur: *Ceciderunt catenæ de manibus ejus.*

§. III.

§. III.

VErùm in Auditorio tam docto, tamque perspicaci, quasi vacillantem video Discursus mei soliditatem; eisdemque ex Clavibus & Catenis duo validissima conflari argumenta: alterum contra Providentiam Christi respectu Petri: & alterum contra Providentiam Petri respectu Ecclesiæ.

Exordiamur à Catenis, ut finiamus in Clavibus. Certum est, Christum liberâsse Petrum à catenis Herodis in Jerusalem: nec minùs certum est, non liberâsse eum à catenis Neronis Romæ: Ergo Providentia Christi, quam supponimus, erga S. Petrum ad minus dubia minusque secura videtur, & talis, ut non videatur ejus. Providentia quippe ad omne tempus, locum, & periculum se non extendens; Providentia nunc recordans, aliàs obliviscens; nunc succurrens, nunc destituens; jam providens, & aliàs negligens, non est Providentia. Sic est, sed sic non fuit: totum concedo, totumque nego. Providentiam non continuam & permanentem, non esse providentiam concedo: Providentiam verò Christi quæ in catenis Herodis cœpit & resplenduit, non æqualiter in catenis continuâsse & permansisse Neronis, Nego. Et quare? quia tantæ Providentiæ fuit, quod Christus Petrum non liberârit à catenis Neronis, quantæ fuit illum liberare à catenis Herodis. Videte utrum probemus.

Joseph bina vice captus fuit, semel in Chanaan per invidiam odiumque fratrum suorum; & alterâ vice ex punitione & ignorantia Domini sui. Ex secunda captivitate liberavit eum Deus; ex prima verò minimè; captivus enim abductus est ac venditus & traditus Ismaëlitis. Et quid hinc sequitur? num fortassis, quod in una captivitate illi astiterit, in altera verò divina illum Providentia dereliquerit? nequaquam, inquit Textus sacer: rationemque addit: *In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni.* Sap. 10. v. 14. Nunquam Providentia divina dereliquit, neque deseruit Josephum in suis catenis, quousque mediantibus utrisque ipsum eveheret ad Principatum. Ita ut Providentiæ effectus, non diversitate mediorum, sed unitate finis foret metiendus. Providentiæ divinæ finis erat, Josephum ad Imperium evehere Ægypti, cui ipsum destinaverat: & tantundem Josephi dependebat fortuna ab eo ut ab una captivitate liberaretur, quantum ab eo, ut non liberaretur ab altera. Si Deus ipsum à captivitate Chanaan liberâsset, nunquam in Ægyptum devenisset: Et si ipsum à captivitate Ægypti non liberâsset, ad Imperium nunquam ascendisset. Necessarium igitur fuit Josephum ab unis liberari Catenis, ab aliis verò minimè. Ad quid? ut Deus & Joseph consequerentur simul: Joseph per Deum media suæ fortunæ: & Deus in Josepho finem suæ Providentiæ. Porrò si eadem Providentia Josephum de utrisque non liberavit catenis; quare tantundem non crederemus de catenis Petri?

De fine tantùm dubitari potest, qui in rem meam valde est evidens. Intentio Herodis erat S. Petro amputare caput, sicut fecerat Jacobo: *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Act. 12. v. 2. Noluit autem Providentia Christi Petrum gladio trucidari, sed eum secum ad mortem Crucis exaltare. Christus cruci erat acclavatus, quando Judæi blasphemantes,

clamâ-

Matth. 27.v.43. clamârunt : *Confidit in Deo : liberet nunc, si vult, eum.* Cùm tantam in Deo habeat fiduciam, quare nunc non liberat eum ex manibus nostris ? istud tunc dixit infidelitas, idemque nunc propriè magis & congruentiùs dicere posset fides. Crudeli Herodis ambitione, recens nati Regis nece, sibi volente assecurare coronam, sic pro Filii sui vita æterni Patris vigilavit Providentia, ut ex illo sanguinis diluvio, quo tot millenæ periêrunt innocentes animæ, illum liberârit & salvârit. Si illum liberavit tunc, quare illum etiam non libetavit nunc? dicere, quod liberaverit eum, quia morti voluit subducere, non potest esse; nam ab Incarnationis suæ instanti, imò à principio sine principio æternitatis idē Pater eum voluit mori. Si igitur moriendum ipsi erar, quare manibus Herodis in Bethlehem occidi non permittit? & si denuò ipsū liberare decreverat, quare Jerosolymis eū de manibus Judæorū non liberat: *Liberet eum*? Quia eadem Providentia, quæ primâ vice Christū eripuit, nō omninò à morte exemit; sed ut præservatum à morte obscuriore, mori permitteret morte gloriosiore. In Bethlehem, ubi notavit Sanctus Augustinus, Christus mori debuisset gladio, in Jerusalem moriebatur in Cruce. Et quia Providentia Patris ad magis exaltandum filium, decreverat ut moreretur in cruce (*Mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*) Propterea liberavit eum in Bethlehem de manu Herodis : & non liberavit in Jerusalem de manibus Judæorum. Philip. 2.v.9.

Similis fuit Providentia Christi erga S. Petrum, quando illum liberavit, & quando illum non liberavit. Liberavit illum à catenis Herodis ne moreretur gladio sicuti Jacobus : & non liberavit à catenis Neronis, ut moreretur in cruce sicut Christus. Gladius & crux eodem die prodiêrunt in theatrum in eadem Roma. Utraque impietatis Neronianæ sacrilega fuêre instrumenta ; ambo vitam eripuêre duobus maximis Athlantibus Ecclesiæ ; sed gladius Paulo, & Crux Petro. Paulus decollatus, ut cognosceret hæresis hodiedum adhuc obstinata, quod Romæ, & in Ecclesia non possint duo esse capita : & ut idem Paulus capite imminutus prædicaret, palamque faceret mundo, se in terra minorem esse Petro. Transiens hodie Pontem Tiberis observavi Paulum cum gladio stare ad dexteram ; & Petrum cum Clavibus ad sinistram : Idipsum verò affirmat & probat hoc quod dico Quod Petrus digniorem locum cedat Paulo, signum est quod Petrus Dominus sit Domûs. Isto igitur, ut dixi, mysterio Paulus perdidit caput, gladio Neronis. Moritur igitur Petrus in cruce integer, & in nullo imminutus, velut ille de quo scriptum extat : *Os non comminuetis ex eo* : Ut visibile Ecclesiæ Caput, in omnibus invisibili foret simile. Verùm Christus in cruce capite deorsùm versùs inclinato ; & Petrus in cruce capite sursùm versùs elevato ; Caput enim Christi & Petri reciprocè & per reflexum depinguntur & mutuò se respiciunt : eo modo quo caput in speculo visum & multiplicatum geminum esse videtur, cùm tantum sit unicum. Et quia Christus primum suum Successorem & Vicarium per omnia sibi similem efficere volebat, eâdem omninò continuatâ & perseverante, & non aliâ seu diversâ providentiâ catenis Herodis diffractis illum liberavit à gladio, & non confractis catenis Neronis illum exaltavit in cruce. Joan. 19. v.36.

§. IV.

§. IV.

VErùm ad quid ego Providentiæ hujus in Catenis utrisque unitatem defendere & asserere allaboro, si eædem illam catenæ confirmant, & demonstratione admirabili oculis evidentem reddunt? custodiebantur & venerabantur Romæ Neronis catenæ, quando Imperatrici Eudoxiæ Constantinopoli Jerosolymam peregrinatæ fuerunt præsentatæ, velut thesaurus illis Herodianis catenis æqualis: Istæ venerunt Constantinopoli Romam, ab eadem Eudoxia alteri similiter Eudoxiæ, & Imperatrici missæ: cúmque non deesset qui dubitaret, utrum verè essent eædem, quid accidit? Pontifex utrasque accipit in manus probaturus, quænam essent veræ Neronis, cum illis quæ dicebantur Herodis; eodem mox instanti, eadem sacra ferra, quasi sensu rationisque usu prædita, se mutuò sunt amplexa, sicque sibi unita inhæsêre, quasi nunquam duæ, sed una tantùm, ab eodem artifice fabrifacta fuisset catena. O admirabile & prodigiosum Christi erga suum Vicarium Providentiæ testimonium! ô admirabilem & prodigiosam, unius, continuæ, ejusdemque Providentiæ confirmationem! quæ in Jerusalem disrupit catenas Herodis & Petrum liberavit; eadem Romæ integris relictis Neronis catenis ipsum neutiquam voluit liberare. Si Providentiam hanc diviserimus in duas, unamque combinaverimus alteri per effectus; non solùm diversæ sed totaliter sibi videntur contrariæ. Una solicitudinis, altera incuriæ; Una æstimationis, altera contemptûs: Una Libertatis, altera Captivitatis: Una vitæ, altera mortis: Una injuriosa, & quæ intentioni illusit Herodis, altera quæ promovit palmamque detulit intentionibus Neronis. Sed quemadmodum catenæ erant duæ, & tam diversæ, in unamque coïêrunt catenam; Ita Providentia, quæ illas in Jerusalem rupit dimisso Petro; & illas Romæ reliquit illæsas & fortes Petro detento, similiter una eademque fuit catena; quia una eademque fuit Providentia.

Boëtius, quem sequitur Sanctus Thomas, & Theologi communitèr, Providentiam definiendo, inquit; esse omnium seriem causarum, ejusq; causas in mente divina ordinatas, nec non concatenatas & ligatas inter se mirabilibus quibusdam secretisque nodis, quos nemo dissolvere valet. *Providentia est series causarum, rerumq; in mente Dei, quæ omnia suis nectit ordinibus miris, arctisq; sed arcanis modis.* Boëtius Et Cornelius in eundem commentando Boëtium id adhuc expressiùs declarat: *Deus per congruos suæ Providentiæ modos, quos in thesauris Sapientiæ suæ reconditos habet, facit, ut omnes rerum temporumq; successus invicem appositè nectantur, ac velut ansulæ sibi invicem inserantur, & catenam elegantem efficiant.* Cornel. Ita ut temporum rerumque successus, quantumvis diversi, contrariique videantur, in mente, Providentiaque divina sint ordinati, taliterque sibi illigati: ut velut annuli seu ansulæ sibi invicem inserti, unam uniformem elegantemque componant Catenam. Talis in utroque casu fuit illa supremi Artificis Christi, qui temporibus diversis liberando & non liberando Petrum, illum solvendo Jerosolymis, & vinctum relinquendo Romæ; illum miraculosè eripiendo de manibus Herodis, & permittendo ut naturaliter & cru-

crudeliter manibus moteretur Neronis: ex catenis unius confractis, alterius verò relictis integris, uniformem elegantissimamque unam Providentiæ suæ pro majore ornamento & gloria ejusdem Petri formavit catenam.

Aaroni, qui erat Petrus in lege scripta, sicut Petrus Aaron in Lege Gratiæ, præcepit Deus pro vestium pontificalium ornatu duas facere catenulas aureas, quæ tamen duobus annulis ex eadem materia sibi jungerentur, & cùm essent catenæ duæ, in unam coïbant: *Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo, catenasq; aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus.* Non hic considero, quod catenæ illæ fuerint aureæ, & hæ ferreæ; jam enim dixit Chrysostomus, quod idcirco magis honoraretur illis, magisque ornaretur his Pontifex noster: *His catenis Apostolus ornabatur, & tanquam regalem aliquem ornatum circumferens exultabat.* Tantùm unitatem, unionemve seu cohærentiam utriusq; catenæ hic singulariter noto: *Catenas sibi invicem cohærentes.* Moyses incessit catenis Aaronis inhærens, eas enim secundùm Ideam formavit Christus non ambulavit catenis Petri inhærens, nam eas delineavit, disposuitque cum successibus & effectibus contrariis. Istud est catenas disrumpere unas, & non alteras: Istud est liberare, & non liberare Petrum. Sed quemadmodum catenarum illarum cohærentiam faciebat similitudo, ita cohærentiam istarum fecit contrarietas. Et quod tam contrarii Providentiæ actibus, providentia prodiret tam uniformis, & catenâ unâ ab altera tam diversâ ambæ tam inter se cohærentes prodirent: *Catenas sibi invicem cohærentes?* Hoc sanè mirabile fuit.

Exod. 28. v. 22. & 24.

S. Chrys.

Verùm in hac ipsa providentiæ Christi uniformitate & cohærentia si quis doctiorum fortassis interrogaret, utra major fuerit providentia, an illa quæ Petrum à catenis liberavit Jerosolymis, an quæ illum Romæ non liberavit? non deerit utique qui illam Jerosolymis majorem fuisse asserat; ibi enim miraculosa fuit: hic verò minimè. Ibi confregit catenas, excæcavit custodias, aperuit portas, liberumque per eas etiam non apertas (quod plus est) transitum dedit, hic nullum operata est miraculum, imò omninò nihil egit; fuit enim mera omnis actus & concursus suspensio: ego nihilominus majorem altioremque fuisse assero providentiam, quod Christus non liberaverit Petrum à catenis Neronis, quàm quod à catenis liberaverit Herodis. Et quare? quia in catenis Herodis providentia suum consecuta est finem invito Herode, & in catenis Neronis suum similiter consecuta est finem, sed non contra, sed per voluntatem ejusdem Neronis. Nobilitas, sublimitas, excellentia, & admirabile Providentiæ divinæ non consistit in eo, ut suam expleat voluntatem, vim inferendo meæ: sed in relinquendo liberam & absolutam meam, & hâc mediante consequendo suam. Maximum Providentiæ divinæ opus fuit redemptio mundi, mediante Christi morte. Quonam verò pacto eadem Providentia altissimum illum, neque stupendum minus quàm necessarium consecuta est finem? non alio, quàm injusti judicis mediante decreto, Christum tradendo voluntati eorum, qui occisum volebant. *Jesum verò tradidit voluntati eorum.* Suam explevit voluntatem- Luc. 23. v. 25.

lun-

luntatem Judas, ſuam obtinuit voluntatem Caiphas; ſuam executus eſt voluntatem Pilatus; ſuam conſecuti ſunt voluntatem Scribæ & Phariſæi; ſuam denique implevit incentor & inſtigator omnium Diabolus. Et mediantibus tot voluntatibus omnibus divinæ contrariis, providentia divina finem ſuum conſequeretur? Hæc nobilior per omnem modum, hæc ſapientior, hæc ſublimior, hæc divinior nuncupanda venit providentia. Et qua de cauſa? Quia providentia vim inferens voluntati, potentiæque humanæ, eſt providentia ab omnipotentia adjuta: Providentia verò humanam ſolam operari ſinens potentiam quantum poteſt,& exequi ſinens quantum vult, eſt providentia ſine alterius attributi concurſu, & hinc pura providentia. Potentia & voluntas, quâ providentia tali caſu utitur, non eſt divina & ſua,ſed humana & contraria: & quantò plùs contrariorum permittit, tantò magis eſt providentia; quantò magis concedit humanæ, tantò magis eſt divina. Talis igitur fuit providentia Chriſti, in non liberando Petrum à Catenis Neronis. In captivitate Herodis ut providentia ſuum conſequeretur finem, omnipotentia dirupit Catenas; in captivitate verò Neronis providentia Catenas reliquit integras non concurrente omnipotentiâ, & nihilominus ſuum conſecuta eſt finem. Ergo non ſolùm fuit providentia, ſed major etiam & glorioſior, Petrum non liberare à Catenis Neronis; quàm eundem à Catenis liberare Herodis. Eiſdemque Catenis nunc ſolvimus,vel ligavimus primum argumentum.

§. V.

SEcundum, Providentiæ Petri contrarium in ipſius fundatur Clavibus; reſpectuque omnium mediantibus illis ipſi ſubjectorum, videtur difficilius. Quemadmodum Deus Petro tradidit Claves Cœli,ſic eaſdem,quondam dederat Eliæ, & cum poteſtate univerſali & particulari reſerandi & occludendi theſauros cœleſtes,id eſt pluvias, roremque Cœli quibus irrigata & irrorata fœcundatur terra,& vivit mundus. Sed enim quid Elias Clavibus iſtis fecit,& quomodo eſt uſus? *Vivit Dominus* (dixit locutus Achabo) *Si erit annis his ros,& pluvia,niſi juxta oris mei verba.* Ego manu meâ Claves Cœli teneo,& tu O Rex,ſcias velim, quod durante hâc meâ poteſtate, nec aquæ gutta, nec ros deſcendet ſuper terram, niſi ego juſſero. Terra arida & torrida millenis hiatibus, quaſi totidem oribus, ingemiſcet clamabitque in Cœlum,me verò habente Claves,nec ejulatibus movebitur nec gemitibus: ſed tam durum ſiccumque ſe oſtendet,ac ſi eſſet æneum. Num bona vobis videtur providentia,quâ unius hominis arbitrio Cœli Claves ſunt traditæ? Necdum audiſtis aliam terribilem magis, nedum inhumanam,circumſtantiam. Eodem tempore, inquit textus, Elias oppidò fatigatus in ripâ fluminis Carith morabatur, Corvo quopiam panem ſibi & carnes manè & veſperè deferente: *Panem & carnes manè panem & carnes veſperè.* Ita ut annis eiſdem, quibus populus Eliæ Providentiæ relictus, fame, cruciatus expirabat, Elias ſemper novâ abundantique

3.Reg. 17.v.1.

Ibid.v.6.

 tique

tiqueprovisione bis in die lautè reficeretur. In Pascuis non videbatur gramen, in agris non colligebatur spica ; & Eliæ superfluebat panis : aves nonnisi vestiebantur pennis, & greges non nisi ossibus constabant ; & Eliæ mensa pane & carne abundabat : fontes sicci & silentes absque vel guttæ emanatione : & mensa Eliæ quasi rivo inundabat. Nunquid bona vobis videtur ista Cœli Clavium Providentia ? Et quod amplius, si manus quibus Clavium traditum est dominium non fuerint Eliæ ? Ergo (argumentatur Hæreticus, & fortè etiam politicus) idem accidere poterit Clavibus Cœli providentiæ Petri commissis.

Dico primò, quod non poterit. Et quare ? Quia si Petri providentia deesset officio Vicarii Christi; Providentia Christi officio satisfaceret Vicarii Petri. Christus pendebat in Cruce, quando paulò ante quàm Spiritum redderet, Latro conversus suum illi memoriale præsentavit dicens : *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum :* Dominus illi in continenti respondit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Et hâc prima vice apertæ sunt Regni Cœlorum portæ eo usque clausæ. Sed ecce, quid replicet, & quomodo pro jurisdictione Petri Arnoldus Carnotensis accurrat. Nunquid, Domine, officium potestatemque januas Cœli aperiendi contulisti Petro ? Omninò : Quare igitur memoriale istud ad tuum non remittis Vicarium ? An quia in atrio Pontificis te negavit, illum officio isto privasti? nequaquam. Petrus quippe jam pœnitens & emendatus & gratiæ erat restitutus. Quomodo igitur Christus Clavibus Petri usus, Portas Cœli per semetipsum aperit? Acutè idem

Luc. 23. v. 42.
Ibid. v. 43.

Arnoldus Carnotensis : *Absens eras O Petre, & Ministerii Claves modò non profers : supplet vicem tuam* (Notate verba) *supplet vicem tuam summus Sacerdos, apertisque seris antiquis, aperiente Christo, introducitur latro in Regnum Cœlorum.* Latrone Memoriale suum præsentante aberat Petrus : quia verò tempus erat brevissimum, & tam urgens negotium, ut moram & dilationem non admitteret ; Christus Vicarii sui substitutum egit, præsentiâ suâ Petri absentiam supplendo. Crucifixus Dominus clavos cum clavibus commutavit, portas paradisi repentino reseravit pœnitenti. Et quia Petrus ad obligationem sui non attendit officii, velut Vicarius Christi, & ad eam attendit Christus velut Vicarius Petri : supplet vicem tuam, ô Petre. Ecce quâ ratione nunquam defutura sit providentia Clavium Petri, etiam in casu quo ille personalitèr deest. Verùm antequam in particulari, ad curam, vigilantiam, admirabilemque Universalis hujus providentiæ circumspectionem descendamus; Honori Petri consulere satagam, neque improvidentiam ipsius in hoc casu, Providentiâ ejusdem in omnibus refutabo, sed unam improvidentiam, alterâ gloriosè sanabo. Auscultate casum, eventumque tam auditu, quàm imitatu dignissimum.

Arnold. Carnot.

Intravit Christus S. Petri domum : *Intravit Jesus in domum Simonis.* Et multo jam tempore in eâdem domo Socrus Petri. Adeò infirma decumbebat gravissimis febribus, ut ad excipiendum Dominum erigere se nequiret. Hoc innuit Evangelistæ verbum : *Tenebatur: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Magna febris, & ingens casus ! Ecquis

Luc. 4. v. 38.
Ibid.

Ecquis hîc non consideret, valdèque notet, exiguam S. Petri providentiam, imò injuriam magnamque remediis domus suæ, & domesticorum suorum consanguineorũ necessitatibus invigilandi ignaviam? Socrus Petri in Domo Petri febribus ardet sine cura; dolores patitur, sine levamine; tanto tempore affixa lecto, sine salute, nec convalescentia consequente? Nunquid idem ille est Petrus, qui transiens per compita & plateas solâ corporis sui umbrâ omnes sanabat infirmos? Quomodo igitur sic suâ abutitur potestate, ut reliquos curando omnes, solos suos negligat sanare domesticos. Tot miracula pro domibus aliorum, & pro solâ domo suâ nullum? etiam. Et ego istud maximum S. Petri reputo miraculum. Inter omnia magni hujus mundi prodigii miracula, maximum sanè fuit, non esse miraculosum in domo sua. Extrà domum, & ad solem faciebat umbram, & mira patrabat; domum suam reversus miracula non operabatur, quia umbram non habebat.

Enim verò, quid tali casu domestici facient Petri, quidve illis fiet? Vos, Auditores, Divo Petro in hac sua domo servientes propriè magis ejusdem domestici estis. Et quid tot solâ umbrâ illius viventibus fiet? Ne timeatis. Quia sicut Christus, in casibus necessitatis Vicarii sui vices obit, deficiente vobis umbrâ Petri, non deerit vobis manus Christi. Ita factum est. Appropiat Christus lecto infirmæ: *Stans super illam:* manum illi porrigit, quam illa accipit: *apprehensâ manu ejus:* & eodem mox momento non tantùm à febribus liberata, verùm omnium membrorum suorum viribus & officio restituta surrexit: *surgens ministrabat illis.* Sic miraculosè providentia succurrit Christi; ubi majore miraculo deest providentia Petri. Imò dico, quod sicut illud, non providere, in Petro fuit miraculum: ità naturaliter providentiæ Christi incumbit providere, ubi non providet Petrus. Petro ex generositate domesticorum suorum curam negligente: Christus majore providentiâ curam ipsorum aget. Et si Petrus gloriosè clavium suarum potestate abusus, domûs suæ ostium omni præcluserit favori, Christus acceptis ab eo clavibus eodem aperto ostio plenus gratiis & favoribus domum intrabit Petri: *Introivit Jesus in domum Simonis.* Ita ut semper providentiæ Petri securi sint effectus; Quandocunque enim ille, contingente quopiam casu, vel tanquam homo, vel plus quàm homo, clavium suarum potestate personaliter per se ipsum non fuerit usus, melius hoc facit per Christum; vel Christus pro ipso.

Luc. 4. v. 39. Marc. 1. v. 31. Luc. 4. v. 39.

§. VI.

QUid verò hinc sequitur, vel probatur? sequitur & probatur quod me dicturum promisi; quamvis contrarium videar dixisse. Hâc improvidentiâ Petri erga domum suam, altissimè probatur ejusdem erga commissam sibi Ecclesiam providentia & solicitudo. Supremus Petri Spiritus, erat instar spiritus excellentissimæ illius animæ, quæ ex ore Salomonis dixit: *Posuerunt me Custodem in vineis: vineam meam non custodivi.* Istud igitur dicit facitque anima eximiè perfecta, omnium animarum sanctarum idea & exemplar? si dixit, posuerunt me custodem in vineis, addere debuisse videtur, & ego magnâ illas curâ vigilantiâque custodivi: verùm, pro eo, quod concreditas sibi vineas se custodivisse dicere

Cant. 1. v. 5.

deberet, se vineam suam non custodivisse dicat: *vineam meam non custodivi*? Sic. Quia Luculentissimum testimonium, & fortissima probatio commissas sibi vineas probè custodivisse, erat omnem propriæ vineæ sepofuisse curam. Vinea (sicut illam vocavit Christus) ex tot conflata vineis, Universalis est Ecclesia; porrò quia Providentia Petri protinùs suæ vineæ curam neglexit, tantam Domini sui vineæ curam gessit.

Notabile est, videre zelum Providentiamque universalem, quâ S. Petrus assumebat sibi, quod omnium erat, quasi sumebat sibi, quod omnium erat, quasi esset Omnes; vel Omnes essent in illo, vel ipse in Omnibus. Sed idcircò Christus illi curam clavesque Universi commisit. Majora duo dubia, seu difficiliores duæ in schola Christi ventilatæ quæstiones fuerunt, illa de Christi Divinitate, & illa de Sacramenti Veritate. Super quæstione de Divinitate variis auditis, omnibusque negativis opinionibus, Christus ad Discipulos conversus interrogavit: *vos autem quem me esse dicitis?*
Matth. 16.v.15. cùm interrogatio dirigeretur ad omnes; Petrus, quasi solùm secum loqueretur, omnium nomine respondit: *Tu es Chri-*
Ibi d.v. 16. *stus Filius Dei vivi.* In quæstione de Sacramento, tam dura visa fuit doctrina; ut multi præ amore, seu horrore ipsius scholam dereliquerint: quo facto reliquos interrogavit Christus: *Nunquid &*
Joan.6. v.68. *vos vultis abire*? & quæstione ad omnes directâ, Petrus eodem modo pro omnibus respondit: *Domine ad quem ibimus*?
Ibid.v. 69. *verba vitæ æternæ habes.* Et homo sibi assumens, quod quæritur ab omnibus & pro omnibus respondet, quando non secum solo sermo miscetur, iste homo Zelum habet, providentiamque universalem: illi homini & non alii Claves meæ committam Ecclesiæ: *Tibi dabo Claves regni cœlorum.*

Verùm Electio Petri non in istis duobus tantùm experimentis substitit. In monte Thabor, visâ Christi gloriâ dixit: *Bonum est nos hic esse*: & audito, quod ad Matth. 17.v.4. intrandum in eandem gloriâ necesse esset eleemosynas dare, quoniam reliquerat omnia, institit dicens: *Ecce nos reliquimus* Matth. *omnia, quid ergo erit nobis*? Nescio ùtrum 19.v.37. consideretis illud, *Nobis*, & istud, *Nos*, semel atq; iterum repetitum. In omnibus innotuit Petrum esse Petrum. Si allegat servitia, allegat vice omnium: *Ecce nos reliquimus*: si præmia requirit, pro omnibus requirit: *Quid erit nobis*: si bona appetit, pro omnibus appetit, *Bonum est nos hic esse.* Semel loquitur de præterito: *reliquimus.* Secundâ vice de futuro: *Quid erit*? & tertiâ vice, de præsenti: *Bonum est*: sed semper de Omnibus, per Omnes, & pro Omnibus. Non auditur ex ore Petri, nec *Ego*; nec, *Mihi*: neque, *Me*: sed *Nos* in primo casu; *Nobis* in tertio casu: & *Nos* in quarto: *Nos reliquimus*; *Nobis erit*: *Nos esse.* Providentia enim Petri nescit nomen sibi; neque tractat vel cogitat de se: sed de omnibus. Si Petrus quandoque sui recordatur solius, fit, ut solus evaginato gladio suum in horto defendat Magistrum; solus illum sequatur usque ad Caiphæ Pontificis atrium, militibus circumseptum; solus sese in mare mittat, aut pedibus illud calcet, aut brachiis scindat, ut ad ipsum perveniat; solus tantùm in periculis: ast nunquam solus, sed cum Omnibus, & quasi Omnes, pro bono universali & interesse Omnium.

Omnes, dico semel iterumque, & toties

toties; quia Providentia Petri, sine exceptione, & limite in universali & particulari, semper ad Omnes se extendit, Omnes complexa; magnos & parvos; Indigenas & extraneos; fideles & infideles; præsentes & absentes: Vivos & mortuos. Primus providentiæ Petri actus, mox ut mortuo jam Christo in Pontificatu successit, fuit alios Apostolos in fide Resurrectionis confirmare: quam cum alii affirmarent: *visa sunt sicut deliramentum*: mox ut eam asseruit Petrus, veritas fuit infallibilis: *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* Jussit Christus Spiritus sancti expectari adventum: sed Petrus providentiâ anticipatâ & admirabili, non expectato Spiritus sancti adventu, locum Judæ suppleri, numerumque Apostolorum redintegrari fecit. Christus in Cœlum ascendens Apostolos undecim reliquit; & Spiritus sanctus è Cœlo descendens, duodecim Apostolos invenit. Hâc diligentiâ consecutus est Petrus, ut Spiritus sanctus adesset, antequàm veniret: nam antequàm in visibilibus veniret linguis, jam in lingua venerat invisibili, quâ Matthiam declaravit: *cecidit sors super Matthiam.* Omnibus Apostolis Spiritu sancto repletis, Petrus omnium primus eâdem die, eâdem horâ, in eâdemque Civitate Jerusalem ubi Christus fuerat crucifixus, divinitatis ipsius fidem publicè prædicavit: & quo effectu: Christus ipse triennio in Judæa prædicans, quingentos tantùm acquisivit Christianos, uti ex primâ ad Corynthios Epistola constat: & Sanct. Petrus ex super abundante ejusdem Christi gratiâ, illâ solâ die, & unicâ prædicatione tria Judæorum millia; & aliâ die, aliâque Prædicatione quinque millia convertit: & sic in Petro completum fuit illud Domini promissum: *Majora faciet, quia ad Patrem vado.*

Lucæ 24. v. 11.
Ibid. v. 34.
Act. 1. v. 26.
Joan. 14. v. 12.

Verùm enim verò quomodo contentus esset fructu, quem in Jerusalem, & Judæa colligeret, cujus providentiæ totus reliquus incumbebat mundus. Jerosolymâ profectus Antiochiam ibidem Petrus primam suam fixit Cathedram; non detrectans, cùm Caput & Pastor esset universi, civitatis unius Episcopus vocari. Antiochiâ abiit Romam, quæ sicut erat mundi, etiam superstitionum & Idololatriæ caput existebat; ut sicut Jerosolymis prædicaverat Hebræis, & Antiochiæ Græcis; sic Romæ prædicaret Latinis: tribus linguis universalioribus, quibus crucifixi Titulus fuerat conscriptus: *Hebraicè, Græcè, & Latinè*, in tribus celeberrimis & famosissimis Metropolibus, totidemque eminentissimis mundi Arcibus, quas inter principem locum tenebat Roma, Crucis ejusdem erigeret vexillum. Quando David prostravit Gigantem, inquit sacer textus, quod immisso lapide, fundam semel atque iterum circumgyrando, lapidem ipsius infixerit fronti: *circumducens percussit Phylisthæum, & infixus est lapis in fronte ejus.* Et quis est iste lapis, seu petra, nisi Petrus? circumeundo ex Jerusalem profectus est in Palæstinam; & ab Antiochia circuiens iterum profectus est in Græciam; & hac duplicatâ vi, Davidici instar Lapidis, caput petiit Gigantis, quod est Roma, Caput orbis. Hic illum dejecit & prostravit in terram, sed ut inde illum à terra attolleret in Cœlum. Româ, meliùs quam Cæsares suos, Fabios, Metellos, & Scipiones,

1. Reg. 17. v. 49.

piones, S. *Petrus* suos ablegavit & per mundum distribuit suos *Pancratios*, Berillos, Marcianos, Apollinares, *Prodocimos*, Hermageros, Maternos, Torquatos Cthesiphontes, aliosque suæ fidei & spiritus discipulos: qui Sacerdotes & Episcopi ordinati pervaderent Italiam, Galliam, Hispaniam, Numidiam, Mauritaniam, reliquasque Europæ & Africæ *Provincias* (sicut jam in Asia S. *Petrus* ipse fecerat) ut velut Solis ejusdem radii illuminarent, & velut Fontis ejusdem rivi terras illas irrigando fœcundarent.

Sed providentia vera, undique prospiciens, non contenta est mittere, sed ire; non informari tantùm, sed etiam videre. Idcircò *Petrus* quamquam Cathedram fixerit Romæ, non sibi illam fecit immobilem, sed volubilem. Daniel Deum in Throno suo sedentem videns, eundem Thronum super rotas collocatum fuisse
Dan. 7. v. 9. asserit: *Thronus ejus flamma ignis; Rota ejus ignis accensus.* Enim verò, quare rotas habebat Thronus Dei, cum ille sit qui,
Boët. *immotus dat cuncta moveri*? Ut figurâ hac visibili ostenderet, quod quemadmodum totum mundum suâ immensitate implet, ità suâ illum providentiâ videt, totumque circuit. Idē faciebat *Petrus* velut vice Deus in Terra. Nec ille separari poterat à Sede *Pontificali*, neque sedes ab illo, sed illam semper trahendo secum, prout dicit S. Lucas, visitabat & videbat personaliter omnes: *dum pertransiret*
Act. 9. v. 32. *Vniversos.* Reversus iterum in Jerusalem, iterum venit Antiochiam; perrexit in Galliciam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, Corynthum, Ægyptum, & ad alias Africæ partes; & usque ad barbarissimam regionem *Pontum*, quæ tum temporis acerrimum Romanorum erat flagellum, & horror, sicut dicit Tertullianus, mundi providentia & præsentia non defuit *Petri*. Neapoli & in Sicilia hodiedum adhuc ejus rei extant memoriæ. Et authore Metaphraste, transivit in Hispaniam, & prædicavit in Anglia. Hoc modo Apostolorum primus omniumque *Princeps* suæ respondit vocationi. Quemadmodum Christus illum Hominum piscatorem vocaverat, non in Tyberiade tantùm, nec in Mediterraneo tantùm & Euxino, sed etiam in Oceano; operæ pretium erat laxare retia ad piscandum homines in omnibus maribus.

Desiderasset quidem providentia *Petri*, sicut visitabat omnes, semper omnibus personaliter assistere: sed quod personali non potuit præsentiâ, calamo pennâque peregit. Nemo Epistolas S. *Petri* Canonicas leget, qui cum admiratione & stupore in illis eum non depictum tantùm, sed viventem adhuc videat: in styli majestate, doctrinæ soliditate, sententiarum profunditate, & zeli ardore. Isto medio S. *Petrus* in omnes multiplicabatur partes, omnibus simul aderat præsens. Quod verò in illis scriptis sacris magis miror, est Titulus: *Petrus Apostolus electis advenis dispersionis.* Pontificiæ illæ literæ non dirigebantur ad Reges, & mundi Monarchas, sed ad pauperes quosdam peregrinos, exulesque per mundum dispersos. Recordabatur S. *Petrus* bina vice commendatos sibi fuisse à Christo agnos, & semel tantum oves: *Pasce agnos meos*; *pasce agnos meos*, *pasce oves meas.* In Ovibus magnos; & in Agnis ipsi commendaverat parvos: & ideò repetitis vicibus ut majorem eorum gereret curam. Hac fiduciâ fretus Cornelius

1. Petri 1. v. 1.

Joan. 21. v. 16. & 17.

nelius adhuc Gentilis, non dubitavit mittere; qui vocarent S. Petrum, ut ad ædes suas, sexcentis distantis milliaribus veniret; prout statim ivit. Morabatur tum temporis S. Petrus in Joppe, quod nomen Jonam Prophetam revocat in memoriam, qui eodem in portu fugiens à Deo, ne iret in Niniven, Navim ingressus mari se commisit, indignè ferens se prædicatum mitti Genti tam abjectæ & horribili, quales comparatione & respectu Hebræorum omnes habebantur gentiles. Et quando Jonas celebriori & ampliori prædicare detrectavit Civitati mundi, ubi innocentum erant plus quàm centum viginti millia, summus Ecclesiæ Præsul, pedestris pergit ex Joppe in Cæsaream, ad unum catechizandum Gentilem.

§. VII.

HÆc, Auditores, non omnia fuerunt, sed pars tantùm minima & compendiata, Operum & Exemplorum, quæ S. Petrus Ecclesiæ de sua universali Providentia reliquit. Dixi, reliquit: & malè dixi; quia illa non reliquit: eadem adhuc post mortem continuat, sicut totâ suâ vitâ illis institit. Mortuus est Petrus, sed Providentia ipsius mortua non est; nam fuit, est, eritque immortalis. S Petrus Ravennensis in Epistola quadam ad Eutichen scripta, Concilio Chalcedoniensi insertâ S. Petrum semper vivere dicit in omnibus suis Successoribus. *Hortamur te Frater, ut his, quæ à Beato Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Sed non hoc tantùm volo dicere. Dico, quod in cœlo, ubi S. Petrus agit, vivit, immortalisque perseverat ejus Providentia super Ecclesiam, nunquam suos ab ea oculos avertat, neque succurrere cesset aut tardet, ubi indiguerit. Hoc S. Petrus cunctis appromisit fidelibus secundâ suâ Epistolâ illis valedicens, his verbis: *Certus quod velox est depositio Tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi: Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum.* Non promittit Fidelibus post mortem preces suas & orationes, more aliorum Sanctorum; sed protectionem eorum: *Frequenter habere vos.* Ego vos habebo, ego vos protegam, & custodiam. Verbum respondens illi, *Frequenter*, in Originali Græco, quo Apostolus Sanctus scripsit, significat: semper, quotidie, sigillatim: non solùm ad omnes in communi, sed in particulari.

S. Petr. Raven.

2 Petr. 1. v. 14. & 15.

Porrò quàm exactè S. Petrus hanc suam promissionem adimpleverit, nec comprehendi, nec exprimi potest, cùm occultæ sint & invisibiles, ordinariæ & continuæ assistentiæ ipsius Providentiæ: sed pro superabundante illius probatione, manifestæ & visibiles sufficiunt. S. Petrus fuit ille, qui paulò post morte eidem apparuit Neroni, à quo jussus fuerat occidi, vultu adeò minaci & terribili, ut Tyrannus exterritus (teste Suetonio causæ ignaro) paucis quibus supervixit diebus, mortuo quàm vivo similior apparuerit: & sic Ecclesiæ persecutio cessavit. S. Petrus fuit, qui Constantino apparens Imperatori, loco balnei in sanguine Innocentûm, eundem ut in Christi se sanguine balnearet est exhortatus, & sic baptizatus Christianus est factus: Pontifices & Sacerdotes in speluncis & antris latitantes Romæ in foris publicè comparere,

Sueton.

in Templis Christi Imagines collocare, ejusque fidem per totum mundum prædicare sunt ausi. S Petrus fuit, qui flagrante persecutione in Anglia, cùm nonnulli jam Episcopi fugissent, similiterque Metropolitanus Cantuariensis Episcopus fugere intenderet, durè correptum verbis, propriis sic castigavit manibus, ut acceptorum verberum cicatrices in corpore apparentes suffecerint permovere Tyrannos, ut vivere permitterent, ovesq; pascere & custodire Pastoris, qui tam rigidè cogitationes tantùm deserendi castigârat. Denique S. Petrus fuit, qui sæculo præterito Pampilonæ apparens Ignatio glande lethaliter vulnerato, ipsum suâ præsentiâ sanavit, suumque Spiritum illi infudit, ut novam validamque erigeret Cohortem, in Ecclesiæ militantis defensionem; contra Lutherum & Calvinum, aliosque nostri temporis Hæresiarchas: uti de ipso cantat Ecclesia: *Novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti.*

Sed gloriose Fidei Authoritatisque Romanæ Defensor! nec non ipsius Romæ, & hujus tuæ Basilicæ, quæ est octavum mirabile mundi, nunc cum Tympana & tubæ Ottomannicæ, quasi inter ejus mœnia audiantur, & jam mediæ Lunæ Turcicæ vexilla sint Turrium Italiæ & jam ad portas pulsant; aliis modis armisque succurrendi tempus est. Recordare Petre, Christum non dixisse ut gladium deponeres, sed in vaginam reconderes: ut eum aliàs educeres, quando Magistri tui nunc triumphantis in cœlo honor, tuaque Providentia id exegerit in terra. Hic ille fuit gladius quo fulminans ad latus Successoris tui Leonis astitisti, tantam vim eloquentiæ ipsius addidisti, adeoq; Attilam perterruisti, ut nec passu pedis progredi ausus, vexilla tergaque verterit, & tremebundus adhuc visum suis narraverit. Hoc gladio splendentiumque armorum habitu, Alexandriæ Ecclesiæ Romanæ Civitati succurristi ab Imperatore Friderico obsessæ; & in assultu quo obsessos sub mentito armistitio, derepentè invasit, tu cum ingenti exercitus ipsius strage, obsidioné fugiendo solvere compulisti Et qui sic uni Ecclesiæ Romanæ succurrit civitati, quid non pro ipsa Romana, & ipsâ faciet Ecclesiâ? sed appropinquemus capitali & primariæ officinæ, ubi fabricatur & disponitur periculum, & ipsam Constantinopolim intremus. Imperatores erant illius semper infestæ & venenatæ Metropolis Bardas & Michaël qu inauditis crudelitatibus totam Orientis Christianitatem afflixerant; quando visibilis apparens afflictis Catholicis, per unum ex justitiæ tuæ ministris, qui te comitabantur armati, non solùm illos interfici, sed etiam dilacerari jussisti: quod & factum est. Constantinopolitanus quoque Imperator erat, Alexander impiissimus, qui aspiciens, Romanorum idolorum, quæ in suo habebat Palatio, statuas, dixit: *Quamdiu istas colebant Romani, potentissimi & invicti perseverarunt.* At Barbarus vix hanc vocem blasphemam ore emiserat, quando tu semper injuriarum Christi ultor, te illi præsentasti dicens; *Ego sum Romanorum princeps Petrus.* Ad cujus tonitru vocis ille omnem ex sacrilego ore evomens sanguinem, corruit mortuus.

Sic vincis, sic triumphas gloriosissime Petre. Et si unum, *Ego sum*, ex ore tuo tam potens est Constantinopoli sicut alterum, *Ego sum*, Magistri tui & Domini, *Joan 18. in v. 5.*

in horto Gethsemani; quando inimicorum suorum cohortem tunc prostravit: & sic tuus gladius, sicut cœperat illos decollasset omnes, nisi ipse Dominus illum in vaginam recondi jussisset: Modò modò ipsum educendi tempus est, & dicendi *Ego sum*: ut Turca tremat, ut Lunæ ipsius Eclypsi involvantur; ut exercitus ejus deficiant & confundantur; & ut Constantinopoli, sicuti Romæ, in Imperio Orientis, sicut in illo occidentis, agnoscantur & venerentur Claves Petri, & cum illo, & per illum, & in illo nomen Christi, Amen.

SERMO
De
Omnibus Sanctis
Ulyssippone in Conventu Sanctimonialium de Odivellas Anno 1643.

Beati mundo Corde. Matth. 5.

§. I.



FESTUM magis Universale, & Festum magis Particulare: Festum magis proprium omnibus Sanctis, & Festum proprium magis singulis, hodie celebrat, celebrarique mandat Ecclesia. Festum est Universale magisque commune omnibus: Exordio enim facto ab omni Sanctitatis fonte Christo, omniumque Sanctorum Reginâ Sanctissimâ Virgine Mariâ; Festum hodie agimus omnibus Angelorum Hierarchiis; Festum agimus Patriarchis & Prophetis; Apostolis & Martyribus, Confessoribus & Virginibus. Nec est Beatus, seu Canonizatus, seu non Canonizatus in Ecclesia triumphante: aut notus, aut ignotus in Ecclesia militante, qui non partem, seu totum sibi vendicare queat in hac magna die. Et hæc ipsa dies tam universalis, & communis omnibus, etiam particularis & quàm maximè propria est singulis: Hodie quippe Sancti celebrantur cujuslibet Nationis; Sancti cujuslibet Regni, Sancti cujuslibet Religionis; Sancti cujuslibet Civitatis; Sancti cujuslibet Familiæ. Ecce quàm particularis, quamque nostra est dies ista! Non tantùm nostræ Civitatis hujus Sanctos celebramus; sed quilibet nostrûm Sanctos suæ familiæ & sanguinis. Nulla Christianorum familia tam infelix erit & infausta; quin multos habeat ad Gloriam assumptos. Festum igitur hodie agimus nostris Parentibus; nostris majoribus; nostris fratribus

bus & sororibus : & qui in cœlis habetis liberos, sive infantes innocentes, sive adultos, similitèr Festum agitis vestris filiis. Magisque adhuc nostrum est illud festum; si etenim divinâ gratiâ fuerimus salvati, suo etiam tempore, & fortè non longè remoto, omnium Sanctorum numero aggregabimur; similitèrque dies hæc nostra quoque erit. Nunc celebrantes, celebrabimur postea. Nos nunc celebramus illos: & haud ita multò post celebrabimur ab aliis. Hæc ultima tam vera consideratio, tepore excusso meam excitavit devotionem in hac tam sacra die, ad pertractandam materiam, quæ nobis ad consequendam felicitatem illam adminiculo foret. Dicenda à me in duos dividam Discursus, in duobus assumpti à me Thematis, & duobus ex Titulo Festi verbis, fundatos. Festum igitur omnium est Sanctorum. In Primo igitur Discursu videbimus, quantum sit, esse Sanctos: In secundo, quàm facilè tales possimus esse omnes. Discursum primum, Thematis primum nobis suppeditat verbum: *Beati*: *Matt. 5. v. 8.* Secundum nobis verbum suggeret secundum: *Mundo corde*. Beatissimæ Virgini dicamus: *Regina Sanctorum omnium ora pro nobis*: consuetum illi offerentes, *Ave Maria*.

§. II.

Beati mundo corde.

POtentissima in homine inclinatio, appetitusque vehementissimus est, Sui esse desiderium, naturale hoc nobis, optimè cognovit Diabolus, quando hoc velut lapide primo ad prosternendos primos Parentes nostros est usus. Promissio ipsius prima fuit: *Eritis*, istudque *Gen. 3. v. 5.* *Eritis*, mundum destruxit. Error non consistit in eo, quod homines desiderent esse, sed in eo, quod homines non desiderent esse hoc, quod verè est Esse. Aliqui desiderant esse divites; alij appetunt esse Nobiles; alii esse Sapientes; alii potentes; alii gestiunt esse noti, famosi hominumque ore longè latèque celebrari: Omniumque quodammodo hoc est commune desiderium, sed errant. Unum tantùm hominum oportet esse desiderium, scilicet, esse Sanctos. Sic Deus illud *Eritis* Diaboli, correxit alio, *Eritis*, dicens: *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* *Levit. 11. v. 45.* Diabolus dixit; eritis sicut Deus, scientes: & Deus dixit: Eritis sicut Deus, Sancti. Et unum *Eritis* ab altero tantum distat, ut illud *Eritis* Diaboli, non tantùm nobis sustulerit, esse sicut Deus; verùm etiam esse Sanctos: & Ly *Eritis* Dei nos exhortando ut essemus Sancti sicut ipse, non tantùm nobis restituit esse sicut Deus, sed ipsum esse Deum. Moysi interroganti Deum Quis esset, Deus definiendo semetipsum respondit: *Ego sum qui sum*: Solus enim *Exod. 3. v. 14.* Deus esse habet pro essentia. Ejusdem nunc Moysis ore Deus alloquitur homines: Si tantopere vos Esse delectat: estote Sancti & eritis; Quicquid enim non est Sanctum, est non esse. Esto, sis Rex, sis Imperator, sis Papa: si non sis Sanctus, nihil es. E contrario quamvis vilissima abjectissimaque mundi sis creatura, si sis Sanctus, totum es, ad quod felicissimus & maximus quisque hominum pertingere potest: quia similis es soli Enti, & Esse habenti, quod est Deus. Omne aliud, quantumcunque Ens videatur, non est, & in non esse desinit. Solummodò Sanctum esse, est verè esse; est enim id, quod solum

Entis

Entis nomen meretur, & in omnem permanebit æternitatem.

Hæc sufficeret ratio hominibus animâ rationali præditis, ut Sanctitatem super omnia desideraremus; & ut illius compotes fieri mereremur, cuncta despiceremus. Verùm volo, ut Sancti, omnesque Sancti nos doceant, & ad Sanctitatē hanc nos excitent. Quotque sunt, aut esse possunt Sancti, eodem quo illos Ecclesia hodie celebrat ordine, ad quatuor classes reducuntur. Deus, Sanctitate & Sancti nomine gloriosus: Dei Mater omnes puras creaturas Sanctitate transcendens: Angeli Sancti in novem choros divisi: Hominesque Sancti in sex sunt Hierarchias distributi. Agedùm, nunc videamus, quomodo omnes isti Sancti nos doceant, super omnia: esse Sanctos, à Deo auspicemur.

Interrogati à nobis Theologi, quodnam maximū sit Dei attributum; Respondebunt concorditèr omnes, omnia esse æqualia, omnia enim & singula eorum sunt ipse Deus. Interrogatis verò eisdem, quodnam sit attributum Essentiæ ipsius magis declarativum & magnificativum; Sanctus Dionysius Areopagita de attributis divinis sublimius sermocinatus & scribens, dicit, quod, esse Sanctum: *Deus per excellentiam cuncta excellentem, Sanctus Sanctorum prædicatur.* S.Dion. Areop. Id est, quando dicimus, Deum esse Sanctum, & Sanctum Sanctorum, laudamus in Deo excellentiam aliquam quæ excellit alias omnes: *Excellentiam cuncta excellentem.* Eximius Ecclesiæ Doctor Sanctus Ambrosius idem clariùs expressiusq; affirmavit: *Nihil pretiosius invenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi ut Sanctum appellemus: Quodlibet aliud inferius est* S.Amb. *Deo, inferius est Domino.* q. d. Deum laudare & magnificare volentes, nulla re digniùs id exequi valemus, quàm ipsum Sanctum appellando; quicquid enim aliud dixerimus, ipso minus est: Sanctum verò appellando, hoc dicimus, quod est. Jam olim quando in Judæa sola notus erat, ubique terrarum in aliis Mundi partibus nuncupativi erant Dii, sua habentes Sacrificia & Sacerdotes. Quo verò medio Deus verus, à Diis falsis se discrevit? summum Sacerdotem laminam auream, *Sanctum Domino*, inscriptam, in fronte præferre jussit: id est, Sanctitas Domino. Exod. 28. v. 36. Quia tantùm ille Dominus, qui habet pro attributo quod sit Sanctus, est verus Deus.

Amplius quid fecerunt Prophetæ, qui loquentes de Deo relicto nomine Dei, cum nomine Sancti illud commutabant. Legentes Isaiam & reliquos, illud invenietis: *Ad Sanctum Israël respicient.* Isai. 17. v. 7. *Blasphemârunt Sanctum Israel.* Isai. 1. v 4. *In Sancto Israël lætaberis.* Isai. 41. v. 16. *Veniat consilium Sancti Israël*; Isai. 5. v. 19. Et multis aliis locis. Cùm nec sit Elogium, nec correptio, nec exclamatio, in qua non semper ore versent; Sanctus Israël, Sanctus Israël. Quis verò iste est Israël Sanctus? Nunquid Abraham, Isaac, aut Jacob? Nunquid Moyses, Josue, vel David? estne Elias, vel Elisæus? Nullatenùs. Sanctus Israël, de quo loquuntur Prophetæ, est Deus. Si igitur est Deus, quare illum non appellant, Deum Israël, sed Sanctum Israël? Quia tum temporis in Israël multi dabantur Idololatræ, qui falsos Gentilium Deos sacrificiis colebant: Ad discernendum verò Deum verum à falsis Diis, non invenerunt

Prophetæ individuantem magis differentiam, neque diſtinctionem magis adæquatam, quàm illum vocare Sanctum. Si vocâſſent illum Deum, nomen illud Dei, cum nominibus æquovocabatur Idolorum, quibus etiam Idololatræ nomen Dei imponebat; ipſum verò appellando ſanctum, omnem æquivocationem & dubium ſubmovebant: Solum quippe ſanctitatis attributum, in Deo Iſraël unam & veram divinitatem diſtinctè probabat. Tantùm ſignificat, tantùm aſcendit, tam ſublime & divinum eſt in ipſo etiam Deo, eſſe Sanctum!

Verùm enim verò ſi Prophetarum erat intentio Deum verum diſcernere à Diis falſis; quare diſtinctionem non in veritate, ſed in ſanctitate fundabant? Quare non verus Iſraël, ſed Sanctus Iſraël dicebant; Quia licet verum formaliter & directè opponatur falſo; Eſſe nihilominus divinum, magis Sancti, quàm veri attributo qualificatur. Ex conſiderationibus majoribus aliquam auſcultate, quà cognoſci æſtimarique queat, quàm ſublime & divinum ſit etiam in arbitrio divino, eſſe ſanctum. Deus juravit Davidi, regnum ipſius æternum futurum, eò quòd Meſſias ex ipſo foret deſcenſurus: quonam verò modo Deus juramentum illud qualificavit, ſeu per quem juravit? Res ſtupenda! *ſemel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit.* q.d. Juravi Davidi per Sanctum meum, me promiſſa ipſi impleturum, ipſumque Parentem Meſſiæ futurum: *In ſancto meo!* Quis verò ille eſt Sanctus, per quem Deus jurat? Jam ſcitis juramentum ſemper aliquo honoratiore & digniore confirmari. Exterius juramus per vitam Regis, per crucem, per Chriſtum, per Deum; quia majorem illis honorem habemus: ab intrà verò per noſtram juramus vitam, per noſtram juramus animam: quia majoris eam facimus. Cumque Deus extrà ſe non habeat, per quem juret, per intrinſecum ſibi jurat, & jurat per ſeipſum quà ſanctum; eſſe quippe ſanctum, majoris æſtimat, glorioſius ſibi ducit, &, ſi ſic dici fas eſt, maximè veneratur. Per veritatem ſuam Deus jurâſſe debuiſſe videtur, & per ſuam jurat ſanctitatem: ac ſi juramenti ſui veritas, ſanctitatis ſuæ magis, quàm veritatis ſuæ firmitate ſtabiliretur & confirmaretur. In Deo omnia ſunt æqualia, tamque eſt verax, quàm ſanctus; tamque ſanctus quam verax; Deus verò intra ſemetipſum quærens attributum quod eſſet, vel videretur ſupremum, digniſſimumque veneratione, per quod jurare poſſet; juravit Deus verus per Deum Sanctum; *ſemel juravi in Sancto meo.*

Pſalm. 88 v 36.

§. III.

TAm ſublimibus admirabilibuſque terminis, ut iſtis, Deus nos docuit generaliter, quantum ſit eſſe Sanctos; idemque documentum Trium divinarum Perſonarum quælibet exemplis non minus ſtupendis confirmavit particulariter. Super Incarnatione perſonæ Filii, Pater æternus Angelum delegavit S. Gabrielem, ſic inſtructum, ut ex ſua parte Beatiſſimæ Virgini intimaret, naſciturum ex puriſſimis viſceribus ejus Dei Filium, & ſuum, eſſe ſanctum: *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ita ut Pater æternus Filium habens ſibi æqualem, volenſque ut mediante generatione nativitateque ſecundâ, jam Deus, etiam eſſet homo, quod ipſi dedit, matrique promiſit, fuit, quod eſſet Sanctus: *Quod*

Luc. 1. v. 35.

Quod nascetur ex te Sanctum. Notate, *Sanctum*, &, *ex te.* Non opes illi contulit; nam filium ipsum pauperrimæ matris fecit: *Ex te*: non honores illi tribuit, quia filium humillimæ Virginis esse voluit: *Ex te.* Non Gubernacula, non dignitates, non imperia & territoria temporalia contulit; quia licet Virgo à Regibus descenderet, omnia ista regalia ornamenta, coronæ & sceptra, in mechanica alicujus Fabri lignarii, cui desponsata erat, instrumenta degeneràrant: *Ex te.* Quid verò illi dedit? esse Sanctũ: *quod nascetur ex te Sanctum.* Ergone Pater omnipotens nihil ultra suo largiretur Filio? Parentes quicquid habent & possunt, suis elargiuntur filiis; & vel maximè primo, & unigenitis suis, qualis erat Christus. Ergone primogenito, & unico Filio suo, Pater omnipotens, Pater Deus, & Dominus omnium nihil amplius largitur, quàm esse Sanctum? Nequaquam: eandemque ob causam. Primogenito, unicoque Patris æterni Filio omnium paternorum bonorum ex asse debebatur hæreditas; & quicquid Deus habet, & largiri potest, est, hominem facere Sanctum, & magis Sanctum; reliqua enim omnia aut nihil sunt, aut sanctificari oportet & esse Sancta, ut aliquid sint. In quantum Filius hæres Matris suæ, Christo debebatur sceptrum Davidis, & Domus Jacob, quod etiam Deus similiter Angelo nunciante ipsi promisit: *Dabit illi sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob:* Luc. 1. v. 32. Eandem verò Domum, idemq; sceptrum Deus eo pacto suo tradidit Filio, ut ex temporali formaret spiritale; ut omnia in eo essent sanctitas; ipseque per omnes modos sanctior.

Ecce quomodò idem mecum dicant, qui eundem Patris unigenitum viderunt: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis:* Joan. 1. v. 14. Vidimus, inquit S. Joannes, gloriam ejus, majestatem ejus, & magnificentiam; & clarè patuit, gloriam, majestatem, & magnificentiam, æterni Patris unigenitum repræsentasse. Enim verò, in quo gloria, Majestas, & Magnificentia ista consistebat? in plenitudine gratiæ & veritatis: *Plenum gratiæ & veritatis*, inquit S. Joannes. Gratia est sanctitas formalis, sive forma sanctificans, faciens denominansque sanctos: proinde in hac gratia, in hac sanctitate, in hoc, esse sanctum, tota gloria, tota majestas, tota magnificentia unici hæredis Patris consistebat. Porrò Evangelista rationem interrogatus, cur ista tantùm sint bona, quæ Patris omnipotentis universorumque Domini hæreditas complectitur; rationem eandem jam dedit his verbis: *plenum gratiæ, & veritatis.* Quicquid enim non est gratia Dei & sanctitas, est mendacium. Divitiæ mendacium, honores mendacium, gubernacula mendacium: solummodò in Dei degere gratia est veritas; solùm in gratia Dei vivere, est veritas: solùm in gratia Dei mori, in quo sanctum esse consistit, est veritas: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Istud Pater æternus suo dedit Filio: ut vos discatis, quid procurare debeatis vestris. Adlaborate ut evadant sancti, nec majores illis honores, aut opes, aut prosperiora procurare potestis: nec majora & vera bona, quorum illos relinquere potestis hæredes.

Ad Filii Personam transeamus. Persona Filii est sapientia Dei. Facta est homo sapientia divina: in mundum venit ad homines docendos: Quid verò illos do-

cuit?

docuit? nihil, nisi esse sanctos. In Scala illa Jacob quam nostis omnes, in visione & Prophetiâ, Verbi æterni incarnatio fuit repræsentata. Summitati scalæ Deus incumbebat; quia personarum divinarum unam descendere oportebat in terram; ad pedem scalæ stabat Jacob homo, seu totum referens genus humanum: Modus enim, quo Deus descendere debebat; erat incarnari, hominemque fieri: porrò scala de terra pertingebat ad Cœlum; finis quippe mysterii incarnationis, scopusque descensûs Dei è cœlo in terram, fuit, ut doceret, ostenderetque homini qualiter è terra in cœlum foret ascendendum. Pro hoc verò tam notabili & novo, & hucusque incognito assensu, quidnam, quæso, qui descendit, & incarnatus est, quid, inquam, Verbum, seu sapientia divina docuit Jacob, seu hominem, illo repræsentatum? Idem Verbum cap. 10. ejusdem sapientiæ, de eodem Jacob loquens, ait: *ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum.* Ita ut sapientia divina personaliter veniens, & de cœlo descendens, ut hominum foret magister, novâ in hac magna universitate mundi Cathedrâ erectâ, doctrinâque assumptâ, nihil aliud, quàm Sanctos esse tradiderit. Rethoricam Tullio reliquit & Demostheni; Philosophiam Platoni & Aristoteli; Mathesin Ptolomæo & Euclidi; Artem medicam Apollini & Æsculapio; Jurisprudentiam Soloni, & Lycurgo; sibi assumpsit tantùm scientiam tradere, salutem sanctitatemque acquirendi: *Regnum Dei, & scientiam sanctorum.*

Sap. 10. v. 10.

Certum est scientias omnes multis esse erroribus permixtas, ex quibus opinionum nascitur varietas & differentia; omnibus scientiis innumeræ insunt ignorantiæ, quas etiam doctissimi quique se nec comprehendere, nec assequi fatentur. Si igitur sapientia Dei venit in mundum, quare illos non elucidavit errores, quare illas non è medio sustulit ignorantias? Quia errare, vel non errare in omnibus illis materiis, illas scire, seu nescire nihil refert: salvari tantùm nosce, totum est, & certam acquirere sanctitatem: & hoc tantùm nos docturus Filius Dei venit. Nec Philosophos compositionem docuit continui; nec Geometras quadraturam circuli; neque navigantes altitudinem Orientis ad Occidentem; neque Chimicos detectionem Lapidis Philosophici; nec Medicos virtutem herbarum, plantarum, lapidum, ipsorumque elementorum: neque Astronomos & Astrologos, cursum, magnitudinem, numerum influentiasque Astrorum: tantùm nos docuit esse castos, humiles; tantùm nos docuit divitias spernere; tantùm nos docuit condonare & remittere injurias; docuit tantùm persecutiones sufferre; deflere & detestari docuit peccata, & amare exercereque virtutes: hæ etenim sunt regulæ, & conclusiones, hæc præcepta sunt & theoremata, quibus addiscitur evadere sanctos, quam scientiam professa est, & doctura venit Filii Dei Persona, *Scientiam Sanctorum.*

Spiritus *S*ancti Persona proprio suo nomine idem nobis probat & confirmat. Pater etiam est *S*piritus *S*anctus? Quare igitur Persona tertia tantùm vocatur *S*piritus *S*anctus? ratio est, quia (juxta Theologorum assertum) *S*piritui *S*. sanctificandi, & *S*anctos faciendi competit officium. Omnia Dei opera, quæ vocantur,

cantur, *ab extra*, id est, quæ à Deo exeuntia in creaturis terminantur, indivisè à tota SS. Trinitate procedunt, in quâ potentia & operatio non solùm est æqualis, sed una prorsus & eadem. Verùm propter certam proprietatem in natura seu origine earundem Personarum fundatam, alia huic, alia alii Personæ attribuuntur opera: & quia tertiæ Personæ singulariter attribuitur sanctificare, sanctosque facere; propterea sanctus appellatur.

Porrò ut videatis, quantum in eâdem Persona nomen Sancti significet, & attributum sanctificandi. Istud multum quod eo suppletur, magnumque illud vacuum, quod eo completur, notate. Nomen seu antonomasia sancti, officiumque sanctificandi, & sanctos faciendi, nunquid competere potuisset Patri, qui fons est originalis, & innascibilis sanctitatis? nonne illud competere etiam potuisset Filio, qui incarnatus eandem nobis promeruit sanctitatem? omnino. Quare ergo nomen illud Spiritui sancto est tributum? Consideratione profundissimâ locutus est Rupertus: ad supplendam Personæ tertiæ sterilitatem. Divinitas in Patre & Filio fœcunda est; in Spiritu sancto non ita. In Patre est fœcunda, quia generat Filium: in Filio est fœcunda; quia cum Patre simul producit Spiritum sanctum: In Spiritu sancto est sterilis, quia aliam non producit Personam divinam. Quonam igitur medio hæc in tertia Persona sterilitas supplenda erat? non alio, quàm ut aliæ Personæ virtutem sanctificandi, & sanctos faciendi; nec non titulum, Sancti, ipsi cederent. Tertia Persona cùm nec generare vel producere potest Personam, quæ sit Deus: Ergò faciat sanctos. Tertia Persona vocari non potest Pater, neque vocari Filius: Vocetur igitur Sanctus. Tantum, tam sublime, tam divinum est, esse Sanctum: tamque miris documentis, in seipsis hanc docuêre veritatem, tres Personæ divinæ.

§. IV.

POst Patrem, Filium, & Spiritum sanctum sequitur Filia Patris, Mater Filii, & Sponsa Spiritus sancti, Beatissima Virgo Maria; quæ omnibus purior Creaturis, melius nobis explicabit, quantum bonum sit nos esse Sanctos. Cap 24. Ecclesiastici, eadem nobis Virgo Sanctissima enarrat, quomodo Deus, qui ipsam ad inhabitandum elegerat, totum quod in Israël possederat illi largitus est, quod erat Principatus ejusdem Dei: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo: & dixit mihi; in Israël hæreditare.* Ecclef. 24. v. 12. Enimverò, quidnam sibi Virgo Maria, ex tota illa omnium seu naturalium, seu supernaturalium immensâ hujus Principatûs bonorum universitate electura videtur; solummodò Sanctum, aliudque nihil inde sibi sumpsit. Nihil non sanctum, quamvis aliàs pretiosum sibi eligere voluit; quia alia omnia nihil sunt: Ex Sancto assumpsit omnia; esse enim Sanctum, est omne & totum. Eandem auscultemus Virginem, verba ipsius eâ, quâ par est attentione considerantes. Primò, quantum ad locum, dicit se Civitatem elegisse sanctam, Domumque sanctam, ad serviendum in ea Deo in præsentia ejus, omni aliâ curâ, sollicitudineque dimissâ: *In Habitatione sancta coram ipso ministravi; & in Civitate sanctâ similitèr requievi.* Ecclef. 24. v. 14. & 15. Porrò, quantùm ad

ad perſonam, cum dotibus naturalibus, quas Deus inter nationis ejusdem mulieres celebriores diſtribuerat, omnes excelleret, omnes iſtas Beatiſſima Virgo Maria nihili fecit, omnibusque dimiſſis, & deſpectis, ſolam ſibi aſſumpſit & elegit ſanctitatem omnium Sanctorum: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* In plenitudine Sanctorum (inquit) commorata ſum (quicquid enim non eſt ſanctum, inflare quidem, ſed implere non poteſt) hîc commorata ſum, hîc ſubſtiti, neque tranſivi, nec quò hinc tranſirem, habui.

Ibidem

O ſi quis mihi in hoc Auditorio omnes coram exhiberet & ſiſteret Virgines mundique Domicellas, ſic illigatas & captas & occupatas, addictas & ineſcatas ejuſdem mundi vanitatibus ut viderent & perſpicerent, quo capi & occupari deberent, ad maximæ Dominæ, omniumque Sanctorum Reginæ imitationem! Quicquid fœminea ambitio & curioſitas æſtimat & laudat, Benedictiſſima Virgo in magno vidit Iſraëlitico theatro, cujus illam Deus fecit hæredem: *In Iſraël hæreditare.* Vidit antiquam & illuſtrem ſanguinis nobilitatem in Sara, ſupremam & regiam in Michol; ſed nec nobilitatis ſplendor illam eſt remoratus, neque fumos illi excitavit, aut ſpiritum immutavit. Vidit pulchritudinem ſervitiis honoratam & adamatam in Rachele, quæſitam & ſublimatam in Abiſag; Verùm non detinuit illam pulchritudo, neque viſu dignam, aut quæ oculos in ſe converteret judicavit. Fœcunditatem magnam & inviſam vidit in Lia, majorem præſumptuoſioremque in Phenenna: ſed naturalis eam non delectavit amor, ut eſſet mater; neque in pluribus viventibus perennare concupivit. Divitias apparatumque domeſticum vidit in Rebecca, regiosque in Sunamitide theſauros; ſed divitias earumque faſtum non ambivit, quia divitiis aliis cor ſuum infixum gerebat. Splendorem cultumque veſtium in Jezabele, nec non pretioſiſſima quæque & ſplendidiſſima Orientis in monilibus, lapidibus & annulis Eſther ornatui impenſa; ſed non oblectavit eam vana illa, & apparens corporei ornatus pompa, de ornando tantùm ſpiritu ſolicitam. Vidit illam ſic dictam à mundo, inſperatam nuptiarum Ruth fortunam, eamque ampliorem adhuc in nuptiis Sephoræ; aſt ſpecioſus ille nuptiarum laqueus eam non irretivit, quin potius horrorem incuſſit. Victorias triumphosque vidit Debboræ, nec non famoſæ Judith trophæa & ſpolia; verùm non eam detinuit fama applauſuum ſuorum ſtrepitu, neque victorias triumphosque affectavit. Denique vidit Abigaïl coronatam, & Bethzabee in æquali cum Salomone throno collocatam; verùm non eam ſublimitatum harum ſuſpendit eminentia, animi quippe celſitudine Thronos, & Coronæ ſphæram tranſcendebat.

Age, Domina & Virgo Maria, ſi omnia iſta naturæ fortunæque bona, ſi omnia iſta vitæ hujus magnifica & proſpera, quæ tanti faciunt, ſibique invicem invident homines, nec ſimul, nec ſeorſim tuos exſatiârunt oculos: ſi ea omnia per tranſennam calcando præteriſti, nihilque dignum tibi viſum cui vel memento temporis, vel paſsûs ſpatio immorareris; quidnam, amabo, vidiſti, uſque adeò tibi placitum quid tantum, tamque gratum tibi viſum, ut deſiderii tui greſſus illi

illi infigeres, ne tuus inde avelleretur affectus? Vidi humilitatem, inquit Virgo Maria; vidi sui, mundique comtemptum; vidi solitudinem & recollectionem; vidi silentium, vidi modestiam, vidi temperantiam, vidi patientiam, vidi fortitudinem, vidi passionum mortificationem, propriæque voluntatis abdicationem, vidi amorem Dei & proximi; vidi denique omnem Sanctitatem, Virtutes, gratiam, quibus pleni fuêre Sancti; & in hac tantùm sanctitatis plenitudine, gressum fixi, pedem posui, in hac stiti, in hac me detinui, huic immota immoror: *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea* Hæc de se Mater Dei adstruit: Proinde quia sic illa judicavit, & hæc elegit, Mater facta est Dei; non tantùm quia sanctam esse, omnibus antepostuit rebus mundi; verùm quia despex t & reliquit omnia, ut magis esset Sancta.

§. V.

ANgeli tertiam Sanctorum, quos hodie celebrat Ecclesia, constituentes Classem, sicuti suis nobis persuadent inspirationibus; ita suo nos docent exemplo, quanta res sit, esse sanctos. Angelorum in cœlo exercitium est, laudare Deum. Nos illum laudare nescimus, quia illum non videmus; semper illum videntes, illum solummodò laudant, ut debent. Quasnam verò laudes, elogiaque Deo decantant? Isaias Propheta ad auscultandum ea aliquando admissus, dixit: *Seraphim stabant, & clamabant alter ad alterum: Sanctus,* Isai.6. v.2.& 3. *Sanctus, Sanctus.* Id est, Seraphim in duos divisi choros, alternatim altis cantabant vocibus; Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sic intonabant, & incessantèr repetebant: prout similitèr octingentis ab inde elapsis annis in sua Apocalypsi cantantes eos audivit Sanctus Joannes: *Et requiem non habebant dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quod nisi tam Apoc.4. v.8. clarè in utroque exprimeretur testamento, quis tale quid cogitaret; vel opinaretur? Nunquid Deus Ens est immensum? nunquid magnificentia Dei est infinita? nunquid Angeli videntes, & intuitivè cognoscentes, tantâ intelligentiâ & sapientiâ sunt præditi? quare igitur nec voces, nec cogitationes, nec conceptus variant? Quare per alias Dei non discurrunt perfectiones? quare alia non extollunt & decantant attributa? Eandem ob causam. Quia Deum vident, quia illum cognoscunt, & quia intelligentiâ decorantur. Qui laudat quempiam, & delinit, quicquid potest in gratiam, quodquè auribus gratissimum arbitratur dicit: Porrò nihil de Deo magis ipsi magnificum, & gloriosum dici potest, quoque magis delectatur, quàm audire, se Sanctum prædicari. Proinde Primus angelorum Chorus intonat, Sanctus, & secundus respondet, Sanctus: Primus repetit Sanctus, & secundus reassumit, Sanctus: Illudque dicunt incessanter repetentes semel & millies, in omnem illud continuaturi æternitatem; Postquam enim Deus Sanctus, Sanctus, magisque Sanctus est decantatus, cœlestes Seraphini, utpotè Angeli intellectûs perspicacissimi, scientiæque profundissimæ nihil ultra dicere noverunt: nec quicquam dicendum superfuit. Deus est æternus, immensus, est infinitus, est omnipotens; omnia verò ista sunt magnifica, quia sanctitati sunt unita. Si Deus per impossibile non esset sanctus, omnia ejus

attributa maximâ ſui perfectione carerent. Hinc perfectio in Deo eſt, eſſe æternum; quia æternum eſt ſanctus: Hinc in Deo perfectio eſt, eſſe immenſum, quia immensè Sanctus eſt: Idcircò in Deo perfectio eſt, eſſe infinitum; quia infinitè ſanctus eſt: Exinde Deo perfectio eſt, eſſe omnipotentem; quia omnipotenter Sanctus eſt. Sanctus, ſanctus, Sanctus.

Illud Deo Angeli venerabundi decantant. De ſe verò quid dicunt, aut dicere poſſunt? Non aliud queunt aut dicere tenentur, quotquot ſtabiles in Cœlo perſeverarunt, quod omne ſuum bonum, totamque ſuam felicitatem non niſi in ſanctitate ſua, ſeu quod ſancti ſint, conſtituere poſſint. Magnum illud, ut ſcimus, in Cœlo factum eſt prælium: Lucifer cum adhærentibus ſibi apoſtaticis ſpiritibus bellum intulit Deo: Sanct. Michaël cum ſequacibus ſuis bonis, Domini ſui partibus adhæſit; hi Victoriam, illis proſtratis, reportârunt; quâ obtentâ, quid ſibi acquiſierunt, & Rebelles perditâ victoriâ & pugnâ quid perdiderunt? nihil aliud, quàm eſſe ſanctos. Victores lucrati ſunt eſſe ſanctos; quia in gratia fuêre confirmati: Victi deſierunt eſſe ſancti, quia gratiâ eâdem fuerunt ſpoliati, in meris naturalibus ut ante remanſerunt.

Hinc nunc celebris quidam in Ezechiele locus cap. 28 pateſcet, ubi Luciferum Cherubim vocat: *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti: Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* q.d. O Cherub, Tu Hierarchiæ ſupremæ eras Angelus, qui que omnes alios ſub tuis habebas alis: *Tu Cherub extentus, & protegens:* Ego te ſanctum creavi, & in gratia teque poſui in cœlo: *poſui te in monte ſancto Dei:* Inter Seraphinos eras, ubi tanquam eminentiſſimus liberrimè ambulâſti; *In medio lapidum ignitorum ambulaſti:* & à die creationis tuæ perfectus fuiſti uſque dum deprehenſum in te fuit peccatū & malitia, quam adinveniſti: *Perfectus in viis tuis donec inventa eſt iniquitas in te.* In ſumma: Lucifer, ſacro atteſtante textu, & concordi omniū Sanctorum Patrum declaratione, per naturam ex Seraphinis, omniumque illorum ſupremus erat. Si igitur erat Seraphim, quonam pacto illum Propheta vice Dei non Seraphim, ſed Cherubim appellat: *Tu Cherub?* Quia Seraphim ſignificat amorem & amantem; Cherubim ſcientiam & ſapientem; & quamvis Lucifer rebellando, & peccando amorem gratiamque Dei perdit, nec non alia ſupernaturalia dona; non tamen ſapientiam ſcientiamque aliaſve intellectûs & naturæ perdidit dotes, in quibus fuerat creatus. Non minus Angelus manſit ſcientiâ, quàm erat antea; non minus Angelus potentiâ, non minus Angelus capacitate ſphæræ, non minus Angelus formâ decoreque naturali, reliquiſque omnibus ut antè; gratiâ tantùm & ſanctitate, in qua ſuâ ſe culpâ & malitiâ conſervare comtempſit, ſpoliatus.

Ezech. 28. v 14. & 15.

Ità ut potiſſima tunc & nunc, inter Michaëlem & Luciferum differentia fuerit & ſit, quod Michaël cognominetur ſanctus Lucifer verò minimè. Aſt dicetis Luciferum etiam gloriâ viſioneq; Dei fuiſſe privatum. Reſpondeo, quod non: quia eâ nondum fruebatur, ſi enim jam Deum vidiſſet, nec illum offendere, neque gra-

tiam

tiam & sanctitatem perdere quivisset. Quoniam verò Deus illum gratiâ & sanctitate spoliavit; quare non similiter reliquis omnibus eum nudavit? Subdito seu vasallo contra Regem suum rebellionem moliente, cuncta ipsius bona Fisco addicuntur. Luciferi igitur rebellantis, rebellionemque contra Deum cientis, cur gratia tantùm & sanctitas condicitur, omnibus aliis ipsi relictis? Quia gratia sola & sanctitas sunt bona; quicquid aliud reprobi Angeli possident, potius malum est, quàm bonum. Scientia sine sanctitate, est ignorantia: Pulchritudo sine sanctitate, est deformitas: potentia sine sanctitate, est infirmitas: Majestas sine sanctitate, est miseria: Proinde Angeli reprobi creaturarum omnium sunt miserrimi; quemadmodum Angeli boni, omnium existunt felicissimi & beatissimi. Hi tales, quia sunt Sancti; illi tales, quia sanctitate carent.

§. VI.

AD homines transeundo, interrogate omnes quotquot in Cælo agunt, quid rei sit esse sanctos? Quæstioni huic non scripturis, neque verbis, sed operibus respondebo. Res æstimantur ex eo quod valent, & quo constant. Quæcunque fecerunt aut passi sunt *Sancti*, eò respexerunt, ut essent *Sancti*. Fides tàm longanimis & constans Patriarcharum; spes & patientia Prophetarum; zelus & prædicatio Apostolorum; tormenta mortesque Martyrum; Pœnitentiæ & asperitates Confessorum; continentia & puritas Virginum: Omnia erant sancta, eoque tendentia ut essent *Sancti*. Verùm hæc non est materia, tam succinctâ generalitate transeunda, tenebrisque involvenda. *Singulas Sanctorum* scrutando Hierarchias videamus, quantum laborârint, ut istud sibi nomen compararent.

Duos primos contemplemini Patriarchas, & Isaacum ligno impositum, nudatoque collo acerbum lethalemque ictum videbitis expectantem; Abrahamum verò alterâ manu ad demetendum suo unico filio caput, gladium, alterâ verò, ad eundem in holocaustum concremandum, suisque cineribus insepeliendum, ignem ferentem cernetis. Nunquid magis ardua dari poterat resolutio, magisque heroicus resignationis actus, tam in subjectione filii erga Patrem, quàm in obedientia Patris erga Deum? Ipse Deus majorem dari posse negavit. Verùm si hîc videritis in ipso flagranti brachium Abrahami retinentem Angelum: in Jephte convertite oculos, similiter ense armatum; videbitisque non impeditum sed executioni datum horribile sacrificium, magnanimo Patre propriis suis manibus innocentis filiæ, similiter unicæ, nullo alio superstite hærede, sanguinem profundente. Et quo motivo homines istos actos & impulsos putatis, ut tam atroces & horribiles actus, ad quos amor exhorrescit, quosque natura intueri nequit, exequi non formidarent? Abraham, ut jussui divino pareret; Jephte, ut votum impleret: Uterque ut *Sanctus* esset. Abraham optimo nisus fundamento in dubium vocare potuisset; utrum inusitatum adeò & inauditum, divinisque contraveniens promissionibus mandatum illusio foret: Jephte graviore adhuc ratione dubitare poterat, utrum votum casu illo obligaret, cùm nec talis ipsi fuisset intentio, nec simile quid venisset in mentem. Nihilominus ambo rigi-

rigidiorem & securiorem secuti sunt opinionem, ne scrupulis exponerent salutem, & dubiam suam redderent sanctitatem.

Patriarchas sequuntur Prophetæ, & hos Apostoli. Et si inter Prophetas cum stupore videtis Isaiam dissectum, Danielem in lacu Leonum, Jonam à Balena deglutitum: in Apostolis numero paucioribus, Petrum videbitis crucifixum, Paulum decollatum, Andream decussatim crucifixum, Philippum lapidatum, Bartholomæum excoriatum, Matthæum & Thomam lanceis transfixos, Simonem & Thaddæum frustatim discerptos, omnes denique vitâ sanguineque fusis prædicatæ à se Fidei testimonium perhibentes; non tantùm ut ipsi in se sancti essent; verùm ut & alios sanctificarent.

Et quid dicam de te, ô fortissimum & lucidissimum Martyrum agmen; tam numero, quàm exquisitissimorum martyriorum genere infinitum? Romanum ingressus amphitheatrum feris vos objectos, vel Neronibus, Deciis, Diocletianis, Trajanis, ipsis bestiis ferocioribus objectos vos contueor. Multos vestrûm reveriti sunt Leones, Ursi, Tygrides; nullius verò vitæ pepercit plus quàm ferina Tyrannorum magis magisq; semper furibundorum impietas. S. Stephani lapides, Sebastiani sagittæ, Laurentii, Vincentiique craticulæ jam vulgaria nimis & mitia videbantur tormenta. Quas torquendi machinas & modos non adinvenit & excogitavit sæva rabies, ubi se victá fuit conspicata, ad probandam expugnandamque fortitudinem vestram? Martyrum quosdam ex capillis, aut uno, aut utroque pede; alios ex digitis manibusve suspensos, sicque in aëre pendulos nudos, virgis seu nerviceis flagellis, nodosis plumbatis, seu catenis tali vi, temporisque spatio, immites & robusti diverberabant carnifices, ut cùm primò flagellarent corpora, ipsa postmodum excruciarent vulnera, vel unum tantùm vulnus, usque dum nihil flagellandum superesset. Aliis in equuleo tortis, vel in catasta extensis, pectinibus seu forcipibus ferreis, quas Scorpiones vocabant, membra dilaniabant: Aliis molaribus superimpositis sanguine omni tanquam in torculari expresso, sic ossa comminuebant, usque dum nuda tantùm massa confusa, ne vestigio quidem prioris formæ relicto, apparerent. Alios ex integro pice, resinâ, & sulphure oblitos & obductos, subjecto igne concremabant, stantes velut ardentes faces in Idolorum festis, liquefacto propinato plumbo ad supplicium illos roborantes. Alios sævissimo hyemali frigore congelatis immersêre stagnis, thermis calidis oculis oppositis, ad eas transeundi copiâ factâ; ut remedium enervaret, quos tormenta non vincebant. Alios in lebetibus vasisve æneis excoquebant: alios damnatos ad mortem, sacco cum serpentibus & canibus insutos, in mare præcipitabant; ut in angusto illo, horribili fœdoque carcere venenosis primò & lethiferis morsi concisique morerentur dentibus, quàm suffocarentur undis Aliis adhuc viventibus pectore aperto palpitantibus cor evellebant visceribus; aliis manibus pedibusque ad quatuor grossiores arborum incurvatarum ramos alligatis, laxatis simul ramis violentissimè in quatuor discerpebantur partes. Alios ignitis imposuerunt sellis: alios nudipedes inambulare jusserunt ardentibus prunis: alios in olei ferventis caca-

cacabos; alios in boves æneos accenſos; alios in flammantes immisêre fornaces. Et quidem hæc omnia tolerabant & ſufferebant generoſi illi milites Chriſti, non patientèr tantùm, & conſtantiâ invincibili, ſed gaudenter etiam, & cum iubilo. Quare? tantùm ut eſſent, & certiùs eſſent Sancti, prout exclamat Eccleſia: *Omnes Sancti, quanta ſunt paſſi tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam Martyrij.*

§. VII.

DOctores ſancti, laureatum ſimilitèr agmen, nihil minus egerunt, aut laborârunt ut evaderent ſancti. Lux mundi, & ſal fuerunt terræ; & quemadmodum fax conſumitur ut illuminet, & ſal reſolvitur ut conſervet; ſic illi illuminandis mundi tenebris & cœcitatibus, conſervandæque in puritate ſuâ Fidei, ac Religioni Chriſtianæ reverà non tantùm vitam inſumpſerunt, verùm & animam colliqueſcere & quaſi diſtillare fecerunt. Omnes iſti libri tam numeroſi, tamque admirandi Sancti Baſilii, Sancti Chryſoſtomi, Sancti Athanaſii, Sancti Ambroſij, Sancti Hieronymi, S. Auguſtini, & binorum Ss. Gregoriorum, quatuor Eccleſiæ Græcæ & Latinæ Doctorum, & illorum duorum, qui poſtmodum ſacro huic numero ſunt adjuncti, ſcilicet S. Thomæ, & S. Bonaventuræ: Libri ſimilitèr doctiſſimi Ss Epiſcoporum Hilarii, Cypriani, Fulgentii, Epiphanii, Iſidori, & utriuſque Cyrilli; nec non illi antiquiſſimorum PP. Clementis Romani, Dionyſii Areopagitæ, Irenæi, Juſtini, Gregorii Thaumaturgi, Clementis Alexandrini, Lactantij infinitorumque aliorum, quorum omnia ſcripta divinâ cœleſtique doctrinâ referta, quid ſunt aliud ſine exaggeratione & hyperboli loquendo, quàm eorundem Sanctorum animæ, & quintæ intellectuum ſuorum eſſentiæ, per laborem exſudatæ.

Ibi convictæ & confutatæ videntur omnes Philoſophorum antiquorum Phytagoricorum, Platonicorum, Cynicorum, Peripateticorum, Epicuræorum, Stoicorum Sectæ: Ibi profundiſſima Fidei myſteria expedita ad credendum, & contraria argumenta in nihilum redacta: Ibi Traditionum Apoſtolicarum continuæ ſucceſſiones, Conciliorum Generalium & particularium diffinitiones ſtabilitæ & confirmatæ: Ibi difficiliores & obſcuriores Scripturæ Sacræ loci elucidati; & utrumque Teſtamentum ſibi invicem conciliatum: Ibi ſublimiſſimæ Quæſtiones Theologicæ, ſubtiliſſimè excuſſæ & reſolutæ; Controverſiæ examinatæ & deciſæ: & certum, velut tale, falſumque, velut tale, & probabile, quà probabile fuit declaratum: Ibi Hæreſes antiquæ & modernæ proſtratæ, Hæreticorum cavillationes annihilatæ; Textusque ſacri ab ipſis corrupti & adulterati, originali ſuæ puritati, & ſenſui genuino reſtituti. Arrij, Apollinares, Macedonij, Neſtorij, Donati, Pelagij, Manichæi, Eutichij, Elvidij, Joviniani, Vigilantij, Lutheri & Calvini, qui eoſdem noſtris reſuſcitârunt temporibus, iterum convicti & ſepulti: Ibi denique vitia exagitata & eliminata, abuſus emendati & aboliti, virtutes genuinæ & ſolidæ deprædicatæ; apparentes & fucatæ confuſæ; totaque perfectio Evangelica, in praxin digeſta, & legitimè diſpoſita.

Porrò ad hæc omnia (quæ multi nec intelligunt, nec capiunt) quanta, quæſo

& quàm

& quàm vasta scientiarum omnium, tam divinarum, quàm humanarum notitia requirebatur? quæ historiarum omnium sacrarum & profanarum memoria? quale omnium Chronologiæ temporum scrutinium? qualis terrarum omnium & Nationum, Legum earundem & consuetudinum, cæremoniarum rituumque notitia? quàm exacta linguarum omnium cognitio, Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ, Chaldaïcæ, Syriacæ, quibus Originalia sacrorum Textuum sunt conscripta, vel in quas sunt translata? proinde quod studium, ingeniique applicatio continua, laborque similiter requirebatur, ad immensam istam eruditionem comparandam viribus ingenii naturalis, adjuti gratiâ, continuisque precibus ad cœlum elevati, unde vera lux venit? Hæ erant mineræ, in quibus illi solertissimi utilissimè laborabant & sudabant Operarii; hæ inæstimabiles, in thesauris Ecclesiæ repositæ & congestæ divitiæ; hæc validissima arma, scutaque impenetrabilia, quibus Turrim præmuniebant Davidicam, contra futuras occasiones & pugnas, quas hodie experitur: istis (quæ rationabilitèr vocantur opera) omnes impendebant & applicabant vires spiritus, animæ potentias, corporis sensus: tam de nocte quàm de die quietem illis negantes; in tantum ut nec comestorum quidem saporem perciperent; prout Divo Thomæ in mensa sancti Ludovici Regis Franciæ accidit. Verùm quia eâ pollebant doctrinâ & sapientiâ, melius penetrabant omnibus, quanta res esset Sanctos esse: ideoque tales satagebant esse in hac vita, & ut reliqui Sancti fierent eâdem doctrinâ intendebant.

Aliâ longè diversâ viâ sanctitatem sibi acquisiêre Anachoretæ, familiaritatem scilicet hominumque vitando consortia, vitamque peragendo in desertis: Verùm nec ibi defuêre certamina, quia semetipsos secum deferebant; sed nec victoriæ, Deo duce. Isti cœlestes erant plantæ, quibus Palestinæ, Thebaïdis, Ægypti solitudines erant consitæ; & hîc vivebant velut Angeli, quia fugere noverunt homines, Pauli, Antonij, Hilariones, Arsenij, Onuphrij, Pachomij & Macarij. Multi pluribus annis, & quidam totâ se vitâ non videbant: mirum erat canos illos nunquam ferro aut novaculâ tactos, tanquam Legis Gratiæ Nazaræos ad nonaginta, centum & viginti quinque annos, suam videre producere vitam jejuniis & abstinentiâ, quam sic debilitant & abbreviant deliciæ. Antra incolebant & specus, è quibus quandoque prodeuntes, cadaveribus potiùs, quàm hominibus vivis similes apparebant. De manibus Sancti Petri de Alcantara scribit Sancta Theresia, visas fuisse quasi de radicibus factas: Idem de horum veterum Sanctorum, aridorum, & pallidorum simulacris asserere licet apparuisse quasi facta & contexta de earundem radicibus herbarum, quibus vescebantur.

Verùm quia in carne pœnitentiis attrita & emacerata generosissimi & robustissimi enascuntur spiritus, infernales illi tantam invidentes sanctitatem, fortitèr sese contra illos armabant; & deserta convertentes in campum, horrenda illis prælia inferebant. Quandoque Dæmones in aspides, basiliscos, dracones, aliaque horribilia transformati monstra tanquam deglutituri illos invadebant; uti contigit Sancto Antonio: aliàs

aliàs terræ motibus, tonitruis & fulguribus, quibus ipsa antra dirumpi, montesque irruituri videbantur, exterrebant: & quandoque vel maximè sereno aëre, easdem hominum quos fugerant, species & figuras oculis objiciebant, quorum gestibus & habitu magis excitaretur amor, quàm incuteretur timor: & hæ species violentissimæ omnium erant impugnationes. Quid verò constantissimi illi Castitatis agebant Athletæ, non sufficiente continuo ciliciorum usu pro armatura? gelidis utebantur lacis, ut S. Franciscus; aut spicis pugnabant & urticis, ut sanctus Benedictus; vel igne, digitos suos ustulando, vel manibus ipsum imponendo sicut sanctus Didacus: & hoc pacto ipsius inferni memoriâ, qui bellum intentabat, illum devincebant, triumphum reportantes. Sic pugnabant, sic vincebant; quia gratia Dei illos comitabatur, efficacissimèque illis assistebat; quia illi vicissim orando contemplandoque sine intercapedine Deo assistebant.

De quibusdam scribitur, quod de nocte, novo & admirabili solari dimensi fuerint Orationis horas, incipientes orare occumbente, & cessantes sole oriente. Amplius quiddam Simeon Stylita, aëreus, & non terrestris Anachoreta jure vocandus, agebat; in columna triginta quinque cubitorum altitudinis vitam agebat, in qua octoginta annis perseveravit Soli, frigori aliisque cœli injuriis & tempestatibus expositus; semel tantùm hebdomatim cibo sumpto, diu noctuque orationibus intentus nullo quasi somno capto. Orabat jam genibus flexis, & prostratus, jam brachiis extensis, hocque corporis situ, continuò reverens Deum tàm profundè inclinabatur, ut caput ad genua usque demitteret. Theodoretus inclinationum istarum numerum scire cupiens, numeratis jam mille, ducentis, quadraginta quatuor, numerando fatigatus, non fuit progressus. O stupor, ô prodigium, ô exemplum vel maximè singulare, quid luti nostri possit infirmitas, gratiâ divinâ corroborata! hujuscemodi vitæ genus admirabile magis, quàm imitabile fuit. Sed quod mirandum magis, est, quod imitatores illius non defuerint. Stylita, significat idem, quod habitator columnæ, & similiter fuit alius Stylita Simeon, & alius Stylita Daniel, ac alii. Tantum valet in iis, qui hoc æstimare norunt, esse Sanctum.

§. VIII.

Coronidis seu omnium Sanctorum coronæ vice Ecclesia delicatissimum Virginum chorum ultimo collocat loco, quarum voces, quamvis tenerrimæ, non tamen minùs validæ nobis persuadebunt, sicut illæ sibi persuasêre hanc ipsam veritatem. Pœnitet me tám tardè ad hanc devenire Hierarchiam, cui nonnihil mihi est immorandum: verùm quia materia congruit Conventui, saltem placebit intus agentibus: & patientiæ exercendæ occasionem præbebit forensibus.

Quæ non extrema operatæ sunt Virginis, ut sanctæ existerent? Quæ non viriliter subiêre? Quas non in semetipsis exercuêre austeritates? Quæ ornamenta, quas delicias, & quæ oblectamenta vitæ, quas opes, magnificentias, & pompas, mundique fortunas non despexerunt? Quibus astibus & dolis, quibus attentatis seque prætendentium machinis non fuerunt obluctatæ? Quibus hominum, quantumcunque sublimium nuptiis non renunciârunt, ad conservandam tantùm de-

defendendamque virginalem puritatem, fidemque Christo, cui se desponsaverant, inviolatam servandam? S.Edita Edgari Regis Angliæ filia, mortuo Patre, & unico sibi fratre Regni remansit hæres; nihil non egerunt Status Populusque in publicis ad hoc indictis comitiis, ut ad matrimonium ineundum Editam inducerent: Verùm nec Domus Regiæ, in qua nata & educata fuerat amor; nec stirpis Coronæque successio, neque Patris Fratrisve memoria quæ in ipsa extinguebatur, ne vel latum unguem dimovere eam à propositi firmitate quiverunt, neque ab angulo aliquo Ordinis cujusdam sacri retinere, ubi vestita cilicio, amictu mortuali induit vitam, corpusque posteà sepelivit, quod mansit incorruptum. Sancta Euphrosina illustrissima Alexandrina Domicella, nec Patrem, nec destinatum sibi ab eodem nobilissimum matrimonium subterfugere potens, habitu muliebri simul cum nomine mutato, & Smaragdi nomine assumpto, ignota in extera regione, habitu induta monachico, triginta & octo annis sic vivens, mortua in angustâ cellulâ, unde nunquam fuerat egressa, est sepulta. S.Petronilla Apostolorum principis S.Petri filia, ante apostolatum genita, perpetuam Christo virginitatem voverat, cùm à nuptiis Flacci Patritii, à quo in sponsam prætendebatur, & vi armorũ ad consentiendum adigenda erat, sese expedire non posset, trium tantùm dierum inducias ad deliberandum, pro placito petivit; quibus ferventissimis ab ipso Christo precibus petiit, ut vitã sibi adimeret: quod etiam in fine tertiæ diei feliciter est consecuta. Violentiâ majore à simili se discrimine eripuit S.Maxelendis illustrissima sanguine in territorio Flandriæ: illustrior adhuc ob causam quâ illum profudit. Contractæ & conclusæ nuptiæ cum Harduino Domino primario, opibus potentiâque insigni, cui hæc sors fortunata inter multos alios eandẽ prætendentes obtigerat, à parentibus maximâ pompâ sunt celebratæ; ad quas sancta Virgo violenter fuit deducta; sed tali animo manum ipsi negavit, in eoque tam constans & firma perstitit; ut despectus confususque sponsus, contemptum se cernens, amore in furiam converso, gladiũ arripuerit, & Sancta intrepidè lethalem ictum exceperit.

Verùm quamvis in tot tantisque casibus admirandus sit animus, & constantia, quâ sanctæ illæ Virgines omnes promissam Christo puritatem defenderunt; consideratâ nihilominus naturali mulierum conditione, magis adhuc arduum admirandumque invenio actum illum Sanct. Brigidæ Scotæ, & S.Wilgefortis, quam nonnulli erroneè quidem, propriè tamen Virgofortis appellant. Ambæ hæ ad stuporem usque elegantis erant formæ; cùmque propterea à multis Potentibus Dominis se deperiri, in matrimoniumque peti viderent, à divino suo petiêre sponso, ut hâc elegantioris formæ gratiâ se privaret, quæ tanti ab aliis æstimata, tot artibus ambiretur: quæ petitio Domino nostro Jesu Christo animæ tantùm pulchritudinem respicienti in tantùm placuit, ut derepentè adeò apparuerint deformes, ut cæteris omnibus eas aversantibus, ipsæ solæ suâ forent sorte contentæ.

Quid de rigoribus, asperitatibus, piaque tyrannide dicam, quâ isti Angeli in carne, in eandem sæviebant, & longo Martyrio excarnificabant? Quis vitæ austeritatem, pœnitentiarumque rigorem & atrocitatem Sanct. Claræ, quæ archetypi Christi cru-

crucifixi, ectypi S. Francisci Patris sui primum fuit exemplar, condignè poterit declarare? Austeritatem sanctæ Asellæ virginis Romanæ in ipsa Urbe; & quando Roma adhuc omnium deliciarum & mundi vanitatûm maximum erat Theatrum, S. Hieronymus declaravit, inquiens, quod ex civitate frequentissima fecerit eremum: Nuda humus lectuli, oratoriique vicem supplevit: Genua ipsi ex continuo precationum usu cameli adinstar callo fuerint obducta; quod jejunio vixerit, & non nisi pane & aquâ illud violaverit, eâ tamen moderatione, ut nec pane famem, nec aquâ sedârit sitim: quod nunquam viderit hominem, nec ab homine fuerit visa, habensque sororem similiter virginem, eam amaverit quidem, sed viderit nunquàm. S. Margarita Hungariæ Regûm filia, quarto ætatis suæ anno monialis habitum assumpsit, & quinto vestivit se cilicio: de die ambulando, excruciandis pedibus tribulos imittebat calceis; de nocte super asserem captura somnum, ursinis sese circumcingebat pellibus, introversis ad cutem pilorum cuspidibus. S. Genoveva Regiæ Parisiensis urbis Patrona, ad quam famosissimus ille Simon Stylita è Græcia, ubi in sua commorabatur columna, invisum misit in Galliam, ut ejus sese precibus commendaret? sancta Macrina S. Basilii magni soror, tam sanguine, quàm vitæ austeritate: sancta Ludgardis gloriosissimi Patriarchæ sancti Bernardi Germana, in spiritu filia, ardentissimi ipsius spiritus hæres, dignissimumque omnium eâdem Professione, Regulis, & habitu utentium exemplar: omnes istæ, multæque aliæ Virgines sanctæ, quales, quàmque extraordinarios pœnitentiarum adinvenêre modos, ingeniosiores ad excarnificandas semetipsas quàm Tyranni ad excruciandos Martyres?

Res est admiratione sanè digna, quod patientes pro fide & religione Christiana Martyres, Tyranni iisdem Christi non excruciârint tormentis: Id verò in S. Catharina Senensi, & S. Clara de monte Falcone, divini earundem sponsi amor est executus in Catharina, vulneribus manibus pedibusque & lateri impressis, spineâque capiti impositâ coronâ: in S. Clara, omnibus Passionis Christi instrumentis cordi ipsius insculptis. Ad pœnosissimas infirmitates provocabant, easque obtinebant, ut quò dolores pertingere nequibant artificiosi, illùc naturales illi penetrarent; ne delicatis & tenellis illis corpusculis, seu intus, seu exterius pars aliqua ossium singularis cujusdam cruciatûs expers superesset. Omnes & singulas, quarum humanum corpus capax est, simul, junctim, & totâ vitâ suâ Lidvvina sancta sustinuit, patientiâ vincendo Jobũ: & injuriâ Diaboli astutiam. Alia quædam Christina nomine vitæ hujus pœnis non contenta, illas etiam purgatorii multis sustinuit annis: uti & S. Theresia illas passa est inferni. Ejusdem S. Theresiæ tritum hoc erat: *aut pati aut mori*: nolebat enim, nisi quid pateretur, vivere. Et S. Magdalena de Pazzis, utrum energiâ majore, nescio: *Pati, non mori*: in morte quippè finitur, in vita verò patiendi exercitium perseverat. Ast, edicite, quæso, mihi purissimæ Virgines (aut ego pro nescientibus hoc capere desidero) quare pœnarum tàm fuistis avidæ? Nunquid vita vestra & culpâ & reprehensione vacabat? nunquid animæ vestræ Deo erant acceptatissimæ, ut quid ergo tam hostiliter & tyran-

tyrannicè corpora veſtra tractatis? auſteritates & inclementias haſce Theodoris & Pelagiis quondam peccatricibus relinquite. Maria Ægyptiaca illas exerceat, quæ ſeptendecim annis vixit in luxuriis, irretita à Diabolo, virorumque laqueus exiſtens: Vos verò, quæ gravia expianda non habetis peccata, & ſi quandoque gravatæ fuiſtis levioribus tam abundanter ſatisfeciſtis; quare ſic vos mortificatis, quare vos affligitis, & tam enormibus pœnis atteritis? ut ſciant quanta res ſit eſſe Sanctas, magiſque ſatagant eſſe Sanctæ.

§. IX.

VErùm enim verò ſi media tam extrema adhibuêre Virgines ad conſervandam puritatem tempore pacis, quid non agerent ad eandem propugnandam tempore belli. Graviſſimum & atrociſſimum bellum, quo fortiſſimarum harum Heroinarum conſtantiam impetere poterant hoſtes amoroſi, earundem ſic pulchritudine capti, erat horribilis illa & periculoſa indifferentia, quâ illis unum ex duobus eligendum offerebant, ſcilicet aut matrimonium aut martyrium: aut nubere, aut mori; aut Virginalem ſtatum, aut vitam proſtituere. Inter hæc duo non dabatur medium, & utrumque ex circumſtantiis comitantibus veſtitum periculoſiùs & terribiliùs erat: oblata quippe illis vita in matrimonio, monilibus, divitiis, deliciis, magnificentiis, coronis, immò ipſo mundi Imperio exornabatur: mors verò interminata in martyrio, injuriis, flagris, carceribus, catenis, compedibus, gladiis, æquuleis, ferris, rotis, incendiis, aliiſque id genus inſtrumentis & machinis, quibus ferrum igniſque tormentum inferre poteſt, armabatur. Conditionis fortunæq; inferioris, quamvis nobiles illuſtreſque relinquo perſonas; quod S. Cæcilia nuptiis Valeriani; S. Thecla Tamiridis; S. Agnes Romani Præſidis Filii; S. Felicula, S. Flavia Domitilla cum aliis, ejuſdem conditionis & fortunæ nuptiis frui potuiſſent. Silentio tantùm prætereundum non videtur, quod Sanctæ Diphnæ cum matrimonio Regnum & corona offertur Hiberniæ; S. Ephigeniæ corona Æthiopiæ; S. Catharinæ, & S. Suſannæ, totum Romanum Imperium, quod tum temporis imperabat omnibus: Illi cum nuptiis Imperatoris Maximini: huic cum nuptiis Imperatoris Maximiani; Verùm in invictis illis pectoribus, tantum omnibus jam memoratis præponderavit amor puritatis Virginalis, quam profitebantur jamque conſecrârant Chriſto, ut ad illibatam illam conſervandam, millenas potiùs coronas, & millena dediſſent Imperia, de hoc tantùm dolentes, quod non mille, ſed unam tantùm haberent vitam, quam illi propugnandæ immolare poſſent. S. Agnes non eos ætatis attigit annos, ut mulier dici poſſet; erat enim tredecim tantùm annorum juvencula, adeò verò virilis robuſtique animi, ut non ſolum Martyr mortem oppetierit, ſed illam pœnâ juſtificârit. Ad moriendum deducta, S. Ambroſio teſte, dixit, juſtè corpus ſuum condemnatum pergere ad mortem, quia alios, quàm ſponſi ſui Chriſti oculos oblectaret: *Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo.* *S. Amb.*

Porrò, cùm in hac verſemur materia, duo mihi narrandi vobis ſunt caſus, qui in tota hiſtoria Eccleſiaſtica ſingulari mihi complacentia arriſerunt; taliſque generoſitatis & reſolutionis exiſtunt, ut non

non nisi ex instinctu divino suscipi, executionique dari possint. Neque malè quis me notare velit,quod exempla multiplicem;quando enim congruentius loquendum de Sanctis multis, quàm in die Sanctorum omnium? maxima crudelitas, quâ Tyranni sæviebant in Virgines, erat in publicis eas lupanaribus,cum infamibus mulieribus exponere, ut ibidem vi illatâ virginitatem, castitatemque perderent, quam propugnabant: non intelligentes,quod ista virtus, sicut & reliquæ, in anima & non in corpore consistat, & non per sensum, sed consensum amittatur. Ad similem ergò locum aliquem ductam Euphrasiam protervus quidam miles occasione usurus fuit subsecutus. Virgo prudens olei secum phialam ferens militi dicebat: sub ea conditione, ut à tuo desistas intento,oleum tibi dabo,quo inunctus prælium ingressus, ab hostibus illæsus evades; & ut olei hujus experiare virtutem,ecce pectus meum illo inungo, tu proinde gladio tuo fortiter illi impacto experimentum illius cape. Fecit ità miles, illatoque vi maximâ ictu corpus exanime in terram concidit, Virginalisque puritas inviolata & integra pedibus substitit. Sancta Euphrasia erat Antiochena; quæ verò nunc sequitur,erat Aquileiensis,nomine Digna. Aquileiâ ab Attila Hunnorum Gentis barbaræ & ferocis Rege captâ,Domicella hæc per modum spolii forte obtigit alicui Duci,pretiosissimâ similiter, Christoque jam consecratâ Margaritâ ipsam spoliare tentanti. Inhabitabat turrim flumini Natiso proximam; porrò Digna à suo provocata Duce non invitam se ad postulata ostendens, ut turrim tanquam locum secretiorem & remotiorem ab oculis conscenderet rogavit: Ascenderunt igitur paritèr,moxque ut ibi se vidit,Digna ad Barbarum conversa,se sequi jussit,inquiens: si me frui velis,me sequere: & hoc dicens è turri se in fluvium præcipitavit, ubi cum vita simul suam suffocando injuriam, moriendo suam salvavit castitatem. O Digna verè digna æternâ memoriâ,& ut tuæ generositati,Euphrasiæque animo in virtutis Templo duæ erigantur statuæ, ambæ purificatam magis virginalem puritatem eripuistis discrimini,una per aquam,altera per sanguinem: ambæ promeritæ, ut à vobis de divino vestro dicatur sponso. *Hic est Jesus,qui venit per aquam & sanguinem; non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* *Joann. 5.v.6.*

Verùm ad sanctas redeundo Virgines, quæ mortem potiùs quàm matrimonium susceperunt, ad Virginalem tantùm conservandum statum; adhuc supersunt aliæ præclariorum facinorum patratrices: Virginalem enim statum, simul cum matrimonio conservârunt. Istud fuit rubum in medio flammarum conservare incombustum & virentem; & non unius paucorumvè dierum; sed continuum durante vitâ martyrium. Sancta Pulcheria Arcadii Imperatoris Filia, mortuoque germano Fratre suo Theodosio, Imperii hæres,cum Marciano matrimonium hac conditione & lege iniit,ut factum perpetuæ Virginitatis votum illibatum conservaret;& hoc pacto conservavit: Thronus erat communis,sed Thorus divisus. Admirabilius adhuc quiddam celeberrima illa bina Paria,alterum ex Germania,alterum ex Anglia fuerunt operata; Imperatrix scilicet,sancta Cunegundis,& Imperator sanctus Henricus; Regina sancta

Edita,& Rex Sanctus Eduardus: Utrique isti Principes matrimonio sibi mutuò fuêre illigati; neque alter tantum eorum, verùm utrique reciprocè Virgines. Ne verò excellentia hæc solùm videatur adhærere coronis, & in animis tantùm inveniri regiis; Eâdem in virtute emicuêre SS.Basilissa & Julianus Conjuges, fortunâ privati, quamvis sanguine nobiles. Sed si status matrimonii tam est sanctus, ut cùm ante nonnisi purus foret contractus humanus, Christus eum fecerit unum ex Ecclesiæ suæ Sacramentis; Et quà talem ex gratiæ fontibus: si usus ipsius & naturale commercium licitum est & justum, quare Sancti isti ejusdem commercii commoditatibus, prolium oblectamentis, familiæque dilatatione, quam ipse Deus suam vocat benedictionem, abstinuerunt? à propriæ domus successione, pro qua omnis labor subitur cum gaudio, & quicquid acquiritur vacat dolore: quia non transibit ad alios? denique quare omissâ mortalitatis consideratione, mori voluerunt non tantùm sibi & in se, sed secum finire? resolutionem hanc, uti reliquas omnes jam relatas solus miretur, qui nescit quantum sit, esse sanctum; quantumque excellentiæ hujus desiderium valeat in gnaris. Quicquid natura appetit, quicquid sensus amant, quicquid affectus desiderant, quicquid propiùs delectabiliusque cor afficit, quicquid memoriam magis honorat, posteritatemque conservat, Sancti isti contempserunt & dimiserunt: & è contrariò quicquid naturalibus istis appetitibus repugnat, quicquid eosdem humanos affligit & cruciat affectus, subiêrunt, superârunt, amplexi sunt voluntariè, & sine obligatione; cum gaudio & sine repugnantia; cum amore & sine difficultate. Quare? quia appetebant esse & futuri erant sancti: Et propterea hodie sunt tales, & illos velut Beatos celebramus: *Beati.*

§. X.

Ex toto hoc prolixoque discursu, quotquot me audistis, duas vos intulisse conclusiones video: Unam assumpto à me proposito conformem valde; alteram verò non minùs contrariam. Prima conclusio est, quod reverà omnique procul dubio res magna sit, esse sanctos. Si enim inter omnia infinitæ perfectionis suæ attributa, Deus majus reputat & præfert attributum Sancti: & si omnes Sanctissimæ Trinitatis Personæ, & singulæ seorsim tam sublimia æstimationis hujus dederunt exempla & documenta: si Beatissimæ Virgini Dei Genitrici per antonomasiam prudentissimæ, inter omnes terrestres, cœlestesque felicitates & beatitudines, nil rapuit oculos, cor abstulit gressusque stitit & detinuit, nisi Sanctorum omnium sanctitas, in qua etiam Filius ipsius Deus eam super omnes extulit: si Angeli & Seraphini, throno divino à latere assistentes, tantùm prædicant, nec alia Majestati Domini sui laudum præconia decantant, quàm esse Sanctum, Sanctum, Sanctum; & si excellentia, quâ idem Dominus Angelos bonos & obedientes confirmavit, quaque privavit rebelles, fuit, esse sanctos: & si omnium Hierarchiarum sancti, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, tantum laborârunt, tanta passi sunt, & adeò extrema attentârunt, ut eò tandem perveni-

venirent, uti pervenerunt, ut essent sancti; nullus dubio locus relinquitur, quin magnum quid sit, esse sanctum; & non magnum tantùm: sed omnium maximum. Hæc prima est conclusio, quæ ad unguem cum prima assumpti mei parte concordat.

Conclusio secunda, secundæ itidem assumpti mei parti planè contraria, est, quod probaturum me vobis promiserim, quàm facilè omnes possimus esse sancti; & quantamcunque hucusque discurrendo per vitas actionesque Sanctorum, per pugnas eorum & victorias demonstravi, omnia sunt difficilia adeò naturæque repugnantia, ut nos impotentes potius convincere videantur, omnemq; nobis spem non tantùm perveniendi, verùm etiam eò annitendi præscindant; ut simus sancti. Eja nolite despondere animum, qui hoc infertis; animæquiores potius estote, & consolamini multum: promissa quippe vobis tales evadendi facilitas, expeditior est, quàm ego proposui, & vos vobis imaginari potestis. Quicquid egerunt Sancti, ut essent sancti, optimè fuit impensum, & adhuc modicum; quia longè majoris momenti, majoris pretii & excellentiæ est, esse sanctos: ut quis verò talis evadat, non tantùm, sed longè minus est necessarium. Non est necessarium perpetuam servare Virginum continentiam; ad matrimonium liberè transire licet, in quo sancti fuêre Adam & Eva, Zacharias & Elisabeth, Joachim & Anna. Necesse non est anachoreticam, & in desertis solitariam agere vitam; in vestris enim ædibus sancti esse potestis, sicut Joseph, Samuel, David mortui in suis. Opus non est esse doctorem, vel palpebras ustulare super libros; sufficit enim scire Fidei mysteria, & præcepta, sicut S. Paulus cognomento Simplex S. Juniperus, S. Hermannus, & illi de quibus S. Augustinus: Exurgunt indocti, & literatis & doctis præripiunt regnum Dei. S. Aug. Nec opus est esse Martyrem; nam non solum sine martyrio, verùm etiam illud subterfugiendo, & vos subducendo & abscondendo potestis esse sancti, sicut fuit S. Athanasius, S. Felix, S. Sylvester, & alii. Multò minùs requiritur esse Apostolum, Patriarcham, Prophetã; ista quippe Officia, & dignitates cum tempore transierunt; potestisque esse sancti sicut illi, quotquot ipsos fuêre subsecuti.

Quid igitur, ut quis sanctus sit, requiritur? unum tantùm & quidem expeditum valdè, & in cujusque arbitrio & potestate situm; Bona scilicet conscientia, & cordis munditia, prout nostrum innuit thema: *Beati mundo corde*: Ecce quo pacto Deus nobis voluerit expedire cœlum, & ut possemus esse sancti. Ità ut Deus Beatitudinem sanctitatemque constituerit in aliquo, quod nullus non habet, & liberum magis & suum, sicut Cor. Quemadmodum Cor fons est vitæ, sic etiam sanctitatis: & quemadmodum Cor solùm aliis licèt membris & sensibus deficientibus ad vivendum sufficit, pari & majore ratione cordis munditia sufficit, ut quis sanctus existat, omnibus reliquis desideratis. Si sanctitas dependeret ab oculis, sanctus non esset Tobias cæcus, si dependeret à pedibus, sanctus non esset Jacob claudus, si à quocunque alio corporis dependeret membro, sanctus non foret Jobus in omnibus malè affectus, sanâ tãtùm linguâ, qui etsi linguâ quoque non fuisset sanus, mansisset tamen sanctus, quia sancta Christina abscissâ sibi linguâ,

guâ, Deum laudabat corde; & corde sine lingua tales edebat voces, ut non tantùm Angeli eas audirent in cœlo: verùm etiam circumstantes in terra. Proinde ut homo sit sanctus, nihil extrà hominem, sed nec totus quidem homo requiritur: unica tantùm pars illi sufficit, & illa prima vivens, & ultima moriens, ut tota illi deesse non possit in vita, pars illa Cor. Purum vobis mundumque sit Cor, reliquisque omnibus sibi deficientibus, sive suppetentibus, neque defectus impedimentum, neque abundantia obicem vobis ponent, quò minus sancti sitis. Salomon sibi à Deo nec divitias, nec paupertatem petebat, victui tantùm necessaria postulabat, veritus, ne in alterutro extremorum horum constitutus sanctus esse non posset: Ego verò certos vos facio, quod sive divites, sive pauperes, etiam pauperrimi, omni modo sancti esse possitis. Si fueritis divites, Eleemosynas dare valentes, date eas, & eritis sancti, sicut S. Joannes Eleemosynarius: si fueritis pauperes, & mendicare compulsi; petite, & eritis sancti, sicut Alexius: & si adeò fueritis derelicti, ut nec sit qui vobis eleemosynam largiatur, habete patientiam; & eritis sancti, sicut sanctus fuit Lazarus.

Prov. 30. v. 8.

Tertullianus Reges & Imperatores, non solùm non sanctos, sed nec Christianos quidem esse posse sensit; verùm in hoc, uti & in aliis erravit Tertullianus; siquidem scripsit, quando in Christianitate non aliæ, quàm illæ Martyrii dabantur coronæ. Rex fuit Galliæ S. Ludovicus; Rex Angliæ S. Eduardus; Rex Scotiæ S. Guilielmus; Rex Sueciæ, sanctus Ericus; Rex Daniæ S. Canutus; Rex Bohemiæ, S. Casimirus; Rex Norvvegiæ, S. Olaus; Rex Castellæ, S. Ferdinandus: & Imperator S. Henricus; omnesque sancti. Si enim in fortunæ suæ magnitudine Principibus major est materia pro vitiis, sic etiam major ipsis non deest sphæra pro virtutibus.

Idem de dignitatibus Ecclesiasticis esto judicium. Nonnullos Sanctos videbitis, cum Episcopalibus mitris, Cardinalium palliis & pileis, Pontificumque tiaris in capite, alios cum iisdem, sed ad pedem positis: & quare? Hos, quia dignitatis contempsêre splendorem; illos, quia sustentabant molem: verùm & hi, & illi Sancti. Non minus fuit sanctus Gregorius existens Papa, quàm S. Petrus Cælestinus, qui tiaræ nuncium remisit: Nec minus sanctus Augustinus Episcopus existens, quàm S. Thomas mitras recusans: neque minus sanctus Carolus Borromæus Cardinalis, quàm sanctus Franciscus Borgias, pallium admittere recusans.

Ille demum magnus est, eritque sanctus in quocunque demum statu, qui mundiore corde eo fuerit usus. Et, si minus per omnes mundi sive sublimiores, sive humiliores discurrite status; & in omnibus eis vestrum invenietis statum; ut videatis, quod in vestro, si volueritis, sancti esse possitis. Quænam, quæso, loca pejoris sunt conditionis in mundo, quàm Palatia Regûm, velut vanitatis, potentiæ, invidiæ, fraudisque & doli officinæ, ubi nunquam aut rarò veritas intrat? verùm nec idcircò in eis est Officium, quod non sit sanctificatum. Supremus aulæ Præfectus fuit sanctus Leodegarius; supremus Cubicularius S. Hyacinthus; supremus Hyppocomus, S. Vandrigilus; supremus Venationum Præfectus S. Mauranæus; Apparitorum S. Patricius; Pincernarum

primus

primus S.Patroclus ; Lateralium copiarum Dux S.Sebaſtianus ; Secretarius S. Anaſtaſius ; Conſiliarius S.Joannes Damaſcenus ; S.Germanus, S.Melanius; & in quolibet Officiorum horum multi alii Sancti.

Periculoſiſſimum ſanctitati Officium & Exercitium eſt illud Miniſtrorum juſtitiæ; ſive ſint illi qui ſententiam ferunt, vel qui eam defendunt, vel qui eam ſcribunt ; vel qui eam exequuntur ; verùm omnes, ſi mundo hoc fecerint corde, poſſunt eſſe ſuncti. SS.Herebertus, & Thomas Cantuarienſis fuêre Cancellarii. SS.Hyerotheus,& Dionyſius Areopagita Judices ; SS. Pudens & Apollonius Senatores ; S. Fulgentius regiorum bonorum Procurator. SS. Ambroſius, Chryſoſtomus & Cyprianus Advocati : SS. Marcianus, Geneſius, & Claudius Scribæ : SS. Anaſtaſius,& Ferreolus, Judices criminales : SS. Apronianus & Baſilides Satellites, & uſque ad viliſſimum carnificis exercitium fuêre ſancti, Cyriacus & S. Eſtratonicus, & alii.

Porro in nullo vitæ genere magis periclitari videtur vita æterna,quàm in eorum,qui accepto ſtipendio,proprii alienivè ſanguinis pretio vitam tranſigunt temporalem;tam duri,ut ferrum quo induuntur,tam violenti,ut ignis,quo armãtur,& tam vani & tumidi, ſicut ventus, qui in tympanis & tubis eos vocat,& in vexillis ducit. Infinitus nihilominus ſanctorum militum eſt numerus, qui vitam pro Chriſto conſtanter profundendo in Eccleſia militante, coronis palmiſque ornati Triumphantem ſunt ingreſſi, ſolâ ſæviente Trajani perſecutione Martyrium ſubierunt ſimul ſex millia militum quæ fuit legio illa famoſa Thebæorum & in illa Diocletiani & Maximiani ſimiliter uno die Decem millia, qui primò in Armeniam relegati, poſtmodum fuêre crucifixi. Non loquor de Ducibus,quales fuêre SS.Euſtachius & Conſtantinus ; neque de Polemarchis,quales fuêre SS.Nicoſtratus & Antiochus ; neque de Campi mareſchallis, quales fuêre SS.Marcellinus & Floreanus;neque de Chiliarchis equeſtrium,quales fuêre SS. Quirinus & Vitalis ; neque de Tribunis Pedeſtrium, quales fuerunt SS.Gordius & Marcellus;neque de Vexilliferis,quales fuerunt SS. Exuperius & Julianus, qnia ex virtute & præſtantia militum, ſanctitas eluceſcebat Ducûm.

S.Paulus omnium peccatorum radicem cupiditatem eſſe pronunciavit;cùmque radix hæc in omnibus mercatnræ profeſſoribus ſic invaluerit,& in ſingulis ipſorum ſic per omnes mundi partes ſeſe diffuderit ; non tamen deſinunt proferre fructus ſanctitatis. Ex iis prodiit S. Franciſcus de Aſſiſiis;S.Fulgentius;S.Guido,& non unus tantùm, ſed duo Firumentii,ambo ſancti : & multi alii.

Enim verò ſi ex umnibus iſtis Exercitiis,naturâ ſuâ tam periculoſis, & quodammodò contrariis iis,quibus evadunt & efficiuntur ſancti ; tot tamque glorioſos terra protulit cœlo ; quid quæſo,erit in exercitiis artibuſque mechanicis, in quibus labor individuus virtutum ſocius & comes omnium vitiorum lenam otioſitatem expellit?nihil loquendo de glorioſiſſimo S.Joſepho,de SS.Apoſtolis, ipſoque Chriſto, qui fabricato jam mundo, non ſibi dedecori vertit,in aliqua artium harum occupari; ex omnibus illâ electâ, quæ cum ligno Crucis majorem habebat ſym-

ſympathiam. S. Jacobus de Bohemia fuit faber lignarius ; S.Symphorianus, ſculptor ; S.Paulus hellaticus,tornator; S.Florus,Serrator ; S. Eligius,aurifaber; S.Andronicus,argentarius; S.Dunſtanur, faber ferrarius; S.Marcianus, armorum fabricator;S.Gildas artis fuſoriæ ; S.Proculus,lapicida;S.Criſpinus,ſutor ; S.Homobonus,ſartor ; S.Onuphrius, textor; S.Gualfundus,caupo ; S. Aquilas coriarius;S.Joannes Dei,librarius ; S. Iſidorus, agricola ; S Mauritius,hortulanus ; S. Leonardus,paſtor ; S.Adelricus,armentarius ; S. Arnoldus,nauta ; S.Parthenius, piſcator;S Venthirus,agaſo ; S.Ricardus, auriga ; S. Adrianus,tabellarius ; S.Guilielmus,molitor ; *S.*Gemianus,tabernarius, *S.*Quirinus,coquus, *S.*Alexander, carbonarius , *S.*Henricus,lanio, *S.*Ericnæus,ſordium expurgator. Neque officium , neque vitæ genus ſeu exercitium tam laborioſum,deſpectum,& ſordidum, quod mundo exercitum corde,non queat facere ſanctos.

§. XI.

VIdimus quomodo in omnibus ſtatibus, in omnibus officiis & exercitiis,in omnibus fortunis,felicitatem omnium maximam adipiſci poſſimus,quæ eſt,eſſe ſanctos : vidimus ad hoc unicum tantùm inſtrumentum eſſe neceſſarium,ſcilicet Cor , modò purum ſit & mundum : tantùm nunc ſupereſt pro complemento facilitatis , quâ vobis promiſi nos omnes poſſe eſſe ſanctos,declarare quàm facilè illam cordis munditiã obtinere valeamus. Munditia cordis conſiſtit in puritate à peccatis ; Porrò omnis quantuſcunque peccator,hanc tam facilè & citò conſequi poteſt cordis munditiam,ut ſi hanc Eccleſiam ingreſſus fuerit, ex ea egredi non poſſit quin ſanctus ſit : Præſentavit ſe Chriſto leproſus genibus flexis dicens : *Domine,ſi vis,potes me mundare.* Reſpondit Chriſtus : *Volo mundare.* Matt. 8.v.23. Eodemque mox inſtanti à tam fœdo & horrido malo mundus evaſit : *Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Nunquid brevius expeditiuſque munditiam conſequendi medium dari poteſt? videtur quod non. Ego igitur aſſero , & eſt de fide; quod citiùs & faciliùs adhuc cordis munditiam obtinere poteſtis , ipſo tantùm corde volente. Lepra cordis fædior,immundior,horribiliorque illâ corporis,eſt Peccatum. Porrò ut videatis quantò faciliùs citiuſque hujus lepræ mundatio conſequatur;eundem à Chriſto curatum leproſum , cordi ſimiliter leprâ per peccatum infecto opponamus : & utrum cor , an corpus faciliùs munditiam adipiſcatur clarè patebit.

Leprâ infectum erat cor Davidis,non aliud, ſed idem omninò , de quo ipſe iiſdem Textûs noſtri terminis loquitur : *Cor mundum crea in me Deus.* Pſal 50. v.12. Sicque leprâ occupatum , ut integro jam anno in peccato perſeveràſſet , quando Nathan Propheta ut infelicem animæ ſuæ ſtatum conſideraret ſeque ex toto corde ad Deum pœnitendo converteret,admonuit. Fecit ita David : ſed quid fecit? ſolummodò dixit : *Peccavi.* 2.Reg. 12.v.13. Vix hoc pronunciato verbo,Propheta ſubintulit , peccatum quoque ipſi dimiſſum , eumque gratiæ Dei reſtitutum:*Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ibidem. Collato jam Davide cum leproſo,videte uter illorum citiùs faciliuſque munditiam ſit conſecutus.Leproſus genu flexit:David illud non

flexit,

flexit. Leprosus quinque protulit verba: *Domine, si vis, potes me mundare*: David non nisi unum: *Peccavi:* Leprosus necdum munditiam fuerat consecutus, imò adhuc de ea hærebat anxius, *Si vis* : Et David eam jam obtinuerat, ex parte Dei certus: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Multò igitur facilius cor Davidis mundationem lepræ suæ obtinuit, quàm leprosus ille suæ. Quando verò leprosus eam recepit? quando Christus illi dixit: *Volo mundare*. Agite, nunc rogo vos, respondete mihi; & ego spondeo vobis, quod ipso responso vestro citiùs vestra corda mundabuntur, quàm leprosus responso Christi; quia responsum Christi duobus verbis munditiam impertivit leproso; responsum verò vestrum cordibus vestris munditiam conferet, unicâ tantùm syllabâ. Ad interrogata igitur, Christiani, respondete. Nonne summè doletis vos infinitæ majestatis & bonitatis Deum offendisse, eò quod sit, qui est? nonne doletis, & ex intimis cordis medullis vos pœnitet, tam ingratos vos fuisse Deo, qui vos creavit, qui esse vobis dedit, qui suo vos sanguine redemit? nonne ex toto corde vestro, omnia vestra detestamini peccata, eò quod ipsius sint offensiva? nunquid hac ipsâ horâ firmum habetis ipsum non amplius offendendi propositum? sic. Istud igitur, *Sic*, ex toto corde prolatum sufficit, ut cor ab omnibus emundetur peccatis: ipsumque *Sic*, cùm unâ tantùm constet syllabâ, eundem & magis admirandum in cordibus vestris operatum est effectum, quàm verba Christi in leproso.

Si igitur in cordis munditia sanctitas consistit, & hæc tam facilè, uno tantùm cordis ejusdem motu acquiri potest; quodnam, quæso, cor adeò erit infirmum, quisve homo tam infirmi, abjecti, & pusilli cordis, qui non resolvat id agere ut sit sanctus? si sanctum esse, arduum quid & difficile foret; cœlum cœlestisque Beatitudo illud à nobis exigere possent, ut ad hisce perfruendum omnes difficultates vincerentur: Verùm adeò expedita res est, ut sine motu locali, pedis aut manus; nec quicquam aliud faciendo, uno tantùm cordis, & quidem magis naturali, prompto, ipsique cordi suaviore actu, qui est amare, summumque amare bonum, possimus esse sancti. Moyses ad amandum ex toto corde Deum exhortatur, quod est mandatum omnium inclusivum, hoc modo concludens: *Mandatum hoc non supra te est, neque procul positum.* Si supra nos, & in cœlo esset: Deut. 30. v. 11.
In cœlo situm : pro impossibili illud reputare possemus: si longè à nobis abesset, Ibidem v. 12.
Trans mare positum : difficile causari possemus: verùm valdè expeditum est, & Ibidem v. 13.
vicinum: quia in corde nostro impletur: *Sed juxta te est sermo valde in corde tuo.* Ibidem v. 14.
Moyses cœlum non appromittens, vicinum nobis & juxta nos Præceptum illud esse asserebat: Christus verò promittens cœlum multò amplius & meliùs affirmavit; dixit enim, & Præceptum, & cœlum, ejusque merendi medium, non solùm prope, sed intrà nos esse: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. 17. v. 21.
Putamus cœlum, quò ascenderunt Sancti, longè distare à nobis, & decipimus nos: Cœlum non longè distat, sed valde prope est; & propius, quia intra nos: & in illo, quod magis nobis intrinsecum est, id est, in corde est. Et sint animæ, & tantæ numero animæ, quæ regnum cœlorum habentes intra se in vita, ab eo excludantur in morte?

te ? & tam facili medio valentes emundare cor,ut ſint ſanctæ, tantùm quia nolunt, ſanctæ non ſint ? ſi ad amandum Deum, cœlumque acquirendum procelloſa transfretanda forent maria, & cum elementis tempeſtatibuſque luctandum, parum eſſet hoc fieri pro beatitudine certa,quod pro terrenis tantùm modicisque lucris tot faciunt; verùm poſtquam Deus adeò nobis beatitudinem expedivit,ut inter beatitudinem & cor nil aliud intercedat,niſi conditio,ut ſit mundum: *Beati mundo corde* : cùmque idem cor munditiam hanc obtinere poſſit uno temporis inſtanti, & unico amoris actu, amoriſque ad ſummum bonum directi, non ſimus omnes ſancti, & uolimus eſſe beati ?

Admirationem hanc unico væ Sancti Bernardi, hoc ipſo die Religioſis ſuis prædicantis abſolvam; quod & ipſis & omnibus pro exemplo,& ad confuſionem deſervire poteſt: *Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt: Beati planè,& omninò beati,qui videbunt, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Tibi dixit cor meum,exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?defecit caro mea & cor meum,Deus cordis mei,& pars mea,Deus in æternum: quando adimplebis me lætitiâ cum vultu* S.Bern. *tuo ? væ mihi ab immunditia cordis mei, quâ impediente, necdum mereor ad beatam illam viſionem admitti*! ita S.Bernardus. Enim verò ſi hoc de ſe dicebat cor tam purum,cor tam ſanctum,cor tam elevatum,tam extaticum, tam ſeraphicum, & ita amore divino ſuccenſum: ſi iſtud in corde Bernardi lamentabatur humilitas,quid in aliis dicet Veritas? ſi corpore conſtituto in clauſtro, cor vagetur in mundo ? ſi cor jam conſecratum Deo, immoletur idolo ? ſi cor, quod amoris charitatiſque Dei oporteret eſſe plenum, ardeat amore,qui non eſt charitas ? ſi egreſſa ex corde verba, & cogitationes intus manentes,immunditiâ ſunt involutæ ? væ tali cordi,& ipſum habenti : *Væ mihi ab immunditia cordis mei!* væ iſtud, & væ S.Bernardi in die Sanctorum omnium, pro materia meditationis ſerviat omnibus,quotquot ſancti eſſe deſiderant. Notent nihilominus, certumque habeant, quod ſi væ iſtud cognitionis & timoris,in væ doloris, in væ contritionis fuerit converſum;illud ipſum væ ex toto corde prolatum,cùm una tantùm ſit ſyllaba (ut dixi) ad idem emundandum cor ſic ſufficiet, ut in hac vita ſanctificatum per gratiam, in altera vita beatificari mereatur per Gloriam : *Beati mundo corde.*

SERMO

SERMO

De

Dominica Secunda Quadragesimæ.

Ulyssippone in Capella Regia. 1651.

Resplenduit facies ejus sicut Sol : Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Matth. *17.*

§. I.



DOMINICA Quinta Quadragesimæ, in Terra nostra vulgò Dominica Veritatûm appellatur: hanc verò secundam (si loqui sic fas esset) mendaciorum Dominicam nuncuparem. Quonam verò fundamento (omnes mihi, nec sine ratione dicent) quonam fundamento & motivo, hoc tàm inusitatum & absonum huic tam sacro diei, sicut omnes sunt Dominicæ anni, & huic specificè, tam singulari Dominicæ inter omnes quadragesimæ Dominicas, cui Ecclesia sublimissimum Transfigurationis Domini Mysterium dedicavit, nomen imponam. Quod Christus talibus circumstantiis splendoris, gloriæ & Majestatis, descendente è cœlo Patre, ascendente è sinu Abrahæ Moyse, accedente è terrestri Paradiso Eliâ, assistentibus simul tribus Apostolorum primis (pro ut cum sancto Augustino PP. & cum D. Thoma notant Theologi) fuerit transfiguratus, causæ fuerunt duæ. Prima, ut argumentis quibusdam gloriam nobis demonstraret in terra, quâ fruemur in Cœlo: secunda, ut gloriæ ejusdem veritas universali triplicis legis, Naturæ in Moyse, Scriptæ in Elia, Gratiæ in Apostolis; testimonio & super omnia irrefragabili ipsius Dei voce ab omnibus auditâ confirmaretur. Si igitur in mysterio & Transfigurationis Christi testimonio, non tantùm Beatitudinis gloria continetur in se ipsa, verùm etiam, ejusdem gloriæ Veritas quo ad nos; & hanc gloriam, ejusque Veritatem hodiè celebrat, omnibus fidelibus prædicari Catholica mandat Ecclesia; quâ fronte & motivo diem tam solemnem & gloriosum, & cælestem magis, quàm terrestrem, mendaciorum Dominicam vocari, aut vocari posse asserere præsumo? Respondeo, quod ex eodem capite, & hanc ipsam ob causam, sensu discreto & congruenti hæc Dominica sic vocari possit. Et quare? Quia hodiernarum Concio-

S Aug. Div. Thom.

num ſubjectum eſt gloriæ cæleſtis excellentia; & quicquid de hac exaggerando prædicatur, quamvis dicenda, ſint veriſſima, quod tamen dicitur eſt mendacium.

Jàm patebit utrum præſumptionis temeritatiſve notam dicta mea mereantur. Extraordinariarum gratiarum, quas Deus Davidi, tanquam homini ſecundùm cor ſuum, contulit, una, & fortaſſis maxima fuit, quod quâdam die ipſum ſpiritu raptum, elevârit in Cœlum, ubi remotis Throni Majeſtatis divinæ, totiuſque gloriæ Theatri, ſipariis, gloriam ipſi oſtendit, quâ, poſtquàm Dei ſuuſque Filius, ſuo eam ſanguine comparaſſet, fruiturus foret. Visâ igitur Beatorum, etiam ſuâ quandoque futurâ gloriâ, quem David de eâdem Conceptum formâſſe videtur? ille ipſemet illum & admirabilem exprimit: *Ego dixi in ex-*
Pſalm. 115. v. 2. *ceſſu meo: omnis homo mendax.* Id eſt, in extaſi illa, quâ raptus fui in cœlum viſis illis quæ vidi, non aliud dixi aut exclamavi, quàm quod omnis homo mendax. Notabilis conſequentia! Petrus gloriâ montis Thabor visâ, inquit: *Bonum eſt nos hic*
Matt. 17. v. 4. *eſſe*: & David gloriam intuitus cæleſtem, inquit: *Omnis homo mendax*? Itâ; & ſtupendo quidem Diſcurſu. q. d. Eſtne poſſibile, illam eſſe beatitudinem cæleſtem? eſtne poſſibile, iſtud eſſe, quod in mundo vocamus gloriam? Omninò certum eſt, quod nullus de gloria loquens aliud pro altero non aſſeveret: nullus homo de gloria loquens, non illud quod eſt, ſed quod non eſt adſtruat: denique quod omnis de gloria loquens mendax eſt: *omnis homo mendax*. Hunc Conceptum formavit David raptus in cœlum: nec ego idoneum me reputarem tati formando, neque cum eo in publicum prodire præſumerem; niſi prius hoc dixiſſet in eadem verba commentatus Theodorus Heracleota inter PP. Græcos celebris, qui ante mille trecentoſque annos floruit, Heracleæ in Thracia Epiſcopus, ſacrarum Scripturarum interpres doctiſſimus; uti de eo S. Hieronymus in ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo ſcribit. Verba ejus ſunt iſta: *Exclamavit David in exceſſu ſuo: omnis homo mendax: qui enim voce ineffabilia hortatur mendax eſt: non quod oderit veritatem; ſed quia deficit in rei intellectæ expoſitione.* Exclamavit David in extaſi (inquit egregius Heracleota) nec dubitavit dicere, omnem hominem mentiri, qui enim res ineffabiles explicare nititur, terminis declarationi neceſſariis deſtitutus, neceſſariò mentiri cogitur: non quod Veritatis ſit inimicus; ſed quia illam, pro ut eſt, exprimere nequit. Et hâc ratione, ſenſuque vero dico, quod dies, quo nos Prædicatores de gloriæ excellentiis loquimur, mendaciorum dies ſit.

Theod. Heracleota. *D. Hieron. in Catalogo Script. Eccleſiaſti.*

§. II.

Verùm antequàm progrediamur, probare me ſinite, relatum à me ſenſum, proprium, & genuinum eſſe Davidici textus. Verum cognoſcendi textus cujuslibet ſenſum, Regula certa, ſicuti cum S Auguſtino omnes docent Theologi; & SS. Scripturarum Interpretes, eſt connexio quam habent textus antecedentes cum conſequentibus. Si dicta & ſequentia naturaliter concurrunt & concordant cum eo, quod dicit textus, argumentum eſt certum & evidens, hunc eſſe proprium ejus, literalem verumque ſenſum.

ſenſum. Proinde videamus quid David ante,& poſt relatam ſuam extaſin factamque in eâ exclamationem dicat.

Præcedentia verba tantùm ſunt iſta, & non alia,nam ſic incipit Pſalmus : *Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.* Ego (inquit David) locutus ſum pro ut credidi, humiliatuſque valdè remanſi.Si igitur credulitati ſuæ conſentaneè fuit locutus, potuitne tantus Propheta ex hoc humiliari ? Ità, & in hoc tantummodo caſu. Quod credebat David,à fide docebatur; nihilque fidem humiliare poteſt,præterquàm viſus. Raptus fuit in cœlum,quid gloria eſſet intuitus;& quia clara gloriæ intuitio obſcuras Fidei apprehenſiones excedit infinitè, humiliatus fuit, & quaſi rubore ſuffuſus, propter modicum illud, quod de eâdem locutus pronunciaverat ſola fide doctus : *Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.* Cæcus ille à nativitate, cui Chriſtus contulit viſum, ſæpius quidem de Sole loquentes audivit:oculis verò apertis ſolem intuitus,cognovit,quàm indignum & incongruum de ipſius luce, & pulchritudine, Conceptum formaſſet; quàm ſolummodò cognoverat ex auditu. Idem accidit Davidi,locutus tantùm fuerat de gloria,quod ſciebat ex Fide; & hinc oculis ipſam contemplatus, adeò fuit humiliatus,tanto rubore verecundiaque ſuffuſus,quod tàm parùm de illa aſſeruiſſet,ut retractare non dubitarit,& ſe & omnes de eâ locutos, mentitos fuiſſe affirmans:*Ego dixi in exceſſu meo; omnis homo mendax.*

Pſalm. 115.

Subjuncta & immediatè Textum ſubſequentia verba,ſunt illa:*Quid retribuam Domino pro omnibus,quæ retribuit mihi?* Cohærentia major, proprietaſve major dari nequit. Quid retribuam (inquit) Deo pro omnibus,quæ retribuit mihi?Age nunc David,jam tibi retributum eſt à Deo,jam Deus tibi agendi adhuc in terrâ remuneratus ſolvit ? Omninò : Jam enim mihi Deus in extaſi oſtendit gloriam mihi præparatam,& mercedem futuram in cœlo. Idcirco illam propriè, non donum,neque gratiam aut favorem, ſed Retributionem appellat : *pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Gloria eſt retributio, præmium & merces quâ Deus in cœlo, præſtita ſibi in terra ſervitia ſolvit:Porrò quia Deus in extaſi illa, gloriam oſtendit Davidi, quâ ſua ipſi remuneraturus & ſoluturus erat ſervitia; hinc ipſe gratitudinis affectu, gratiaſque agendi motivo, nec non novum quoddam Deo ſervitium exhibendi deſiderio,quod tanto reſponderet præmio,retributionem retributione compenſaturus, in hæc verba prorupit : *Quid retribuam Domino,pro omnibus,quæ retribuit mihi ?* Quonam verò pacto David eandem Deo retribuere cupiebat retributionem; ſi Beati illam accipiendo nec retribuunt, nec retribuere poſſunt ? Ratio & differentia eſt, quia Beati in cœlo, in ſtatu merendi & ſerviendi non agunt : David verò raptus & ſublatus in cœlum reverſus eſt in terram, ideoque oſtenſam ſibi retributionem,retributionemque retributione compenſandi capax erat.

Pſalm. 115.v.3.

David itaque dubius,modumque ſciendi avidus, quo retributionem ſibi paratam in cœlo, eidem gloriæ æquivalente retributione Deo compenſare poſſet, accepto à Deo lumine hoc ſublimiſſimè concepit, quo omnia jam dicta mirabiliter confirmantur : *Calicem ſalutaris accipiam,*

Psalm. 115.v.4. *accipiam,& nomen Domini invocabo*.q.d. offeram Deo in sacrificium Calicem Salvatoris, nomen ejus sanctum invocando: & hoc modo gratias agens illi, eandem retribuam gloriam, quam mihi præparavit in cœlo. Calix igitur Salvatoris, gratiarum est actio, est merces & retributio, quâ David Deo retribuet gloriam, quâ Deus ipse Davidi remunerabit, solvetque sua servitia ? est planè. Neque alia similis ipsi dari potest. Et quare ? Quia pretium, quo nobis Salvator gloriam acquisivit, calix fuit sui sanguinis in sua passione profusi, qui idem est sanguis, idemque calix, qui consecratur in Sacramento: & hoc solo calice in sacrificium Deo oblato, compensari potest gloria, quam nobis in beatitudine largitur; quia est compensare & retribuere gloriam, non tantùm pretio æquali, sed eodem quo fuit comparata. Nunquid gloria calice sanguinis Salvatoris fuit comparata ? ejusdem itaque sanguinis calice illam solvam Deoque retribuam: ista, enim retributio gratiarum actionis, retributionem præmii adæquare potest: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam,& nomen Domini invocabo.*

Proinde, (ad nostrum revertendo textum) David in spiritu raptus, & in cœlum sublatus, gloriam Beatorum speculatus claram ejusdem, quam vidit, cognitionem conferens cum conceptu, quem de eadem formant, qui non intuiti de ea loquuntur; ex visione illa nihil aliud intulit, neque consequentiam aliam evicit, quàm omnem hominem mendacem affirmare: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Non absolutè quidem,& in quacunque alia materia; sed in hâc specificè; & quando sermonem faciunt de gloria. Dico, quando loquuntur de gloria; in hoc quippe sensu tantùm textus Davidis verificatur; qui absolutè sumptus, pro ut vulgariter intelligitur, eâdem in scripturâ magnam involvit contradictionem. Apocal. cap. 14. inquit S. Joannes se multa millia vidisse hominum, in quorum ore nunquàm inventum fuerit mendacium: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Talis fuit Nathanael, de quo Christus dixit: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Talis fuit S. Joannes Baptista, de quo canit Ecclesia: *Ne levi posses maculare vitam crimine lingua.* Et revera ad non mentiendum, non est necesse esse sanctum, sufficit esse honoratum seu honorabilem; nihil enim magis est indecorum, magisve aversatur honoratus, quàm mendacium & mentiri. Si igitur est de fide, tot inveniri nunquam mentitos, quo pacto David omnes homines mendaces affirmat: *Omnis homo mendax?* Davidis assertum in sensu trito defendere volentes, ipsum neque de actu, neque de habitu mentiendi; sed de Naturæ corruptela loqui dicunt. Verùm si naturæ corruptio sufficit, ut omnis homo mendax esse dicatur, ad dicendum similiter sufficiet, omnem hominem esse furem, latronem, adulterum: quod nullus unquam dixit, nec dicere potest. Hic nunc patebit, quàm proprius & verus sit sensus, quo cum Theodoro, Davidis textum declaravimus. Dicens, *Omnis homo mendax*, non universaliter de omni loquitur materia, sed de illâ tantùm quam actualiter in sua extasi viderat, quæ erat Gloria: & de hac tantùm & specificè dicit, quod nullus de eâ loquens non mentiatur.

Apoc. 14.v.5. Joan. 1. v.47. Ecclesia

Enim

Enim verò ſuppoſito quod David intulit, & de visâ à ſe Gloriâ hanc deduxit conſequentiam: Ego ſimiliter de iſto ipſius aſſerto inferam deducamque conſequentias Dicíſne, David, quod omnis homo de Gloria loquens mentiatur, quia minus dicit quàm eſt? Ergò & tu, qui es homo, locutus de Gloria, es mentitus? concedo, inquit David: ſiquidem iſtud mentiri culpâ vacat. Porro ſi tu, qui omnium Prophetarum fuiſti illuminatiſſimus, in hoc ſenſu es mentitus, nunquid etiam alios Prophetas, quando de eâ locuti fuerunt, mentitos fuiſſe dicemus? Etiam, inquit David, in ſenſu quo ego illud dixi, quia tam pro me, quàm pro aliis illud affirmavi. Et ſi Prophetæ de Gloria loquendo ſunt mentiti; de Evangeliſtis quid ſentiendum? in eodem ſenſu, quo David fuit locutus, idem dicit, quod ſic: cui & ego ſubſcribo: quod tamen ne quis Evangeliſtarum veracitati derogatorium aut inciriofum exiſtimet; ſed in laudem potius, gloriæque excellentiam inſinuandam, dictum ſibi perſuadeat. State mecum, & propoſitionem hanc admirabilem ſolidiſſimis Theologiæ baſibus imponemus.

Div. Thom. Quæſt. 110. art. 2. Divus Thomas mendacium in ſuas dividens ſpecies Quæſt. 110. art. 2. dicit ità cum Ariſtotele citato Ethicorum quarto. Ecce an non duo ſint Philoſophiæ Theologiæque Coriphæi: *Mendatium in duo dividitur, ſcilicet, in mendacium quod tranſcendit veritatem in majus; & mendacium, quod deficit à veritate in minus.* *Ariſt. Ethic.* Mendacium, inquit D. Thomas, in duas dividitur ſpecies: unam per exceſſum, alteram per defectum: Mendacium per exceſſum, eſt quod excedit veritatem dicendo plus; & mendacium per defectum, eſt quod derogat veritati; quia dicit minus. Diviſio hæc (quæ adæquata eſt) in oppoſitione fundatur quam mendacium cum veritate habet: veritatis enim integritas conſiſtit in dicendo quod eſt, & quomodo eſt: porro ſicut dicere plus quàm eſt, eſt mendacium per exceſſum; ſic dicere minus, quàm eſt, eſt mendacium per defectum. Et ab ſecundâ mendacii ſpecie (quæ naturalis eſt & non moralis) nec Prophetæ, neque Evangeliſtæ de Gloria locuti, ſeſe eximere potuerunt: non quod veritatem dicere, eamque optimo poſſibilique patefacere noluerint modo: ſed quod ipſa gloria veriſſimè tam ſit magnifica & ſublimis, omnemque humanum captum, linguæ facundiam in tantum tranſcendat, ut quantumcunque de eſſentia ipſius dixerint, ſemper tamen longè minus dicant.

§. III.

Exordiamur ab Evangeliſtis, primumque inter illos locum occupet S. Matthæus, in Evangelio hodierno itidem primus. S. Matthæus celeberrimam transfigurationis Domini noſtri in monte Thabor hiſtoriam narrat, quo deductis ſecum tribus Apoſtolorum præcipuis, ſibique familiarioribus, Glorioſum ſe oſtendit: Et quid Evangeliſta de hac gloria refert? dicit: *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* *Matth. 17. v. 2.* Profectò ſi oſtenſa diſcipulis gloria non fuit alia, quàm quæ ſic deſcribitur, neceſſe non eſt ad eam intuendam cœlum intrare; imò ne montem quidem conſcendere: ſplendor velut ille ſolis, & albedo inſtar nivis, in quâcunque valle invenitur & ex quacunque valle videtur. S. Jo-

annes Chrysostomus splendorem corporum gloriosorum in cœlis describens, inquit qnod tantum excedent fulgorem Solis, quantum hic excedit lumen candelæ. *Erit lux non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tanto superabit fulgore, quantùm ista lumen lychni.* Et si cujuslibet corporis gloriosi fulgor, non solùm in tantum solis splendorem excedit, sed diversa protinùs, alteriusque speciei existit: *Non quæ nunc est, sed planè alia*: Glorificati Corporis Christi infinitè majore præ omnibus Beatis irradiante fulgore, quo pacto inquit Evangelista, quod solis instar resplenduerit? S. Theresia, cui Christus iteratis vicibus easdem montis Thabor delicias splendoresque exhibuit, splendorem illum albedinemque illam ab omni eo quod hic sub oculos scientiamque seu notitiam cadit, tam diversa fuisse asserit, ut nix sibi nigra, & sol obscurus, oculisque & aspectu indignus sibi videretur. Ipsi tres Apostoli, eodem in casu magnum sunt discrimen experti: Transfigurati quippe Domini conspectu, tali stupore hæsêre attoniti, prout S. Marcus notavit: *Non enim sciebat, quid diceret; erant enim timore exterriti.* Si igitur in hominibus solem nivemque videre assuetis, tam diversos visio ista causavit effectus; splendor ille & albedo quem videbant, à sole & nive multùm differebant. Denique S. S. Joannes Damascenus, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, aliique PP. splendorem istum & albedinem istam, non tantùm emanâsse dicunt de glorioso corpore Christi, neque tantùm de anima ipsius semper beatâ, sed de ipsa Verbi divinitate, utrique humanitatis parti hypostaticè unita, de quâ velut

S. Chrysost. Paraenet. 1. ad Theod.

S. Theres.

Marc. 9. v. 5.

Damasc. Epiphan. Greg. Naz. Aug.

scaturigine principioque fontali in faciem vestimentaque Christi admirabiles isti sese diffundebant effectus, in argumentum, sensibilemque quasi probationem, hominem illum sic visum simul esse Deum, quod mox subsecuta vox Patris protestata fuit: *Hic est filius meus dilectus.* Verbum divinum in scripturis dicitur: *Splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris.* Similiter vocatur Candor: *Candor est enim lucis æternæ*, & ab hoc splendore divino, faciei splendor, & ab hoc Candore similiter divino vestimentorum albedo in Christo transfigurato promanavit.

Matth. 17. v. 5.

Heb. 1. v. 3.

Sap. 7. v. 26

Si igitur comparatio solis & nivis cuicunque Beato & glorioso corpori applicata, injuria potius est, quàm similitudo; si splendor candorq; faciei vestimentorumque Christi gloriâ infinitâ pulchritudinem & ornatum cælestis Curiæ excedebant, & si isti duo reflexus gloriæque ostenta, in ejusdem gloriæ Domino divina potius erant, quàm supernaturalia; nec non in luce & candore divinitatis radii exprimebantur: quo pacto ait Evangelista, faciei splendorem fuisse velut solis: *Resplenduit facies ejus, sicut sol:* vestimentorumque candorem instar nivis: *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix?* Hinc nunc clarè elucescit, quàm veracitèr David dixerit: *Omnis homo mendax:* Neminem excipiens, quāvis sit Evangelista. In aliis omnibus materiis Evangelistarum veracitas tam adæquata, quàm infallibilis existit verùm ubi sermo fit de gloria, non ob Historici defectum, sed ejusdem gloriæ excessum, tam imperfecti sunt colores, quibus eam depingunt, tamque inæquales similitudines, quibus eam describunt, ut non exprі-

primant eam, ſicuti eſt, ſed ſicuti non eſt. Declarant multum modico; majus exaggerant minore; Explicant quod vocant ſimile, per hoc quod ſimili caret. Denique ſic veritates narrant Gloriæ; ut ſemper inter terminos & diviſionem maneant mendacii. Nunquid D. Thomas mendacium ob defectum definit, eſſe, dicere minus, quàm quod eſt; *Mendacium quod deficit à veritate in minus;* Iſtud igitur ipſis etiam Evangeliſtis accidit, quando de gloria loquuntur.

§. IV.

IN Curru Ezechielis, gloriæ Dei vocato, facies hominis S. Matthæum, facies aquilæ S. Joannem denotabat. Agedum nunc videre libeat, utrum Evangeliſta S. Joannes, velut acutiſſimi visûs aquila plus dicendo aſſequatur, quàm S. Matthæus. Apocalypſeos ſuæ Cap. 21. & 22. inquit S. Joannes, quod triumphantem Gloriæ civitatem deſcendere de cœlo viderit, veluti ſponſam in nuptiarum die exornatam: *Vidi Civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Deſcriptionemque Civitatis, ſicut Deus fabricam mundi exorſus à luce, inquit; quod claritas Dei illam illuminaret, quæ ſimilis eſſet lapidi pretioſo, ſimili Jaſpidi, qui Jaſpis ſimilis eſſet Cryſtallo. *Habentem claritatem Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi Iaſpidis, ſicut Cryſtallum.* Jaſpis, de quo hîc loquitur S. Joannes, non eſt lapis ille groſſus & vulgaris, quem nos ita vocamus; ſed alius tantùm illi ſimilis imitatione & repræſentatione colorum, quem Græci Esfingites appellârunt. De hoc lapide ſcribit Suetonius, quod ambulacrum ſibi ex eo conſtruxerit Domitianus, qui S. Joannem in Inſulam Pathmos proſcripſit: & Plinius adjungit, paulò ante detectum fuiſſe in Capadocia tempore Neronis, qui ejuſdem lapidis laminis interiora templi Fortunæ veſtierat. Porrò talem ipſius fuiſſe ſplendorem naturalem, ut januis feneſtriſque Templi ſoli clauſis, iſtæ laminæ lucem conſervârint diei.

Apoc. 21. v. 2.

Ibidem v. 11.

Pergit Evangeliſta ſuam Gloriæ deſcribere civitatem; cujus muros altiſſimos & fortiſſimos extructos fuiſſe dicit in quadro, & eodem ex lapide omnes. Angelus quiſpiam eos arundine aureâ menſus, invenit quod à quolibet latere ſtadia haberent duodecim millia, quæ milliarium noſtrorum quadraginta quatuor conficiunt; ut & numerus ſit quadratus, in omnibus ſignificans firmitatem. Civitatis hujus muri duodecim habebant portas, quæ nunquam claudebantur: quia à regione illa nox exulabat. Porrò duodecim harum portarum tres reſpiciebant versùs Orientem, tres versùs Occidentem, tres verſùs Septentrionem, & tres verſùs Meridiem: in ſignum quod omnibus mundi plagis, & cujuſcunque demum Nationis hominibus cœlum pateret. Portæ ejuſdem erant ſtructuræ, ejuſdemque magnitudinis, altitudini magnificentiæque murorum adæquatæ, & ſingulæ ex ſingulis margaritis: *Et ſingulæ portæ ex ſingulis erant margaritis.* *Apoc. 21. v. 12* Si in antiquo Pantheon, quod omnium Deorum erat templum, & proinde cœli figura, hodiedum adhuc, tanquam mirabile quiddam Porta oſtenditur ex marmoris fragmine; quàm obſtupeſcen-

dæ forent illæ longè majores ipſo templo,ex una fabricatæ margarita? duodecim hiſce portis, totidem alia reſpondebant fundamenta, totam ſuſtentantia Civitatem, quorum quodlibet non ex eodem, ſed ex variis, & tam pretioſis, quàm diverſis lapidibus erat elaboratum. Fundamentum primum, inquit S.Joannes, erat Jaſpis; ſecundum, Saphirus; tertium, Calcedonius; quartum, Smaragdus; quintum Sardonyx; ſextum, Sardius; ſeptimum, Chryſolitus; octavum, Berillus; nonum, Topacius; decimum Chryſopraſus; undecimum, Hyacinthus; duodecimum, Amethyſtus. Et hoc numero & ordine inſculpta ſibi habebant & inciſa nomina duodecim Apoſtolorum: in ſola etenim Fide & doctrina Apoſtolorum fundata, ſecura eſſe poteſt ſpes, in gloriam intrandi.

Verùm enim verò ſi tam ſplendida & pretioſa Civitatis illius fuêre exteriora; quale de interioribus erit judicium? totam Civitatem in omni ſua amplitudine, omnia ipſius ædificia, & palatia (quæ omnia ſunt regia) omnia ejusdem fora, & plateas, inquit S. Joannes Evangeliſta fuiſſe ex auro puro & ſolido; & non ex auro groſſo velut noſtro, ſed ex diaphano & tranſparente, velut vitro: *Ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo: & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* Ita ut Civitas Gloriæ in pavimento, in parietibus, in tricliniis & conclavibus interioribus non eſſet niſi ſpeculum aureum: omnes enim perpetuò vident ſeipſos, vident omnes & omnia. Nihil ibi abſconditur; quia ibi non eſt vitium: nihil ibi tegitur, omnia enim oculis ſunt expoſita: nihil ibi diſplicens diſſimulatur, quia omnia jucunda ſunt & grata: & quoniam omnia ſunt amor, omnia communicantur. Aliâ adhuc excellentiâ gaudet Civitas illa beata, quâ ſi careret, civitas Gloriæ non eſſet. Veniens Romam florente adhuc opulentiæ gloriæque ipſius ſtatu Legatus quidam Epyrotarum Regis Pyrrhi, ſat mirari nequibat, quod potentia & ars in illo divitiarum, deliciarumque emporio conjunxerat. Rogatus verò à Romanis, num quid in civitate reprehenſione dignum inveniret? reſpondit, omninò, invenio. Et quidnam inquiunt? reſpondit, quòd Romæ quis moritur. Aliter, inquit S.Joannes, ſe res habet in hac opulentiſſima & ſplendidiſſima Civitate, quam vobis deſcripſi: *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quia de throno Regis ſupremi, fluvius exit cryſtallinus, totam irrigans Civitatem, cujus ripæ arboribus ſunt conſitæ, arboresque fructibus ſunt gravidæ, & quidem melioribus, quàm fructus fuerunt arboris vitæ, qui non ſolùm immortales, verùm æternos facient homines: *Fluvium aquæ vivæ ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum Vitæ.*

Ibidem v.18. & 21. — *Ibidem v 4.* — *Apoc. 22 v. 1. & 2.*

§. V.

HÆc eſt, Auditores, Gloriæ Civitas, à S. Joanne Evangeliſta deſcripta: & ſufficeret talem eſſe, qualis deſcribitur, ad noſtra promerenda & excitanda deſideria, & ut plus faceremus, quàm facimus ad vivendum in ea. Verùm, jam dicta cum diſtinctione veniunt intelligenda. Evangeliſta dicendo, in beata illa Patria non eſſe mortem, neque dolorem, neque triſtitiam, neque gemitum,

rum, neque accidentium aliorum quippiam, quæ in hac lachrymarum valle, molestam & tædiosam reddunt vitam, est ipsa veritas, intellecta ut sonat, quod omni dubio vacat. Verùm istud non est dicere quid in cœlo sit, sed quid non sit: non est mors, non sunt dolores, non sunt ærumnæ. Reliqua quæ ad gloriam & splendorem & divitias Civitatis ejusdem pertinent, uti aurum, gemmæ, adamantes, omnisque alius lapidum pretiosorum, è quibus muri constructi sunt, apparatus, & quicquid illis comprehenditur & circumdatur dubium tantùm movent. Nec sine ratione. Doctorum quidem aliqui illa in cœlo dari probabile putant: reliqui verò absolutè id negant, & meâ opinione, evidentèr: Ipsi vestri oculi, & conceptus vestri & cogitationes probationem mihi evincent. Interrogo: nunquid vidistis jam aurum, nunquid vidistis margaritas, adamantes, omnesque alios lapides pretiosos, ex quibus S. Joannes Civitatem Gloriæ construit? Sic. Ergo certum est, ex auro isto, lapidibusque istis civitatem Gloriæ non esse constructam. Quare? quia S. Paulus qui in cœlum raptus, vidit quicquid ibidem est, nunquam visa affirmat, quæ Deus ad beatitudinem electis præparavit: *Oculus non vidit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Ex eodem igitur casu, quo nos aurum istud, istosque lapides videmus, evidenter sequitur, non materialia illa esse, ex quibus Civitas, seu Gloriæ Curia constructa est. Dicet fors quispiam; quamvis vidimus aurum lapidesque pretiosos; est nunquam civitatem aliquam, immò nec domum quidem unam ex auro hoc & lapidibus pretiosis constructam, vidimus: hæc verò Civitas à S. Joanne

1. Cor. 2. v. 9.

descripta, non solùm qualiscunque, sed quadringenta milliaria in quadro continens est Civitas. Optima instantia: sed ego interrogationem itero. Imaginationem vestram convenio. Nunquid in ea concipere & fabricare potestis tantam civitatem, totam ex auro, adamantibus, margaritisque extructam? non est dubium, quin, quamvis scientiâ architectonicâ non simus pares Vetruvio, illam concipere, ideamque formare possimus: immò pro cujuscunque beneplacito. Civitas ergò gloriæ non est sicut eam S. Joannes describit: Idem enim S. Paulus inquit, quod quæ ibidem nobis Deus præparavit, non solùm oculi nunquàm viderint, sed nec cogitatio assequi, nec sub imaginationem cadere possit: *Oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit.* *Ibidem.* Quæ si ita se habent veritate ineffabili, & irrefragabili, quo pacto Evangelista S. Joannes Civitatem cœlestem totam ex auro lapidibusque pretiosis constantem & constructam describit?

Intentum illud dilecti Discipuli Christi, eo, quod cuidam famosissimi & antiquissimi pictoris Zeuxis Discipulo accidit, explicabo. Mandavit illi Magister ut pro tyrocinii sui specimine & proba, Deam Venerem sibi eâ formæ elegantiâ & pulchritudine depingeret, quam artis ipsius peritiâ assequi posset. Fecit id Discipulus, multorumque dierum feriâ applicatione & studio, noctiumque non paucarum lucubrationibus impensis magistro suo quadrum exhibuit. Videbatur in eo Dea tota exornata & ditata margaritis, quæ naturæ potiùs furto ablatæ, quàm arte imitatæ videbantur: in digitis annuli adamantini, in brachiis armillæ ex Sardonyche, circumdabat col-

lum ex magnis unionibus confectum monile, Vertex smaragdinâ ornabatur Coronâ, aures copiosis micabant margaritis, pectus pretioso refulgebat lapide figuram referente Cupidinis, rosâ Hyacinthinâ circumdato: sandalia omni lapidum genere distincta; togæ auro intertextæ, funèque saphyrino circumcinctæ. Ista erat forma Quadri, & in eo totum ingenium apparebat Discipuli: applausus expectabatur Magistri. Quid verò
Zeuxis Zeuxem dixisse putatis? *Fecisti divitem quia non potuisti facere pulchram.* Idem mihi de auro, margaritis, lapidibusque pretiosis, quibus S. Joannes Gloriæ Civitatem descripsit, est judicium. Evangelista sacer, ditissima est civitas, quam nobis depinxisti: Sed fecisti eam tam divitem, quia non potuisti facere pulchram. Pulchritudo quam visuram se nostra Fides sperat in cœlo, non est velut ista, quâ solùm exaltari potest cupiditas terræ. Advertisti sanè hoc ipsum, Tu Aquila divina, in excusationem assumendo, quod descripta à te Civitas è cœlo
Apoc. 21 v. 2. descenderit in terram: *Civitatem Ierusalem descendentem de cœlo.* Aurum, adamantes, margaritæ, & uniones, omnia sunt terra, & de terra: quomodo igitur fulgidum, speciosum, & pretiosum terræ, nos veracitèr de supernaturali & inæstimabili Gloriæ informare posset? verum est, S. Joannem in concepta à se idea tantum imaginatum sibi fuisse, quantum sub imaginationem cadere poterat; & in facta à se descriptione dixisse, quantum dici poterat: Verùm quia ea quæ sunt Gloriæ tantum ab omnibus visibilibus sunt diversa, & ab omni imaginabili adeò sublimata, quantò plus, & quantumcunque de iis dicatur, semper dicitur minùs. Et quoniam dicere minus, in Aristotelis Philosophia, & D. Thomæ Theologia, species est mendacii, nemo mirari debet, quod in sensu quo loquor, etiam Evangelistarum maximus suâ visione, hanc gloriosam incurrere videatur censuram, quam David similitèr raptus in sua extasi cunctis de Gloria loquentibus intulit: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.*

§. VI.

AB Evangelistis transeamus ad Prophetas. Maximus omnium Isaias, in hoc puncto præ cæteris singularis, quia Deum in Gloriæ throno residentem vidit, loquitur ita: *A sæculo non audièrunt,* *Isai. 64.*
neque auribus perceperunt, quæ præparâsti expectantibus te. *v. 4.* q. d. Quæ nos expectant, quæque Deus nobis præparavit in gloria, tam sunt sublimia & alta, tantumque omnia quæ cognoscuntur in terris transcendunt, ut nunquam ad aures auditumq; hominum pervenerint. Quod ea quæ sunt Gloriæ, magnitudine suâ excedant omnia quæ unquam mortalis conspexit oculus, quæquæ imaginari quis potest, jam demonstravimus; verùm quod etiam majora sint omnibus, quæ aures unquam perceperunt, non æquè facilè persuasu mihi videtur. Quid est, aut esse potest, quod aures non perceperunt? audiêrunt omnia Historicorum scripta, audiêrunt Poëtarum fabulas & figmenta; audiêrunt Philosophorum speculationes & asserta; audiêrunt quicquid divulgavit, publicavit, & exaggeravit fama; audiêrunt quicquid sub sacratissimo sigillo detexit, & non subticuit silentium. Sed non hic consistit difficultas. In quonam igitur? consistit in eo, quod aures audiêrunt omnia Prophetarum vaticinia, & omnia

ſacris literis contenta. In hunc igitur modum argumentor. Certum eſt, Prophetas aliosque Scriptores ſacros ſæpè loqui de Gloria, & iis, quæ Deus in beatitudinis præmium promiſit & præparavit in cœlo ſervientibus ſibi in hac vita. Similiterq; certum eſt, omnia quæ in Prophetis, aliiſque libris ſacris conſcripta continentur, nos legere & audire. Ergò ſi ſacræ Scripturæ dicunt hoc, quod Deus nobis præparavit in gloria, & nos audimus omnia quæ Scripturæ loquuntur, quo pacto aſſerit Iſaias, neminem audiviſſe, quod Deus nobis in Gloria præparavit? *A ſæculo non audiêrunt, quæ præparâſti expectantibus te.*

Fortiſſimi hujus argumenti ſolutio, omnium quæ dicimus evidentiſſima eſt probatio. Prophetæ, aliæque Scripturæ loquuntur de Gloria: nos audimus omnia quæ dicunt Prophetæ, & Scripturæ, & nihilominus nihil audimus de gloria; quantumcunque enim Prophetæ & Scripturæ de Gloria dixerint, nunquam eo pertingent ut plenè dicant, quid in ea ſit. Proinde quia illi dicendo non dicunt, nos audiendo non audimus: *à ſæculo non audiêrunt.* Adhuc ampliùs. Si nemo audivit quid ſit gloria; ſequitur, nec Prophetas de ea locutos id audiviſſe. Mirabilis conſequentia, ſed vera & ſic eſt. Hi Prophetæ alios audiêrunt Prophetas, & quilibet ſeipſum; verùm nec Omnes audiendo omnes, nec quilibet audiendo ſemetipſum, audiêrunt quid gloria eſſet; quia quantumcunque elevatus fuerit Prophetarum ſpiritus, & quantumcunque ſublimis illorum ſit ſtylus, & quantumcunq; humanum tranſcendat illorum eloquentia: loquentes de Gloria vel non dicunt quod eſt, vel dicunt quod non eſt. Figuras & imagines dicunt, loquuntur comparationes, allegant ſimilitudines, omnes verò iſtæ comparationes ſunt tam inæquales; omnes iſtæ ſimilitudines, tam ſunt diſcrepantes, omneſque iſtæ imagines tam parum ſunt ſimiles, ut in comparationibus gloria evadat contemptibilis; in ſimilitudinibus obſcura, & in imaginibus deformis. Si minus, videamus, audiamuſque quid iidem dixerint Prophetæ.

Iſaias exordiri nos jubet ab origine mundi: *A ſæculo non audiêrunt.* Sit ita. Quibuſnam figuris ab origine mundi, Moyſes & Prophetæ gloriam nobis repræſentârunt? prima fuit Paradiſus terreſtris, & conſequenter Tabernaculum Fœderis & Arca Teſtamenti, Manna, Terra Promiſſionis, Civitas Jeruſalem, Templum Salomonis. Quam vero hæc quantacunque artis & naturæ miracula ſimilitudinem habent cum cœleſti Gloria? in Paradiſum terreſtrem intravit ſerpens & peccatum; & prima Gloriæ prærogativa, eſt ſecuritas Gratiæ, in qua omnes ibi vivunt confirmati. In Tabernaculo Moyſis Arca Teſtamenti cum filiis Iſraël peregrinata fuit per deſertum; in cœlo, Deus & Beati in ſuo commorantur habitaculo, ſicut in propria patria. Manna, quamvis omnes & ſingulos in ſe contineret ſapores, de die in diem alterum non durabat, ſed corrumpebatur; & gloria non tantùm perpetua eſt & incorruptibilis in ſe, ſed & corpora noſtra carnea incorruptibilia & immortalia reddet. Terra promiſſionis hyperbolicè lacte & melle manare dicebatur; quæ verò lactis cum deliciis cœleſtibus, & mellis cum Gloriæ dulcedine comparatio? Civitas Jeruſalem dicta fuit Civitas Pacis; & quoties eadem oppugnari, obſideri belliſq; deſtrui viſa fuit? in

in cælo tantùm Pax eſt ſecura , ab intùs
enim diſcordia exulat , & deforis hoſtes
illi non appropiant. In templo Salo-
monis, Sancta Sanctorum oppanſo te-
gebantur velo , ubi Deus inviſibilis &
occultus per Oracula loquebatur;& quo
non niſi ſemel in anno Sacerdoti ſummo
introire licebat: at in Gloria Deus omni-
bus manifeſtum ſeſe ad videndum &
fruendum exhibet , nec uno tantùm die
vel anno (quod ſufficeret) ſed per om-
nem æternitatem nullatenùs interrup-
tam,ſed ſine limite continuam, in qua nec
diebus,nec annis locus eſt.

Quid ultra inquiunt Prophetæ ? cæ-
lum ſemper currentem deliciarum tor-
Pſalm rentem appellant : *Torrente voluptatis*
35.v.9. *tuæ potabis eos.* Verùm ſi totus ocea-
nus cæleſtium immenſitati deliciarum
comparatus nimis eſt exiguus, quid erit
torrens? & deliciæ hæ permanentes ſunt
& æternæ, neque unquam variabiles, ſed
ſemper eædem, quonam modo torrentes
eſſe poſſunt & currentes? Cæleſtem glo-
riam perpetuum convivium ex optimo-
rum exquiſitiſſimorumque ciborum me-
Iſai.25. dullis inſtructum aſſerunt: *faciet Domi-*
v.6. *nus in monte hoc convivium pinguium ,*
pinnuium medullatorum. Sed convivia
inchoantur à fame , continuantur cum
gaudio , finiuntur cum faſtidio ; è con-
trario Gloria perpetuò deſiderium ex-
ſatiat , & deſiderium ſui ſemper excitat:
à qua fames abeſt, hæc enim cruciat; nec
faſtidio locus eſt, hoc enim fatigat : ne-
que gaudium unquam ceſſat , quia fine
caret. Regnum eſſe aſſeverant,quod qui
intrant , Coronam de manu Dei acci-
Sap.5. piunt: *Accipient regnum decoris, & dia-*
v.17. *dema ſpeciei de manu Domini.* Verùm
Regnum ex Rege componitur & ſubdi-
tis; & in Gloria non ſunt ſubditi : ſubji-
ciuntur tantùm Deo voluntariè , cum il-
lo regnantes; & hæc amoroſa ſubjectio,
ſceptrum eſt libertatis, arbitriique coro-
na. Nuptialem dicunt eſſe diem, cum
vinculo indiſſolubili : *Sponſabo te mihi* *Oſee.2.*
in ſempiternum. Quis verò amor eſt in *v.19.*
nuptiis, qui non paucos inter dies lan-
gueſcat aut immutetur ? ſpe accenditur,
novitate exſatiatur, & ipſo uſu imminui-
tur. Denique gaudium lætitiamque
Gloriæ ſimilem fore adſtruunt illi meſſo-
rum, quando laborum ſuorum fructum
colligunt ; vel illi victorioſorum mili-
tum , quando cæſorum hoſtium ſpolia
dividunt. *Latabuntur coram te , ſicut* *Iſai.9.*
qui tatantur in meſſe : ſicut exultant vi- *v.3.*
ctores captâ prædâ quando dividunt ſpo-
lia : Quænam verò viliſſimarum harum,
omniumque aliarum comparationum
proportio,ut illis cæleſtem Beatitudinem
& gloriam metiamur & æſtimemus ?
adinventæ videntur ad ipſam gloriæ
magnificentiam potius deprimendam ,
ad ſplendorem ipſius obſcurandum , ad
pulchritudinem ipſius deformandam ;
quàm vel umbram illius,quod ibi eſt,no-
bis repræſentandam.

Prophetis cum cœlo empyreo nobis
inviſibili evenit idem, quod Mathemati-
cis & Aſtrologis cum hoc cœlo inferio-
re, quo viſus noſter pertingit. Viderunt
Mathematici iſtum Aſtrorum labyrin-
thum , quibus tota cœleſtis ſphæra ſine
ordine apparet conſita , tàm differens
magnitudine, quàm motu varia , & nu-
mero infinita ; & ad concludendum, &
ſtatuendum quid certum , in confuſione
tanta,quid fecêre? ipſum partiti ſunt cœ-
lum , & in toto illo ingentem finxêre fi-
gurarum multitudinem, quarum aliquæ
natu-

naturales, aliæ fabulosæ sunt. Hîc unum effinxerunt taurum, ibi leonem; illic serpentem: hîc cervum, ibi cygnum, alibi aquilam; ex una parte Herculem, ex altera Orionem; alibi Medusam, Berenicem & Andromedem: Caballum Pegasum alatum & volantem, fluvium Erydanum gyrantem, Argonautam navigantem, aliquem Delphinum, aliquam Libram, unum Currum: Scorpionem, Centaurum, Hydram, Capricornum aliasque chymæras istis similes, tàm aspectu quàm nomine horridas. Ergone in cœlo ista sunt animalia, ista figmenta, ista monstra? Nequaquam, omnia pulchra & splendentia sunt astra. Mathematicis autem opus fuit ista in cœlo fingere mendacia, & formare figmenta, ut hisce mediantibus sese intelligerent, & mundum, quodam docerent modo veritatem illius quod in cœlo transit.

Condonate mihi, Prophetæ sacri, comparationem, acceptamque habetote oraculorum vestrorum reverentiam, quod nec nomine, nec copiâ utar, quam mihi fecit vestrûm unus, omnium illuminatissimus. In cœlo non sunt messores, nec messes, nec milites, nec spolia: in cœlo non sunt convivia, neque nuptiæ, neque torrentium inundationes: In cœlo non sunt Jerusalem, neque tabernacula, neque Paradisi terrestres, neque promissiones terræ; Terra sunt hæc omnia, & terrena: sed vos velut Mathematici cœli empyrei, omnes ibidem posuistis istas figuras cum tam exigua similitudine & proportione, sicut cum necessaria improprietate, ad nostram mediantibus illis instruendam ruditatem, & ex grossorum illorum gaudiorum consideratione nostram excitandam fidem, & conjecturaliter concipiendum ea, quæ non assequimur. Neque argumentum aliquod dari poterat, vel experimentum, quod demonstraret sublimen de rebus gloriæ faciendum conceptum: cum vestri ipsi intellectus, etiam supernaturaliter elevati, nec conceptus, nec verba ad declarandam earum magnificentiam sufficientia habeant.

§. VII.

QUodsi ipsi de gloria loquentes Prophetæ, tantò minus dicunt eo quod illa est, vel verè hoc quod non est: quid nos Prædicatores, in materia omnem mortalem capacitatem excedente dicere possumus? Hinc etiam vel maximè eam exaggerando semper mentimur. Solus S. Paulus de gloria prædicare potuisset; erat enim Prædicator suis eam oculis contemplatus: Verùm quid eâ visâ ipse dixerit audiamus: *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ego, inquit S. Paulus (in tertia persona de se loquens) raptus fui in cœlum ibique vidi quæ Deus suis præparavit electis; sunt verò talia, quæ mihi dicere non licet. Ly, *mihi non licet*, considero. Quidnam, quæso, licitum magis, justum magis & sanctum, utile magis & necessarium, quàm de cælesti gloria loqui, & quidem illi, qui ipsam viderat? Dives epulo vel maximè salutari timore concutiendos putabat suos fratres ex Prædicatione Lazari, quippe qui pœnas vidisset inferni: nec dubium relinquitur, quin majus adhuc in nobis desiderium excitaret prædicatio S. Pauli cælestem gloriam oculis contemplati. Si igitur ista tam utilis efficaxque erat prædicatio pro salute animarum, quæ sic cæli vivunt oblitæ; quare

2 Cor. 12. v. 4.

quare S. Paulus à prædicatione & divulgatione gloriæ sese excusat, non esse licitum obtendendo: *Non licet*?

Dantur casus, in quibus multa prohibita dispensativè licitè fieri permittuntur; mendacium verò, etiam in re levi, ex natura sua tàm intrinsecè est malum, ut nullo casu mentiri sit licitum. Et quoniam mentiri, etiam ad salvandas animas est illicitum, ea verò quæ gloriæ sunt sine mendacio dici nequeunt: hinc S Paulus, in omni rigore verbi, in excusationem sui allegavit non licere. *Non licet homini loqui*: proinde reductis in gloriæ materia vel mentiendi vel tacendi terminis, elegit tanquam consultiùs tacere quia illicitum erat mentiri Enim verò, si S. Paulo licitum non fuit de gloria loqui cum hoc defectu; nunquid etiam Prophetis similiter & Evangelistis licitum non fuit de ea loqui? Omninò: quia ipsi non viderant, S. Paulus eam viderat. S. Paulus, velut testis oculatis, quicquid vidisset, dicere tenebatur, ne gloriæ fidei, aut famæ derogaret: reliqui qui non viderant de magnitudine ipsius pronunciare non tenebantur, nisi quod poterant, & modo quo poterant, quod etiam fecerunt. Et quamvis multò minus de gloria asseruerint, quàm illa est & meretur, non tamen ex hoc reatum incurrerunt: David enim omnes mendaces protestando, de mendacio materiali fuit locutus, quod & licitum est, & culpâ vacat: imò in casu isto laude dignum est, ipsamque gloriam magnificentiorem reddit. Ratio discriminis est, quia definitione S. Augustini: *Mentiri est contra mentem ire*. Id est, formaliter culpabiliterque mentiri, est contra quod homo mente intelligit, loqui. Alii scriptores sacri de gloria sermocinati, quod intelligebant & quod poterant, de gloria sunt locuti: & S. Paulus, quamvis dixisset quod poterat, semper contrà hoc quod intelligebat loqui debuisset velut homo, qui gloriam viderat; proindè non erat illi licitum. *Non licet homini loqui.*

Hoc pacto maximus mundi Prædicator conticuit; cunctisque Prædicatoribus Ecclesia hac die silentium similiter imponere posset, tacere enim semper est licitum. Maluit tamen nos dicere (vel mentiri) modicum illud quod possumus de ea, quàm planè totaliterque silentio transire gloriæ magnificentias: maxima enim excellentia ipsius est, de illa loqui non posse sine mendacio.

Porro si fortè quis Criticus ad assertum hoc & assumptum obstupuerit; sciat velim, quod quandoque uti mendacio ad veritatem persuadendam non solùm non offendat leges sanæ & veræ Rethoricæ; sed ex majoribus sit excellentiis ejusdem energiæ. Seneca loquens de tam usitata Hyperbole iis omnibus, qui de rebus magnis disserunt, dicit: *In hoc omnis Hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat*. q.d. finis, quare hyperbole in tantum terminos illius quod persuadere nititur excedit, est ut mediante mendacio ad veritatem perveniat: plus dicit quàm est, ut credatur hoc, quod est. *Nunquam tantum sperat hyperbole, quantum audet*: id est, non est tàm præsumptuosa hyperbole, ut tantum speret ab audiente, quantum illa audet affirmare: *Sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat*: id est, sed affirmat quod est incredibile, ut credatur totum, quod credi potest. Hoc exemplo finis fundamentumque discursus mei intelligetur.

Senec. Lib. 7. de benef. c. 23.

Ibid.

Sty-

Stylum secutus sum hyperbolicum præposterè. Datur hyperbole per excessum, datur etiam hyperbole per defectum, & utraque mendacio nititur, ut ad veritatem perveniat: *ut ad verum mendacio veniant.* Hyperbole per excessum multa affirmat, quæ credi non debent, ut credatur quod est: Hyperbole per defectum, minus dicit quàm dici potest, ut credatur hoc quod erit. Quid erit gloria cælestis, ex discursu meo efficaciter colligitur.

Enim verò sola consideratio hujus, quid erit, sufficeret, ut quotquot fidem habemus, animo super omnia terrena elevato, contemptim ea tractemus, quod finis exigit sublimissimus, ad quem conditi sumus. Si omnia quæ diximus, si omnia quæ dixerunt omnes; si omnia quæ scripserunt omnes; si denique omnia, quæ imaginati sunt omnes, ad Gloriam collata, mendacii nomen & notam merentur, veritas quid erit? Quæ videntur

Eccles. 34. v. 2. sunt mendacia attestante Spiritu S. *Visa mendacia*; & talia sunt cœli hujus inferioris apparentiæ, quas videmus, seu videre nos putamus. Vulgus se cœlum intueri putat, & decipitur; quia visus noster eo usque non pertingit. Quod cælum vocamus, mendacium est cæruleum: & quod iridem seu arcum appellamus cælestem, aliud est mendacium trium colorum: & si mendacia de cœlo, tàm sunt speciosa in terra, quales erunt veritates

Psalm. 113. v. 16. cœli de cœlo: *Cœlum cœli Domino?* S. Bernardus, absque eo quod tàm altè ascenderet, pro ænigmate sumpsit cytharam cum hac epigraphe: *Quid erit in*

S. Bern. *cœlo?* si in exilio tam suavis datur harmonia, quid erit in Patria? verùm longè melius noster David, viso jam in Patria, non quod erit, non conjecturaliter, sed quod est realiter. Ænigmate mutato, cytharæ suæ confudit chordas: & quid dixit? Quod totum hoc, quantumcunque demùm in ea cantarat, & quantumcunque narrant & cantant omnes, qui loquuntur de Gloria, mendacium sit: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.*

§. VIII.

Agedum Auditores, brevem adhuc præbete attentionem: Itaque supposito, quicquid dictum est, dicitur, & dici potest de Gloria, quæ nos expectat in cœlo, esse tantò minus, tam modicum, ac tam nihil, ut sine exaggeratione dici possit mendacium: quidnam aut faciendum, aut factu possibile restat, ad sciendum Quid, aut Quale Quid sit Gloria? Non nisi unum suppetit, & suppetere potest medium, sed illud certum valdè, & proportionatum. Et quod illud? cœlum intrare, & videre eam. Interrogabant quandoque Christum duo, scholam ipsius frequentare desiderantes, ubinam habitaret: *Rabbi ubi habitas?* Et *Joan. 1. v. 38.*

Christus non habens domicilium in terra sed in cœlo (unde nunquam exiit, etiam quando in mundum venit) quid respondit? *Venite, & videte*: venite & videbitis. Et nisi irent & viderent, hoc scire nequibant? Non. Præclarè Alcuinus, & Beda *Ideò non dixit, ubi habitaret, sed illos, ut venirent, & viderent, invitavit; quia habitatio, id est gloria Christi videri quidem potest, verbis explicari non potest.* Non dixit Christus, ubi habitaret, id scire volentibus, sed tantùm, ut venirent, & viderent, respondit: *Venite, & videte:* Habitaculum enim Christi, est gloria, & quid aut quale sit gloria, vi- *Alcuinus & Beda relati à Maldonato.*

deri solùm, ast dici non potest: *Videri potest, explicari non potest.* Istud respondit Christus, istud & ego dico; & istud solummodò Prædicatores super hocce assumpto dicere possunt: omnibus contendamus viribus intrare cœlum, ibique videbimus Quid sit gloria: *Venite, & videte:* venite, & videbitis. Et ubi adjuvante nos gratiâ Dei venerimus in cœlum, & viderimus verè quid sit gloria, tunc pariter videbimus & cognoscemus quàm modicam verisimilitudinem habeat, quantumcunque hîc dicitur & auditur.

Regina Saba Regiam Palatiumque Salomonis ingressa non solùm admirata fuit quæ mox oculis occurrebant; verùm sacro attestante textu, præ stupore animo defecit; *non habebat ultrà spiritum:* unde in hæc prorupit verba: *Non credebam narrantibus mihi; donec ipsa veni, & vidi oculis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit. major est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper.* Ego, Regûm sapientissime Salomon, in terra mea (inquit Regina) multa de tua audiveram sapientia, de tua magnificentia, de tua Regia & aula, quibus fidem non habebam, eò quòd incredibilia mihi viderentur; Verùm postquam veni, eaque oculis contueor, cognovi & probavi, quod ne medietas quidem, omnium quæ sunt; mihi fuerit relata. Beati servi tui, Beati aulici tui, quibus fors tàm fausta obtigit, ut tuâ semper præsentiâ fruantur. Non plus dicere potuisse videtur, si cum Deo locuta fuisset in Gloria. Porrò si magnificentiam aulæ regiæque Salomonis credere nec capere potuit Regina tàm prudens, nisi postquam venit & vidit: *Donec ipsa veni, & vidi:* & si omne id quod audierat in Regno suo ne medietatem quidem attingebat illius, quod nunc oculis intuebatur; quam, quæso, proportionem seu similitudinem habere potest modicum illud, vel nihil, quod hîc dicimus & audimus cum multâ, infinitâ immensâque gloriâ, quam ibi vident, qui eâ gaudent? Ideò Dominus & Author illius nobis dicit: *Venite, & videte.*

3. Reg. 10. v. 5. 7. & 8.

Ast malum miserumque est, quod omnes videre appetant, pauci verò venire velint. Omnes videre, gloriâque gaudere appetunt, rari verò venire volunt, Christumque sequi eâ viâ, quam ille nos docere venit, ut ad eam perveniremus. Si magister divinus terminis mutatis, sicut dixit; *Venite, & videte*, dixisset: *Videte: & venite*: si fuisset possibile & congruum, prius nobis dari gloriæ visionem, & postmodum eandem consequendi media præscribi: quàm certum est, necessarium non fore, ut Deus nos vocaret, vel rogaret, verùm nos ipsos immensâ illâ pulchritudine, incomprehensibilique felicitate raptos & captos, non solùm prona voluntate & desiderio, sed vi & impetu perruptis omnibus difficultatibus vitæque discriminibus, ipsa etiam vita, imò mille vitis expositis ad tantum obtinendum bonum festinaturos. Verùm quodnam tunc Fidei meritum esset, quodnam Spei præmium, & quæ Charitatis coactæ & non liberæ excellentia? Pro majore bono ejusdem boni, & pro majore ejusdem gloriæ augmento, Deus à nobis primò exigit passus, & posteà nobis promittit visionem: *Venite, & videte.*


Reverâ, quamvis via cœli, illiusque Promontorii Bonæ Spei majores involverer

ret difficultates, omnes sine visionis testimonio, sub verbo Christi subiri possent: Idem Dominus nondum pro nobis homo factus, Abrahamo Patriam suam derelinquere mandans, non cœlum, sed aliam ipsi terram promisit; nec actu ipsi illam ostendit, sed se posteà monstraturum
Gen 12. v. 1. dixit: *Veni in terram, quam monstravero tibi*: Et quid sub hoc verbo Abraham fecit? vix sine nota fideique nostræ verecundia exprimi potest. Dereliquit natale solum, illustrem & opulentam hæreditatem á Parentibus dereliquit domum, consanguineorum deseruit familiaritatem, amori renunciavit amicorum, societati nuncium remisit notorum, ut inter nationes exteras & ignotas peregrinatum abiret. Omnes denique dirupit catenas, quibus nativitas & educatio Cor irretire solet humanum, quæ omnia & singula notat, & Sacra ponderat Scriptura. Et hæc omnia, tantâ animi promptitudine, homo paulò ante gentilis, falsorumque adorator Deorum exequetur? Ità planè, inquit S. Stephanus & nemo miretur. Deus tàm arduum Abrahamo imperans divortium, & universalem omnium in mundo amatorum & possessorum abre-
Act 7. nunciationem, erat Deus gloriæ: *Deus*
v. 2. & 3. *gloriæ apparuit patri nostro Abraham, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi:* In tota scriptura Sacra non legitur aut tribuitur Deo simile epithetum seu titulus, præterquam in hoc unico loco. Et quare Paraphrasi tali celebris ille Lapidatus Prædicator est usus, cui inter lapides apertum fuit cœlum? non tantùm ad exaggerandam excellentiam actus, quem exercuerat Abraham; sed ad discernenda motiva, quæ ipse in eadem habere potuerit materia; & nos habere possimus in nostris. Si non præstamus grandia amore Dei, quà Dei; Cur saltem ea non exercemus, quia Deus est Gloriæ, *Deus gloriæ*? exercere ea propter Deum, quà Deum excellentia est? exercere ea propter Deum, quia Deus est Gloriæ, convenientia est: facere ea propter Deum, quia Deus est, amor Dei est: facere ea propter Deum, quia Deus gloriæ est, amor est proprius. Et quod nec ex amore proprio, neque quia Deus nos præmiabit gloriâ, talia ipsi exhibere velimus servitia gloriæ hujus meritoria, magna est miseria.

Et si miseria est magna tam parum præstare ad obtinendam & videndam gloriam; multo sanè per omnem modum major est miseria, tantum operari, unde eam perdamus, ejusque visione seu fruitione privemur. Quodlibet commissum à nobis peccatum, simplex est peccatum, & duplex offensa: est offensa Dei, est & offensa gloriæ. Hoc ita intellexisse videtur Prodigus ille adolescens; cui experimentum præmiorum quæ tribuit mundus, restituit intellectum, quem prius abstulerat: *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Pater (in- Luc. 15. v. 21.
quiebat cum Deo loquens) peccavi in cœlum, & peccavi in te: peccavi in cœlum, quod est gloria, ad quam fui creatus; & in te, qui es Deus, qui ad eam me condidisti. Primo loco posuit offensam cœli, & secundo Dei: quia velut homo sese exposuerat pro mercede, magis sentiebat præmii jacturam, quàm Domini offensam. Ego nunc contentus forem, si nobilitas nostra, sic illis cœli Deique offensis uteretur. Si non derelinquimus peccata per contritionem, eò

quod offensæ sint Dei : saltem per attritionem ea relinquamus, quia gloriâ nos privant. Non offendere Deum, quia Deus est, obligationis est; non offendere Deum, ne perdamus gloriam, è re nostra est. Porrò cùm simus tàm studiosi, seu servi, atque adeò terrenorum mancipia commodorum, quod pro commodis saltem cœlo & gloria non timeamus nec cessemus offendere eum, qui eam vel dare vel negare potest æternùm? Prodigus ille non fuit prodigus: Non sumus prodigi, fœdiusque quàm ille; Ille dixit: *Peccavi in cœlum*: & prodigus non fuit cœli, sed substantiæ: Nos famelici sumus & cupidi substantiæ; & prodigi cœli & gloriæ.

Eheu quis timor manet eos, qui ad eam non creati, tàm parvi faciunt eam non videre, vel tanta faciunt unde eum non videant? Quotquot corde & affectu remanserunt in Ægypto, eorum nemo promissionis terram est ingressus; nam sine venire, non est videre, & qui non ex toto corde venit se non movet. Ad hasce habitationes æternas vocat & invitat nos omnes gloriosus Christus, dicens nobis sicut illis, qui ipsum, ubi habitaret, interrogabant: *Venite, & videte. Venite*, nobis inquit modò idem Dominus; in die enim judicii, animabus nostris iisdem corporibus reunitis, dicet suam vocem audituris: *Venite benedicti.* (*Matth. 25. v. 34.*) Dicit nobis, venite: sed unde, & quò? de terra ad cœlum, de exilio ad patriam, de captivitate ad libertatem, de bello ad pacem, de tempestate ad portum, de labore ad requiem, de tempore ad æternitatem, de lacrymarum valle ad montem gloriæ. Et adhuc detur aliquis qui dubitet venire? *Venite*. Neque enim vobis dico (inquit Christus) ut veniatis sicut ego veni per montem Calvariæ, sufficit mihi, ut veniatis per montem Thabor totius mundi amœnissimum, tantummodò ut me sequamini. Et si necdum per montem Thabor venire præsumitis exemplo Petri, Jacobi, & Joannis per angustam consiliorum viam: venite cum Moyse & Elia per latissimam mandatorum semitam: Propterea etenim duas præparavi vias, ut veniant omnes: *Venite.* Denique venite & videbitis, quod ante adventum videri nequit: *Venite & videte.* Videbitis quod nunquam vidistis; videbitis quod nunquam audîstis; videbitis quod nunquam vobis imaginati estis: videbitisque quàm diversæ, quàm aliæ, quàmque infinitæ, incomparabiles sint res Gloriæ, ab omnibus iis, quæ ibi Prophetæ mei & Evangelistæ dixerunt: non quod illi voluerint mentiri (quod non est possibile) sed quia quicquid est in terra, seu de terra, aut apparet in cœlo, nullam prorsus comparationem, seu similitudinem habet cum eo quod videtur, & percipitur in Gloria: Singularitèr vos invito velut homines, ad contemplandam gloriosam in throno suo Humanitatem meam: & tunc videre licebit, utrum radii, quibus fulget, sint de sole, & color quo vestitur, de nive: *Resplenduit facies ejus sicut Sol: Vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Amen.



SERMO

Pro

Feria Sexta post Cineres.

In Capella Regia. 1651.

Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, Benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5.

§. I.



Uàm subitò nos Ecclesia simul cum Anima ad Deum deducit! nudius tertiùs nobis excitavit Memoriam; heri nobis illuminavit Intellectum: hodie nobis perficit Voluntatem. Excitavit nobis Memoriam, recordatione mortis: *Memento homo, quia pulvis es.* Illuminavit nobis intellectum maximo Fidei exemplo: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Perfecit nobis voluntatem, plùs quàm heroico charitatis actu, qui est inimicorum dilectio: *Diligite inimicos vestros.* Actus iste velut tam singularis legis, tamque Christianæ professioni proprius: unicum totius orationis meæ est assumptum. Et quamvis dilectionis inimicorum materia adeò sit prædicata & discussa; quod ego de illa prædicare hodie decrevi, nonnisi quæstio est valde nova, & huic loco quàm oportuna, & propria. Tota fundatur super Ly, *Vobis*, nostri Textus: *Ego autem dico vobis.* Et quæstio seu dubium est, utrum istud *Vobis*, etiam Celsitudines & Majestates includat? Personæ supremæ omni lege sunt superiores, seu supra legem; hinc exactè examinare oportet Præceptum Christi, ejusdemque adjuvante gratiâ, nulli, cuicunque etiam adulando resolvere, utrum etiam Reges inimicos suos diligere teneantur? Ave Maria.

Eccles.

Matth. 8. v. 10.

Matth. 5. v. 44.

§. II.

PRimò, Reges ad inimicorum suorum dilectionem non obligari videntur.

Et pro hac Parte totaliter facit authoritas Salomonis; aliquo famoso sapientiæ & magnificentiæ suæ opere. Cap. 3. Cant. insignem quandam alicujus sellæ gestatoriæ fabricam describit, quâ solemnioribus festis per Jerosolymam circumferri se sinebat. Materia ex lignis erat pretiosissimis, & odoriferis Libani; Columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus; & pavimento seu suppedanio insculpta Charitas. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit ar-*

Cant. 3. v. 9. 10.

argenteas, reclinatorium aureum ; *ascensum purpureum* : *media Charitate constravit*. In his ultimis verbis consistit consideratio : non solùm magnâ, sed summâ admiratione digna. Annè possibile videtur, quod tantæ sapientiæ Rex, qualis Salomon; & non Gentilis sed Fidelis, magnificentiam majestatemque suam vel maximè ostentaturus pedibus suis supposuerit Charitatem ? Rex sedet in throno, & Charitas sub pedibus Regis? Rex in throno collocatus, & Charitas conculcata, *Mediâ charitate constravit*? Ita planè. Nonnulli enim Reges putant (vel pro opinione sua operantur) tantum abesse, ut ipsi Charitatis dilectionisque legibus subjiciantur ; ut potiùs charitas & dilectio, omnesque ipsius leges, sibi subditas esse oportere putent. Non loquor de Neronibus, nec de Caligulis, nedum de Sardanopalis; siquidem hæc naturæ humanæ monstra crudelissimi erant Tyranni, & non Reges : neque homines. De iis loquor, qui sunt sicut illo tempore Salomon, & specialitèr de Salomone ; qui propter pompam superfluasque vanitates, & ut aulæ suæ magnificentiâ alias ad æmulationem & invidiam provocaret, & ostentaret mundo ; tam exorbitantibus subditum sibi Populum gravavit & oppressit oneribus; ut desperatione acti, excussoque jugo, negatâ obedientiâ, Roboamum primogenitum ejus maxima ex parte regno privârint. Si inordinata & immodica Salomonis concupiscentia & vanitas suggerebat opus esse argento, majoreque argenti copia, *Columnas argenteas* : si suadebat appetere aurum, & plus auri : *Reclinatorium aureum*. Idem de Purpuræ, & pluribus purpuris : *Ascensum purpureum*. Omnia ista fieri oportet, inquiebat ille, quâcunque demum, etiam viâ modovè violentiore : & si Charitas contradixerit, charitas pedibus supponatur. Nonne igitur, ô Rex Populi tui oppressionem & oppressiones vides ? non audis pauperum gemitus ? non te ad commiserationem miserorum lacrymæ movent ? non consideras nomen Regis te obligare, ut te Patrem subditis tuis exhibeas ? filialem eorum in te amorem, in eorundem tolerantia non agnoscis, & casu quo te aversarentur tanquam inimici, nihilominùs diligendi tibi forent? ubi est propinquitas? ubi humanitas? ubi est charitas? ubi? sub pedibus Regis : quia Reges nec charitati, neque legibus ejus sunt subjecti: *Mediâ charitate constravit*.

Huic Salomonis Hieroglyphico quoddam, opinione mea, benè formatæ consequentiæ argumentum accedit. Reges non tenentur diligere amicos : ergò multò minùs inimicos. Non redamans amorem, quomodo amabit odium ? in omnibus humanis cordibus non dantur minùs amantes voluntates, quàm voluntates supremæ; nec est res magis opposita amori, quàm majestas. Et quam ob rationem, si ratio vocari meretur ? rationes duæ sunt. Propter inæqualitatem, subditorumque obligationem. Amor reciprocus, alio nomine amicitia vocatus ; assertore Aristotele, non nisi inter æquales dari potest : quia verò Reges & subditi tanto intervallo inæqualitatis distant; sicut inferior à supremo, eadem superioritas quæ tollit æqualitatem : etiam inter illos dissolvit correspondentiam. Et quoniam subditi naturalitèr obligantur amare Reges, hæc secunda & rega-

regalis est exemptio & exceptio, quâ gaudent Majestates, quò minùs, ut amentur, amare, & jam amati redamare teneantur. Sicut subditorum amor est debitum; sic Reges ad compensationem non obligantur: neque subditis datur actio ad eam exigendam. Hinc ingens ille sequitur dolor (ne injustitia nominetur) quod felicius sit Regibus servire, quàm eos diligere; servitia quippe quandoque præmiantur: amor amore nunquam compensatur. Majestates non essent majestates: si sese demitterent ad amandum. Quare? ob duas alias rationes ex parte ipsarum. Amare, est primò voluntatem se inclinare, & posteà vinci: Et vinci est contra Majestatis potentiam; & inclinari contra superioritatem. Proinde optimè dixit conditionis hujus gnarus: quod nec Majestas stare potest cum amore, nec amor cum majestate.

Non benè conveniunt, nec in una sede morantur:

Majestas & Amor.

Et si Reges non se inclinant ad diligendos amicos; quomodo odio habiti ad diligendos sese demittent inimicos?

Exemplo sit Rex cordis optimi ex omnibus, qui sceptra sunt moderati; David multos & magnos habuit inimicos (non enim esset David, nisi illos habuisset) & quomodo illos diligebat? ipse illud dixit: *Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant: Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.* Et si Christus non tantùm inimicis benefacere; sed etiam orare pro ipsis mandat: *Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Audite, quomodo idem David suis in orationibus eos Deo commendabat: *Averte mala ab inimicis meis; & in veritate tua disperde illos.* Malum quod mei mihi inimici inferre conantur, in ipsos converte: & propter malevolam eorum in me voluntatem, destrue illos, & in nihilum redige; istud enim innuit, *disperde.* Denique appropinquante hora mortis, quo tempore non solùm durissima etiam corda suis ignoscunt inimicis, verùm etiam veniam ab iis petunt: binas Testamento apposuit clausulas, quas Filio suo Salomoni singulariter recommendavit: scilicet ne quo modo oblivisceretur, & mandare intermitteret interfici Joabum & Semei; ob justam offensam, quam incurrerant. Porrò si hoc modo inimicos suos diligebat Rex canonizatus, mediâ nocte ad recitandum Psalterium surgens, & sub Purpurâ cilicio vestitus: quo pacto, quæso, minùs sancti, minùsque beati servabunt illud: *Diligite inimicos vestros:* sibique applicabunt illud; Dico vobis?

Psalm. 17 v. 38. & 39.

Matth. 5. v. 44.

Psalm. 53. v. 7.

§. III.

HÆc in favorem primæ partis Quæstionis nostræ; apparentèr magis, quàm solidè sese offerunt. Secunda non solùm defendit, sed definit, etiam Celsitudines & Majestates, quantumcunque sublimes, & supremas, sub illo, *vobis,* comprehendi; omnesque æqualiter sine exceptione & privilegio, sicuti alii Christiani, Præcepto Christi, ad inimicos diligendos ipsisque benefaciendum, esse subjectas; *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.*

Obligationis hujus fundamentum, in primo textûs ipsius verbo consistit: *Ego autem dico vobis. Ego.* Et quis est iste, *Ego?* non est Plato, nec Lycurgus, nec Numa Pompilius; quorum leges nihilominùs,

nùs, eò quod rationi consentaneæ forent: Reges omnes venerabantur, iisque parebant, quotquot justitiæ nomine & famâ sunt celebrati. Sed iste, *Ego*: qui Moysi dixit; *Ego sum qui sum.* q. d. Ego sum qui sum; id est, ille qui solus esse habet à se, & illud omnibus rebus dedit: Ille *Ego*, qui Reges facio; & in nihilum redigo, quando non præstant ea, quæ sui sunt officii. *Per me Reges regnant:* Ille *Ego*, qui regiis vestimentis inscriptum gero: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Ille *Ego*, cui magis subsunt Reges ipsi, quàm Regibus sui subditi; Reges enim omnes dominium & jurisdictionem à manu consensuque Populi acceperunt: quam si sibi posterisque suis conservant gratia reputanda est; gratiæque divinæ adscribendum, quousque ipsi visum fuerit; voluntatisque suæ nutu non miserit contrarium. Et iste *Ego, Ego dico vobis*; Iste *Ego*, sine distinctione personarum & dignitatum omnibus dicit; *Diligite inimicos vestros:* ut intelligant Reges terræ & terrestres: *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram*: hoc, & aliud quodlibet Dei Præceptum acceptandum esse non gravatè, sed gaudentèr, observandumque cum timore & tremore: *Servite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore*: sub pœna, nisi amaverint suos inimicos, se tanquam inimicos à Deo habendos, & quà tales disperdendos & perituros: *Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

Exod. 3. v. 14. *Prov. 8. v. 15.* *Apoc. 19. v. 16.* *Psalm. 2. v. 10.* *Ibidem v. 11.* *Ibidem v. 12.*

Huic non adversatur allegatum de Davide exemplum; imò persuadet contrarium; siquidem David militabat Deo, ejusque gubernabat Exercitum: & quos ille inimicos vocabat, hostes Dei erant: talem inter utrosque observabat distinctionem, ut privatos suos inimicos amore beneficiisque prosequeretur; & hostes tantùm Dei attrocia inferendo bella persequeretur: tam insignis injuriarum offensarumque divinarum vindex, quàm propriarum & privatarum condonator. Hoc modo toties ignovit parcendo Sauli, similitèr ignoscens parcique cupiens Absaloni; cujusce, uti & Abner necem tot fuit lamentis prosecutus: semper coram Deo protestatus, quod inimicorum suorum nulli malum pro malo reddidisset: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; quamvis tam sibi forent ingrati, ut malum rependerent pro bonis: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Et quod Joab & Semei jusserit interfici, justitiæ ergò, velut Rex fecit; & non ex vindicta: duas istas sententias, & executionem earum pro testamento reservans & hora mortis; ut innotesceret omnibus, quod urgente scrupulo, & non stimulante odio illud fieri mandaret. Hujuscemodi erat cor Davidis, proindeque verè regium, & dignum ut sublatam à capite Saulis coronam Deus capiti ipsius imponeret; quod etiam Saul confessus fuit.

Psalm. 7. v. 5. *Psalm. 34. v. 12.*

Per montes & sylvas Saul investigabat Davidem, ad eum interficiendum; quando casu speluncam quandam intravit, in qua David cum paucis sui sequacibus latebat; qui concorditèr suadebant & urgebant, ut oblatâ sibi à Deo occasione usus illum interficiendo, se tandem ab ipsius persecutionibus liberaret. At hic oram tantùm chlamydis ipsius abscidisse contentus, in signum fidelitatis, egressum ex spelunca Saulem subsecutus, clamavit post tergum dicens: ecce oram chlamydis tuæ in manu mea, quam cum præscinderem nolui manum meam exten-

tendere in te; neque permittere, ut mei te interficerent. Et David pronus in terram, dixit ad Saul: Ecce, Rex Iſraël; ecce præſentem, quem per montes & deſerta ad occidendum perſequeris. Ecce hic abjectum pulicem, terræque vermiculum; ad quem perſequendum perſonaliter tantus Monarcha aulâ ſuâ egreditur. Ecce num dignum tibi videtur, tam fatali ipſum inſectari odio? exulem & profugum à terra ad vagandum per montes compellere? quibus viſis & auditis, obſtupefactus Saul; corde compunctus in lachrymasque reſolutus, ait ad David: nunc cognoſco (neque ſolùm eum Davidem, ſed filium vocavit) nunc cognoſco, fili & ſcio certiſſimè quod regnabis. Regnùmque Iſraël, quod meum voco, Rex obtinebis. *Nunc ſcio, quia certiſſimè regnaturus ſis; & habiturus in manu tua Regnum Iſraël.* Hoc tantùm à te peto, ut juratò mihi promittas coram Deo; te eandem miſericordiam, quâ in me uſus es, cum Domo, & progenie mea exerciturum; neque nomen meum eſſe deleturum: *Iura mihi, ne deleas ſemen meum poſt me; neque auferas nomen meum de domo Patris mei.* Tam certò & infallibilitèr cognovit & credidit Saul, David ſibi in Regnum ſucceſſurum. Verùm ex quo certitudinem iſtam quam certiſſimam vocat, intulit, & non antea, ſed modò in hoc caſu: *Nunc ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis?*

1. *Reg.* 24. *v.* 21.

Ibidem v. 22.

Abulenſis & reliqui Expoſitores omnes, Saulem ex animi Davidis generoſitate illud intuliſſe aſſerunt; cùm enim tam capitalis Davidis foret hoſtis; ipſe nihilominus ſibi ignoviſſet. Sed opus non eſt Expoſitores hoc dicere; quod ipſe Saul ponderando affirmavit. Singula notate verba: *Tu enim tribuiſti mihi bona; Ego autem reddidi tibi mala.* q. d. Quia tu, David; reddidiſti mihi ſemper bonum pro malo; cum ego tibi ſemper rependerim mala pro bonis: *Et tu indicaſti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Deus in manum tuam, & non occideris me.* Id eſt, planè oſtendiſti & optimè probâſti quod dico; cùm enim me Deus tradiderit in manus tuas, meque occidere potueris; vitam mihi donâſti. *Quis enim cùm invenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona.* q. d. Quis hominum inimicum ſuum habens ſub haſta illum in pace abire patietur. *Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc; pro eo quod hodie operatus es in me.* Protinus credo, concludit Saul, Deum non irremuneratam relicturum exhibitam mihi à te hodie humanitatem. Et quomodo? ſublaram à capite meo coronam, in tuum transferendo; *Quia ſcio: quod certiſſimè regnaturus ſis* Sic intellexit Saul, licèt operans contrarium; quod hominem promptam in manu habentem ultionem, nec injurias tamen ulciſci volentem; hominem infenſiſſimo ſibi hoſti mala inferre valentem, maxima nihilominùs bona ipſi reddentem; hominem odium amore, & intentatam ſibi mortem vitæ donatione rependentem; quod, inquam, hominem talem Deus non alio fine tam generoſo & Rege digno dotârit pectore; quàm quod regno ipſum deſtinâſſet. *Quod regnaturus ſis.*

Ibidem v. 18.

Ibidem v. 19.

Ibidem v. 20.

Conſiderent benè Reges, quod Rex iſte tanta intulit certitudine: Et quod ego nunc haud minore certitudine illaturus ſum. Quemadmodum Deus Davidi contulit regni coronam, eò quod de Saule ſeſe non fuerit ultus; ita dico cer-

certumque habeo: quod si David ultus se fuisset, quamvis à Deo coronæ destinatus; eam tamen non obtinuisset. Notabilis est casus, quod Jacob appropinquante mortis hora singulis filiorum suorum competentem benedictionem impertitus; illam coronæ sceptrique Israëlitici in Quartum transtulerit. Quartus iste Filius tunc erat Judas, à quo descenderunt Davides, Salomones, aliique reges regni Juda idcircò Juda vocati: de quo & Christus ipse descendit. Sed quam ob causam? Regnum benedictioque prima, more Patriarcharum, legi conformiter naturæ, etiam hodiedum usitatæ, pertinebant ad Primogenitum; qui erat Ruben. Et posito quod Ruben jure suo ceciderit, indignum se reddens Coronâ, ob gravissimam Patri illatam injuriam & ignominiam notorio cunctis incestu; Ruben simili jure succedebat Simeon secundogenitus: & huic, Levi tertius. Quare igitur Jacob benedictionem, coronam, sceptrumque regni neque Simeoni, neque Levi, sed Judæ impertiit? & à supremo isto primatu Filios secundum & tertium excludendo, illum imprecatus est & contulit quarto?

Neque hic Doctoribus opus habemus, in utriusque enim exclusi benedictione, & textus & Jacob ipse rationem assignat: *Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia; in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* q. d. Simeon & Levi duo fratres, ad ulciscendam injuriam quam Princeps Sichem sorori eorum intulerat, ipsum occiderunt Sichem, & omnes Sichimitas, & civitatem ipsorum everterunt. Et homines tam duri corde, tam furiosi, tam pertinaces, tamque vindicativi (justâ licet exigente causâ) non solùm regno supremoque in alios dominio sunt indigni; & quocunque alio modo aut viâ jus ad coronam & sceptrum ad eos pervenerit, nullatenus eo gaudere sed in perpetuum excludi & exhæredari merentur, sicuti nunc ego maledictione meâ illos exhæredo. Istud dixit & fecit Jacob: duos filios suos regno privando quod illis jure debebatur; solùm quia in vindictam proni injuriam sunt ulti. Et idem sine dubio evenisset Davidi, nisi ignoscendo & parcendo Sauli, coronam ipsi sublatum, quâ, quia inimicus erat indignus; capiti suo imposuisset.

Genes. 49. v. 5 6. 7.

E tam longinquo jam Deus fundabat & stabiliebat Præceptum quod hodie ore proprio promulgaturus erat; tam gravibus tremendisque experimentis erudiens Reges, quod dicens: *Ego dico vobis*: etiam ipsis loqueretur. Notentque de præsenti regnantes, quod multò justiore ratione Christus hoc dicat hodie, quàm dixerit olim; quia illud ego: *Ego autem*: tunc nondum erat quod nunc est. Erat Deus, erat legislator supremus, erat Rex Regûm; sed nondum erat Rex, qui crucifixoribus suis veniam fuisset deprecatus: neque occisorum suorum titulum assumpsisset. S. Augustinus lecto titulo: *Rex Iudæorum*: oppidò fuit admiratus, quod Christus titulum Regis Judæorum assumpsisset; cùm Rex sit mundi totius nationumque omnium. Quatuor extremitatibus ejusdem crucis, significabatur dominium, quod Rex crucifixus in quatuor mundi partes obtinet; & literis hebraicis, græcis & latinis tanquam universa-

Joan. 19. v. 19.

S. Aug.

verſa-

versalioribus, dominium & imperium in omnes nationes. Si igitur Christus Rex erat mundi totius, hominumque cunctorum, quare pro titulo tantùm assumit *Rex Iudæorum?* Quia quamvis Rex erat omnium, & mortuus pro omnibus; Judæi tantùm ipsum interfecerunt, & ubi major fuit inimicorum amor: ibi titulus Regis melius quievit. Rex omnium, Redemptor omnium, peccatorum condonator omnium: sed Judæorum, à quibus majores tulit injurias; Judæorum, à quibus majora perpessus est odia; Judæorum, qui infensiores ipsius fuêre hostes, eorum Rex specialiter; *Rex Iudæorum.* Ut intelligant, re & nomine Reges, quod non ob datum tantùm à me Præceptum, sed præstitum simul à me exemplum ad stibilienda sua in perpetuum regna, sicut ego æternum mihi stabilivi meum, omnes ad inimicos diligendos, odientibusque benefaciendum, sint obligati. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.*

§. IV.

DEclarato, *Dico vobis*, & probato, quod præceptum diligendi inimicos etiam Reges tangat, declarandum sequitur illud: *Diligite*: & diligendi modus, cujus praxis si non est alia, quàm usitata, non minorem habet difficultatem, nec minùs periculum. Sed antequàm ad illud perveniamus punctum, aliud enucleare oportet & distinguere, quinam Regum sint inimici. Legis doctori cuidam
Luc. 10. v. 25. Christum interroganti: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit Christus, diligendo Deum super omnia, & proximum sicut seipsum; faciens ut
Luc. 10. v. 29. textum prius recitaret dicens: *In lege quid scriptum est? quomodo legis? & ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & proximum tuũ sicut te ipsum.* Verùm legis peritus, ut dicit S. Lucas, *volens justificare se ipsum*; ex hoc ipso Christi responso aliam adornavit quæstionem, dicens: *Et quis est meus proximus?* q. d. Bene habet, quod meum tenear amare proximum sed quis est ille meus proximus? Idem dico ego, vel mihi dicere, meque rogare queunt. Ibid.
Bene probatum est, Reges suos teneri diligere inimicos; sed quinam aut quales, illi Regûm inimici sunt? responsio difficultate non caret, tamque ingrata; ut si eam, prout oportet, dedero, etiam mihi inimicos acquirere possit.

Incipiendo á remotioribus: inimici Regûm esse videntur qui Regnum ipsorum invadunt, civitates ipsorum oppugnant, maria ipsis infestant, acquisita vi auferunt, & abripiunt, & alii quocunque modo illis bellum inferentes. Verùm illi non sunt propriè dicti inimici de quibus Christus loquitur. Qui bellum nobis inferunt (quamvis lingua nostra idem illis nomen tribuat æquivocè) non vocantur propriè *inimici*, sed *hostes*. *Inimici* sunt inimici inimicitiâ & odio, quales esse solent magis intimi, nationales, & Patriotæ: Hostes, sunt inimici hostilitatibus externis & bellis, qui soli externi & extranei esse possunt. Hoc supposito Tertullianus constanter asseruit, nullum Christianum esse posse hostem: *Christianus nullius est hostis.* Et consequenter huic suæ opinioni insistens, nullum Regem posse esse Christianum, neque ullum hominem Christianum posse esse Regem affirmavit: *Si Christiani Cæsares esse possent, aut Cæsares Christiani.* Enim verò, quonam, quæso fundamento nixus est,

aut niti potuit hic Authorum antiquissimus valde sani & profundi in aliis materiis judicii (quem S.Cyprianus magistrum vocabat) ad adstruendam tam alienam ab usitata hodiedùm in tota Christianitate doctrinam? Non alii innixus fundamento, quàm exemplo humilitatis & patientiæ Christi, persuadens sibi arma Christiani non posse esse gladium, quem idem Christus Petro in vaginam recondere mandavit; sed mansuetudinem & patientiam. Et quia è contrario Regibus & Imperatoribus ex officio videbat incumbere armis & exercitibus Regna defendere, & illatas aut intentatas, vindicare aut propulsare injurias: hanc ipsam de hostibus ultionem, & injuriarum repulsam, ipsos à lege Evangelica excludere, Christianitatisque incapaces reddere opinabatur: quasi evidenter concludendo definiens, quod omnis hoc modo mala hostibus irrogando eos consequenter non diligeret; si foret Rex, Christianus esse non posset: & si Christianus esse vellet, Regnum dimittere deberet.

Error iste Tertulliani (quem hodiedum adhuc sequuntur hæretici Anabaptistæ) ante centum & viginti annos confutatus & explosus est publicè conversione & baptismo Imperatoris Constantini Magni, primi totius orbis Principis Christiani; qui quamvis per ipsum S.Petrum conversus, non ideo destitit à bellis militaribusque exercitiis, armando exercitus, ineundo prælia, reportando victorias, civitatesque & Provincias in suam redingendo potestatem. Neque hinc sequitur, quod ille aliusve Imperator seu Rex Christianus odium habere posset contra suos inimicos, illisque malum facere; nam (sicut bene supponebat Tertullianus in hac parte) hoc esset operari directè contrà Præceptum Christi mandantis diligere, & benefacere omnibus, & quibuscunque inimicis: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his: qui oderunt vos.*

Verùm si Reges isti Christiani hostium suorum invadendo terras, depopulantur agros, castella & Arces demoliuntur & radunt; si conscensis muris, occupando civitates, tam copiosum effundunt sanguinem, tot centenorum millium editâ strage; quomodo, quæso, totum illud exequi possunt, & simul hos ipsos suos inimicos diligere? Quæstioni huic alia Quæstione satisfaciam. Quando legitimus judex juxta causæ actorumque merita reum ad mortem, bonorumque confiscationem condemnat, sententiamque executioni dari mandat, nunquid sine odio hoc facere potest? Certum est quod non tantùm sine odio; sed etiam eundem valdè amando hominem, non nisi perquàm invitus, & solis justitiæ legibus, cujus minister est, compulsus, ad rigorem istum procedere possit & teneatur. Pari modo Rex Christianus bellum hostibus suis inferendo operatur, talibus quippe casibus ille, & tantùm ille legitimus judex existit. Qualem existimatis esse maximam Regis dignitatem & authoritatem? num forsan absolutum imperium, supremamque excellentiam super tot civitates & populos, ex quibus regnum unum seu plura, constant? nequaquàm. Verùm maxima Regum authoritas & superioritas consistit in eo, quod in controversiis, & litigiis cum Principibus extraneis ipsi judicis fungantur officio: & Deus, in propria etiam causa judicium illis cre-

dat. Proinde quia Reges ſunt judices, & judices à Deo loco ipſius conſtituti; quemadmodum judex inferior in reum ſententiam ferre poteſt, cum jactura vitæ & bonorum, ſine odio, immò cum amore; ſic Rex in bello juſto, & quà tale propriâ authoritate judicato, hoſtes ſuos & interfici ſpoliarique mandare poteſt, illos ſimul amando, Præceptumque diligendi illos obſervando: *Diligite inimicos veſtro*;

Quantum ad primam præcepti partem ſpectat, iſtud eſt clarum: ſed quantum ad ſecundam pertinet partem adhuc implexum videtur: Chriſtus enim non ſolùm inimicos diligere, verùm etiam illis benefacere mandat: *Et benefacite his qui oderunt vos.* Si igitur Rex Chriſtianus bello & hoſtilitatibus maxima inimicis ſuis irrogat mala hujus vitæ, & quidem gemina, ſpoliando bonis poſſeſſis, & ipsâ exuendo vitâ reſiſtantes; quonam pacto cum hoc ſtare poteſt, non facere malum (quod non ſufficit) ſed illis poſitivè facere benè, quod præceptum jubet; *diligite, & benefacite*; Huic quoque ſimiliter quæſtioni aliâ ejuſdem exempli reſpondeo. Duorum litigantium judex injuſtum condemnans poſſeſſorem, & vi adhibitâ eundem injuſtè poſſeſſis privans, facitne illi benè, vel malè? nullus dubitabit, quin non malum, ſed bonum bonorumque omnium maximum illi præſtet. Quare? quia ad reſtituendum ipſum obligat per violentiam, quod nunquam faceret voluntariè: & hâc mediante reſtitutione, ſine qua ſalvari nequiviſſet, in ſalutis ſtatum ipſum conſtituit. Tale bonum, maximumque bonum Reges Chriſtiani, aliis Principibus ſuis inimicis præſtant, quando mediante juſto fortique bello, Regiones, civitates, regna ab iis recuperant, quæ vel ipſi vel majores eorum invaſerant; violenter enim illos ad alienum reſtituendum compellendo, à reſtitutione ipſos exonerant: quam nunquam feciſſent ſpontaneè, quibus caſibus feliciores ſunt ſpoliati & victi: quàm opinentur & glorientur victores. Enſis olim erat inſigne judicis; hinc S. Paulus dixit: *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Et quia judices inferiores nullam in proceſſus regum habent juriſdictionem: quod illi non poſſunt gladio juſtitiæ. Reges exequuntur juſtitiâ gladii. Verum quidem eſt, quod ſanguinem, & multum profundi ſanguinem faciant; ſed ſicut medicus ſine malè velle aut facere illum educet: ità hoc facere poſſunt Reges: non odio, ſed voluntate bona: neque ad perimendum corpus malè affectum; ſed ad illud exonerandum humore noxio, qui occidit, & ſanitati reſtituendum. Hæc eſt vera rectaque intentio, quâ cuique Regi juſto in bello procedendum eſt; duplici ex ratione. Prima, ad obediendum præcepto Dei, qui eſt exercituum Dominus: ſecunda, ad eum armis ſuis reconciliandum; quæ odio aut vindictâ ſtimulante mota nunquam ſalutarem ſortiri queunt ſucceſſum. Si hoc intellexit ſcriptumque reliquit, ille tantus Rex, quantus miles, David; *Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.*

Rom. 13. *v.* 4.

Pſalm. 7. *v.* 5.

§. V.

Vidimus cum diſtinctione, quales ſint inimici, qui dicuntur *hoſtes*; & in omni Theologiæ rigore declaravimus, quomodo poſſint debeantque diligi, quamvis bellum ipſis inferatur: nunc

videa-

videndum ſequitur, quales ſint alii propriè dicti inimici: *Diligite inimicos veſtros.* Et ſuppoſito nos non loqui de inimicis in genere, ſed de inimicis Regûm, intrà quæſtionis noſtræ limites; unum hoc in puncto intelligo, alterum inintelligibile videtur. Inimicos Regum in hoc caſu alios eſſe non poſſe intelligo quam ſubditos; ſed non capio, nec capere poſſum, quo pacto quis intelligere aut ſibi imaginari poſſit (ſaltem inter nos) hominem dari poſſe indolis & animi tam propudioſi & abjecti, ut tam abominabile nomen mereatur. Nunquid primus & potiſſimus ſubditorum amor eſt ille ſui Regis? Nunquid pro iſto amore ſuſpirabant mortui, & in eo ſuſtentantur vivi? Nunquid pro iſto amore defendendo & conſervando omnis alius amor jam non eſt amor, ſed deſpiciuntur omnia, ſcilicet bona, ſanguis, vita, uxor, liberi? quomodo, quæſo, adhuc haberi ſeu dari poſſunt, non dico homines, ſed monſtra, qui ſint, & inimici Regûm vocari poſſint? Ego non dicam, qui qualesve ſint; hoc enim, ut dixi, non capio, ſed referam, meque tantùm referam ad eos, qui ipſos nominant.

Inter Politicos, Xenephon, Tacitus, Caſſiodorus; inter hiſtoricos, Titus Livius, Suetonius, Quintus Curtius: inter Philoſophos Seneca, Plutarchus, Boëtius: Inter SS. PP. Hieronymus, Chryſoſtomus, Gregorius, Auguſtinus, Bernardus, omiſſis aliis (omnes exaggerando tantùm diſcrepantes, concorditer dicunt & docent, inimicos Regum & quidem maximos, eſſe adulatores. Et ſuppoſito tales eſſe adulatores, uti mox latius probabitur; ubinam degunt, ſeu quibus in caſtellis & arcibus iſti Regum inimici latitant? Extra controverſiam eſt, non eſſe agricolas, nec maria ſulcantes navibus; neque turrium Præſidiarios milites; neque litium in tribunalibus judices; neque commercantes in foris; nedum alii omnes, qui manuum ſuarum labore deſerviunt reipublicæ, & ſolùm de Palatio cognoſcunt parietes, & eos deforis adorant. Si igitur non ſunt illi qui parietes tantùm vident ab extrà; illos eſſe ſine dubio ſequitur, qui illos atterunt ab intrà: ut etiam verificetur in Regibus, quod Christus generaliter de omnibus pronunciavit hominibus: *inimici hominis domeſtici ejus.* Domeſtici, familiares, auribus, audituique ſemper vicini & aſſueti, ſunt adulatores: & idcirco inimici. Sic in textum Chriſti commentatur S. Bernardinus Senenſis, declarans rationem, quare domeſtici ſint inimici, eſſe, quia ſunt adulatores: & hanc perniciosiſſimam eſſe penſionem, & infelicitatem Principum. *Nihil Principi pernicioſius eſſe poteſt; quam domeſticus inimicus: hujuſmodi autem ſunt adulatores.*

Matth. 10. v. 36.

S. Ber. Senenſ.

S. Gregorius Magnus graviſſimis officiis politicis in duabus maximis mundi aulis, & Romæ & Conſtantinopoli perfunctus, ipſe jam ſupremum Eccleſiæ caput, & ſeipſo, & judicio ſuo, ſcientiâ & experientiâ, eminentiſſimorum mundi capitum unum; non tantùm ſecretos adulatores publicos Regum inimicos appellat: ſed in cautelam regulamque ipſis Regibus præſcribit, ut quantò majoribus ſe laudibus ab illis viderint extolli: tanto majores eos ſibi inimicos eſſe ſciant & credant: *tanto majores hoſtes credendi ſunt: quantò magis laudibus adulantur.* Et ſi illud non clarè vident omnes Reges, inde fit, quia tàm dulce vene-

S. Greg.

venenum est adulationis, ut intrando per aures: etiam oculis cæcitatem inducat. Hinc S. Petrus Damianus tantus in aula practicus, qui ut ab ea fugeret purpuræ renunciavit, quibus adulatores comparavit? hirundinibus Tobiæ eos comparavit, quæ in sua nidificantes domo tollendo visum solvêre hospitium. Tales inquit ille, sunt adulatores: *Qui dum adulationis oleo audientis caput impinguant, interiores oculos, ne solitâ luce fruantur, excæcant.* S.Pet. Dam.

S. Augustinus, in omni materia author præcipuus, deductâ è schola Davidis doctrinâ; duo inimicorum esse genera, docet: unum scilicet persequentium, aliud verò adulantium; magis verò timendam adulantium linguam, quàm persequentium manum. *Duo sunt genera inimicorum; persequentium, & adulantium; sed plus persequitur lingua adulatoris: quàm manus persecutoris.* S.Aug. Manus persecutoris armatur gladio, lanceâ, sagittâ, veneno, seu quibuscunque aliis neci seu vulneribus inferendis idoneis instrumentis, quæ furia violentiaque ignis, ferri duritiei copulavit; & nihilo secius maximus Ecclesiæ Doctor magis metuendam asseret adulatoris linguam, quàm cuncta inimici & persecutoris arma. Sed quare? aulici dicent (sicuti dicunt ad eos qui sunt Professionis nostræ) quia sanctus Augustinus tanquam Theologus, & non velut Politicus fuit locutus. Statuamus illi ad latus hinc Pythagoram, illinc Socratem, qui nec Theologi, nec fuêre sancti; sed ambo celeberrimi maximè politicæ reipublicæ, qualis illa Atheniensis fuit, magistri. Quid Pythagoras dicit; *Gaude potius arguentibus quàm adulantibus, & tanquam deteriores inimicis adulatores aversare.* Pythagoras. Et Socrates quid? *Adulatorum benevolentiæ tanquam hostibus dato terga, fuge infortunium.* Socratis. Credant saltem Socrati & Pythagoræ, qui S. Augustino credere detrectant.

Synesius egregius ille vir, qui libros illos composuit, de Regno, & postquàm prudentissimè gubernavit mundum, pari zelo & sanctitate gubernavit & illustravit Ecclesiam; Imperatori scribens Arcadio præ cæteris illi consulit, quod quàm maximâ curâ & solicitudine observare adhortatur, ne juxta se adulatores morari patiatur, & ab eis se omni adhibitâ diligentiâ custodiat: quantiscunque enim ipsius Palatium circumsepiatur custodiis, adulatio subtilissimè & insensibilitèr se novit insinuare, quæ sola ipsum primò occupare, subjicere & dominari, & postmodum imperio exuere sufficiet. *Sola quippe adulatio, nec quicquam vigilantibus satellitibus in ima usque conclavia sensim penetrat, & imperium deprædatur.* Synes. Res videtur incredibilis, quod cùm Arcadius totum suum Imperium Legionibus Romanis præsidii loco instruxisset, nec extraneus quispiam hostis potenti ipsum exercitu impeteret, bellumvè inferret; paucissimi inermes in propria domo Imperatorem, immò & ipsum evertere sufficerent imperium. Sed tam occultum potensque bellum adulatio infert Principibus: tantoque perniciosiores cunctis hostibus sunt adulatores. Bibliorum suorum textum audiant Politici: *Adulatio perpetuum malum Regûm, quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis evertit.* Corn. Tac.

In hunc Cornelii Taciti textum commentans alius Cornelius eruditione major;

jor;judicio melior, usúque rerum magis experiens illo, dicti sui veritatem, defectu veritatis defendit: quâ solâ carent omnium Domini: & confirmat exemplis Neronis, Cæsaris, & Roboam infelicitèr perditorum non per hostes extraneos, sed adulatores domesticos. *Et quidem Reges abundant rebus omnibus in aula: exceptâ veritate. Quid Neronem castissimè educatum crudelem fecit? adulatio. Quid Cæsarem contra Patriam rebellare fecit? adulatio. Quid Roboam Tyrannum reddidit? adulatio.* Nec Roboam profuit, Patre Salomone fuisse editum; neque Neroni Magistro Senecâ fuisse gavisum; neque Cæsari, generosis adeò regiisque spiritibus à natura fuisse dotatum: quo minùs familiariorum suorum assentationes, uni corrumperent virtutes, alterum Regno, tertium denique exuerent vitâ, omnesque tam infelicitèr everterent, prout omnes nôstis. Hâc eâdem conclusione omnium mundi historiarum lectionem obsignârunt isti duo magni Historici, qui Lipsii sententiâ post Salustium & Livium secunda merentur loca: inter Latinos Curtius; & inter Hispanos, Mariana: *Regnum sæpiùs ab assentatoribus, quàm ab hostibus everti solet,* inquit Curtius: in historia Alexandri. *Vide hic, ut magis adulatio, quàm hostis, Reges & Principes perdat:* Dicit Mariana in commentario Oseæ. Itâ ut quantumcunque ex visu constat, seu auditu & memoria de catastrophe Regnorum, improsperoque Regum exitu, & negotiorum eorundem eventibus infaustis, minimum imputandum sit hostibus extraneis, qui soli timentur. Quinam verò magis timendi sunt? adulatores intestini, quibus liber patet aditus, clavibus deauratis velut linguis; secretorum & arcanorum Monarchiæ conscii, quibus solis aures patent, & loqui licet: Denîque inimici intestini & domestici vel maximè sunt timendi.

Curt.

Mariã.

§. VI.

VErùm antequàm aliorum dicta referam (in hoc enim puncto Relatorem tantùm agam) ut majore audiantur attentione; faciliorem que fidem dicta ipsorum inveniant, opus est primò unum pacare scrupulum seu perplexitatem; quâ video, nomen istud inimicorum Regum injustam reputari censuram: vel saltem nimiam pati exaggerationem. De personis, quotquot & qualescunque Reges ad interiora palatii, sibique propiùs assistendum admittunt, præter qualitates & talenta, quibus tam eminenti electione digni sunt, nemini dubitare licet, quin omni cura & solicitudine Principi suo placere & servire satagant; ipsi vitam ipsorum desiderent, salutemque procurent, ipsi conservando amplificandoque regno oportuna anxiè prospiciant; ipsi diu noctuque sine quiete se fatigent, desudentque in iis ex quibus dependent omnia. Et quamvis verba eorum (prout respectus Regisque reverentia exigit) fuco quopiam seu larvâ eorum, quæ vulgus adulationes vocat, imbuta videantur, non tamen ex hoc cordium ipsorum affectus, amicorum, & verorum amicorum nomine indignus censendus est: quod non solùm injustum foret & calumniosum, sed & dictu vel auditu indignum, quod tam illustria suisque numeris absoluta subjecta inimici vocentur Regum, quibus in Textu Christi accom-

accommodetur pro censura: *Inimicos vestros.*

Idem etiam ego dico: & generalitèr sic est. Verùm, quia in hac regula, sicut in omnibus etiam exceptioni locus est; ipsum super ea Legislatorem audiamus, qui optimus legum suarum est interpres: & hoc pacto idem Christus, qui dixit: *Diligite inimicos vestros*, nobis quoque declarabit quales inimici isti sint, & quomodo sint, & inimici esse desinere nequeant. *Non potestis duobus Dominis servire*, inquit Christus. Et quare? *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget*, idem respondet Christus. Suppositâ hâc infallibili summæ veritatis declaratione: nunc interrogo. Servientes Regibus in palatio, quot Dominis serviunt? Nisi quidam etiam adulari velint sibi ipsis, duobus se Dominis servire fateri cogentur: Domino scilicet Regi, & Domino commodo proprio. Sequitur ergò, quod si amant unum, odio habeant alterum; & si unius dominorum horum sint amici, alterius sint inimici; *Aut unum odio habebit; & alterum diliget.* Notate. Non dicit Christus; *Unum diliget & alterum non diliget*: Sed, *Unum odio habebit, & alterum diliget*: Non enim serviri potest uni, quin inimicus sit alterius. Porrò si de quopiam servientium Regi probaretur, quod plùs amat commodum quàm Regem, probatum utique simul esset ipsum esse Regis inimicum.

Papa *Servus Servorum* vocatur; Et ego eundem titulum ad multos Regum sine Apostolicæ Sedis offensa extendi posse credo. Quare tot juxta & prope Regem servitia ambiunt? an ut etiam Reges serviant sibi? adsit à me hoc dicere. Serviunt Regibus, quia utile sibi, illis servire. Hedera adhæret turri, non turris, sed sui amore: non quod velit coronare turrim (hederæ enim non faciunt coronam Regi) sed quia hedera nonnisi adhærendo crescere: & in altum assurgere potest. Ideo tam sublimes, ascendisse in altum, & assurrexisse & succrevisse cernimus, qui hoc necdum fulcrum & adhæsionem nacti, vix se erigebant à terra. E contrario multos ob negatum seu dilatum sibi ascensum à Regis se servitio subtraxisse videmus; Ergò Domino commodo, & non Regi serviunt. Septem annis tanquam pastor Jacob servierat Labano Rachelis parenti; sed non Labano, sed Racheli serviebat. Et quare non Labano, sed Racheli serviebat Jacob? quia Rachelem diligebat, & quia Rachelem diligebat, Labano serviebat. Et amor non consistit in eo, cui serviatur: sed in cur & quare, quia amant suum commodum: hinc serviunt Regi. Res sanè indigna est, Regem esse Labanum; quando vile commodum est Rachel. Sed meliorem alium authorem audiamus.

Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis. Prov. 30. v. 28.

Stellio inquit Salomon, pedibus carens, manibus inambulans, in Regum palatiis moratur. Bonum foret in aulis Regum morari, magnumque in illis occupare locum; qui tantummodò manus habent: sed araneus sine pedibus; & tam parvi capitis optimè commodo deservire novit. Manuum adminiculo quendam deauratarum fornicum istarum angulum conscendens primum in subtilissima sese fila exenterat. Subtilissimis hisce filis vix in principio visibilibus, suos conficit funiculos, suas expandit telas; & tota fabrica in rete quoddam absolvitur, ad capiendum,

& comedendum. Hujusmodi sunt (Rex inquit sapientissimus) aranei Palatii. Qui videret in principio, quàm excellentèr, subtilitèr, & solicitè in servitiis Principis sese eviscerant; non nisi purissimo Principis amore illos adductos arbitraretur: verùm postquam suas perfecerint telas veluti textores: & sua expanderint retia veluti piscatores; mox appareret totam telam, quantumcunque subtilis appareret, exorsam tantùm, & directam esse ad capiendum: & non ad capiendum muscas. Porrò utrum hoc ita se habeat: quid singuli capiant, attendatur. Optimas capiunt commendas, dignitates, præsidentias, dominia, & quandoque ipso atteftante Salomone, telâ existente tam subtili, ipsum capiunt Dominum domûs *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo; rete expandit gressibus ejus.* q. d. Verba adulantis sunt retia expansa ad capiendum illum cui adulatur. Et hoc est artificium sine arte adulatorum regiorum. Serviunt Regibus adulatoriè, ad lucrandum illos, vel eorundem gratiam: quâ mediante prætensos propriorum suorum commodorum fines consequantur. Et hinc ipso Legislatore textum nostrum declarante, nemo potest duobus Dominis servire, quin unum diligat, & alterum odio habeat; probatum est, & sine replica conclusum manet: quotquot in aulis fuerint suorum amici commodorum: tot ibidem esse inimicos Regum,

Prov. 29. v. 5.

§. VII.

Enim verò si dixerint, hoc Discursum tantùm esse: gauderem utique non solùm Discursus, sed valde malè fundatos & falsos esse: verùm in nostro textu, Beneficentia, est probatio dilectionis: *Diligite, & benefacite*: Agedum, consideremus sive bona, sive mala, quæ adulatores Regibus præstant, moxque patebit, utrum eos diligant, vel eorum inimici sint. Vel maximè fatale est Regibus sub signo laudũ nasci. Jacob quarto suo filio Judæ benedictionem largitus, ab his eam auspicatus est verbis: *Juda, te laudabunt fratres tui.* Fratres erant undecim, quorum multi laude digna multa habebant: è contra Judas multa vituperio digna patrare non omisit. Si igitur in aliis similiter fuêro laude, & in Juda vituperio digna; quare Judæ tantùm in benedictionem datur, quod à fratribus suis laudandus foret? *Te laudabunt?* Quia Judas, sicut vidimus in principio, quamvis filius quartus, obtinuit sceptrum & coronam; in quo etiam hæreditaria domûs regiæ successio fundata fuit: estque benedictio seu fatalitas Regum, quod quicquid egerint aut non egerint, etiam non laude dignum laudetur, *Te laudabunt.* Si Rex, sicut Saul, consecrata Deo Amalecitarum spolia sibi usurpârit, & ad profanos converterit usus: *Te laudabunt.* Si Rex, velut David, simplici, erroneâque unius informatione, & suspicione motus, contra jus & fas patrimonio privârit Miphiboseth, illudque famulo suo Sibæ assignârit: *Te laudabunt.* Si Rex, velut Salomon ad splendidè & voluptuosè construendam bonam malamvè Domum Saltus Libani, minùs potentûm destruxerit domos, miserorumque everterit casas. *Te laudabunt.* Si Rex, velut Roboam intolerabili Patris sui jugo, intolerabilius superimposuerit, tributa aggravaverit, oppressionibus addiderit oppressiones, rigoribus rigores adauxerit, ita ut totum regnum la-

lachrymis subditorum innatet: *Te laudabunt.* Et quinam laudum harum sunt Panegyristæ? non qui extra arcam diluvium sunt passi; non qui extra palatii parietes morantur & moriuntur; sed qui intus intra portas vivunt & regnant. Isti sunt adulatores, qui non laudanda laudant, non plausibilibus applaudunt; & impedienda promovent ad effectum: ad hoc tantùm attenti, ne displiceant placitis in quibus sua fundàrunt commoda, nec fidem, neque famam, neque Regum quandoque attendentes conscientiam, velut veri inimici. *In malitia sua lætificaverunt Regem.*

Osee 7. v. 3.

De quibusdam bonâ fide credo, quod dum laudant & applaudunt ore: simul gemant & plorent corde. Quod ipsimet confiteri non omittunt; ubi sigilli ruptio periculo vacat; sed quia magis proprio commodo serviunt quàm Regi; meticulosa illa dependentia dolorem ipsis cum lætitia, & cor æquivocat cum lingua. Casus verè lamentabilis & tragicus; sed jam ante Romano in theatro repræsentatus! Imperator Nero jam sui ipsius, temperantiæ, regiique decoris & compositionis in qua fuerat enutritus, planè oblitus, sic authoritatem & dignitatem suam vilificando prôstituit; ut Cytharædos inter & Histriones in publicum prodeundo theatrum; in nugacibus & abjectissimis infami huic hominum fæci usitatis artibus, cum ipsis certârit. Huic spectaculo, seu fortunæ ludibrio, omnes Ordines, Senatorius, Consularis & Equestris aderant: aderant omnes Duces, Capitanei, Legionumque Romanorum flos, & Tribuni: & vel maximè omnes Imperialis palatii familiares, & inter cæteros, quod singularitèr ponderans Tacitus inquit: *Et mœrens Burrhus & laudans.* Erat Affranius Burrhus homo gravis, judicioque maturus, Magister & Præceptor quondam ejusdem Neronis cum Seneca. Et reliquis omnibus ad saltus, gesticulationesque Cytharædi Imperatoris, quasi ad totidem triumphos magnos edentibus plausus; solus Affranius erat mœrens & simul laudans, ut cæteri: *Et mœrens Burrhus, ac laudans.* O homo itaque seu animal (proprio enim te nomine compellare nolo, ne appellativum illud facere velle videar) si indecentiam, ignominiam, & infamiam tui Principis cognoscis; si stando lacrymas reprimis, & gemitus resorbes; quare saltem non obmutescis & taces, ut Nero ex tua tristitia tuum conjiciat dolorem; & ex tuo silentio tuum colligat votum? sed simul dum ploras, quod improbas, laudabis quod deploras? *Et mœrens Burrhus, ac laudans?* Ita planè: tales enim sunt adulatores in palatiis; etiam illi qui magis sunt obligati, minusque corrupti judicii.

Tacitus

Authores nonnulli istos Adulatores Cameleonti comparant, qui certo proprioque carens colore cujuscunque vicini sibi objecti nativum sibi assumit colorem. Alii umbræ illos comparant, quæ non aliam habet actionem, motum, & figuram, quàm illam corporis luci oppositi; à quo nunquam separatur, & semper quocunque & quomodocunque sequitur. Alii speculo illos comparant, quod naturalem & reciprocam inspicientis imaginem & figuram refert nam si illud inspicitis, respicit vos; si ridetis, ridet; si ploratis, plorat; sed lachrymæ sunt sine dolore, & risus sine gaudio: non enim specularem adulatorem ageret, nisi

nisi tale foret. Verùm sicut Cameleon, umbra, & speculum sunt assistentia muta: S. Augustini comparatio, magis propriè & adæquatè omnia exprimit; comparavit enim illos uni Echo; *Iucundum est ac volupe, cùm clamantibus respondent sylvæ, & acceptas voces numerosiori repercussu reddunt.* Echo semper vocis sonum reddit, aliud dicere impotens: & ubi concava sunt multa; jucundum fanè est audire, quomodo Echo successivè sibi correspondendo, idem resonent omnia. Quod dixit vox prima, idem uniformitèr repetunt omnes. Et quod natura fecit in sylvis, adulatio facit in palatiis, inquit sanctus Augustinus. Rex dicit, quod velit indicere bellum: & quamvis intentum minùs videatur probabile, & periculosarum consequentiarum eventus; quid respondent Echo? bellum, bellum, bellum. Rex dicit initurum se pacem: & occasione quamvis intempestivâ, conditionibusque & pactis parum decoris; quid resonant Echo? Pax, Pax, Pax. Rex dicit, quod velit locupletare ærarium, ideòque multiplicare tributa; & licèt finis & prætextus plus habeant vanitatis, quàm utilitatis, quid respondent Echo? tributa, tributa, tributa. *S. Aug.*

Ut & ego quoque meam adjungam comparationem, adulatores sunt velut illa quatuor Apocalypseos animalia, Agni dominatoris terræ thronum ambientia; quorum quodlibet quatuor facierum & totidem linguarum nihil dicebat aliud, nec dicere poterat, nisi Amen: *Et quatuor animalia dicebant, Amen.* Ergòne ideo assistunt throno; ideoque illa juxta se habet Dominator supremus: num proptereà tanta facierum varietas; & tantus linguarum apparatus? omninò. Proptereà, & tantùm proptereà, ut exeunte de throno voce, illa responderent, Amen. Et ut ista Amen dicant cum facie, & facies correspondeat cum eo quod illa dicunt; hinc cùm vox tantùm unica, facies sunt tam variæ & multæ, quot esse possunt affectus majestatis adulationibus obnoxiæ. Si Rex benignus & humanus, faciem habet hominis, *Facies hominis*: Si cholericus & iracundus, faciem habet leonis *Facies leonis.* Si arrogans & superbus est; faciem habet aquilæ: *Facies aquilæ.* Si melancholicus est & sanguineus, faciem habet vituli vel bovis: *Facies bovis.* Multæ denique facies, & vox tantùm unica; semper etenim lingua, gestusque sunt præparata, vel declaratâ voluntate ad vocem istam approbandam, vel inclinatione tantùm præsumptâ, ad eam præveniendam. *Apoc. 5. v. 14.* *Ezech. 1. v. 10.*

§. VIII.

NOn est ista recta Principum intentio, sed ut quilibet liberè sensum cordis sui pronunciet: & quod magis utile videtur consulat. Verùm quia adulatoris scopus non est alius, quàm commodum, & convenientia propria; nemo huic sinceritati regiæ credens securum se putat, & omnes ne de gratia periclitentur metuunt; in qua omnem spem reposuerunt. Dicebat Seneca (& dicebat quod faciebat) malle se veritate offendere, quàm adulatione placere: *Maluerim veris offendere, quàm placere adulando.* Sed qualis erat Seneca? erat magnus ille Stoicus, qui divitias maximas æstimabat contemptum omnium. Tantis gaudebat opibus, ut solus ipse multas potuisset *Seneca.*

tuiſſet erigere & locupletare domus non minores, quàm hodie ſunt titulares; quibus omnibus renuncians, Fiſco regio ea conſecravit. Proinde qui regios theſauros augere paratus, veritate præeligit offendere, quàm adulando placere. Regis verò theſauris domos ſuas augere, ſuamque inopiam ſeu vanitatem ditare qui ſatagunt; quidnam bonæ ſpei de ſe promittunt? Quod quinquaginta dicent adulationes, quo aliquam acquirant Commendam; & ne dimidium quidem veritatis dicere auſint; ne illam in jacturæ diſcrimen adducant. ô Reges! ô mundi Monarchæ! ex hoc capite tantùm, ſuprema veſtra fortuna, ſummâ compaſſione eſt digna.

Pſalm. 50.v.6. Pſalmum *Miſerere mei Deus*, non ſolùm ad ſuam deplorandam miſeriam compoſuit David velut peccator; ſed etiam velut Rex. Hoc conſideravit, & hoc ſenſu dixit: *Tibi ſoli peccavi* Enimverò, quare dixit, Domine, peccavi *tibi ſoli*, & non aliis? quia tu ſolus peccatum meum reprehendiſti, peccator quippe eram; & nullus aliorum propter illud me reprehendit, quia eram Rex. In propriis terminis illud dicit Hyſichius: *Quoniam* *Hyſich.* *reliquis omnibus ei tanquam Regi indulgentibus, ſolus Deus miſit Nathan, & nefarium ſcelus reprehendit.* Peccatum Davidis ſolùm coram Deo fuit peccatum; reliquis omnibus, quia erat Rex, fuit indulgentia. Ecce hîc nunc patet, ad quid ſerviat Regibus, eſſe Reges: quàmque adulatoriè ſerviant eis qui ſerviunt. Si quæ unquam in gratulatorio Davidis conclavi (ubi ille hoc non audiret) peccati hujus mentio facta fuit; hoc illovè modo deſuper diſcurrebant Aulici. Amorem Bethzabee oblectamentum fuiſſe Principis, qui miles fuerit; eam duxiſſe in uxorem, honorificam fuiſſe famæ reſtitutionem; interfeciſſe Uriam, conſilium fuiſſe neceſſarium, prudens & generoſum. generoſum, quia heroicè illum occumbere fecit in bello: prudens, quia fatum ſeu caſus videri potuit, quod erat induſtria: neceſſarium; quia ſecuriſſimus injuriam ſepeliendi modus eſt, læſum ſeu injuriâ affectum mittere in terram. Tam leviter explodebatur in Palatio caſus tam atrox & ſcandaloſus: dum adulterium dicebatur oblectamentum; homicidium neceſſitas: & perfidia, prudentia. Libro Regum ſecundo, cap. 8 nominantur perſonæ, è quibus Domus ſuperiorque familia Davidis conſtabat: & eſt quippiam omnem excedens exaggerationem adulationis, in tot hominibus tàm rerum gerendarum peritis, tam idoneis ſubjectis, omnibuſque numeris abſolutis, non inventum fuiſſe vel unum, qui vel zelo actus honoris, vel conſcientiæ ſcrupulo ſtimulatus, vel obligatione officii impulſus, vel gratiarum beneficiorumque receptorum memoriâ motus, alicui Regi in ſua infelicitate ſuccurrere, & tam periculoſa in cæcitate oculos ipſi Veritate aperire auderet. Hinc ipſe deſolationem ſui, propriæque diſcrimen ſalutis agnoſcens, orando clamabat ad Deum, dicens; *Salvum me fac Domine* *Pſalm. 11.v.1.* *quoniam defecit ſanctus quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* q. d. ſalva me tu, ô Domine, adjuva me, & ſuccurre mihi, ſicut Deus; jam enim inter homines ne unum quidem invenio iſtius virtutis & animi, ut veritatem mihi dicat.

Duo *Quoniam* David hiſce verbis notat

notat consideratione dignissima : quoniam defecerunt sancti : *Quoniam defecit sanctus*: & quoniam defuerunt homines, qui ingenuè sibi dicerent veritatem : *Quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum*. *Filii hominum*, Phrasi S. scripturæ, homines stemmate illustres significat ; quales sunt qui Regibus à lateribus assistunt : talesque sibi deesse David lamentatur. Ergone, quia defecerunt sancti; etiam deest qui Regibus dicat veritatem ? Ita planè : ex *Quoniam* uno ; *Quoniam* aliud sequitur. Quoniam defecerunt sancti, quales sunt qui nihil eorum, quæ sæculi sunt, ambiunt : hæc est ratio quod Davidi, Regibusque cæteris desit qui veritatem illis dicat, tot tantisque adulatoribus interim latera ipsorum stipantibus. Etiam in Gentilibus, hæc verificata fuit consequentia. Inter Gentiles etiam suo modo erant sancti, quales erant Philosophi : præcipuè Stoici & Cynici. Diogenes Philosophus Cynicus, in tantum despiciebat res mundanas, ut nec tugurium quidem haberet, in quo degeret, sed in specu moraretur. Visitavit illum tanquam miraculum Alexander Magnus, pro naturali sibi animi magnitudine & munificentia dicens; peteret quicquid, quantumque vellet. Quid verò respondit Diogenes? Peto à te ne mihi tollas; quod dare nequis. Illud verò dixit, quoniam hyems erat ; ne Alexander corporis sui umbrâ solem sibi impediret. Num talis homo vobis adulaturus videtur Regibus, qui tam nihil petebat ab eis ; optimè id comprobavit egregio quodam responso, Valerio maximo referente : Regnante in Sicilia Dionysio, Diogenes in ore speluncæ suæ stans herbas quasdam ad comedendum abluebat, cui transeuntium quidam dixit : *Si tu Dionysio adulari velles; ista non ederes:* cui ille : *si tu ista edere velles; Dionysio adulari nolles*. Non enim ad placitum servitur Regibus, abs herbarum esu contentis : hinc ab adulatoribus comeduntur ipsi, inimicis circumvallati. *Quoniam defecit sanctus*. Ut quis hujus generis sit sanctus, necesse non est patrare miracula servientem Regi ; hominem esse sufficit modico suo contentum, nec appetere plus quàm habet ; nec ambire majorem esse quàm est.

Ibid.

Diogenes.

Si verò talis quis est vel datur (datur enim;) prima quatuor animalium *quæ in circuitu throni sunt :* & in eo Reges circumdant & obsident, cura & solicitudo est : prima inquam & notissima adulatorum cura est, ne Dionysius audiat Diogenem, contra ipsum omnia dirigere & explodere tormenta, circumvallationis interrumpi contingat lineas ; & nolens, volens ab aula removeatur. Scriptura sacra exprimit casum, non in homine Philosopho; sed Propheta. Rex Jeroboam, scisso jam Israëlitico regno, coronisque divisis Israël & Juda, aulam sibi erexerat in Bethel prope Fanum, quod duobus vitulis aureis dedicârat, ad retinendum populum, ne ad sacrificandum in Templo Jerosolymitano pergerent. Eadem in civitate Bethel degebat Amos Propheta, qui Regi Jeroboam vera quædam revelata sibi à Deo præsagia, circa Regnum ipsius & periculum intimabat. Adulatores verò Regis cùm sibi ab efficacia & energia Amos timerent, eum apud Regem calumniis traducebant ; & unus eorum Amasias nomine accedens Prophetam, amicè allocutus dixit : *Qui vides gradere, fuge in terram Juda* ; *& comede ibi*

Amos 7.v.12. & 13.

ibi panem, & prophetabis ibi: & in Bethel non adjicies ultrà ut prophetes, quia sanctificatio Regis est, & domus Regni est. q. d. Tu Amos, prævidens futura, accinge te ad iter & hinc abiens ad patriam tuam perge: ibique pane tuo vescens vaticinaberis: Hinc verò nec verbum loqui permitteris, quia in Bethel regni est regia domus; & sanctificatio Regis. Bene notate ultimam istam clausulam, quæ in sensu morali & politico Discursum nostrum mirificè totum concludit: *Quia sanctificatio Regis est & domus Regni est.* Ita ut Amasias seu adhortando seu comminando persuadere conatus Prophetæ, ut aulâ relictâ in Judæam fugiat, non aliud ad hoc motivum adducat, quàm quod aula sit regia, & sanctificatio sit Regis. Quare? quia adulator melius nequivisset definire Palatium. Palatium juxta adulatorum definitionem est sanctificatio Regis; quia ibidem Reges, & cuncta eorum acta sanctificantur: & quicquid demum Rex facit, disponit, proponit, appetit, vel sibi persuadet, aut concipit, est sanctum. Si Jeroboam sese à Roboamo legitimo suo Domino segregat, subesse detrectans: quanvis sit rebellio; est sanctum: Si prohibet populo, ne ter in anno Jerosolymitano in templo appareat coram Domino; quamvis sit contra expressam Dei legem, sanctum. Si erigi jussis altaribus ad adorandum imponit vitulos aureos; licet publica & manifesta sit Idololatria; sanctum. Et quia tu Amos (inquit Amasias) aliud Regi suggeris, contrariumque consiliis nostris persuadere satagis, neque vocem tuam nostræ conformare disponis dicendo; Sanctus, Sanctus: non tantùm palatium amplius non intrabis, sed ex aula mox egrediendum: & ex toto tibi Regno fugiendum erit. *Gradere, & fuge in terram Iuda, & in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes.*

Talis est adulatorum sagacitas, eorumque potentia: talique sub tyrannide degunt adulationibus obnoxiæ majestates; ut non solùm illis non dicant veritatem, sed ab aliis dici non patiantur: sed ab aulis arceant, longeque amoveant, qui eam dicere possunt. Nunquid hæc tyrannis est manifesta? Biantes Sapientium Græciæ unus, interrogatus quodnam animalium magis esset venenatum? respondit, quod ex feris & immitibus, Tyrannus; ex mansuetis, adulator. Venenum appellando adulationem tetigit ejus nomen; sed Tyrannum discernendo ab adulatore non bene dixit: omnis enim adulator Tyrannus est. Maximus in mundo Tyrannus, fuit Herodes; verùm adulatores ipsius Tyranni fuêre majores, Rex enim, Tyrannus erat Vasallorum & subditorum: & adulatores, Tyranni fuerunt Regis. Textus Micheæ, quem ipsi de nativitate novi Regis exposuerunt, expressè de duplici Messiæ nativitate loquitur, temporali unâ velut homine; æternâ alterâ quà Deo: *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum*: Ecce nativitatem Messiæ temporalem quà hominis: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*: Ecce nativitatem æternam, quà Dei. Adulatores verò quid fecerunt? Planè subticentes nativitatem secundam; primæ tantùm fecerunt mentionem Hoc modo deceptus Herodes, Regemque in Bethlehem natum hominem tantùm & non Deum esse supponens; illum se occidere posse putans innocentûm cædem decrevit. Quodnam verò doli hujus & decep-

Matth. 2 v. 6.

Mich. 5. v. 2.

ceptionis fuit motivum? Usitatum ordinariè in omnibus proprium adulatorum commodum. Divinè profectò S. Joannes Chrysostomus: *In adulationem profectò Regis, ut ad humanæ gratiæ lucrum veritatis damna proficerent.* Cùm tam gravis esset materia, immò gravissima quæ dari poterat, quippe quæ coronam salvationemque concernebat; nihilominus adulatores mentiri Regique abblandiri non dubitârunt; ut veritatis damna sui commodi fierent lucra: *ut ad humanæ gratiæ lucrum, damna veritatis proficerent.* Tam certa assumpti nostri est assertio, tamque vera & solida fundamentalis ipsius ratio: ut omnes in aulis & Palatiis sui commodi amici, Regum sint inimici: *Inimicos vestros.*

S. Chr.

§. IX.

SUpposito igitur, adulatores Regum esse inimicos, & Reges, velut omnes alii Christiani, ad diligendos etiam inimicos, iisque benefaciendum teneri; modò sequebatur, ad dilectionem hanc & beneficentiam Principes adhortandos esse. *Diligite inimicos vestros; & benefacite his, qui oderunt vos.* Verùm hic meus Sermo hodie prima erit oratio Evangelica, quæ contrà omnes Rethoricæ leges; sine peroratione expliciet. Si omnium Catholicorum Principum Christiana pietas tam universaliter & notoriè hoc Christi Præceptum observat; ut adulatores in Palatiis, licet maximi sint inimici, maximi nihilo secius sint familiares; & maximè dilecti, juxta illud, *diligite.* Et hi vel maximè, honoribus, gratiis & beneficiis accumulati: juxta illud, *Benefacite*: nullus perorationi relinquitur locus; cum ipsa dilectionis hujus, & beneficentiæ Regiæ exempla, omnes excedant efficaciæ limites, ad quos extendere se poterat exhortatio. Utinam sic æstimatos, remuneratos, sua mercede contentos videremus illos; qui non ad deauratorum umbram lectorum, neque ad argenteorum calorem ignitabulorum, sed in æstu & frigore, cum undis pugnando & glandibus, serviunt!

Una mihi tantùm, pro Sermonis coronide, & quidem contra Davidem Regem, occurrebat invectiva, quâ tam alienum ab hac dilectione acriter perstringerem modum, quo ille tractabat adulatores, suos inimicos. Psalmo 69. David hæc loquitur verba, vel eadem repetit; quia eadem Psalmo 39 jam dixerat: *Avertantur retrorsum & erubescant; qui volunt mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, Euge.* Ante omnia, pro dictorum nostrorum confirmatione advertendum est; eos, *qui dicunt mihi Euge, Euge*, illos ipsos esse; *qui volunt mihi mala.* Adulari enim est velle malè; & esse adulatorem, est esse inimicum: Proinde quotquot Euge vobis dicunt; tot mala vobis volunt. Istis porro adulatoribus, quos inimicos suos habebat David, quid faciebat, aut facere debat David, quid faciebat, aut facere decernebat velut Rex? Quatuor. Primò, ut magnam experirentur aversionem quam contra ipsos habebat: *Avertantur, avertantur.* Secundò, ut statim statim ab aula & Palatio suo ejicerentur; nunquam amplius in conspectu ipsius comparere ausi: *avertantur statim.* Tertiò, ut ab omni honore, officio & dignitate exclusi, abjecti & despecti haberentur: *avertantur retrorsum.* Quartò & ultimo, quia non erubuerant esse adulato-

Psalm. 69. v. 4.
Psalm. 39. v. 15.

latores, etiam quà tales agniti publicè haberi & se tractari paterentur. *Avertantur, & erubescant: avertantur statim erubescentes.* Sic ô David adulatores, tuos inimicos tractabas velut Rex; sed hoc illis facere non debuisses velut Propheta tam clarâ Evangelii Christi luce imbutus. Si igitur Christus tibi præcipit tnos diligere inimicos, *diligite inimicos vestros*: quo pacto in tantum odisti illos, ut nec oculis coram intueri eos possis, & ab aula tua & præsentia arceas? Et si Christus tibi mandat, eis benefacere: *Et benefacite his, qui oderunt vos*: quâ ratione, tu tantum illis malum reddis, ut eos injuriâ, contumeliâque affectos, publicè insuper confundas & infamiâ notes; quod hominibus in tantum ante honoratis, & in tantis dignitatibus constitutis, in maximum vergit despectum?

David respondens directam in se, in me retorquet invectivam. Et tu Prædicator, Philosophus es & Theologus, & definitionem ignoras amoris? *Amare est velle bonum alicui*: id est, amare est velle bonum amato. Enim verò quodnam majus bonum velle possum adulatori, quàm efficere, ne in tam vili exercitio perseveret? Et quod majus, à me beneficium expectare potest commodi sui amicus, & veritatis hostis, quàm ut occasionem ipsi subtraham ipsam prodendi veritatem, & cum infamia illam vendendi pro commodo? Quod si mihi adulando mei sunt inimici, majores sanè sibi ipsis sunt inimici: & ego ab illo ipsos odio desistere volo, quod eò perniciosius est quò secretius. Et si mihi adulando, nocumenta inferre possunt meo regimini & coronæ, multò sanè majora mala suis irrogant animabus & conscientiis; proinde ego à tam enormibus malis ipsos etiam invitos, cessare compellam, quod spontaneè & suapte voluntate nunquam essent facturi. Si Assuerus cognitâ Amani cupiditate amorisque fallaciâ, ipsum statim è sua gratia exclusisset & Palatio, nunquam eò devenisset stultitiæ, quod necesse fuisset eum mori suspensum ex patibulo, porrò, quod Rex ille nescivit adulatoribus suis facere in tempore, ego statim meis facio sine dissimulatione; quia verè illos diligo, verumque bonum illis desiderans, præceptum Christi in ipsis observare satago; *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Hoc modo David meam propulsavit invectivam; & ego allegato Amani exemplo, illud Seiani Romæ, illud Olivati in Gallia; illud Volsci in Anglia, illud Alvari de Luna in Hispania, & illa veteris, recentisque memoriæ in nostra Lusitania adjungens, argumenti Davidis veritate plus quàm humanâ convictus quiesco.

Verùm quoniam toto hoc Sermone professus & protestatus sum Referentem tantùm agere & non Judicem; inter duo tandem constitutus contraria, scilicet illud Regis Davidis, & illud Regûm aliorum: Primi aulæ nostræ fundatoris exemplo concludam, qui utrumque extremum tali conciliavit medio, ut utrique satisfecisse videatur, & quodnam istud fuit medium? Adulatores audire, sed adulationibus non moveri. S. Petrus Damianus, aliique Sancti adulatores comparant Syrenibus, quæ vocum suavitate sic incantabant navigantes, ut spontè se præcipitarent in aquas, & suffocarentur in mari, in quo illæ vivebant Ulyssi civitatis Ulyssipponis fundatori illud ipsum mare tranfretandum

erat (quod Scyllæ & Charybdi vicinum erat) scientiâ suâ & sagacitate usus quid fecit? Navigabat in splendida Navi Græcensi, & ne remiges deessent remis, nec alia Gens nautica velificationi, quo omnes Syrenum incantationem tuti evaderent, sic omnium obstruxit aures, ut eas audire nequirent. Ipse verò ut sine discrimine easdem audire posset, aures reliquit sibi apertas; ne verò incantationis efficaciâ perceptâ in mare se præcipitaret, pro ut omnibus contingebat, tam fortiter se palo alligari jussit, ut quamvis vellet, se movere non posset. Hæc historia seu fabula ingeniosè ab Homero conficta ad hoc facit, ut doceat, quod viri sapientes & constantes velut Ulysses, quamvis adulatores audiant, & dulce adulationum suarum echo percipiant: non tamen idcirco dolis ipsorum & artificiis corrumpi se sinere, sed constanter, inconcussè, & inflexibiliter semitam recti sanique regiminis tenere debeant. Sic hoc poterit similiter facere qui tantum de sua præsumpserit seu confiderit constantia; & non cognoverit illud ipsum tantummodo dictum, esse figmentum. Ast ego si mihi authoritas esset corrigendi Homerum, seu animus consulendi Ulyssi non aures illi apertas, manusque vellem ligatas: sed auribus clausis, manus solutas; quia auribus clausis ingressum non inveniret adulatio, & manibus solutis, omnes actiones essent suæ, & tanquam suæ verè regiæ. Hoc modo in mundo famæ acquiritur immortalitas, & in cœlo similiter Gloriæ assecuratur æternitas.

SERMO
De
SANCTA THERESIA
In Collegio Societatis Jesu, in Insula S. Michaelis: Postquam author terribile evaserat Naufragium & ad Insulam illam appulerat.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Matth. 25.

§. I.



UOTIES EA, quæ visa fuêre fortuita, altissima fuêre, providentiæ divinæ consilia! casualiter videtur Christus sedisse super fontem Sichar: & erat providentiæ divinæ consilium; ventura enim illuc erat mulier Samaritana convertenda. Casualiter Christus civitatem Naim videtur ingressus; & erat providentiæ divinæ consilium; inde enim efferendus erat ado-

adolescens defunctus, resuscitandus. Fortuitò Christus ad maris Galilææ ripam videtur ambulasse: & erat providentiæ divinæ consilium; inde quippe vocandi erant Piscatores, qui relictis retibus & mundo, ipsum sequerentur. Videor mihi me explicâsse, Auditores, casualiter & casu fortunato ad Insulæ hujus oras appuli, & civitatis hujus portas intravi: casualiter & casu fortunato me hodie in hoc pulpito video: quod est fons Sichar, ex quo doctrinæ sanæ & veræ aquæ hauriuntur. Et quis mihi vobisve dixit, utrum sub casibus hisce fortuitis magnum aliquod providentiæ divinæ consilium lateat? Quis nobis dixit, utrum in hac Naim sit adolescens in peccato suo mortuus, hoc medio resuscitandus? Quis nobis dixit, utrum in hac Samaria, quæpiam malæ vitæ sit mulier, hoc medio convertenda? quis nobis dixit, utrum in hac Galilæa aliquis sit Petrus seu Andreas, in hujus mundi mari submersus, hoc medio retia & laqueos relicturus? optimè video vim ventorum, tempestatumque impetum me abreptum in hanc ejecisse, seu detulisse Insulam. Quis verò authorem Gratiæ & Naturæ impedire poterit, quin unius instrumento, alterius effectus operetur? iisdemque ventis & tempestatibus remedia objiciat naufragiis, ad succurrendum periculis? tempestate naufragioque S Paulus compulsus, ad Insulam Melitensem pervenit; & ex prædicatis ibidem tum temporis ab Apostolo, principium sumpsêre religiosa illa lumina, quibus hodiè illuminatur & defenditur Ecclesia. Agnosco equidem facundiam mihi, multòque magis S.Pauli spiritum deesse; verùm occasione & circumstantiis præsentibus, nemo mihi magnam Prædicatoris negare poterit partem, quæ est, jactatum ab undis in hanc evomi Insulam.

Ex admirabilioribus admirabilissimum omnium, quæ in Prædicationis materia leguntur, est magnus ille & universalis fructus, quem Jonas Propheta in Ninive produxit. Peccata Civitatis erant gravissima, Incolæ Gentiles & sine fide, Prædicator peregrinus & ignotus, sermo brevissimus, imbecillis & siccus, nec rationibus, nec scripturis confirmatus, & nihilominùs quod Sermo iste, & Prædicator, Regem & Aulam, frequentissimamque incolis civitatem, ad generalem adeò, & extraordinariam, publicamque converterit pœnitentiam? at Jonas Prædicator erat evomitus ab undis. Prædicabat in eo tempestas; prædicabat in eo Cæte seu Balæna; prædicabat in eo periculum; prædicabat stupor & admiratio; ipsa prædicabat in eo mors; quam bis evaserat. Profectò non tanta fuit tempestas Jonæ, quantâ ego, & socii mei fuimus jactati. Navigium in medio versabatur mari, & nos exteriùs lateri ipsius adhærentes, altissimis vocibus Dei Matrisque suæ misericordiam inclamabamus. Non apparuit ibidem Balæna quæ nos deglutiret: ast apparuit nihilominùs (neque prodigiosè minùs) eodem instanti unum ex marinis istis monstris, quæ maria infestant, quod nos deglutitos evomuit in terram. Evomitus in terram Jonas, prædicationis suæ the- *Jon.3.*
ma tale assumpsit: *Adhuc quadraginta* *v.4.*
dies; & Ninive subvertetur. In terra, ubi terræ motus tam continui & horribiles sæviunt; in terra ubi montes vivunt & comedunt, suisque se visceribus propriis sustentant, & incendia velut flumi-

na ejiciunt : in terra ubi ignis potentior est oceano, in medioque ejus extruit & evertit Insulas : in terra, ubi Populi & integræ provinciæ uno momento destructæ fuerunt & subversæ : quodnam, quæso, thema proposito congruentius, quàm illud Jonæ assumi posset : *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur?* Si Ninive subverteretur, miraculi & punitionis loco haberetur; verùm si (quod Deus avertat) hæc Civitas subverteretur, punitio esse posset sine miraculo. Suppositis omnibus circumstantiis istis, nec Prædicatori, nec loco convenientius thema poterat assumi: verùm diei festivitas tam triste & funestum non admittit assumptum.

Gloriosa Theresia, Terra ubi tu degis, & ubi incolarum devotio te venerantur, à subversione potest esse secura. Conversa, sic : subversa, non. Mediante Jonâ Deus Ninive convertit, & Jonas tam imperfectus erat illo tempore, ut inobediens Deo, fugeret ab eo. Ast tanta est vis Gratiæ! Tu ô Sancta adhuc degens in terra, maximam orationum tuarum virtutem eo dirigebas ut Prædicatores Deo recommendares, quò multas conversas ad Deum adducerent animas, sicut tu adduxisti quàmplurimas. O si quis hâc horâ vel unicum lucis tuæ radium, aut spiritus tui mereretur afflatum! non minor hodie tua est charitas, neque tuum infirmius suffragium. Intercede, Virgo Gloriosa, cum Virgine & Matre tui Sponsi, ut à suo hanc mihi impetret gratiam. Nôsti, Sancta, qualem desiderem gratiam; non quæ aures mulceat; non quæ intellectum rapiat & oblectet : sed gratiam illam, quæ voluntatem & affectum accendat; gratiam quæ emolliat, vincat, vulneret, & inflammet corda. Hujus gratiam tantùm nobis à Beatissima Virgine obtine, quantum illa & nostrarum duritiei animarum, & meo necessarium viderit frigori & tepori. Ave Maria.

§. II.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Matth. 25. v. 2.

OCulis elevatis in cœlum, oculis demissis in terram, oculis infixis Evangelio, hodie prædicare decrevi; quonam modo semper in Sanctorum festis oporteat prædicari. Prædicari oportet oculis intentis in cœlum; ut videamus quid in Sanctis sit imitandum; prædicari oportet oculis in terram defixis; ut cognoscamus quid in nobis sit emendandum; prædicandum denique oculis Evangelio infixis; ut Evangelium velut lux è cœlo, in terra nos dirigat ad id, quod emendandum est in terra, & quod imitandum in cœlo. Evangelium nobis hodie proponit ob oculos decem Virgines, quarum quinque fatuæ, quinque fuêre prudentes: *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Verùm quando respicio (res notabilis) quando Virgines prudentes respicio, oculis in cœlum intentis; & quando respicio fatuas oculis in terra defixis, commutatis eas video nominibus. Prudentes visæ, oculis in cœlum directis, fatuæ mihi videntur: & fatuæ visæ, oculis in terram demissis, prudentes mihi esse videntur. Istud mihi hodie ob oculos ponitur; eritque Sermonis materia: scilicet Virgines prudentes visas, oculis cœlo intentis fuisse fatuas : & fatuas visas, oculis in terram deflexis, fuisse prudentes. Clariùs loquar: Virgines pruden-

dentes cum S. Theresia collatas, fuisse fatuas: *Quinque ex eis erant fatuæ:* & Virgines fatuas nobiscum collatas, fuisse prudentes: *& quinque prudentes.*

§. III.

PRimum, in quo Virgines prudentes cum S. Theresia collatæ fuerunt fatuæ, est, quia Virgines prudentes dormierunt, quando vigilandum erat: & S. Theresia vigilavit, quando secure poterat dormire. Quare Virgines obligatæ fuerint vigilare, Christus in fine Evangelii declaravit dicens: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Sed replicare quis poterit, Virgines illas, licèt ignaras horæ, diem saltem scivisse; ad diem quippe nuptiarum fuerant invitatæ. Nihilosecius certum est illas & diem & horam nescivisse, quâ Sponsus esset venturus; nam postquam diu expectâssent, mediâ venit nocte: *Mediâ autem nocte.* Nesciebant diem, qui enim mediâ venit nocte, si paulò venisset ante, eodem venisset die: & si paulò post venisset, die venisset altero: quia verò Sponsus in mediæ noctis puncto, venit, quo die naturali terminante, alter incipit, etiam postquam venit, nescitur quo die venit. Utrum priore seu posteriore venerit die nescitur: neque scitur, utrum in utroque seu neutro eorum venerit; punctum enim mediæ noctis est instans, neutriusque diei pars, quia non est tempus. Cùm itaque ità se res habeat, & Virgines nec diem sciverint neque horam; nihilominùs omni positâ solicitudine & curâ obdormiverint omnes, fatuæ, & prudentes: *Dormitaverunt omnes, & dormièrunt.* Nullum est dubium quin magnæ

Matth. 25. v. 12.

Ibidem v. 6.

Ibidem v. 5.

fuerit fragilitatis argumentum: in fatuis ostendebat quod erant; in prudentibus fatuitatem indicabat. In ipso Evangelio id habemus.

Evangelium decem Virgines Sponso obviam exivisse inquit; moramque faciente sponso obdormivisse omnes. Sed notate: quod dicens exiisse, discrimen faciat inter utrasque: aliasque fatuas, alias verò prudentes fuisse afferat: *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:* Et dicendo ipsas dormitâsse & dormivisse, nullam faciat distinctionem, unâ eâdemque de omnibus linguâ loquens: *Dormitaverunt omnes & dormièrunt.* Si igitur Evangelium inter fatuas prudentesque distinguit quando exierunt, quare non similiter inter easdem distinguit, quando dormierunt? quia exeundo differentes fuêre curâ: dormiendo verò æquales fuêre incuriâ. Exeuntes dissimiles fuêre curâ; quinque enim sumpserunt oleum secum in vasis suis, quinque verò minimè: dormientes incuriâ fuêre æquales; quia neutræ quinque somno restitêre: *Omnes dormièrunt.* Quia verò in egressu quinque fuêre solicitæ, & quinque sine solicitudine; hinc Evangelista de ipsis loquitur cum distinctione, quinque fatuas & quinque prudentes appellando: in dormitatione verò, quia omnes fuerunt incuriæ, & nulla earum vigilavit, hinc de omnibus indistinctè loquitur, non enim inter eas prudentes fuerant prudentes, sed omnes fuerunt fatuæ.

Omnes decem Virgines hoc casu fuerunt fatuæ, quamvis Prudentes fatuis minùs fatuæ, fatuæ enim dormièrunt inexcusabiles prudentes dicere poterant, quod qui prævenit, non dormiat. In fa-

fatuis dormiebant omnia: in prudentibus, dormientibus oculis vigilabant lampades. Denique Virgines prudentes collatæ cum fatuis fuerunt prudentes, majorem enim præmiserant solicitudinem: collatæ verò cum S. Theresia fuerunt fatuæ. Quare? quia dormierunt vigilare obligatæ, nescientes diem neque horam: & S. Theresia vigilavit, dum securè dormire posset sciens diem, atque horam, & aliquid adhuc amplius.

§. IV.

Ex majoribus Gratiæ prærogativis S. Theresiæ à Deo collatis, & in quibus omnes, seu quasi omnes Sanctos excessit, duo fuêre arcana, quæ ipse Christus illi revelavit, cæteris hominibus incognita. Primum mortis suæ instans seu horam: secundum salutis certitudo. Nonnullis mortis suæ hora fuit revelata: S. Theresiæ revelata fuit sua mors, simul & prædestinatio. Ideò S. Theresiam vigilâsse affirmo plus scientem, quàm diem & horam: scivit diem & horam; quia scivit quando sibi foret moriendum; & scivit plus quàm diem & horam, quia se mortuam sciebat salvandam. Et quod cum duplici hac scientia, scientiâ & certitudine mortis insuper & salutis, S. Theresia nihilominùs vigilaret insomnis, nec ad momentum incuria; immò vitam agens tam rigidam, tamque mirabilem: omnium mirabilium ipsius est maximum.

Cuncti in mundo vivimus duabus laborantes ignorantiis: Prima est mortis; secunda prædestinationis. Moriendum nobis esse novimus omnes, sed nemo scit quando. Aut salvandos aut damnandos nos esse itidem novimus omnes, utrum verò ex duobus istis sit futurum novit nemo. Enim verò, quare Deus mortem nobis incertam, & prædestinationem nobis dubiam reliquit? nunquid certos nos facere potuit Deus horæ mortis, & utrum prædestinati essemus nec ne? clarum quod sic: sed supremâ ordinavit Providentiâ, ut & de hora mortis essemus incerti, & de prædestinatione ambigui; ut mors timore nos suspenderet incertitudine; & prædestinatio perseverantiam sustentaret dubio. Quod si homines scirent, quamdiu sibi vivendum, seu quando foret moriendum, quid, quæso hominibus fieret? si ego me hodie mori posse sciens, Deum offendere audeo hodie; quadraginta annis sese victurum certus, quomodo saltem triginta novem annis Deum confidentèr non offenderet? hanc ob causam ordinavit Deus ut mortis hora foret incerta; & prædestinatio dubia. Homines scientes se præscitos, velut desperati liberiùs malitias malitiis & peccatis peccata accumularent: scientes se prædestinatos tanquam securi segniùs in virtutibus se exercerent. Itaque ut mali minùs evadant mali, & boni in bonitate perseverent: nec mali sciant se præscitos, & boni se prædestinatos ignorent. Nesciant mali se præscitos, ne agant desperatè. ignorentq; boni se esse prædestinatos, ne incurii evadant quasi jam securi. Proinde binæ istæ ignorantiæ, mortis scilicet & prædestinationis, geminæ sunt bases timoris mortis & inferni; & hi duo timores fortissimæ duæ columnæ, quibus totum vitæ Christianæ innititur ædificium, ne homines velut fatui viverent, sed veluti prudentes operarentur. Verùm tam eximiè Deus sanctam tractavit Theresiam, & amoris ipsius fidelitatem tali beavit differentiâ, ut duarum

harum

harum ignorantiarum loco, geminam contrariam induLserit scientiam, scilicet horæ mortis & æternæ salutis: sciebat enim, quod nec scientia & certitudo horæ mortis sibi imminuere deberet vigilantiam: neque scientia & certitudo seu securitas salvationis, remissiorem facere deberet solicitudinem. Noverit Theresia, quando morietur, & quod salvabitur, ut ipsâ supra geminam hanc operante scientiam, sciat etiam mundus, quàm fideliter me amet.

Sanctus Joannes Evangelista conscriptis operibus vitæ Christi, & ad opera mortis ipsius conscribenda transiens, ait ita: *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora ejus: Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* Prosequitur: *Sciens quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: ponit vestimenta sua, & cœpit lavare pedes Discipulorum.* Et hoc modo enarrat omnia, quæ Christus ultimis istis & plenis horis est operatus: Ita ut S. Joannes ultimas & excellentissimas Christi actiones descripturus, consideraverit, & præfando notârit & ponderârit, quod Christus omnia geminâ stimulatus scientiâ peregerit: Scientiâ scilicet horæ suæ mortis: *Sciens, quia venit hora ejus*; & scientiâ ascensionis suæ in cœlum: *Sciens quia ad Patrem vadit.* Enim verò, quonam fundamento, seu energiâ hoc loco considerat seu ponderat Evangelista, Christum sub duplici hac scientiâ operatum? ut nobis constaret, Christum quà Deum & hominem scientiam habuisse rerum omnium, præsentium & futurarum, & necesse non fuisse Evangelistam hoc nobis insinuare. Ut quid igitur adeò notat, & hoc loco expendit: Christum diem horamque mortis suæ scivisse, necnon iturum se in cœlum? ratio est, quia Christus Dominus noster, totius vitæ suæ decursu, tantâ usus est vigilantiâ & curâ, quasi mortis suæ horam ignorâsset: tamque anxiè, & solicitè, tot tamque heroicis actibus ad mortem sese præparavit, ac si de salute sua omninò incertus fuisset. Quod verò salvationis seu salutis suæ Christus gnarus & certus: *Sciens quia ad Deum vadit:* tam anxiè se ad mortem præparet: nec minùs gnarus certusque diei & horæ mortis, *Sciens quia venit hora ejus*: tam cautè vigilantèrque se gesserit in vita; circumstantiæ quædam fuerunt virtutis & exempli in vita morteque Christi, quas ipse ab Evangelista notari voluit, & ponderari, ut nos illas ritè consideraremus: *Sciens, quia venit hora ejus: in finem dilexit eos Sciens, quia ad Deum vadit, ponit vestimenta sua.*

Joan. 13. v. 1.

Ibidem v. 3.

Ah prudentissima Virgo Theresia, quæ duplici isto, *Sciens*, geminâ istâ scientiâ fatuas ostendisti, quas Evangelium prudentes canonizat! *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Illæ ignorantes diem atque horam dormiêrunt: Tu plùs, quàm diem sciens & horam vigilâsti. Duplicem istam scientiam, quam Christus habebat per naturam & gratiam, S. Theresia habebat per revelationem. Sciebat per revelationem diem & horam suæ mortis: *Sciens quia venit hora ejus*: per eandem sciebat revelationem se salvandam Deoque æternùm fruituram: *Sciens quia ad Deum vadit*; Nihilominùs in omnibus operibus suis tantâ vixit vigilantia, quasi hujus ignara, omninò contrarium timuisset. Sciebat se diu supervicturam, tamque cautè & cir-

circumſpectè agebat, quaſi illo die moritura fuiſſet. Prædeſtinatam ſeſe ſciebat & ſalvandam, & tam extraordinariè ſe præparabat ad mortem, quaſi de ſua ſalute dubitâſſet. In Thereſia denique id duplex iſta operata eſt ſcientia, quod in nullo homine binæ iſtæ effecerunt ignorantiæ; non habente ſponsâ Chriſti hoc caſu in amoris ſui excellentiis ſecundum, quàm ipſum ſuum Sponſum.

Enim verò ſi Chriſtus homo fuiſſet ſimilis nobis, tempus vitæ ſuæ, & poſt mortem aſcenſum ſuum in cœlum ignorans; quod ea egiſſet vivens, quæ eum feciſſe conſtat, ſeque ad mortem diſpoſuiſſet uti ſe diſpoſuit, minùs fuiſſet admirandum: ſed quod annorum, dierumque vitæ ſuæ numero cognito, & de cœlo certus & ſecurus, mox à vitæ exordio, ad illa paupertatis, humilitatis, ſubjectionis, perſecutionum, laborum & ærumnarum extrema ſubeunda ſe offerret; & ante mortem (ſingulari & ſtupendo exemplo) veſtimentis depoſitis Diſcipulis pedes lavet; tam ferventèr oret in horto; ad injurias obmuteſcat; ſpinas & flagella perferat; inimicis ſuis ignoſci petat, animamq; ſuam altis vocibus, & cum lachrymis in manus Patris ſui commendet: notabilis, æſtimanda, operũ Chriſti circumſtantia eſt.

Agedum videte, num ſimilis in operibus Thereſiæ inveniatur circumſtantia. Quod Thereſia ab ineunte mox ætate, ſimul cum rationis uſu, exercitium ſimul auſpicetur Virtutum & Pœnitentiæ: & mortis ſuæ & longævæ vitæ præſcia, quod ne momento quidem remittat fervorem, imo rigoribus ſuperaddat rigores: quod Thereſia incipiat ad ſuam procurandam ſalutem facere plùs, quàm maximi fecêre Sancti; & certa ſe prædeſtinatam, & ſalvandam, negotia ſua florente adhuc ætate componat, ſicut Chriſtus advesperaſcente jam vitâ: quod ſecura de cœlo, veſtimenta depoſuerit, non mundi, ſed Religionis mitioris; pedibusque excalceatis, prima aſperrimum Eliæ habitum aſſumpſerit: quod cœli ſecura, humanam fugerit converſationem, & non unam, nec duas, tresvè horas, ſed omnem ſuam vitam orationi, tamque intimæ cum Deo unioni conſecrârit: quod cœli ſecura, ferreis catenis carnem lacerârit; & de ſpinis, unde Sponſo ſuo plexa fuit corona, illa ſibi texuerit cilicium, quod de cœlo ſecura, nec verbulum reſponderit, tam enormitèr ſe infamantibus & perſecutis; quod de cœlo ſecura, non ſolùm ignoverit inimicis, ſed Deum pro ipſis efficaciter orando, gratias impetrarit: & cœli ſecura peccata defleret, quæ non habebat, ac ſi peccatrix foret maxima?

Uſque huc, Thereſia, Sponſi tui imitationes. Utrum hinc tranſeam ignoro, tranſibo tamẽ, quia ipſe tranſire te voluit. Quod Thereſia de cœlo ſecura, vel maximè terribilibus infirmitatum ſuarum afflicta doloribus, eas uſque ad finem mundi extendi à Deo petat? quod Thereſia cœli ſecura, in tanto ſcrupulo conſcientiæque teneritudine vitam agat, ut ne veniale quidem peccatum advertentèr committat? quod Thereſia cœli ſecura, Deo dicat: *Aut pati, aut mori*: pluris faciens vitam cum tormentis, quàm ipſam Gloriam, ad quam exaltanda erat mortua? Deniq; quod Thereſia cœli ſecura, ſpontè ſubeat pœnas inferni in vita, quas paſſura non erat poſt mortem? hæc circumſtantia, glorioſa Thereſia, victorias tuas reddit ſingulares; etiam illas, in quibus alii Sancti tibi ſimiles fuêre viſi. Illi operati

rati sunt,& tu operata es: sed illi, sicut & nos,incerti de morte; Tu sicut Christus, cum certitudine vitæ illi sicut & nos, dubii de cælo; tu, sicut Christus,de eodem secura: illi, sicut nos,inter timorem mortis & inferni : Tu sicut Christus, secura omnique metu superior.

§. V.

OMnis hujus mundi sanctitas & virtus benè considerata, est obnoxia timori. Nobilissimus & præstantissimus actus in hoc mundo pro Deo exercitus, fuit ille Abrahami. Deducit Abraham filium suum in montem, alligatum strui lignorum imponit, educit gladium caput illi amputaturus: Deus manum continere jubens, illi dicit : *Nunc cognovi, quod timeas Deum.* Quod timeas Deum? quomodo hoc? quando Abraham amore Dei proprium sacrificat filium : quando Abraham amore Dei, proprium occidit amorem : quando Abraham amore Dei spem Domus & posteritatis suæ abscindere parat, dicere videtur debuisse Deus; nunc, Abraham, cognovi quod me amas: sed nunc quod me timeas? Sic: illa enim Abrahami actio bene considerata, & introspecta sicut eam perspexit Deus, plus habuit timoris, quàm amoris. Videbat Abraham, quod occidere Isaacum esset interficere semetipsum; sed videbat etiam, quod illum non occidere esset non obedire; non obedire esse Deum offendere; Deum offendere, esse se condemnare: proinde timor iste damnationis propriæ in Patre, gladium admovere fecit jugulo filii. Quando Pater & Filius pariter pergebant ad sacrificium, inquit textus, Abrahamum una manu gladium, & alterâ tulisse ignem: *Ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* O quàm congrua occasioni illi bina specula! In Gladio oculis objiciebatur mors filii, in igne occurrebat infernus Patris. Si obedis, interficiendum est; si non obedis, ardendum est. Amor se videbat in speculo gladii : Timor in speculo ignis. Estne possibile, Pater, inquiebat amor, quod unicum tuum filium dilectum occidas? & vitam, sanguinemque illi abs te datum propriis tuis manibus profundis? absit hoc: Vivat Isaac, brachiumque cum gladio concidat. Verùm nisi moriatur Isaac (replicabat timor) nisi Isaac immolatus hoc igne consumatur: Abraham propter inobedientiam, ibit arsurus in infernum. Aut Abrahamo ardendum; aut Isaaco est moriendum. O crudele & atrox Patri Dilemma! Sed gladium transadigere per jugulum Isaaci momentaneum tantùm est (instabat timor:) & Abrahamum ardere in inferno, est æternum: momentaneè igitur patiatur filius, ne æternùm torqueatur Pater. Extenso iterùm brachio, gladioque vibrato jam jam ictum illaturo occurrit Deus Porrò quia omnis ista Abrahami resolutio ad tollendam Filio vitam, ex timore non offendendi Deum, damnationisque incurrendi periculum processit: hinc Deus non dixit: Nunc cognovi, Abraham quod me amas, sed, nunc cognovi, quod me timeas: *Nunc cognovi quod timeas Deum.*

Gen.22. v.21.

Gen.22. v.6.

Tale fuit celeberrimum Abrahami sacrificium, & talia ordinariè sunt quasi omnia sacrificia etiam præstantissimorũ hominum: sed ad examen oculorum Dei vocata sacrificia, maximæ sacrificiorum perfectiones & excellentiæ, ex timore procedunt Non ità S. Theresiæ sacrificia.

Sicuti ſe certò prædeſtinatam noverat, ſicuti à damnatione ſecura erat, ſic erat ſine timore Dei ſancta. Et quod non timens Deum, nec quod in Deo timeret habens, tam timoratam ducebat vitam, ut nec peccatum quidem veniale advertentèr committeret, ſæpiuſque infernum potius ab illo peteret, quàm ſe offendere permitteret! Ille ſupremus fuit perfectionis apex, ille tenerrimus ſubtiliſſimuſque amoris Thereſiæ affectus.

Alii inſigniores Dei amatores Deum amant cum omnibus ſuis attributis: S. Thereſia Deum amavit uno attributo minorem. Deus revelando ſanctæ Thereſiæ ipſam prædeſtinatam, & ſalvandam, erga ipſam ſe habuit, quaſi ſine juſtitia eſſet; ſuppoſito enim prædeſtinationis Decreto, illam damnare nec poterat, nec debebat: & amare Deum ſine juſtitiæ attributo, ſupremum eſt, quo amoris nobilitas & excellentia pertingere poteſt. Propter omnia ſua attributa Deus eſt amandus. Amandus eſt propter ſuam omnipotentiam, quâ nos creavit; propter bonitatem, quâ nos redemit; propter ſapientiam ſuam quâ nos regit & gubernat: amandus propter ſuam providentiam, qua nos ſuſtentat: propter liberalitatem ſuam, quâ nos remunerat; & propter pulchritudinem ſuam in qua eum contemplabimur. Et quamvis hæc ita ſe habeant, propter nullum attributorum ſuorum magis quam propter juſtitiæ attributum amatur. Si in Deo non eſſet juſtitia, neque in altera vita infernus, quàm pauci amarent Deum? Famoſus ille gentilitatis ſectatius Epicurus, duos Sectæ ſuæ inſeruit canones. Primum, beatitudinem in vitæ hujus conſiſtere deliciis: Secundum, Deum carere juſtitiâ. Uterque iſte canon erroneus fuit, & eſt hæreticus. Sed ſuppoſito errore primi, judicioſè ſubſtitit error ſecundi. Beatitudinem in deliciis conſtituit hujus mundi, Deoque mox juſtitiam denegavit: ægrè enim pro beatitudinis Gloria habere potuiſſet gaudia hujus mundi, credens ſe propterea damnandum eſſe in altera. Unde ego infero, Chriſtianos pejores eſſe Epicureis. Vitæ hujus oblectamenta quod quis reputet pro Gloria, credens non eſſe juſtitiam quæ damnet in altera; error eſt ſed error aliquatenus excuſabilis: Verùm quod ego certâ fide tenens in Deo eſſe juſtitiam, meque puniendum ab eo & damnandum eſſe in altera, nihilominus deliciis hujus vitæ & gaudia pro beatitudine habeam: Ecce num tam craſſa & brutalis cæcitas ullam excuſationem mereatur.

Agedum, quod Epicurus aſſeruit tenendum pro fine, hoc Thereſia experta eſt ex Privilegio. Epicurus Deum finxit ſine juſtitiæ attributo; & Deus S. Thereſiæ ſe eandem non condemnaturum revelans, ſic ſe cum ipsa geſſit, ac ſi juſtitiam non haberet. Sed quàm differentes hinc Conſequentias intulit S. Thereſia? Epicurus Deum ſine juſtitia eſſe conſiderans, eundem mox offendere, beatitudinem & gloriam reputavit: at Thereſia ſine juſtitia Deum videns, illum ſolùm ardentiſſimè diligere glorioſiſſimum duxit, & malle potiùs millies mori, quàm ſemel eum offendere. O quantum hinc ad diligendum timendumque Deum documentum deduci poteſt? & ſi eundem volumus diligere, neceſſe eſt & alterum ipſi tollere: timere Deum, quaſi

quasi non haberet misericordiam; Deumque diligere, quasi non haberet justitiam. Sic amabat Theresia, sed non sic timebat; non enim quod timeret habebat. Ut Theresia perfectius amaret Deum, Deusque amaretur perfectiùs, Deus (sic loqui lubeat) Deus uno se attributo, & Theresia una se exuit virtute: Deus seposuit attributum justitiæ; Theresia virtutem seposuit timoris. Et quando Deus jam imminutus fuit isto attributo, & Theresia ista virtute; in hisce duabus imminutionibus constitit perfectio amoris in amante & amato. In Deo amato; fuit enim amatus absque quod timeretur: In Theresia amante, quia amavit, absque quod timeret. Et adeò remotis à Theresia timendi causis, in eadem tam expressi viderentur timoris effectus! cura, cautela, vigilantia: tàm solicita, tàm anxia, tàm industria: sine incuria, sine remissione, sine obdormitione! Propterea dixi, iterumque dico, prudentes virgines Evangelicas respectu illius fuisse fatuas. Hæ tantùm vigilare obligatæ, dormierunt: *Dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Theresia tam securè dormire permissa, semper vigilavit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.*

§. VI.

SEcunda causa, quare Virgines prudentes S. Theresiæ comparatæ fuerunt fatuæ, est, quod prudentes in materia salutem æternam concernente, tantum voluerunt, quod sufficit: S. Theresia plus quàm superfluum præstitit. Virgines fatuæ, lampades suas deficere notantes, à prudentibus olei sui communicationem petierunt: *Date nobis de oleo vestro*: responderunt prudentes, emptum potius abirent; contingere quippe posse ne utrisque non sufficeret: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis.* Istud responderunt prudentes, in quo ipsas se fatuas ostendisse affirmo. Fatuas? prudentes se potius, immò prudentissimas sese ostendisse videntur. Quod si avaras, amicas infideles, nimis inhumanas, aut parùm se misericordes ostendisse dicerem, censura esset, quàm prudentibus in hoc casu impingunt alii: Verùm in materia tam gravi recusantes dare de eo, de quo dubitant utrum sufficiat, vel non sufficiat eas appellare fatuas? Ità protinus, & eodem ex capite. Quia dubitarunt utrum sufficeret, nec ne; quando dubitandum erat, utrum quid superesset, aut non superesset: in materia enim salvationis superfluum tantùm sufficit; & quod sufficit minùs sufficit. Video equidem hoc meum assertum Paradoxum vobis videri: ego verò non tam verum esse, uti est, optarem. Repeto Christiani, quod in materia salvationis, tantùm quod superest sufficiat, & quod sufficit, sufficiens non sit. Sic est, Theologiæ rigori convenienter. Certum est sine auxilio Dei salvari neminem posse: Certum est auxilia Dei aliqua esse sufficientia, alia efficacia: certum est auxiliis Dei sufficientibus tantùm, nisi quatenus efficacia concurrit, neminem unquam salvatum, aut salvandum. Argumentor ergo sic: auxilia sufficientia, vocantur sufficientia, quia sufficiunt, ut quis operetur bonum & salvetur. Si igitur sufficiunt & sunt sufficientia, quomodo nemo cum eis salvabitur, quatenùs sunt talia? Eandem ob rationem; sunt enim sufficientia tantùm, & in materia salvationis quod sufficit, non sufficit: Plus esse debet quàm suf-

Matth. 25. v. 8.

Ibid. v. 9.

ſufficiens, ut ſufficiat; quia tantum ſufficit, quod ſupereſt.

In operibus eadem eſt ratio, quæ in auxiliis (Hæ ſunt duæ cauſæ ex parte Dei & noſtra, ſine quibus ſalus obtineri nequit) & ſi minùs, reſpondete mihi redditâ ratione, quare tot millia hominum damnentur, cùm tot veri fideles Deum cognoſcant, & profiteantur? Ratio eſt (& quilibet penes ſe judicet) quia in materia ſalutem noſtrã concernente eo contenti ſumus quod ſufficit, & in hac materia, quod ſufficit ſufficiens non eſt. Ut homo ſalvetur, ſufficit eum bene mori: ad bene moriendũ autem, nunquid aliquid amplius requiritur? requiritur benè vivere. Ergo ut homo in materia ſalvationis habeat hoc quod ſufficit, ipſum multò plus habere opus eſt, quàm quod ſufficit: quia ut ſalvetur, neceſſarium illi eſt benè mori, quod eſt multùm; & ut benè moriatur neceſſe eſt illi benè vivere, quod multò plus eſt. Sed quia bene mori volumus ſine bene vivere; quia volumus ſufficiens ſine eo quod ſufficere facit, ideò perimus & damnamur. Chriſtiani, eodem modo ſalvari deſideramus, quo Balaam Propheta id deſiderabat dicens: *Moriatur anima mea morte juſtorum.* Tace fatue, inquit S. Auguſtinus. Non tibi dicendum, moriatur anima mea morte juſtorum; ſed vivat anima mea vita juſtorum. Nam regula mortis, eſt vita Benè vivens benè moritur: & malè vivens malè moritur: porrò vivere malè, ſicut tu vivis, & mori benè, ſicut deſideras, eſt impoſſibile. Unde ſequitur, quod benè mori, quod ad ſalutem ſufficit, non ſufficiat: ſufficit, quia qui benè moritur, ſalvatur: non ſufficit, quia ad benè moriendum, benè vivere requiritur. Totũ hoc in Evangelica habemus Parabola.

Num. 23.v.10.

Quinque Virgines fatuæ à nuptiis excluſæ fuêre damnatæ, quia oleum ipſis defuit. Enim verò, quare illis defuit? Quia quod ſufficiebat non ſuffecit. Videte, quæſo, num benè ſit argumentatum. Dato virginibus ſigno mediâ nocte ſponſum advenire, expergefactæ ſunt omnes, & fatuæ lampades ſuas extingui viderunt: *Quia lampades noſtræ extinguuntur:* extinguebantur lampades, quia ad mediam uſque noctem illis dormientibus arſerant. Agite, adeſte mulieres & Virgines, tàm fatuarum, quàm prudentum nomine notatæ, quare oleum veſtrum tot horis in vanum conſumi ſiviſtis? quouſque veniret ſponſus lampadem unam accenſam eſſe ſufficiebat, unde reliquæ accenderentur. Quemadmodum primis vigilantibus excubiis, totus vigilat exercitus, ſic accenſis funibus omnia accenſa ſunt arma. Idem facere debuiſſe mihi videntur Virgines ſponſum præſtolantes; præſertim cùm eminùs excubarent, vel ipſe ſponſus præambulones haberet, qui fuerunt illi clamantes: *Clamor factus eſt, ecce ſponſus venit:* lampadem unam accenſam poterant habere, quo multo parcebatur oleo. Et ſi hoc non facerent quinque, quibus oleum ſupererat in vaſis; faciendum id erat quinque reliquis quibus deerat: poſtea enim nemo illis ignem negare potuiſſet ad accendendum, ſicut oleum ipſis negarunt ad vacuis lampadibus providendum. Si igitur hoc medio parcitum fuiſſet oleo, omneſque aliæ excuſatæ fuiſſent prævenientes, quare ſic non fecerunt, neque fatuæ, neq; prudentes imò nocte totâ lampades habuêre accenſas? Scitis quare? Quia lampadum illarum lumen, juxta omnium Doctorum ſententiam ſignificat gratiam Dei; & oleum opera noſtra, qui-

Matth. 25.v.8.

Ibid.v.6.

quibus mediantibus salvari nos oportet. Et lampades nostræ ante sponsi adventũ non accensæ, ipso jam veniente, nequeunt accendi. Lampades ignis materialis accendi possunt igne aliarum, eodemq; momento tunc extinctæ: Lampades verò gratiæ & salutis non ardent igne alieno, sed proprio; & nisi accensæ sint & perseverent posteà accendi non possunt. Quod aliquis putet, lampadem habens totâ noctê extinctam, se eam sponso veniente accensurum: si quis existimet, se totâ vitâ in peccatis perseveraturum, & in hora mortis in gratiam rediturum, deceptio est Diaboli, & justitiæ misericordiæque divinæ injuria illata. Verum est, ut homo salvetur, sufficere, quod Deus in Gratiæ statu ipsum inveniat in hora mortis: sed ut vicinâ jam morte in Gratia existat, non sufficit illam in tali articulo quærere: illam in vita jam habere opus est. Itã ut ad salutem sufficiat gratia mortis, & superfit gratia vitæ; sed ad gratiam mortis quæ sufficit, requiratur gratia vitæ, quæ superest. Oleum quod habebant Virgines, secundum nostrum, & quem illæ facere debebant computum, utique sufficiebat: sed quia tantùm sufficiebat, sufficiens non fuit. Ut sufficeret, necesse erat ut super esset; in superfluo enim tantùm assecuratur sufficiens.

Provocabat Gigas Goliath, & arrogantèr agminibus Israëliticis exprobrabat. Porro David provocanti occursurus ad torrentem pergens sumptis inde quinque lapidibus, quatuor in peram, & unum mittit in fundam, circumductâ fundâ, & lapide jacto Gigantem prosternit. Eja David, dexter jactator lapidũm, si ad sternendum Gigantem lapis sufficit unus, quare quinque tecum sumis? Quia David securum voluit jactum & quod superest, securum facit, quod sufficit. Lapis jactus stravit Gigantem, & remanentes in pera assecurârunt jactum. Multis glandibus instructus, securus petit metam, confidenter enim jaculatur: unâ tantum armatus glande, in ea vel mortem fert hostis, vel suam; tremit illi brachium, quia explodit cum timore: proinde David lapides tulit quinque, ut jactus sub quatuor fide jussoribus esset securus. Unde ego infero, plus deberi lapidibus residentibus in pera, quàm illi in funda; successus enim non consistit in jactu, sed in non errando: & ille lapis fundæ executus est ictum, illi residui in perâ assecurârunt brachium. Lapis unus suffecit, quatuor superfluebant, & quatuor superflui fecerunt ut sufficeret unus. Itã ut lapis in funda, re benè considerata sufficiens esset & non sufficiens: sufficiens esset, quia suffecit; & non sufficiens, quia non sufficiens esse poterat. Et quemadmodum in materiis dubii eventus, non sufficit, quod tantùm sufficit, sed solùm quod superest: hinc dico, quod prudentes Virgines in dato fatuis responso se quoque fatuas ostenderint, quia dubium in non sufficiente, seu sufficiente posuerunt oleo; cum dubio exponendum fuisset, superfluum, aut non superfluum. Prudentes collatæ cum fatuis, fuêre prudentes; quia fatuæ solicitæ non fuerunt, ut oleum ipsis super esset, sed nequidem ut sufficeret: Cum Theresia verò comparatæ, quantumcunque dicantur prudentes, fatuæ fuerunt; in materia enim salutis, contentæ fuerunt sufficiente: & Theresia nec contenta fuit sufficiente, nec superfluo. Attendite.

§. VII.

§. VII.

UT salvetur homo, sufficit mortalitèr eum non peccare: & si nec venialitèr quidem peccaverit, hoc superest. Et S. Theresia contenta non fuit, ut nec peccaret mortaliter, quod sufficit, & ut nec advertenter peccaret venialiter, quod superest: sed insuper voto sese obstrinxit, ad agendum semper, & in omnibus, quod majorem perfectionem redoleret: quod animi, Spiritusque generosi, resolutionisque plané prodigiosæ, cui simile de nullo Sancto legitur, argumentum est. Ut anima salvetur, Deo obedire sufficit: in omnibus verò ejus se conformare voluntati superest: & S. Theresia non solùm contenta fuit obediendo, quod sufficit; nec confirmare tantùm quod abundat; Verùm etiam à conformitate ad transformationem transiit, taliter in divinam transformata voluntatem, ut & ipsa, & Christus viverent & amarent uno corde. In cujus signum Seraphim unus latus ejus sinistrum ignitâ aperiens sagittâ, cuspide vitam illi auferens cordis, cadaver cordis in pectore sepultum reliquit. Amplius, ad salutem animæ sufficit curare salvationem propriam; & si curam quis gesserit salvandi & convertendi animas aliorum, intrà conditionis suæ limites, superfluum est. Et S. Theresia non solùm tam exactam propriæ suæ animæ salvandæ curam gessit, quod sufficit; neque de reformatione & perfectione animarum alienarum tantùm intrà status sui limites solicita fuit, quod superest: sed Virginis limites excedens, doctrix esse cœpit in Ecclesia, libros de perfectione conscribere; nec non mundum illuminare & imbuere in altissimis Spiritus & contemplationis punctis, ad quæ nulla penna, ante suam pertigerat. Ulterius. Ad salvandam animam, sufficit pœnas & ærumnas sufferre patienter; & si quis eò perfectionis pertigerit, ut ferat hilariter, superest. Et S. Theresia, cùm tot & tantæ essent in vita sua persecutiones & ærumnæ, non tantùm eas toleravit patienter, quod sufficit; neque hilariter solùm, quod superest; sed etiam eousque pervenit, ut in suorum Deo exhibitorum servitiorum præmium eas acceptaret. Hinc de se dicebat: *Nunquam extribui Deo aliquod servitium, quod mihi non solveret aliquâ pœnâ.* Ulterius. Ad salutem animæ sufficit diligere inimicos, & si quis eis bona præstiterit, superest. Et S. Theresia tot circumvallata inimicis & persecutoribus, imò etiam illis, quos habitus & professio ab hoc deterrere debuisset, non solùm eos amavit, quod sufficit; nec solum illis benefecit, quod super est: verùm etiam mala ipsorum in se recepit, & ad agendam pœnitentiam pro eisdem illatis sibi injuriis se obtulit: ita ut ipsa patiens esset, & simul remunerans. Amplius. Ad salvandam animam servare sufficit continentiam; & si perpetuam voverit & custodierit virginitatem non tantùm sufficit, sed superfluit: Et S. Theresia non solùm voluit esse continens, quod sufficit; neque solùm perseverare Virgo, quod superest; sed certo modo Dei matrem æmulando, eò processit, ut esset Virgo, simul & mater. Loquantur illud tot Hominum Angelicorum conventus, alii virorum, alii fœminarum; qui omnes S. Theresiam matrem recognoscunt & profitentur. Porrò ut maternitas Theresiæ, per omnia similis esset illi Deiparæ Virginis Mariæ; sicuti Christus duas ha-

habuit generationes; æternam unam quâ generatus est ex Patre sine Matre; & temporalem alteram, quâ natus est de Matre sine Patre; sic Regula & Religio Carmelitana regenerata duas habuit generationes, duasque nativitates; antiquissimam unam de Patre sine Matre, nata ab Elia: & alteram modernam, de Matre sine Patre, nata de S. Theresia. Denique ad salvandam animam sufficit servare mandata Dei; & si consilia Christi etiam observaverit, non solùm sufficit, sed etiam superest. Et S. Theresia non solùm observavit mandata Dei, quod sufficit; nec tantùm consilia quod superest: sed plurima præstitit, quæ nec Præcepto, nec Consilio continentur. Aliena plangere peccata, & pro eis pœnitentiam agere: pati præeligere pro Deo, quàm ejusdem visione frui: septem menses jejunando transigere, multosque dies sine cibo transmittere; pro salute unius tantùm animæ, usque ad diem judicii infernum eligere; nec mandato quopiam præcipitur, neque consilio particulari suadetur: & istud Theresia fecit. Hoc modo eminentissimus ille Spiritus, immensum illud cor, illa omnibus superior cunctisque major anima contenta non erat quod sufficit, neque eo quod superest: sed ad plus ultra semper anhelabat. Sed nostro sufficiat Discursui, tantum excurrisse in consequentiis gloriosi hujus *non sufficere*, & considerationi ipsius parumper libeat immorari.

Maria Magdalena caput pedesque Christi unxit, & Dominus, unctionem illam à se admissam, anticipationem unctionis sui corporis esse inquit, quando jam sepulchro esset inferendum: *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum,* (Matth. 26. v. 12.) *ad sepeliendum me fecit.* Christus moritur in cruce; & textus inquit, Josephum & Nicodemum ad inungendum corpus cum centum libris unguentorum venisse. Secundæ huic unctioni præsens aderat Magdalena, quæ fecerat primam; (Ioan. 12. v. 7. & 8.) & S. Joannes, qui audierat verba Christi, & ea refert. Si ergò jam inunctum erat corpus Christi à Magdalena, & inunctum ad sepulturam: *ad sepeliendum me*: quare Joseph & Nicodemus illud denuò inungere parant? respondebitis utique, quod unctum jam denuò unxerint Dominum; quia in operibus honori divino impensis, sufficientibus non contentos esse sed insuper supererogare oportet. Accepto responsum; sed majorem adhuc instantiam admittit. Unctum Christum deferunt ad sepulchrum; transit sabbathum, in quo mercari non licebat; illucescit Dominica, & valde manè Mariæ ad emenda abeunt aromata, ad inungendum repetitâ vice Dominum: *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* (Marc. 16. v. 1.) Nunquid similis huic datur solicitudo & contentio? nonne Christi corpus jam unctum erat à Magdalena? nonne jam unctum erat à Josepho & Nicodemo? si igitur semel atque iterum jam est unctum, cur Mariæ denuò redeunt ad ampliùs inungendum? quia amor fidem ponit in superfluo: qui amat parùm, contentus est eo quod sufficit; amans multùm, eo, quod superfluit: & amans adhuc ampliùs, nec sufficiente, nec superfluo contentus quiescit, ascendit adhuc altiùs, & progreditur ulteriùs. Unguenta Magdalenæ sufficiebant; unguenta Josephi & Nicodemi superfluebant; unguenta Mariarum omnia excedebant; sufficientibus & superfluis super-

eminebant. Istud fecerunt sanctæ mulieres istæ in schola & familiaritate Christi enutritæ: idemque S. Theresia nostra in eadem schola & familiaritate enutrita fuit æmulata. Propter hunc actum Mariæ videre meruerunt Angelos, Christumque à morte resuscitatum priùs quàm Apostoli. Horumq; actuum meritis similitèr attribuendæ veniunt extraordinariæ aliæ visiones, quibus S. Theresiam Deus præ cæteris honoravit. Visiones Mariarum metum incussêre Apostolis & Discipulis, qui pusillum faciebant gregē, quo tunc constabat Ecclesia: *Mulieres ex*
Luc. 24. v. 22. *nostris terruerunt nos.* Et visiones S Theresiæ terrorem & anxietatē incussêre Ecclesiæ Dei suâ magnitudine, quæ propterea ad examen acre fuerunt deductæ, adeòque dubiæ & suspectæ habitæ & discussæ, antequam approbarentur. Sed Mariæ semel tantùm viderunt Angelos: ast S. Theresia frequentiùs. Mariæ bis tantùm redivivum viderunt Christum; semel in die Resurrectionis, & semel in die Ascensionis: S. Theresia Christum in diversis vidit figuris; jam gloriosum, jam passibilem seu patientem, quasi quotidie. De Mariis non constat; utrum viderint Divinitatem; & de S. Theresia legitur in ipsius vita, quod viderit, quàm eminentèr creaturæ sint in Deo: quod viderit, quomodo tres divinæ distinguantur Personæ, cùm unum quid sint in Essentia: quod viderit, quomodo Filius in sinu sit Patris: & alia profundissima Divinitatis arcana, quæ hîc creduntur non intellecta; & tantum videbuntur & intelligentur in Patria, ita ut Deus videretur æmulatione amorosa contendere cum Theresia: hæc serviendo & amando; & Deus remunerando, & se communicando: hæc non quiescendo in eo quod sufficit, neque sistendo in eo, quod superfluit; & Deus sine ullo limite excedendo superfluum, quod nullatenùs est necessarium. Visiones, revelationes, extases, raptus, ad salutem nullatenus, neque ad perfectionem requiruntur: Et hisce amorosis divinisq; superfluis Deus compensabat Theresiæ, quod magnanimus ipsius spiritus nec necessario, neque superfluo quidem, satisfactum sibi putaret; nec ipsa sufficiente, & ne superfluo quidem contenta acquiesceret.

Hoc modo Deus Theresiæ solvit servitia: mihi verò non tam sufficit videre, quomodo Deus solvat, quàm quomodo Sancti serviant. Enim verò quod in heroicis illis S. Theresiæ spiritus actibus singulariter noto, est, quod illis benè expensis, ejus servire fuerit solvere Deo. Notate. Ut Deus sufficienter redimeret mundum, sufficiebat Velle; ad illum sublimiore modo redimendum, sufficiebat incarnari: verùm in redimendo mundo Deus tam excellenter se gessit nobiscū; ut non contentus illum redimere tantùm volendo, quod sufficiebat; neq; tantùm carnē suscipiendo, quod superfluebat: sed excessivè processerit, & patiendo & moriendo redimere voluerit. Hoc extremum Deus fecit pro hominibus, & istud illi debuimus, donec Theresia nos liberavit pro nobis solvendo. Deus redemptione nostra solvit peccata; & Theresia suis extremis, nostram solvit redemptionem. Quia Deus in redimendis hominibus non fuit contētus eo, quod sufficiebat, neque eo quod supererat; S. Theresia serviendo Deo contenta non fuit eo quod sufficiebat, neque eo quod supererat. Eja quàm æquales sibi passibus sponsus & sponsa videntur! quam-

quamvis Theresia Virginum, quæ oleum empturæ abierunt, una fuisset, credo quod illi occurrisset. Textus ait: *Dum autem irent emere, venit sponsus*: Si ergò illæ ibant sponso veniente, quare sibi non obviabant? quoniam diversam tenebant viam. Non sic nostra Theresia; eâdem planè incedebat, eosdem sponsi legebat passus; ut quia ille in nos amando contentus non fuerat eo quod sufficiebat, & quod superfluum erat; etiam illa minus sibi satisfactum putaret eo, quod sufficiebat & superfluebat illi serviendo. Agedum, hanc conferendo Sapientiam, videte, num fatuæ fuerint Virgines prudentes? illa contenta non est, nec sufficiente nec superfluo; & hæ sub dubio posuerunt utrum sufficeret: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.*

Matth. 25. v. 10.

Ibidem v. 9.

§. VIII.

TErtia causa, quare prudentes Virgines, S. Theresiæ comparatæ fatuæ sint habendæ, est, quod prudentes existimârint, se Sociabus succurrendo periculum incursuras: & S. Theresia scivit, quicquid attentatum ex charitate, quò magis videtur patere periculo, eò magis esse securum Paratæ erant prudentes Virgines succurrere sodalibus, & earundem supplere defectum; & si non eò quod sodales & familiares essent, saltem pro pompa majore & majestate festi, & quia ipsarum intererat; sine aliis quinque enim notabilitèr imminuebantur lumina, confundebantur paria, comitatusque disordinabatur. Nihilominùs ne periculum exclusionis à nuptiis incurrerent, maluerunt intrare solæ, quàm non intrandi periculum subire: *Ne fortè non sufficiat*. Illud, *Ne fortè*, punctum fuit in quo earum prudentia fuit hallucinata. Persuaserunt sibi quod exponendo se pro charitate periculum possent incurrere, & erronea fuit imaginatio; nemo quippe & se & sua meliùs assecurat, quàm qui charitatis motivo, & se & ea periculo exponit. Vel maximè memorabilem auscultate casum, cujus aut sacræ aut profanæ historiæ omnes meminerunt.

Obsessâ ab Exercitu Holofernis Civitate Bethuliâ, subductis, & interruptis canalibus, & derivatis fontibus ex quibus bibebant; desperabundi jam omnes Civitatis incolæ, sese hostibus dedere parabant, ne siti perirent: Judith deditionem occupationemque patriæ suæ aversata, & ferre non sustinens, insolitum quippiam & generosum facinus concepit animo, quod nec de cordatissimo seu constantissimo viro, nedum muliere aliqua & quidem sanctâ sperandum foret. Exuto cilicio, quo induebatur, abstersis lacrymis, quas ab oculis in cœlum ablegabat, odorifera, margaritas, lapides pretiosos, cultiora vestimenta & rariora ornamenta adesse jubet ad speculum: induit, componit, ditat, & exornat capillos, collum, pectus, manus, brachia, feminandos pedos (sic enim illud Scriptura notat) relinquens: & Judith facta thesaurus concupiscentiæ; stupendæ pulchritudinis oculorum illicium, multiplexque sensualitatis laqueus; plena fiduciâ portis civitatis egreditur, transilit foveam, transitis excubiis, hostilia castra ingreditur, ad ipsum usque Holofernis tentorium pergens. Generosæ quidem hæ sunt actiones mulieris, verùm generosiores adhuc mentis conceptus. Intentio scopusque Judith erat (prout ipsa in textu prote-

 statur)

ſtatur) ut propriis ſuis oculis Holofernes, pulchritudine ſuâ caperetur; ipſaque blandis & compoſitis ad gratiam verbis magis illum irretiret: ut ſic captum & captivum acceptâ occaſione arreptis manu unâ Tyranni capillis, & alterâ gladio illum decollaret. ô Judith, heroicæ quidem tuæ ſunt reſolutiones, ſed periculis pleniſſimæ. Conſidera eas, Domina, velut mulier; conſidera eas, velut nobilis; conſidera eas etiam, multòque magis velut ſancta. Si quà mulier, plùs quàm mulier, in mediis armatorum Barbarorum turmis, non attendis præſentia pericula vitæ, velut illuſtris, quare famæ rationem non habes? & velut ſancta, quare decorum non attendis? illos ipſos quos Holoferni laqueos tendis, quo pacto evaſuram te ſperas? captivationes capiendo etiam capiuntur. Immò Judith antequam captivaret Holofernem, jam ſemetipſam ante cepiſſe, & ante Holofernem cecidiſſe videtur: obligatio enim & puritas legis divinæ non peccatum tantùm, ſed occaſionem periculumque prohibet peccandi; & qui periculum ſubire ſe reſolvit, jam cecidit, quia ad cadendum ſeſe expoſuit: *Qui amat periculum, in illo peribit*: eadem lex divina inquit. Si igitur Judith tam erat ſancta Legiſque divinæ obſervans, quomodo tam manifeſto diſcrimini ſuam exponit honeſtatem & ſuam cum ea ſimul conſcientiam? quod periculum ſubeat vitæ, generoſitati adſcribatur; & periculum famæ pro exceſſivo Patriæ amore habeatur; ſed quod integritas & conſcientia, pro nullo pretio, nec pro vita, nec pro fama, nec pro libertate, nec pro civitate, neque pro regno, nec pro toto mundo periculo exponenda, à Judith, & quidem adeò ſanctâ in diſcrimen adducatur? Ità. Quia totum illud Judith expoſuit propter charitatem: & quicquid periculo exponitur propter charitatem, tunc ſecurius redditur. Expoſuit periculo vitam, famam, & integritatem: ſed ſecuram reddidit integritatem, famam & vitam, quia omnia ex motivo charitatis ad ſuam liberandam patriam expoſuit. Proinde quia Judith, Deum noverat aſſecuratorem periculorum omnium, quæ amore Dei & proximorum ſubeuntur: hinc iſſecurationi divinæ confiſa, temerè ſe exponentium periculo reatum evaſit; qui enim periculum ſubit ſecurus, periculum non incurrit. Neque Legis divinæ textus aliud affirmat e intendit, ſi benè conſideretur. Notate: *Qui amat periculum, in illo peribit*. Aliud eſt incidere in periculum, amando periculum; aliud ſubire periculum amando Deum: ſubiens periculum amore periculi, perit in illo; quia ipſum periculum, quod amat, & pro quo ſe exponit ipſum perdit: ſubiens verò periculum amore Dei, nec perit, nec perire poteſt; quia ipſe Deus quem amat, & pro quo ſe exponit periculo, ipſum cuſtodit. Si verò vos periculum ſubitis concupiſcentiâ, & cupiditate acti, quis vos cuſtodiet? cupiditas ſeu concupiſcentia? ſi periculum ſubitis ſtimulante ſuperbia, quis vos cuſtodiet, nunquid ſuperbia? ſi ſubitis periculum amore impulſi amati, quis vos proteget, nunquid amor profanus & cœcus? ſubite periculum amore Dei & proximi; & videbitis qualiter vos Deus ab illis eripiet, & ſecuros faciet.

Eccleſ. 3. v. 27.

O Domine, benedicta, & infinitè benedicta ſit bonitas tua! deeſt nobis exemplum

plum ex Evangelio; quia prudentes Virgines hanc non cognoverunt veritatem, & fiduciæ hujus omiſerunt exercitium. Verùm probationem hujus quam non habemus in Evangelio, Prædicator ipſe ſubminiſtrat. Ingratiſſimus forem, & ero Deo, niſi hoc ita faterer; nec non totâ vitâ meâ fatebor, & in omnem æternitatem. Cuinam unquam accidit, quod everſum navigium omnibusque ejectis & lateri adhærentibus, quadrantis horæ ſpatio fixum & immobile hæreret, abſque quod ventorum furia illud quaſſaret, procellarum impetus tranſiliret, oneris & aquarum pondus, quibus ad medium uſque jam abſorptum erat, illud in profundum demergeret; poſtea in alteram verſum partem & erectum, reciperet ejectos; teſtes ſunt ſpiritus cœleſtes, quorum opem illâ horâ imploravi, & non omnium, ſed eorum duntaxat, quorum curæ & protectioni animæ Gentilitatis Maragnanæ ſunt commiſſæ: Angeli Tutelares animarum Maragnanenſium mementote navim hanc ad remedium ſalutemque ipſarum tendere. Præſtate modò quod poteſtis & debetis, non nobis id non merentibus, ſed illis adeò derelictis animabus, quarum curam geritis; ecce, quia etiam nobiſcum hîc pereunt. Ita altâ voce exclamavi, id quod omnes etiam præſentes audiêrunt: & meritum cauſæ indignitatem ſupplevit orantis. Angeli quod ſuum erat præſtiterunt, quia Deus orationem exaudivit: & non poterat Deus eam non exaudire, ſiquidem in ipſa periculum ipſum orabat. Novit idem Dominus, quod pro nullo mundi commodo me denuò commiſſurus eſſem mari, quàm ad ſalvandum pauperculos iſtos theſauros, quorum quilibet valore ſuo infinitos mundos excedit. Porrò, quia periculum amore Dei & proximorum erat aditum, quomodo ſecuritas in ipſo periculo deeſſe poterat? ipſum periculum nos liberavit, vel ſeipſum. Pericula charitatis ſunt pericula ſecura; & in periculis ſecuris non poteſt eſſe periculum. Proinde, Domine, mutato jam ſtylo, non tibi gratias ago quod me eripueris à periculo, ſed quod in eo me conſtitueris. Tali caſu & causâ me objiciens periculo, me liberaſti. Gravia me adhuc expectant pericula, mihique in tremendo hoc mari minantur, maximè hyeme tam aſpera, & procellis tempeſtatibuſque tàm obnoxio anno. Quo pacto verò timebit pericula, in illis ſalvationem ipſam ferens, quam illis mediantibus quærit?

Quemnam periculo Jonam expoſuiſſe, & ab eodem eruiſſe putatis? Eò quod proximorum noluerit procurare ſalutem, periculum incurrit, & quod proximorum ſalutis ergò periculum ſubierit, ipſum à periculo liberavit. Deus Jonam Gentilibus Ninivitis prædicatum miſit: recuſavit Jonas, & ipſam miſſionem, immò injungentem illam ut fugeret Deum, in portu Joppenſi conſcensâ navi in Tharſis navigare parabat. Et quid Jonæ in hac via ſeu fuga evenit? Hoc ſcilicet: cùm omnes vela facerent optato naves, à puppi impellente vento, marique tranquillo, contra ſolam Jonæ navem tam terribilis inſurrexit tempeſtas; ut cùm non ſufficeret vela contrahere, malos demittere, oneribusque ejectis navem alleviare; cùmque non ſufficeret attentare omnia quæ ſimilibus in caſibus & miſeriis ars & induſtria ſuggerit & ſuppeditat; dimiſſo jam gubernaculo, & navi

fluctibus & ventis expositâ, & omnibus ad cœli usq; succursum derelictis, Navarchus & remiges Gentiles ad ima navis descenderunt, ubi Jonas agebat, ut orationem pro se ad Deum suum funderet, cùm Dii eorum non succurrerent. Talis sæviebat tempestas, tale fervebat periculum, talisq; exitiû omnibus minabatur desperatio. Age Jona Propheta, Tune prædicatum animasque Gentilium salvatum abire recusas à Deo pergere jussus? ubi igitur laborem te subterfugere posse putabis, maximum periculum incurres, periturus ubi noluisti; quia proximorum salutem promovere noluisti, ubi Deus volebat. Ita ut nolle abeundo proximorum saluti operam navare, Jonam præsentissimo periculo objecerit. Quid verò Jonas ad evadendum periculum fecit? Casus notabilis! ut Jonas hoc evaderet periculum, ad promovendam proximorum salutem, longè majus periculum subit: & hoc secundum illum liberavit à primo. Agedum videte.

Jonas conscensâ superiore navis parte, exortæ tempestatis se causam esse recognoscens, ut salvi & incolumes evaderent reliqui in mare se solum præcipitari petiit. Ita ut idem ille Jonas qui navem hanc, ab ineundo sibi Gentilium salutem procurandi officio fugiendi causâ conscenderat, nunc è navi præcipitem se agi petat, ut Gentiles qui in navi erant salutem consequerentur. Extremum hoc remedium amplectuntur remiges, Jonas in mare præcipitatur, à grandi pisce seu Balæna deglutitur, repetente ima monstro submerguntur & disparent ambo. Nunquid periculum majus dari potest? nunquid etiam majus sub imaginationem cadit? nullâ ratione. In mari salvare se potuisset aliquâ tabulâ: in Balænæ ventre, mors concurrebat cum sepultura. Verùm, nunquid Jonas ad salvandos proximos quamvis Gentiles in eadem secum nave versantes, in hoc periculum sese præcipitavit? Ita. Ergò expectate, de ipsius vita nondum diffido. Periculum ad salvandos proximos aditum non potest esse periculum, in quo quis periclitetur: ex navi ejectus, & naufragus, à monstro marino deglutitus, in profundum maris abreptus, & in obscurissimis sepultus abyssis periclitari potest: sed suffocatus, sed mortuus, sed digestus, seu à Balæna concoctus, ad procurandam proximorum salutem in mare missus periclitari non potest. Repeto, periclitari non posse: & jam hoc video. Littora Ninive respicite. Elapsis tribus diebus, & tribus noctibus summo manè ante portam Ninive in formâ nunquam visa triremis apparet cum velo duobusq; tantùm remis. Velum erat nubes aquea, quam respirando excitabat Balæna; & quandoque distendi, & quandoque contrahi videbatur; remi erant binæ illæ magnæ pinnæ, quas concutiendo velificabat. Appellit ad littus incognita navis, in medio apertum exerit proræ castellû, quod os fuisse tunc cognitum est, linguam tabulæ adinstar extendit super arenam, & ab interioribus egreditur Jonas vivus sepultus. Ad casum obstupescitis? abeat stupor. Nunquid dixi vobis periclitari non posse, qui pro proximorum salute, se mari periculisq; commisit? sic igitur felicissimo Jonæ evenit. Ab uno periculo deductus est ad alterum, & hoc eum liberavit ab aliis. In navi periclitabatur à ventis, in mari ab undis, in Balæna periclitabatur à respirationis angustia & ab omnibus; quia

verò primum periculum susceptum erat ex charitate,omnia alia pericula erant remedia. Periculum maris illum liberavit à periculo navis; periculum Balænæ illum eripuit ex periculo maris: & hoc periculum velut ultimum & omnium maximum eum liberavit à se ipso. Daturne securior periclitatio? daturne minus periculosa securitas? prudenter dixit S.Zeno Veronensis, Jonam feliciorem fuisse in sepulchro,quàm in Navigio: *Felix magis sepulchro, quàm navi*: Nam Balænâ sibi servante vitam securior navigabat in ea, quàm in navi: Navis periclitari poterat in fretis & ventis, Balæna navis erat conscensio à tempestatibus secura.

S.Zeno Veron.

Majorem tempestatem passæ sunt Virgines in vasorum suorum oleo, quàm Jonas in tanto pelago. Omnes naufragaverunt,quia inhæserunt sicco: fatuæ sicco suarum lampadûm; prudentes sicco suæ avaritiæ: Fortè, *Ne fortè*, fuit illud. Perierunt quinque, quando salvari poterant omnes, quia charitatem non habuerunt ad alias quinque, ut periclitarentur cum eis. Fatuæ tantum in suo periclitatæ sunt periculo, quantum in nimia securitate prudentes. Si prudentes pro ipsis periclitari voluissent succurrendo, eodem in periculo salvatæ fuissent fatuæ & prudentes: fatuæ accepto,& prudentes præstito succursu: vel majore cũ certitudine loquendo: fatuæ salvatæ fuissent à periculo quod evasissent, & prudentes à periculo cui se exposuissent: Nam subiens periculum ex charitate, nequit periclitari. Nulla Respublica magis fuit periclitata, quàm populus Israëliticus, Deo illum delere volente in deserto: Et quid Moyses ad illum ex discrimine hoc exitii eripiendum fecit? eidem sese periculo exposuit simulque cum eo deleri petiit: *aut dimitte eis hanc noxam,aut dele me de libro tuo.* q. d. Domine, vel debes populo huic peccatum hoc dimittere, aut me de libro tuo delere. Extrà controversiam est Moysen licitè non potuisse sibi precari, de libro Dei deleri,& hic periculosissimus fuit casus, cui nullus unquam hominum se exposuit.Nihilo secius,deleri petiit,in hæc pericula se Moyses præcipitavit,non se delendum securus quandoquidem pro amore & salute proximorum periculum adeat: Charitatis enim discrimina ex periculo nocumentum nullum inferunt. Tantum abfuit ut Moyses ob hanc causam ex libro Dei deleretur, ut Deus potius libris suis inseri jusserit, Moysen charitate actum ex libris Dei deleri petivisse. Nisi Moyses periculum subiisset, ipso salvo populus totus interiisset: Quia verò pro populo periculo se exposuit, ipse, simul & populus sunt salvati: Idem prudentibus nostris evenisset, si id scivissent, & periculum subiissent: sed quia illis hæc defuit scientia & prudentia, in qua adeò excelluit S.Theresia, in comparatione hujus, fatuas illas fuisse pronuncio. Cum fatuis Evangelicis collatæ prudentes fuêre prudentes; quia fatuæ alios pro se facturos putârunt, quod ipsæ non fecerunt: & prudentes pro aliis id agere recusârunt, quod alii pro se non forent præstituri. Eædem verò prudentes cum S.Theresia collatæ fatuæ fuerunt; quia pro amore Dei & proximi se periculo exponendo, periclitaturas se putârunt! & S.Theresia, intelligebat noveratque per experientiam,quod quicquid ex charitate periculo exponitur, quando magis periclitatur, securius existit.

Exod. 32.v.32.

Om-

Omne quod habuit, aut habere potuit S.Theresia, Dei proximorumque amore periculo exposuit. Et hæc eadem pericula, prudens fuerunt industria, quâ omnia aucta reddidit securiora. Periculo vitam exposuit; periculo exposuit famam, periculo exposuit ipsam animæ suæ perfectionem, ex primo periculum evasit sanior, ex secundo illustrior, ex tertio egressa est sanctior. Tam erat infirma S.Theresia, uti ex vitæ ipsius historia constat; & nihil in hac naturæ infirmitate acerbiùs ferebat, quàm impedimentum exercitiorum suorum, orationum & pœnitentiarum. Demùm apud se statuit, & contra se, orationis studium continuare, corpusque suum tractare rigidissimè, quamvis ex hoc mori contingeret. Et quid ex hoc animi decreto commodi retulit? Res mira! sanitatem, quam omnia illi remedia negabant, ipsa pericula quibus eam exponebat, contulerunt. Ex pœnitentiis, quibus eam naturaliter magis infirmari necesse fuisset, sanitas magis convalescebat; & ex ærumnis, quibus debilitari necessariò debuisset, vires illi accrescebant.

Persecutiones, quibus S.Theresia se exposuit, quando se totam contulit, ad regulam Carmelitanam conformiter antiquo rigori, primævæque instituti integritati reformandam, imaginationi, immò & sufferendi viribus majores fuêre. Armavit se contra illam Religio, armavit se quoque mundus; & quod plus est, boni è mundo, & meliores ex religione (quamvis zelo bono) atrociùs ipsam persequebantur. Rari spiritum ipsius approbabant, omnes illum illusionem laqueumque Diaboli: plurimi simulationem & hypocrisin interpretabantur; nec deerant, qui scandalosam magis impingerent censuram. Quibus omnibus ansam & occasionem præbebat tempestas ex recenti Lutheri hæresi, periculis & timoribus plena. Verùm quia S.Theresia pro salute & perfectione proximorum his omnibus sese exponebat, quomodo illi cesserunt? infamiæ in maximam illi cessêre existimationem; injuriæ in honorem, persecutiones in maximos applausus: ipsique Religiosi indignam eam ante existimantes filiam, dignissimam ipsam postmodum recepêre matrem, & quà talem summo in honore, & veneratione habent.

Fuêre denique Personæ plurimæ timoratæ & eruditæ, suadentes S.Theresiæ, ut spiritualem animarum directionem à se dimitteret; & quod in vita privata & solitaria, ad quam ipsa contemplationis dulcedo eam invitabat, Deo tantùm & sibi vacando maximus spiritus sui profectus consisteret. Hæc maxima fuit probatio, ne dicam, tentatio, quam S.Theresiæ anima persentire potuit; cujus lucrum gloriosissimum, cujus desideratissimæ deliciæ, cujus gaudium, cujus anxietas & suspiria, erat intima illa cum Deo unio, quieta & suavissima, quâ omnibus terrenis altior tam cœlicè fruebatur. Nihilominus S.Theresia inceptum jam opus prosecuta, non attendens illa majoris suæ perfectionis discrimina, neque majora adhuc imminentia: & quia singula ex charitate erant suscepta, quantò magis periclitari videbatur de bonis cælestibus, tantò magis se illis ditatem, dignioremque cernebat. Multum quidem periculo exponebat, multò verò plus recipiebat; gratiæ gratiis, favores favoribus, gloriæ gloriis ipsi accumulabantur;

tur; ac si ipsa pericula ad crescendum altiusque ascendendum gradus fuissent. In summa S. Theresia exponendo pro Dei proximorumque amore, sanitatem, famam & perfectionem; ex periculis sanitatis, robustior; ex periculis famæ & honoris gloriosior: ex periculis perfectionis evasit sanctior. O quot quàmque secura elogia & encomia depromi nunc possent, & quales formari panegyres super omnibus istis periculis, & maximè super tertio! videtur in ea spiritus contra spiritum; virtus contra virtutem, & sanctitas pugnâsse contra sanctitatem: sed gloriosum adeò certamen, pro tàm gloriosa victoria erat necessarium. Filum Sermonis abrumpo, nec sine dolore, propter hoc quod dicturus essem: nihilominus copiam à vobis peto concludendi Sermonem in forma quâ illum proposui in Exordio, supposito quod aliâ vos vice fatigare nolim, hanc mihi concedite & ignoscite.

§. IX.

QUarta & ultima causa, quare Virgines prudentes cum S. Theresia collatæ fuerunt fatuæ, est, quod cùm sponsum rogare potuissent pro sociabus, ut præstolaretur, vel saltem januam illis non præcluderet, pro eis non intercesserunt: Et S. Theresia semper efficaciter pro sibi devotis, recommendatis, & gratiam à se petentibus intercedit. Hæc fuit quarta & ultima prudentum Virginum imprudentia. In quibus si bene advertistis, invenietis, quod eas, ut imprudentes notavimus in operibus, imprudentes in verbis; imprudentes in cogitationibus; imprudentes in omissionibus, qui sunt quatuor modi generales, quibus tantùm contra virtutem peccatur. Primo modo imprudentes fuerunt opere, dormierunt enim, quando vigilandum erat: Secundo, imprudentes fuerunt in verbis; quia dixerunt, *ne fortè non sufficiat*, quando dicendum fuisset, ne supersit: Tertio imprudentes fuerunt in cogitatione: quia existimârunt, quod exponendo se pro charitate, possent periclitari: Quarto imprudentes fuerunt omissione, quod pro se rogantibus saltem non intercesserint: Et sancta Theresia, ut dixi, pro omnibus ipsam interpellantibus & se ipsi recommendantibus intercedit efficaciter. Istud vero punctum probare mihi non incumbit, si quidem ipsa hujus Festi institutio illud probat & confirmat.

Jure optimo Societas Jesu in omnibus collegiis suis S. Matri Theresiæ de Jesu, utpote tàm sibi favorabili & propitiæ festum agere posset; ipsa enim sancta Theresia in multis librorum suorum locis, se magna à Societate Jesu subsidia & lumina recepisse fatetur; cujus rei signum est, quod ordinariè ejusdem societatis Patres nominat: *Illi benedicti Patres.* Hodiernum verò festum non ob hanc, sed illam quam in Exordio dixi & proposui, causam celebratur. Infirmus quispiam (prout omnes nostis & vidistis) à natura jam & arte medica desperatus; verbo dicam, in extremo vitæ articulo, cum quinque Virginum lampadibus constitutus; *Quia lampades nostræ extinguuntur*: Nec restabat amplius, quàm ut fidei candela manibus ipsius insereretur, sic per momenta singula vitæ lampas deficiebat: sic constitutus mortuus magis quàm vivus, ad sanctam Theresiam recurrens, in extremo illo vitæ discrimine opem illius invocando, voto se obstrin- *Matth. 25. v. 8.*

git, ad publicam ejus protestationem totâ suâ vitâ, si eam de manu ipsius obtineret. Virgo prudentissima longè aliter, quàm prudentes Virgines Evangelicæ, quæ oleum petentibus denegârunt, mox illi impertiit invisibiliter, sed effectu visibili & manifesto. Eodem instanti jam jam moritura revixit lampas jam moriens, & resuscitabatur vita jam quasi mortua, & hic secundus agitur annus, quo hac demonstratione publica votum impletur. Oleum vocavi miraculosam hujus beneficii virtutem, nec solum est proprietas metaphorica, sed realitas cognita, visuque comprobata.

Ex sepulchro S. Theresiæ oleum emanat suavissimum; ex quo multi hauriunt sanitatem. Valdeq; notandum est, quod è loco ubi collocata est S. Theresia mortua, effluat oleum conferens vitam: quasi hoc oleo S. Theresiæ charitas, exiguæ Evangelicarum Virginum charitati in faciem exprobraret. Illæ lampades permiserunt extingui alienas, ut suarum lumen conservarent; & S. Theresia lampadem extinxit suam ut accenderet alienas. Istud significat oleũ è sepulchro ipsius emanans & remedium vitæ, ubi illa collocata est mortua & verissimè ità fuit. Hæc quippe fuit excellentia, unde intercessionis ipsius efficacia est nata. Quo die S. Theresia singulariter Christi fruebatur gratiâ, Dominus illi dixit, peteret, quicquid vellet. Enim verò quid petitura vobis videtur Theresia? si prudentum Evangelicarum foret una, pro se, saltem primò petitura esset: illud, *Nobis*, utique præcessurum esset *Nobis & vobis*. Tanta vero Theresiæ fuit prudentia, charitasque tanta; ut nihil petendo pro se, pro nobis petierit omnia. Petiit, ut quoties pro sibi de- *Matth. 25. v. 9.*

votis interpellaret, petita sibi Deus concederet, & hoc impetravit. Prudentes & quod rogatæ fuerunt ipsæ negârunt, nec pro pereuntibus intercesserunt: S. Theresia pro omnibus se interpellantibus postulavit, ut petita omnibus impertire posset. Ecce, Christiani, magnum & inæstimabilem thesaurum in sanctis illis manibus vobis repositum. In cunctis vestris necessitatibus, in cunctis vestris afflictionibus, in cunctis vestris periculis, in cunctis vestris infirmitatibus corporis multòque magis animæ, ad intercessionem, ad Patrocinium, ad opem, & charitatem misericordissimæ hujus Virginis confugite, quæ tantum apud Deum valet; & quomodo vobis succurrat experiemini.

§. X.

VErùm enim verò ut cognoscamus, quantoperè auxiliis & ope indigeamus à Superis, in nos paulisper convertamus oculos, quos hucusque S. Theresiæ infiximus: & pro majore ipsius Gloria, confusioneq; nostra videbimus, quod prudentes Virgines illi comparatæ fuerint fatuæ; & fatuæ nobis comparatæ, fuerint prudentes. Tam fatui & imprudentes in salutis nostræ sumus negotio! Virgines prudentes, prout vidimus, S. Theresiæ comparatæ quadruplíciter fuêre fatuæ: Fatuæ nobis comparatæ, octupliciter fuêre prudentes. Primò, fatuæ pro salute suâ statum degerunt Virginalem, tam sublimem, cœloque similem: *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus:* Christianorum verò multi qualem assumunt statum? Illi turpitudinis; illi concupiscentiæ; illi adulteriorum; illi Sacrilegarum erga animas Deo con- *Matth. 25. v. 1.*

consecratas affectionum;& illi magis abominabilem, pejoreque nomine dignum: & in statu tali transigent annum, immò annos, vitamque totam. Considerate, quæso, annon illis fatuis insipientiores sitis.

Fatuæ (quæ est prudentia secunda) exierunt domibus suis; sed non nisi ad occurrendum sponso & sponsæ, eosque deducendos: *Exierunt obviam sponso & sponsæ.* Ibid. 1. Et homines ordinariè quo fine domibus suis egrediuntur? Nonnulli tantùm ut exeant, quod est tempus perdere; alii, ut videant, & vidantur; quod est proprias & alienas perdere animas: aliqui, ut ludis, contentionibus detractionibusq; indulgeant; quod est perdere pecuniam, famam, & conscientiam: Imò quando exeunt ad Ecclesiam, quod est rarius; ad offendendum, & inhonorandum in propria sua domo Deum, exeunt. Ecce num fatuis illis insipientiores simus.

Fatuæ (hæc est prudentia tertia) dormitaverunt quidem & dormierunt, auditâ tamen primâ de sponsi adventu voce: *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ:* Ibid. 7. id est, eodem momento surrexerunt. Quoties Prædicatores clamant ex pulpitis, quoties clamant conscientiæ propriæ in pectoribus; quoties Deus ipse creaturarum clamat vocibus (pro ut in hac Insula) jam terræ motu, nunc igneis vomitibus, & incendiis, nunc pluendo cineres, quibus in caput suum cadentibus, homines in somno peccati sepulti, nec oculos aperiunt, nec excitantur, sed cæci ut ante dormire non cessant: pensate igitur, an non fatuis istis magis fatui simus.

Fatuæ (ecce prudentiam quartam) ornârunt lampades suas: *Ornaverunt lampades suas:* Ibid. Et mundus, in quo hodie Ibid. ità de ornatu agitur, de quo ornatu tractat? ut vestimenta splendeant, ornamenta ornamentis condensentur in corpore, sericum meliore serico, aurum meliore auro, uniones, pretiosique lapides unionibus & pretiosis lapidibus, & vanitates accumulentur vanitatibus in corpore: & miseria anima despecta, lacera, nuda, confusa, nemine operiente fœditatem, & ignominiam, in quam peccata naturalem ipsius converterunt, pulchritudinem. Expendite utrum fatuis nos simus magis insensati.

Fatuæ (en prudentiam quintam) lampades suas extingui videntes, cùm adeò naturæ repugnet mendicare ab æqualibus; non dubitârunt, nec dedignatæ sunt à sociabus petere: *Date nobis de oleo vestro.* Ibid. 8. Quot sunt, qui furari potius, quàm petere volunt? Quot sunt, qui animam potius, immò & corpus vendere, quàm mendicare volunt? Quot sunt, qui se etiã Diabolo mancipare, quam etiam à Deo ipso petere volunt? & non solùm à Deo remedium non petunt pro necessitate, neque auxilium & liberationem in tentatione: sed post peccatum ne quidem ab illo petere volunt veniam, & remissionẽ! judicate utrum nos fatui magis simus fatuis illis.

Fatuæ (ecce prudentiam sextam) quamvis prudentes noluerint communicare de oleo, datum tamen sibi acceptârunt consiliũ, scilicet ut emptum irent: *Ite potius ad vendentes.* Ibid. v. 9. Quoties bona nobis consilia suggerunt Confessarii? Quoties bene nobis consulunt parentes? Quoties bona nobis consilia suppeditant amici? Quoties bona nobis consilia exhibent libri? Quoties bona nobis

bis consilia, mediantibus inspirationibus dant Custodes Angeli ? Quoties bona nobis consilia offerunt exempla, punitiones, casus tam rari & prodigiosi, qui eveniunt in mundo, ut alieno sapiamus damno; & nos nihilominus tam fatui, & quasi sine consilio perseveramus? nunquid hoc majoris nos fatuitatis præ fatuis convincit ?

Fatuæ (hæc septima prudentia fuit) neque laboris, neque pecuniæ, neque respectus habita ratione, abierunt oleum empturæ in officinis: *Dum autem irent emere.* Et nos, cùm omnia tanti nobis constent, omniaque tam caro emamus pretio: solùm cœlum emere contemnimus. Pecunia habetur pro sensualitate; pecunia suppetit pro vanitate, non parcitur pecuniæ pro vindicta; abundat pecunia pro lusu, pro litibus & processu: sed deest pecunia pro restitutione; deficit pecunia pro eleemosynis, pro sacellis & decimis; non sufficit pecunia pro legatis & testamentariis; & dum cœlum emere nolumus gratis; ad comparandum nobis infernum etiam auri pondo, pecunia non deest. Pensate annon fatuas fatuitate longè, prô dolor! excedamus.

Ibid. v. 10.

Fatuæ denique (agmen hæc octava & ultima prudentia claudat) venientes quamvis serùs portas cœli pulsando altis vocibus sponsum interpellârunt: *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis.* Illæ, venerunt, pulsaverunt, & clamaverunt: nos nec venimus, nec pulsamus, nec clamamus: repræsentatio & scena sic est inversa, ut Deus sit veniens, & nos fugientes: Deus sit clamans, & nos non respondentes; Deus pulset, & nos non aperiamus. Venit Deus, pulsat; & clamat ad cordis nostri ostium? *Ego sto ad ostium & pulso.* Et nos tribus sanctissimæ Trinitatis personis respondemus: *Nescio vos.* Edicite, mihi, vel quilibet dicat sibi: quanto jam tempore Deus ad suam stans pulsaverit animam (& contingere potest ultimam esse in hoc Sermone vicem) Fili, ego te creavi, Fili, ego meo te sanguine redemi; fili moriendum tibi est: fili, ego te sine operibus bonis non salvabo, nec salvare possum: quid igitur decernis & concludis? istud nobis dicit Deus, idemque vobis nomine ipsius ego prædico. Quid statuimus Christiani, quid resolvimus? expectamus donec nobis cœli claudatur janua? expectamus, usque dum æternùm nobis dicatur: *Clausa est janua?* Virgines lampades bonis operibus accensas habentes, intrârunt, reliquis cum lampadibus extinctis foris manentibus. Pro honore Dei ad duas succinctas respondete mihi quæstiones. Quæro. Creditisne fide certâ tenentes neminem sine operibus posse salvari? si Christiani estis & Catholici, respondebitis. ita. Ulterius quæro. Opera ista bona, sine quibus salvari non potestis, habetisne vel non? multi, si veraciter loqui velint, negare cogentur. Si igitur opera bona non habetis, & sine operibus bonis salvari non potestis; salutis vestræ spem in quo fundatis? nunquid Deus justitiæ suæ deerit? nunquid amore vestri leges suas mutabit? dicetis forsan, licèt modò opera bona non habeatis, deinceps vos ea exercituros. Verùm si istud, deinceps, prævenerit sponsus: *Dum autem irent emere, venit sponsus.* Si istud deinceps mors præoccupet; si ante deinceps istud ratio à vobis exigetur, quid fiet? nunquid

Ibid. v. 11.

Apoc. v. 12.

Matth. 25. v. 12.

Ibidem v. 10.

Ibidem v. 10.

non

non formidatis æternùm pati in inferno? iterum dico, nunquid non exhorrescitis in inferno flammis istis ardere æternùm? æternum istud sæpiùs repetebat S.Theresia, adhuc infans & adolescentula: istudque *æternum*, principium fuit ipsius orationis, & fundamentum ipsius Sanctitatis. Æterno isto vobis vale dico; istudque æternum vestris semper insonet auribus, & impressum hæreat cordibus æternum, æternum, æternum.

SERMO

Pro

Dominica Quinta Quadragesimæ.

IN

Ecclesia Majore Civitatis Sancti Ludovici Maragnanæ. *1654.*

Si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Joann. 8.

§. I.



HODIERNO in Evangelio duo sibi occurrunt, quæ sibi sociari nequeunt: scilicet, Veritas & Mendacium. Quæ quia se non compatiuntur; hinc disjuncta illa habemus: Veritatem in Prædicatore, Mendacium in Auditoribus: Prædicatorem valde veracem, Auditorium valde mendax. Utrumque Christus Scribis & Pharisæis insinuavit, quibus loquebatur. Prædicator apprimè verax: *Si veritatem dico vobis*; Auditorium cumprimis mendax: *Ero similis vobis mendax.* *Joan. 8. v. 46.*

Tribus modis (multi enim mentiendi sunt modi) mali isti Auditores hodie sunt mentiti. Mentiti sunt, quia veritatem non crediderunt; mentiti sunt, quia veritatem impugnârunt: mentiti sunt, quia mendacium affirmârunt. Non credere veritatem, est mentiri cogitatione; impugnare veritatem, est mentiri opere; mendacium affirmare, est mentiri verbo. Omnia ista prophetaverat Christo David Pater ejus, dicens: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* q. d. Multis modis ipsis ostendes & probabis essentiæ tuæ veritatem efficaciter; nihilominùs tui etiam inimici multis tibi modis mentientur: mentientur tibi non credendo; mentientur *Psalm. 65. v. 3.*

tibi impugnando; mentientur tibi mentiendo, sicuti fecerunt hodie. Dixit illis Christus se esse Filium Dei veri, quem illi Patrem appellarent, nec tamen novissent: dixit illis, quod qui se reciperent, doctrinamque suam observarent, victuri essent æternùm; & hîc veritatem non credentes sunt mentiti: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Ulteriùs dixit, Abrahamum desiderasse videre diem suum, quo nimirum descensurus esset de cœlo in terram, & inter homines homo nasciturus, quem tandem magno animi sui gaudio & exultatione visurus esset; & hîc mentiti sunt verita-
Joan. 8. v. 57. tem impugnantes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Et vitulus, quem vos ex Ægypto liberâsse dixistis, quot annos habebat? nunquid eodem & generatus & natus erat die? imaginatio, quâ Divinitatem illi tribuistis, & tanquam Deum adorâstis falsa erat: Suppositum verò, quo insinuâstis in Deo duas dari posse generationes, una prior, altera posterior, erat verum. Respondit Christus, *Antequam Abra-*
Ibid. 58. *ham fieret, Ego sum.* Id est, antequam Abraham esset, ego jam eram: sed istud eram, declaravit per verbum, sum: *Ego sum*: ut intelligerent, se ipsum eundem esse
Exod 3. v 14. Deum, qui se Moysi definiendo, dixit, *Ego sum, qui sum*; quia in æterno non datur præteritum nec futurum: sed omnia & totum præsens est Denique mentiti sunt mendacium affirmantes; Christum enim Samaritanum & dæmoniacum dixerunt: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.*
Joan. 8. v. 48. Et ut mendacio simplici dupliciter mentirentur, eandem blasphemiam repetêrunt, dictum suum proprio allegato testimonio confirmantes; *Nonne bene dici-mus nos?* malum est loqui malè: verùm dictum approbare asserendo quod dixeritis benè; est malum majore cumulare malo: quia est in eo esse obstinatum.

Hæc sunt mendacia, quibus hodie Scribæ & Pharisæi contradicendo calumniam, injuriam, & inhonorationem Filio Dei intentârunt, prout Christus illis dixit: *Ego honorifico Patrem meum, Vos autem inhonorâstis me.* Ibid. 49. Sed quamvis æterna Sapientia à similibus hominibus calumniam, inhonorationemq; sustinuisset; non tamen propterea nocumentum aliquod & inhonoratio redundâsset in Christum: quia quicquid dixerunt aut egerunt, stimulante invidiâ, odio, rabie, & vindictâ fuit peractum; & istis existentibus causis, injuriæ non lædunt lacessitum injuriis; convitia & contumeliæ hisce affectum, non infamant; & maledicta maledictum honorant Nunquid omni honore dignissimus est Christus? hoc vestro judicio relinquo. Quid ego hâc prædicabo die, quâ tantum assumptum à Prædicatoribus expectatur? etiam mihi hodie prædicare incumbit, valde vobis injuriosum, contumeliosum, & ignominiosum Terræ & Insulæ vestræ. Nihiloseciùs, licet veritas odium pariat, spero vos non malè mecum fore contentos: statui enim reprehendere omnes, ad excusandum singulos. Modum & mediũ Sermo ministrabit. Ave Maria.

§. II.

Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.

HUjusce Evangelii Dominicam, communiter Dominicam Veritatum appellatis. Meo quidem judicio Domi-

Dominicæ omnes cognomine hoc dignæ videntur; in omnibus quippe, ut vidiſtis, clariſſimas Veritates prædico. Nihilominùs ne hodie prodirem cum eo, quod omnes expectant, conſideravi mecum, quas vobis hodie Veritates prædicarem; & pro notitia, quam de hac Terra habeo, unam tantùm veritatem pertractare decrevi. Quænam verò erit iſta? temporis lucrandi gratia, veritas quam vobis dico, eſt, Maragnanæ Veritatem deeſſe.

Antiquorum Sapientum opinio erat, in diverſis mundi Provinciis diverſos regnare Deos. In Creta Jovem; in Delo regnare Apollinem; in Samo Junonem, in Cypro Venerem, & ſic de cæteris. Nisi mendacii imperium tam latè diffunderetur per univerſum mundum; in hac Inſula noſtra Aulam ſuam habere ſuſpicari quis poſſet. Singulæ regiones, quemadmodum ſingularibus naturaliter ſubſunt ſtellis, ita ſingularibus infeſtantur vitiis, quibus generaliter deſerviunt. Ad quod propoſitum Germani elegantem finxêre fabulam. Diabolum è cœlo lapſum, in aëre confractum fabulantur, parteſque in diverſas Europæ regiones fuiſſe diſperſas, ubi vitia in eis regnantia reſederunt Diaboli. Caput in Hiſpaniam delapſum ajunt, & hinc ſumus tam inflati, tumidi, & cum elatione graves. Pectus in Italiam cecidiſſe dicunt, & hinc illis obtigiſſe, quod ſint ſubtiles machinarum adinventores & architecti, profundi cordis, & impenetrabiles. Ventrem in Germaniam decidiſſe inquiunt, & hanc eſſe cauſam cur proclives ſint ad gulam, & plus cæteris in epulis & poculis conſumant. Pedes in Galliam deveniſſe ajunt, & hinc eſſe, quod valde ſint inquieti, incedendo veloces, agiles, ſaltationumq; amici. Brachiorum cum manibus, unguibuſque prælongis alterum in Hollandiam, alterum in Algyrium delatum dicunt; & hinc eis (vel nobis) eveniſſe quod ſint Piratæ. Hæc eſt Apologi ſubſtantia, non malè formati, nec ineptè diſtributi; licèt enim vitiorum applicatio non ſit vera totaliter, veritatis tamen habet ſimilitudinem, quod ſufficit, ad condiendam gratiæ ſale ſatyram. Enim verò, quod Hiſpaniæ obtigerit caput, meâ opinione, pars ipſius noſtram concernens Luſitaniam, eſt lingua: ſic ſaltem externæ judicant Nationes commerciis nobis viciniores. Vitia linguæ tam ſunt frequentia, ut Drexelius integrum ex eis copioſum ſatis compoſuerit Alphabetum. Porrò ſi alphabeti hujus literæ per Status & Regiones diſtribuerentur Luſitaniæ, quænam litera Inſulæ noſtræ Maragnanæ obtingeret? non eſt dubium quin litera, M. M. Maragnana; M. murmurare. M. mordere; M. maledicere, M moleſtias machinari, diſſenſiones & jurgia miſcere. Et ſuper omnia, M. mentiri verbis, mentiri operibus, mentiri cogitationibus, mentiri modis omnibus, & per omnes modos; prout hîc mentiuntur homines. Novellæ, & Novelli, ſunt uſuales hujus terræ nummi, ſed cum hac differentia, quod Novellæ fundantur ſuper nihilo, & Novelli ſuper nimio, ut ſic omnia ſint moneta falſa.

NB. Novelli eſt certa ſpecies monetæ iſtius terræ.

In Bahia Braſilienſis noſtræ Provinciæ capite, accidit quandoque, quòd Maragnanæ quaſi quotidianum eſt. Sol clarè oriens, pulchrum promittit diem; & vix horæ ſpatio, nubibus involuto cœlo, quaſi in medio hyemis pluere incipit. Similis caſus Excellentiſſimo Domino Fri-

Friderico de Toleto accidit, quando Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo quinto Bahiam recuperaturus venit. Hic exercitum in diribitorio adunatum lustraturus, climatis miratus inconstantiam, dixit: *In Brasilia usque ad cœlum mentiuntur.* Utrum hoc sit infamare, vel excusare, nescio Quid ultra præstare potest homo, quàm ut cœli, seu terræ climatis, in quo degit, bonitatem æmuletur? alia est Regio in Europa, ubi paucis ab hinc annis vixi, ubi eædem vicissitudines indies notantur, ob quas Galenus in eâdem artem suam medicam exercere recusavit. Verùm alia ibi subest ratio, quia sicut ibi Terra dominatur cœlo sive climati; cœlum seu clima influentias sequitur Terræ. Verùm quod jocosè dictum est de Brasilia, veracissimè pronunciari potest de Maragnana. Experimento constat inaudito, quod modò dicam, & quid fidei illi tribuent Mathematici à linea procul dissiti ignoro. Solem exploraturus in hac Civitate Navarchus, non in portu ubi suum consistit navigium, sed pedibus in terra subsistens, omnibus quietis & tranquillis in manum accipit astrolabium. Et quid illi accidit? res prodigiosa! uno die Maragnanam invenit esse in uno gradu; die altero in dimidio: alio die in duobus, alio die in nullo. Hinc nautæ regionis hujus & orarum imperiti impingunt in arenam, totque in his oris periêre. Ita ut Sol undequaque regula certa & infallibilis existens, ex quo tempora, loca, situmque metiuntur; Terræ Maragnanæ appropians mentiatur. Et in terra, ubi sol mentitur; quomodo veritatem loquentur illi, quorum capitibus & cordibus influentias suas ille immittit. Hîc evenit incolis, idem quod nautis; nullus enim in quo versetur gradu cognoscit. Persuadet sibi nobilis hodie se in gradu esse honorati, & cras se invenit in statu infamati. Imaginatur sibi à foro abstracta agens Virgo, in virtuosarum gradu & sublimitate se censeri; & cras diffamari se per fora audiet Ecclesiasticus, boni Sacerdotis opinione hodie sublimem sese putabit; & cras malæ vitæ hominem se haberi intelliget. Denique uno die hoc modo magnificabimini, altero die modo alio; labia enim sunt velut astrolabia. Nunquid hoc ita se habet? à vobismet ipsis hoc audio, non enim divinando illud didici. Pensate jam, annon ipsam veritatem locutus fuerim; in Maragnana non esse Veritatem?

§. III.

Agedum, causam divinare & investigare aggressus sum, quare Terræ hujus clima seu cælum tot influat mendacia; & veram naturalémque rei hujus causam invenisse mihi videor. Quemadmodum cælum virtute virtutem aliam influit, pari modo clima, quod etiam cœlum appellatur, vitio uno vitium aliud influit. Exemplum ponamus in Veritate, quæ est mendacio contraria virtus. *Veritas de terra orta est,* inquit David; mox- *Psalm. 48.v.12.*
que advertit, terram, de qua loquebatur, non esse omnem terram, sed suam: *Et* *Ibidem.*
terra nostra dabit fructum suum. Enim *v.13.*
verò unde illi venit terræ (quæ erat terra promissionis) unde illi venit terræ, illa virtus in mundo tam singularis; ut de ea Veritas oriretur? idem Propheta illud innuit adjungens: *Veritas de terra orta est: & Justitia de cœlo prospexit.* Tota terræ virtus ipsi de cœlo venit. Cœlum influendo justitiam misit in terram, ex qua

qua Veritas orta est in ea. Veritas legitima Justitiæ est filia; Justitia enim suum cuique tribuit: & istud est, quod facit, docetque Veritas;& mendacium, contrarium. Mendacium vel vobis aufert, quod habetis; vel confert vobis, quo caretis:vel vos exuit & spoliat;vel vos damnat. Veritas minimè. Cuilibet tribuit suum,uti Justitia. Et quia cœlum in hanc terram influxit Justitiam, idcirco effluxit & exorta est in ea Veritas. Influxit virtutem unam,& orta est altera.

Eodem modo accidit in vitiis. Influente climate superbiam,oritur invidia: influente gulam,nascitur luxuria: influente cupiditatem, oritur avaritia; si influat iram,oritur vindicta. Et ut oriatur mendacium, quid influit? otiositatem: ubi clima influit otium, oritur mendacium. Oritur, crescit, spicas agit; & de uno, nescio quali, ejusdem cum grano tritici magnitudinis, aliquot mendaciorum modios colligere potestis. Hæc dico vitia Maragnanæ vigent: hæ duæ climatis hujus influentiæ: otium,& mendacium. Otium est influentia prima, mendacium secunda: otium causa, mendacium effectus.Non est regio in mundo sic in otium & desidiam (vestro testimonio) proclivis;& hæc est semen; ex quo tam mala pullulat herba. S. Paulum auscultate. De Insula Cretensi, quæ est Candia S. Paulus loquitur; quam modò Turca infestans, sibi subjugare laborat, ita dicit:
ad Tit.1. v.12. *Cretenses semper mendaces, ventres pigri.* q. d. Cretenses duobus obnoxii sunt vitiis, quæ semper in eis inveniuntur, scilicet quod sint mendaces & pigri. Nunquid plus aliquid dicere posset, si de Insula nostra, totaque regione hac loqueretur? ipsimet indigenæ, & in ea enutriti loquantur: neque veracitas eorum, neque solertia hoc negare potest. Non est natio mendaciis & socordiæ magis dedita in mundo. Missi in suum rete; *Ventres pigri*: in suis verbis auditis; *semper mendaces.* Sed sicut virtutes istæ veniunt è cœlo; sicut sunt influentiæ climatis, etiam adhærent Lusitanis. Deest veritas,quia superabundat otiositas. Date mihi homines otiosos, & ego illos vobis reddam mendaces. Si minùs,ad Evangelium procedamus.

Manifestissima mendacia, qualia nunquam sunt audita,nec imaginata, fuerunt illa, quæ hodie Scribæ & Pharisæi Christo in faciem objecerunt, propter quæ Christus illos mendaces vocavit: *Ero similis vobis mendax.* Samaritanum illum & dæmoniacum appellârunt Ne- Joan.8. v.48.
que istâ duntaxat vice (prout Origenes notat) sed publicè etiam dicebant: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* & notate quòd inferiùs clariùs hoc dixerint; *Nunc cognovimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes.* Si hoc modò cognovistis, quomodo illud antea dicebatis? quia mendaces ante de re aliqua pronunciant, quàm eandem sciant; sed ad mendacii substantiam revertamur. Christus ex obsessis corporibus dæmones ejiciebat; & illi dæmonio obsessum ipsum conviciantur: Christus Galilæus erat ex Nazareth oriundus, & Samaritanum illum vocant. Etsi religionis, seu consuetudinis ergò hoc dicebant; Samaritani Idololatræ, & à lege Dei apostatæ erant: & Christus Legislator, ejusdemque Reformator. Hæc enormia erant mendacia à Scribis & Pharisæis Christo impacta. Plebs verò quid? Veritatem loquebatur. Ibid.52.

Christum Prophetam magnum, promissum Israëlitico populo Regem, verum esse Messiam dicebat. Si igitur plebs simplex & indocta agnoscebat, & dicebat veritatem, Scribæ & Pharisæi de doctrina sua gloriantes, quonam pacto tam fatua & inconsiderata mendacia proferebant? Quia Scribæ & Pharisæi homines erant omnibus abundantes & otiosi: plebs verò minimè. Inspicite plebeculæ manus, & callis invenietis obductas & induratas. Laborans vitam curat propriam: otiosus de vita curiosus est aliorum. Laborans cogitat de eo, quod manibus versat, veritatem loquitur, quia res dicit, prout sunt: otiosus, quia quod agat non habet, mentitur; edicit enim, quod sibi imaginatur.

Hanc ob causam primogenita filia otii est mendacium. Videte quomodo in vobis ipsis monstrosus hic formatur fœtus. Otiosus non aliud habet quod agat, quàm sibi imaginetur: ex otiositate nascitur imaginatio, ex imaginatione suspicio, ex suspicione mendacium. Imaginatio in otioso, est instar serpentis Evæ. Otiosa erat in Paradiso Eva. Intravit serpens submissus & inflexus sine pedibus, sed cum capite: Incepit ab interrogatione; & finivit in mendacio. Ab interrogatione cœpit, *Cur præcepit vobis Deus?* finivit in mendacio, & quidem duplici: *Nequaquam moriemini: eritis sicut Dii.* Consensit Eva mendacio virulento: de Eva transiit ad Adamum; & hinc in genus humanum. Nonne eodem modo se res habet cum mendaciis imaginariis, quæ vos bombycis instar in vobismetipsis concepistis, & in lucem edidistis, ex visceribus propriis mortualem vobis texentes syndonem, & aliis amictum? Lingua vicem aget forficis; & non acceptâ mensurâ juxta veritatem, vos scindetis ad vestiendum? Quare tot malè acta narrari putatis? an quia contigerunt? Nequaquam: contrarium enim mihi constat. Narrata sunt, quia imaginando concepta fuerunt: & vix ad imaginationem devenerunt, & jam versantur in tabula linguæ.

Gen. 3. v. 1. Ibid. v. 4. & 5.

Quàm pulchrè hoc dixit David, *Totâ die iniquitatem cogitavit lingua tua!* q. d. totâ die lingua tua meditabatur & concipiebat malitias. Notate, *Totâ die*: pensate annon otiosus fuerit ille, de quo David loquebatur; totâ die non habebat aliud, quod ageret. Et quid agebat? Meditandis concipiendisque iniquitatibus & malitiis lingua ipsius occupabatur. Nescio utrum verborum improprietatem advertatis. Cogitare & concipere, actus est intellectûs, non linguæ. Linguæ officium est loqui; intellectûs, meditari & concipere. Si igitur meditari & concipere actus est intellectûs, quo, quæso, modo inquit David istos malitiarum & iniquitatum architectos, concepisse & cogitâsse linguâ; *totâ die iniquitatem cogitavit lingua tua*? David improprietate ista locutus videtur, ad vel maximè propriè declarandam dictorum suorum rationem. Non dicit, quod lingua concipiat seu imaginetur, hoc enim esse nequit: sed quod linguâ tales homines sibi imaginentur ob duas rationes; quarum prima est, quia lingua eorum non loquitur quod est, sed quod imaginatur: secunda, quia quicquid ipsis venit in mentem, statim proferunt linguâ. Quod idem David confirmat: *Cogitaverunt, & locuti sunt iniquitatem.* q. d. cogitantes malitiam & iniquitatem, statim

Psalm. 57. v. 4.

cum illam effundunt linguâ, nullâ aliâ ad hoc movente causâ, quàm suâ malitiâ, neque alio nixi fundamento, quàm suâ imaginatione. Hinc verba hæc Propheta vocat, *Verba præcipitationis*. Tàm præcipitata affirmando, quàm concepta sine consideratione, sine advertentiâ, sine notâ, sine scrupulo, sine Dei timore; nullo interposito spatio, neque discrimine facto inter conceptum & enunciationem; ac si linguâ haberent in imaginatione & imaginationem in linguâ: quasi lingua imaginetur, & imaginatio loquatur: *Cogitavit injustitiam lingua tua*. Quoties de honorabili & integræ vitæ viro seu muliere spargitur, quod nunquam cogitârunt, aut in mentem illis venit? sed sufficit quod maledicus hoc excogitet aut excogitare velit, ad propalandum hoc in consortio, vel foro, tantaque certitudine affirmandum, quasi hoc in Evangelio legisset. Deus vos à talibus hominibus, & multò magis à talibus liberet imaginationibus; si enim famam vestram imaginationi suæ opposuerint; quodcunque adhibueritis medium contrarium, non ibi sistet, sed ad linguam transibit: *Cogitaverunt & locuti sunt*.

Psalm. 51. v. 6.

Hinc notabilis cujusdam præcepti divini causam intelligetis, quod ex una parte rigidum, ex altera parte minus videtur necessarium. Deus sub peccato mortali, infernique pœnâ temerarium de proximo prohibet judicium. Judicium temerarium est, quando intus in corde & cogitatione mea, sinistrè proximum meum judico. Si igitur judicium meum intus, & in mente mea subsistens foras non prodit, nec benè, nec malè facere proximo meo potest; quare Deus tantâ illud prohibet severitate? Animadvertite, & notate primò, quanti apud Deum cujuslibet nostrûm honor & fama æstimetur. Neque intus in mente mea, neque cogitatione Deus patitur vos malè notari, aut vilipendi. Porro si Deus vestram zelatur famam, & honorem, etiam usque ad me, & quo ad me: Pensate, quomodo zelabitur & sentiet, quod id ad aures transeat, & horum illorumve ore & linguâ traducatur. Hinc est, quod Deus tam rigidè temeraria prohibeat judicia. Judicia vetat temeraria, & falsa non tolerat testimonia. Falsa testimonia formantur linguâ: judicia temeraria fabricantur imaginatione. Non sufficit Deo infernum constituere inter cogitationem & linguâ prohibendo sub peccato mortali; sed infernum denuò inter mentem & imaginationem statuit, ut duobus hisce muris igneis famam nostram & honorem à nostris defenderet linguis. Et nihilominus istud non sufficit. Quare? quia transcenso muro primo, jam subactus est secundus: & cùm perventum est ad imaginationem, jam est in lingua. *Cogitaverunt, & locuti sunt*.

Auditores mei, in valde otiosa degimus Terra, ideoque imaginationibus singulariter obnoxia. Hîc obex & remedium est ponendum. Sanctus Jacobus ferarum nullam indomabiliorem protestatur, quàm linguam. Ut frœnum injiciatur linguæ, capistrum immittendum est imaginationi. Ingeniis vestris, ne laxato frœno, exerrent, virgam opponitis. Primus cui mentimini, estis vos, non mentirentur linguæ omnibus aliis, nisi prius sua cuique mentiretur imaginatio. Hîc igitur obex & obstaculum ponendum est. Job potentiarum cum sensibus sympathiam optimè penetrans inquiebat: *Pepigi*

Job.31. v.1. *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem de Virgine*: q. d. fœdus inii cum oculis meis, ut securus essem à cogitationibus meis. Vos fœdus cum vestris pangite cogitationibus: si securi esse vultis à vestris linguis. Sed quia quicquid lubet cogitationi indulgetis, hinc tot tantaque profertis, quæ nunquam mentem subierunt.

§. IV.

AUditorum quosdam valdè contentos conspicio dicentes sibi, illud se non tangere, verum enim esse, quod non sint muti, & in hominum consortio de aliorum vita fabulantur; sed quod non sint homines, qui ex proprio conceptu, sed ex auditu loquantur: qui loquitur quod audit, non mentitur. Agedùm, auscultate: Si sciretis quoties verba ab ore ad aures vertantur, hoc non diceretis, tametsi valde veraces essetis. In optimo ore, optimisque totius mundi auribus exemplum vobis ob oculos ponam. S. Petrus interrogavit Christum, quid de sancto Joanne futurum esset. Respondit Christus: *Sic eum volo manere.*
Joan.21. v.22. Sic dixit Christus; & Apostoli quid dixerunt? *Exiit sermo inter fratres, quod Discipulus ille non moritur.* Et addit Evangelista: *Et non dixit Jesus: non moritur; sed sic eum volo manere.* Si igitur Christus hoc non dixit, quomodo Apostoli hoc dixerunt? certum est illos noluisse aliud pro alio affirmare; sed ab ore ad auditum; tot sunt variationes verborum, vel quoad sonum, vel quoad significatum, ut quod in ore Christi erat, manere, in ore Apostolorum esset, non mori. Ore Christi melius os dari nequibat; neque auribus Apostolorum meliores poterant esse aures: porro si id quod procedit de ore Christi, & auribus percipitur Apostolorum hoc ipso tam variis subest interpretationibus? Quid, quæso, fiet, quando os non loquitur Christi, & quando aures non audient S S. Petri & Joannis? Quoties aliud vobis dixerunt, & intellexistis aliud? Quoties audistis hoc, quod non audistis? Quoties inter os alterius, aurisque nostras, aliena fama ex tenui filo pependit? Et utinam suspensa non mansisset. Istud fit, quando homines audiunt auribus: verùm quando audiunt cordibus multò sanè pejus est. Num igitur etiam corda audiunt? nunquam vidistis corda? Etiam cordibus suæ sunt aures: & certum tenete, quemlibet non auribus, sed cordi suo & inclinationi conformiter audire.

Moram faciente Moyse in monte Sinai, ut legem de manu Dei acciperet; Judæi ab Aarone contenderunt, ut sibi conflatilem ex auro vitulum conficeret: Cujusce imaginis primum dedicationis diem maximâ celebrârunt solemnitate, festivisque tripudiis. Descendentes de monte Moyses & Josuë, eminùs audierunt voces: dixit Moyses: *Choros & cantantium voces ego audio.* Josuë ait: *Ululatus pugnæ auditur in castris*: Hîc habemus, *Choros castrorum.* Enim verò si voces erant eædem, quo modo uni musicæ soni, alteri verò tubæ clangores videbantur? ratio patet. Moyses erat Religiosus: Josue miles. Religioso, fuêre voces chori; militi, voces belli: Quilibet suo cordi inclinationique conformiter audit. Deus nos â malè inclinato corde liberet. Si audierit, *Te Deum laudamus*: audivisse se dicet sententiam excommunicationis. Aures sunt, quæ audiunt? sed quæ benè seu malè audiunt, sunt corda. Quicquid

Exod. 32. v.18.
Cant. 7. v. 1.

quid intrat per auditum, echo facit in corde; & dispositioni cordis conforme resonat echo. Magis adhuc propriâ comparatione id me vobis declarare oportet. In Aaronis fusura illam habemus.

Fusor quispiam efformare intendit imaginem. Supponamus imaginem S. Bartholomæi, & Diabolum ad pedes ejus. Quid igitur facit? ex argilla duas effigiat formas, sancti Bartholomæi unam, Diaboli alteram; in qualibet aurem unam relinquens apertam. Deinde immissum furno metallum liquefacit, quo liquefacto & præparato, furni os aperit, eductumque metallum per suos canales utriusque formæ auri immittitur; & in unam imago S. Bartholomæi, valde pulchra; in alteram aurem verò Diaboli imago tam fœda ut ipse, ingreditur. Deus bone! quænam ista est differentia? Metallum erat idem; os, ex quo exibat, idem? & unam ingrediendo aurem facit Sanctum; & ingrediendo alteram facit Diabolum? sic est; non enim causa consistit in auribus, sed latentibus intus formis. Ubi forma erat Diaboli egressus est Diabolus; ubi forma erat Sancti, egressus est Sanctus. Auditores mei, omnes nostræ aures ibi intùs in unam coincidunt formam, quæ est Cor. Si Cor forma est Sancti, quicquid per auditum intrat est sanctum: Si est forma Diaboli, quicquid per auditum intrat, est diabolicum.

Vultis istud videre? Evangelium nostrum respicite. Christus Scribis & Pharisæis dixit: *Ego honorifico Patrem meum: Ego non quæro gloriam meam: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Auditis hisce verbis, quis saltem sanctum non diceret ea proferentem, quippe qui vitam suam tot tantisque miraculis probâsset? Scribæ autem & Pharisæi quid dixerunt? *Nunc cognovimus, quia Dæmonium habes:* Ergone etiam ex verbis tam sanctis & divinis homines isti diabolicum adeò formant conceptum? Etiam sic, quia talibus formis receperunt, quod illis intrabat per aures. Maledici illi homines filii Diaboli erant, sicut hâc eâdem occasione Christus illis exprobravit: *Vos ex Patre Diabolo estis:* & diabolicis ex cordibus, & ex formis Diabolo obsessis, licet metallum adeò esset divinum, quid egrederetur nisi dæmonium, *Dæmonium habes?* Istud accidit verbis Christi; ex quo conjiciamus quid accidere possit aliis. Verum est formas non esse easdem omnes. Quemadmodum unus alterve egreditur Diabolus; sic etiam egredi potest aliquis sanctus Bartholomæus: quod quamvis ita sit, præstat tamen non intrare per aures hominum, quamvis formæ non Diaboli, sed alicujus Sancti sint: si enim forma est Diaboli, Diabolus evaditis, & si est forma S. Bartholomæi, excoriamini. Nemo per duas oris auriumque hominum transiit angustias, quin saltem pellem in eis reliquerit.

Joan. 8. v. 50. — *Ibid. 44.*

Notabili sanè artificio aures nostras natura formavit. Omnis auris est instar conchæ ex materia dura. Et sicut verba per angustum hujus conchæ orificium intrant, mirum non est quod egrediantur ex ore valdè torta. Tornemus hodierna Christi verba. Dixit Christus auditoribus suis: *Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Istud per aures Scribarum & Pharisæorum intravit: Et quid ex ore eorum exivit? *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidisti?* Ecce qualiter torta ab auribus

ad os exiêrunt verba ! Christus dixit, quòd Abraham se vidisset; & illi dicunt, quòd Christus Abrahamum viderit : *Et Abraham vidisti ?* Sic & nomen & verbum torserunt. Nomini casum & verbo mutavêre Personam. Christus nomen in Nominativo posuit,& illi posuerunt illud in Accusativo.Christus verbum dixit in tertia,& isti illud posuerunt in 2da persona. Ex *Abraham vidit* ? illi formârunt, *Abraham vidisti.* Ecce quomodo verba ab auribus ad os exeunt, torta & retorta : contorta sunt nomina, contortæ personæ , contorta verba , casusque contorti.

Adhuc gravius quiddam in hoc ab auribus ad os transitu accidit.Sicut aures sunt duæ,& os unum ; accidit, quòd duabus veritatibus, per aures ingressis, unum ex ore exeat mendacium. Rejiciendum id quidem videtur ; sed est tam certum, ut primum in Mundo prolatum mendacium hujus generis fuerit : ex duobus veris unum conflatum est mendacium. Quod antequam vobis dicam, quomodo fieri posit , vobis priùs demonstrabo. Aliquem insignem descripturi mendacem Chimæram illum vocatis. Quid verò est chimæra? Paucissimos vestrûm illud scire credo. Chimæra fictum est animal,ex duobus animalibus veris compositũ monstrũ, ex dimidio equus , & ex dimidio homo, est Chimæra : monstrum, ex dimidio Aquila,& ex dimidio Serpens,est Chimæra : Monstrum,ex dimidio leo & dimidio piscis est Chimæra ; sed non dantur talia Monstra,talésque Chimæræ in mundo:ità ut dimidia sint vera ; ipsa verò ex iis composita Monstra sint ficta. Dimidia sunt vera : datur enim homo,& equus ; datur Aquila & Serpens ; datur Leo & piscis. Composita ex hisce dimidiis Monstra sunt ficta : nihil enim simile in Mundo reperitur. Illud ipsum practicant mendaces : Duas per medium dividunt veritates, & nil mutando , neque addendo quicquam vestris dictis, ex duabus veritatibus divisis integrum unum conficiunt mendacium. Tale mendacium Diabolus primis nostris protulit Parentibus , primumque fuit pronunciatũ in mundo: *Cur præcepit vobis* DEUS, *ut non comederetis de omni ligno Paradisi ?* Gen. 3. v. 1. Daturne simile huic mendacium ? Et ex duobus veris fuit conflatum. DEUS Protoplastis nostris unum permisit,& unum præcepit: permisit ipsis de omni ligno seu arboribus comedere : præcepit,ne de hoc ligno seu arbore comederent. Et quid Diabolus? Ex, comedite de omni ligno seu arboribus accepit illud *de omni ligno* seu arboribus: Et ex, *ne comedatis de hoc ligno* seu arbore,accepit : *ne comedatis* ; & copulando illud: *ne comedatis*,cum illo, *de omni ligno*, dixit, vetuisse Deum de omnibus comedere arboribus. Nunquid mendacium majus dari potest ? Et nihilo seciùs ex duobus veris conglutinatum fuit. Agitè vestra nunc mendacia defendite,dicendo, vos eadem audita verba, nihil addendo, retulisse. Quid refert addidisse nihil, si quippiam subtraxistis ? Pejor est veritas imminuta, quàm mendacium planum: Veritas enim imminuta, sub specie veri, essentialiter mendacium existit. Porrò mendacia apparenter veritates, omnium mendaciorum sunt pessima.

Verùm enimverò mendacia ex auditu semel absolvamus. Ut mendacium sit quod dicitis , non est opus audire malè, neque auditis aliquid addere seu demere. Homo apice tenùs referre potest quod audi-

audivit, & apice tenùs dicta percipere, & nihilominus mentiri. Judæi Christum coram Pilato accusantes diversa conquirebant testimonia falsa, & nullum evincebat. Denique Evangelista inquit venisse duos falsos testes dicentes se audivisse Christum dicentem: quòd si Templum Jerosolymitanum solveretur, ipse tridui spatio illud reædificaturus esset. Pro testimonii hujus Intellectu sciendum nobis est, quòd Christus Templum Hierosolymitanum ingressus, ementes vendentesque inveniens ex obviis fortè funiculis confecto flagello ementes vendentesque foràs expulerit. Hi authoritate Christi attoniti, signum quoddam exercitæ potestatis postulârunt. Quibus Christus:
Joan. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Si igitur Christus dixit, solvite Templum, & in tribus diebus excitabo illud, & illi de eo sunt testati quod ab eo audiêrunt, quomodo erant
Matt. 26 v. 60. falsi testes: *Venerunt duo falsi testes.* Evangelista illud declaravit: Ille autem dicebat de templo corporis sui, quod Ipse morte solutum tertio die excitavit, qui fuit Resurrectionis. Porrò sicut Christus verba illa dixit sensu suo, & illi referebant ea sensu alio; quamvìs eadem fuerint verba quæ audiêrant, nec mutando, nec addendo, nec imminuendo, testes erant falsi. An putatis ad mentiendū & falsa proferendū testimonia opus esse mutare, imminuere, vel augere verba quæ audîstis? Nihil horum est necessarium; sufficit mutare illis sensum vel intentionem, licèt eam non intelligatis; quia supponetis, quòd illam habere possint: & maximè quando tales sunt personæ (qualis illa Christi) quæ sub mysterio loqui possunt. Quoties verba sincerè, optimâque intentione proferuntur; & vos illa interpretando depravatis eo modo, ut ex laude faciatis vituperium; ex confidentia injuriam; ex joco blasphemiam; & ex gratia tale suscitatis incendium, ut plurimæ inde ebulliêrint offensæ & adversi casus! Et si hæc eveniunt, quando homines audita, & tantùm audita referunt: quid fiet, quando Conceptus suos & somnia narrant, vel hoc, quod nemo cogitavit, nec somniavit?

§. V.

COntra hunc similiter Discursum non deest, qui se scuto instructum & armatum putet. Sunt qui dicant, aut est qui dicat: Ego de genere illorum non sum, mihi enim nihil unquam de ore exiit quod per aures intravit: antequam affirmem oculis me priùs arbitrari opus est: Et si quadraginta etiam noctibus ad hoc in specula vigilandùm esset oculis, hoc facerem, non quiescendo, donec suspicionem meam verificem & confirmem. Ah excubiæ infernales! Ah vigiliæ sathanicæ! Idem ille à Confessario jussus medio quadrante horæ antequam incumbat conscientiæ examen facere, non illud sinè somno valebit peragere. Sed ad proscindendam famam, ad incendendas & concremandas domos factus erit Argus quadraginta noctibus integris. Verùm maligni isti vigiles non existiment, quòd effugiant, esse mendaces. Vigilâstis, observâstis, vidistis, dixistis, & veritatem vos dixisse arbitramini? sed mendacium enorme estis mentiti. Oculi mentiuntur de die, quantò magìs de nocte? Casus notabilis. Processerunt simul ad bellum Rex Israël, & Rex Juda, & Rex Edom. 4. Reg. 3.
Exercitus stabant parati ad ineundum certamen sequenti die. Ecce oriente v. 22.

jam

jam Sole Moabitæ hoſtilia caſtra ſpeculatum egreſsi, ſanguinis rivum per mediũ eorum decurrere viderunt. Ingenti tripudio exclamare cœperunt: Sanguis, ecce ſanguis. Abſque dubio Reges ipſi in ſe mutuò verſis armis pugnantes pariter occubuerunt: ad colligenda ſpolia properemus. Exiêrunt Moabitæ præcipites & confuſi: & ipſimet victi fuerunt & ſpoliati; ſanguis enim viſus ſeu oculis objectus non erat ſanguis. Caſus in eo conſtitit, flumen media Regum caſtra perfluebat, & quâ exorientis Solis radii decurrentem aquam feriebant; lucis illius reflexio effecit, ut ſanguis videretur. Et hæc ſanguinis tam erroneè viſi, & tam erroneè & leviter crediti ſpecies præcipites Moabitas in manus hoſtium tradidit. Conſiderato caſu duo clarisſima in Mundo ſunt, Sol & Aqua. Tritum nobis hoc teſtatur adagium: clarum inſtar aquæ; clarum ſolaris inſtar lucis. Porrò quibuſnam ex cauſis hæc in oculis Moabitarum formata fuit deceptio, quâ flumen ſanguinem eſſe putabant? una fuit Sol, altera fuit aqua: Sol, quia radiis ſuis percusſit aquas: & aquæ percuſſæ ex reflexu ſpeciem ſanguinis reddidêre, ita ut oculi duabus Mundi clarisſimis rebus ſint decepti. Si igitur oculi rebus clarisſimis ſunt decepti, quo modo obſcurisſimis in tenebris non deciperentur? De die decipit vos Sol: & de nocte veritatem cognoſcere præſumitis in tenebris?

Enimverò dicetis forſan, Lunam & ſtellas viſui veſtro atteſtari poſſe. Modica illa magìs excæcat lux; aliud enim pro alio videri facit. Adduxerunt ad Chriſtum cæcum, cujus oculis JESUS manus imponens, utrùm videret, interrogavit. Reſpondit cæcus: *Video homines velut arbores* *ambulantes.* Cæcus iſte hoc ipſo magìs cæcus erat, quàm antè; quia antè videbat nihil, nunc aliud pro alio videbat. Homines ſic formâ, quàm ſtaturâ differentes videbat velut arbores; & arbores fixis in terra radicibus ambulare vidit velut homines. Ecce quid ſit modicâ luce videre. Idem cæcis illis uſu venit excubitoribus, qui concipiunt in nocte, quod recitabunt in die. *Video homines velut arbores ambulantes* cæco illi Chriſti homines apparent velut arbores: & cæcis iſtis diabolicis arbores vidētur eſſe homines. Indagare ſatagũt videntes, quòd arbor domũ allidat; ajunt, ecce ibi ambulat homo. Arbor tam altè radices ſuas terræ immiſit & infixit, ut nec duo foſſores eam uno die evellere ſufficiant; & ille per ſacroſancta jurabit Evangelia, quòd ſimilem intrare & exire viderit figuram: *Arbores ambulantes.* O maledictum exercitium! ô curioſitas infernalis! Agè, ſi oculi admiſerint, prout ſemper ſecum ferunt, vel diffidentiæ, vel odii, vel invidiæ, vel ſuſpicionis, vel vindictæ, ſeu alterius cujuſcunque pasſionis nubeculam? Hic vos capio: *Tenebroſa aqua in nubibus aëris*, admirabiliter David notavit aquam in nubibus obſcuram. Obſcuriorem & nigriorem ipsâ nocte, denſam videtis ingruere nubem: enimverò, quænam iſta eſt nigredo? non nisì nubes & aqua. Nubes eſt volatile quippiam, aqua Cryſtallus; ex duobus hiſce ingredientibus, puris adeò & diaphanis, tam denſa, támque tetra conflatur obſcuritas. Quidam vigilanter veſtram exploraturus vitam, & famam, nube quâpiam obductus veniet; quantumcunque vita veſtra & fama ſit clara, & inſtar Cryſtalli luceat obſcura illi & tenebroſa apparebit: *Tenebroſa aqua in nubibus*

Marc. 8. v. 24.

Pſal. 17. v. 12.

bus aëris. Denique totum Diſcurſum, ſeu omnes recapitulando Diſcurſus: mentiuntur linguæ, quia mentiuntur imaginationes ſeu conceptus: mentiuntur linguæ, quia mentiuntur auditus & aures: mentiuntur linguæ, quia mentiuntur oculi: mentiuntur linguæ, quia mentiuntur omnia, & omnes.

§. VI.

PRopoſitam à me materiam, probâſſe me puto; videor verò mihi audire vos dicentes (prout initio proteſtatus ſum) me de Regione veſtra, indigna multa & injurioſa protuliſſe. Ego verò (ſicut etiam promiſi) me illam potius ab injuriis vindicâſſe affirmo. Si minùs: quæro. Quid vobis magis expedit, an quod vera ſint, quæ dicuntur, vel quod ſint mendacia? nemo dubitaverit, quin magis vobis expediat, eſſe mendacia. Iſtud igitur dixi. Si verum eſſet quod dicitur, valde vobis injurioſum foret; aſt ſicut omnia mendacia eſſe oſtendi, famæ veſtræ ſingulariter conſultum puto. Veſtrum vobis honorem hodie reſtitui; quia omnes mentiri probavi, qui de vobis malè loquuntur. Quod omnia ſint mendacia, vos meliùs nôſtis, quàm ego; Ego tantùm incumbere mihi putavi, Peregrinorum, qui me audiunt, conſuetudinis Terræ hujus ignari, amore, illud manifeſtare. De Apoſtolis Chriſti multa dicebantur, & dicenda erant mala; mos enim mundi eſt, de bonis malè loqui. Proinde Chriſtus ad ſecuros illos ab injuria faciendos, & animandos divinâ hâc
Matth. 5. v. 11. illos allocutus eſt ſententiâ: *Beati eritis ſi maledixerint vobis homines; & dixerint omne malum adversùs vos mentientes.*
Luc. 6. v. 22. In hoc verbo *mentientes*, conſolatio & injuriæ reparatio conſiſtit. Si homines loquantur malum dicendo veritatem, magna eſt infelicitas: ſed ſi dicunt malum *mentientes*, nihil refert. Idcirco dixi, omnibusque notum cupio, quæcunque in hac Terra dicuntur, omnia mendacia eſſe. Mendax notorius inverſim intelligendus eſt; & inverſim intellectus, neque injuriâ afficit, neque mentitur; quia veritatem dicit. Et hoc modo intelligenda ſunt omnia, quæ auditis. Præſervet vos Deus, ne mendax quiſpiam benè de vobis loquatur; ſignum eſt quippe, vos dictis ipſius contrarium operari. Hæc eſt ratio quare Chriſtus diabolum Filium Dei ipſum nominantem tacere juſſit: nam ſicut diabolus mendaciorum pater eſt, dicendo quod filius Dei eſſet, dicebat quod non erat. Et ſimiliter hoc modo Chriſtus generaliter ab omnibus ſeſe vindicavit injuriis, quas Scribæ & Phariſæi ipſi intentârunt, mendaces illos evincendo: *Ero ſimilis vobis mendax.*

Fateor equidem extraneos & Peregrinos, quibus ſic prædico, contra Terram hanc abſurdum formare argumentum. Portum ingreſſi, pedem figunt in terra, & de omnibus & in omnibus mala dici audientes, hunc formant Diſcurſum. Homines iſti vel mentiuntur, vel veritatem loquuntur: ſi veritatem loquuntur, Regio hæc totius mundi eſt peſſima, cùm tot in ea malitiæ committantur & iniquitates: & ſi mentiuntur, nihilominùs Regio hæc valde mala eſt, cùm homines tam laxæ ſint conſcientiæ, ut tot falſa perhibeant teſtimonia. Argumentum non facilis videtur ſolutionis. Ego verò ad utramque ipſius partem reſpondeo. Quantum ad primam: dico malitias & iniquitates quæ dicuntur, eſſe falſas, & quà tales, fidem non mereri. Suntne falſæ? (inſtat pars al-

altera) ergo ubi homines tot falsa perhibent testimonia, non potest non esse pessima mundi Regio. Ecce hîc dolum, suppositionemque fallacem, in qua versantur interioris Terræ hujus praxeos imperiti. Verum est, multa Maragnanæ dari mendacia, non tamen mendaces: multa quidem ibidem falsa vigent testimonia; sed perhibentes nullo casu. Quomodo igitur istud esse potest? quomodo esse potest, dari testimonia falsa, absq; perhibentibus ea? ego vobis illud dicam. Aliis in terris homines falsa perhibent testimonia: in hâc Terra falsa testimonia perhibentur à se ipsis. Si assertũ hoc vobis difficile videtur, ad probationẽ procedamus. Homo aliquis confitetur, & ad quintum perveniens Decalogi præceptum, dicit: Pater, accuso me quod alicui imprecatus fuerim mortem, & vitæ ipsius insidiatus, quicquid possem mali inferre proposuerim. Et quare? quia falso testimonio famã meam læsit, impingendo mihi crimen, de quo non magis reus fui quàm S. Franciscus. Frater mi, ignosce illi, ut & Deus ignoscat tibi. Progrediamur. Ad octavum devenimus Mandatum: perhibuistisnè aliquod testimonium? non Pater, est peccatum, de quo nunquam me (Deo sint laudes) accusavi. Accedit aliqua mulier, ad quintum veniendo Mandatum, dixit: culpam meam recognosco, quod à tot jam mensibus mulierem aliquam odio habui, multas imprecata illi plagas, & ut loquela deficiente Confessio ipsi negaretur in hora mortis; & quod nec in hac, nec in altera vita ipsi ignoscere vellem; & ut filios suos coram se, gladio perimi videret. Et quare? quia perfidiam & proditionem aliquam exercuit contra me & filiam meam, nec possum illi ignoscere. Agè Domina, in Quadragesima agimus, & aliquid amore Dei tot pro nobis injurias passi, & in crucem acti aliquid faciendum est. Compuncta tandem se condonaturã promittit. Progreditur Confessarius ad mandatum octavum. Nunquid Domina quandoq; falsum perhibuit testimonium? Reverende Pater, meliore constellatione nata sum: magna quidem sum peccatrix, Deus verò nunquam permittat, ut de hominibus quid dicam, quod illis non inest; si quid audio etiam adaugeo, falsum verò testimonium totâ vitâ meâ non dixi. Quod vobis hîc in duobus proposui mandatis, infinitis accidit vicibus; ita ut in quinto omnes se accusent, contra seipsos falsa tulisse testimonia in octavo nemo se de falso perhibito testimonio accuset. Bene igitur intuli in hac Terra, falsa testimonia à semetipsis perhiberi. In summa hîc peccata habemus, sed non peccatores; falsa hîc habemus testimonia, sed non falsos testes. Id mihi tantùm cogitandum est: sed si fuerit contrarium, væ ita viventibus! miserum est, falsa perhiberi testimonia. Longè verò damnabilius est, de jam perhibitis nullam anxietatem scrupulumvè nasci. Vel scientes vos perhibuisse illud confiteri intermittitis, vel nescientes; si scientes intermittitis, mentimini Deo. Si nescientes mentimini vobis. Utraque cæcitas condigna est pœnâ: quod mentiatur Deo, mentiatur & sibi ipsi, qui tam enormiter contra suum mentitus est proximum; & quod utroque modo tendatur ad infernum.

§. VII.

AUditores mei, si quis Sermo inculcatione non indigeat, talis est præsens. Hoc

Hoc tantùm velut hominibus & Christianis vobis loquor, non propter conscientiam tantùm, verùm etiam propter convenientiam, odio habendum esse mendacium, & veritatem amplectendam. Propter convenientiam, quia in angusto vivitis terræ spatio. Ubique locorum multa mala operantur mendacia. In terris spatiosis autem locum inveniunt & commercium quo se diffundant. In terris angustis collecta manent. Ulyssippone multa dicuntur mendacia, sed inde per totum Regnum, & totum disseminantur mundum. Appellit navis ex Oriente, de bello discurritur Turcico, Venetorum, Tartarorum, & Polonorum; discurritur de Sumo Pontifice, Cardinalibus, nec non aliis Italiæ Principibus multa narrantur mendacia, sed disperguntur: hæc Constantinopolim, alia Venetias, alia Romam, aliqua Florentiam, & in Sabaudiam &c. diriguntur. Appellit navis ex Septentrione, sermo incipit de de Rege Franciæ, de Imperatore, de Rege Sueciæ, de Parlamento Angliæ, de Statibus Hollandiæ, & Flandriæ, multa miscentur mendacia, sed per Parisios, Londinum, Viennam Austriæ, per Ambstelodamum & Holmiam &c. disperguntur. Singulis diebus Sabbathinis cursores nostri abeuntes ingentem mendaciorum farraginem per totum disseminant Regnum: idemque à navibus ex Brasilia & India venientibus practicatur. Mendacia verò Maragnana, nec aliundè introitum, nec alio exitum habent: hîc oriuntur & hîc manent. Proinde quando omnia mendacia manent in terra, & omnia vestras penetrant domos; convenientia ratioque status ea foras ejicere suadet. Si minus: Curiositatis ergò binos facite computus quos ego modò facere nequeo. Primus sit, quod mendacia indies Maragnanæ dicantur; secundus sit, quot domos civitas hæc contineat: & statim divide te mendacia, & videbitis quot in quamlibet domum cadant. Et quid erit in una hebdomada, uno mense, & anno?

Enim verò, si hæc omnia in una sint domo, & necesse ita fieri consequens est, nunquid convenientiæ rationique status valde dissonum, & iniquum est, falsa perhibere testimonia, & quod alius diffamet alium? nunquid multò foret melius, amicitiam mutuam illæsam, concordiamque fovere & conservare integram, amore & honore invicem prævenire & prosequi, inimicitiis sopitis, litibus sublatis, displicentiisq; submotis? dantur alia peccata, quæ complacentiæ, seu commodi vel interesse ergo excusari posse videntur: mentiri verò, & falsum perhibere testimonium? quis homini fructus ex mendacio quod gaudium & complacentia ex testimonii falsi perhibitione? si testimoniũ falsum perhibeo, ad ulciscendum me de inimico, multò sanè plus nocumenti mihi, quàm illi infero, quia illius quidem famam lædo, animæ verò meæ damnationem incurro. Agedum, Christiani, ad honorem illius Domini (qui cùm Deus sit, Veritas dici gloriatur) firmiter hodie statuamus omnem submovere passionem, respectum, & commodum, faciens torqueri Veritatem, & nos in ullo illam offendere satagamus. Quantum ad præteritum, non obitèr, sed morosè, & valde scrupulosè nos examinemus; utrum in aliquo Veritatem offenderimus, præsertim in materia famæ honorisque proximorum. Ecce, Auditores, peccatum istud facillimè comittitur, & difficillimè

limè læsus honor seu fama restituitur. Ecce, Christiani, stateram, quâ ponderantur animæ in altera vita exactam valde esse considerate; & quanta erit infelicitas, pro uno falso testimonio, perpetuò arsurum præcipitari in infernum. Remedium hujus consistit in Conscientia benè examinata; in Confessione rectè peracta, & satisfactione perfecta. Admoneo vos & contestor ex parte Dei, quod sine tribus istis conditionibus, neque in hac vita Gratiam, neque in altera Gloriam promereri & obtinere possitis.

SERMO
De
MANDATO.
Eodem die occurrente Festo Annunciationis Anno 1655.
Dictus in Ecclesia de Misericordia, sive in Regio Hospitali Ulyssiponensi, horâ undecimâ Antemeridianâ.

Sciens quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Joan. 13.

§. I.

GRANDIS Dies! grandis Amor! postquam æternus factus est temporalis, suos etiam dies habet amor divinus. S. Joannes Evangelista Amoris ejusdem magnitudinem & excellentiam etiam in hac die declaraturus, tam profundo judicio veluti suo, primùm expendit; quod dies unus præcesserit alterum: *Ante diem festum Paschæ.* Tantum pretium potest augere amoris reflexio & circumstantia dierum. Et quid ego faciam? etiam mihi duo dies hodie sunt combinandi; sed non dies prior cum posteriore, sed posterior cum priore: neque hoc liberè, vel propriâ electione, sed urgente dierum eorundem obligatione. Quemadmodum post multorum annorū circulum, duo Planetæ ad arctam faciendam conjunctionem sibi occurrunt & conjunguntur: ita anno præsenti sibi occurrunt & conjunguntur hodie duo maxima mysteria, duoque maximi dies.

Joan. 13. v. 1.

Dies

Dies Annunciationis seu Incarnationis Verbi; diesque discessûs Verbi ejusdem incarnati: Dies Incarnationis Verbi: *Sciens quia à Deo exivit*: quod fuit primum sui in homines amoris argumentũ: *Cùm dilexisset suos*. Et ejusdem incarnati Verbi discessûs *Et ad Deum vadit*: quod fuit finis amoris ejusdem infiniti: *In finem dilexit eos*.

Ibid. v. 3.

Propheta Regius duos hosce dies in Spiritu prævidens, inquit, diem hodiernum cum die loqui Incarnationis; & diem Incarnationis cum die loqui hodierno: & quod ambo se intelligentes sibi invicem respondeant: *Dies diei eructat verbum*. Ita celebrem hunc textum S. Augustinus explicat. Porrò si interrogaverimus, quid sibi dies isti loquantur, utpote auditu & scitu dignissima: idem David respondet, dicens; quod eorundem dierum noctes, nobis eorum sermones, & verba declaraturæ sint: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam* Ergone noctes obscuræ, dierum lucidorum nobis dicta declarabunt? Ità planè. Quia diei hodiernæ, & Incarnationis mysteria, utraque in eorundem dierum noctibus sunt celebrata. Tantum silentium, & reverentia, divinorum adeò mysteriorum Majestati debebatur. Mysteria diei incarnationis de nocte: *Cùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*. Et mysteria hodiernæ diei similiter de nocte: *Et cœna factâ* Lumina, quibus celebris hæc repræsentatio contemplanda est, sunt illa Fidei: Loca, Cœnaculum magnum in Jerusalem: & domus exigua, sed Regia, in Nazareth Quæstio verò seu problema quodnam erit? Utrùm major fuerit amor Christi in die Incarnationis, vel hodierna.

Psalm. 18. v. 3. S. Aug. Serm. 22. de Nativ.

Sap. 18. v. 14.

Ioan. 13. v. 2.

Opponendo igitur diei diem, mysterio mysterium, amoremque cum amore committendo; certum est, amorem divinum in gloriosiore nunquã visum fuisse theatro, quàm modò: cùm exeat ad certandum cum seipso. In aliis contentionibus amoris divini cũ humano; sive sit cum amore fratrûm, seu parentûm, seu filiorũ, seu sponsorum, seu cum amore amicorum (quem omnium oportet esse maximum) quamvis victor amor Christi egrediatur, attamen, semper ipse gravatur victoriâ; quia minus ipsi honorificum est, cum impari congredi antagonista. Hodie si vicerit, victor gloriosus erit: quia æqualem sibi habet æmulũ, & vincet semetipsum. Quando David aggressus est pugnam cum Gigante, Gigas oculis ipsius arbitratus est staturam; & quamvis non dubitaret de victoria, ex inæqualitate tam pusilli colluctatoris propudiosam sibi habuit pugnam. Eodem modo, & multò veraciùs Christus. Amore ipsius cum alterius amore concurrente, Gigas congreditur cũ Davide: amore verò Christi, cum amore ejusdem decertante, prout hodie fit, Gigas pugnat cum Gigante. Istud sic cecinit ipse David: *Exultavit ùt gigas ad currendam viam*. Exivit Christus in campum ùt Gigas: & quid fecit? secum ipso decertavit. Primus egressus fuit de cœlo in terram: *à summo cœlo egressio ejus*. Secundus occursus fuit à terra ad cœlum: *Et occursus ejus usque ad summũ ejus*. & in hoc occursu finitum est certamen; & uterq; amor mutuò sibi lanceas confregêre. In versu Davidico idem continetur, quod prosa dicit in Evangelio. Primus egressus: *à summo cœlo egressio ejus*: fuit in die incarnationis, quando Verbum exivit

Psalm. 18. v. 7.

Ibid. 8.

à Patre:

à Patre: *à Deo exivit*. Secundus egressus: *Et occursus ejus usque ad summum ejus*: fuit die hodierna, quando idem Verbum rediit ad Patrem: *Et ad Deum vadit.* In primo congressu certavit Amor: *cùm dilexisset suos* Et in secundo similiter pugnavit Amor: *In finem dilexit eos.* Ly *dilexisset*, & ly *dilexit* distinguit dies: *dilexisset* unum declarat amorem, & *dilexit*, alterum. Sed nec junctim, nec divisim assignant victoriam; nec uter altero major fuerit, resolvunt. Celebrem hanc decisionem fortissimos inter pugiles, qui unquam fuêre visi, hodie videbimus. Aderat nobis gratiâ sua, quæ præsens utroque adfuit die, & potissimam in utroque mysterio sortita est partem; Ecclesi. 24. v. 24. Mater scilicet ejusdem amoris: *Mater pulcræ dilectionis* Quonam verò modo ejus favorem & patrocinium implorabimus? eisdem verbis, quibus Eam hodie etiam Angelus interpellavit: *Ave gratiâ plena.*

§ II.

Cùm dilexisset, dilexit.

IN his verbis Evangelista (sicut dixi) Quæstionem nostram indecisam reliquit; non enim dixit, cùm dilexisset plùs, dilexit minùs; nec cùm dilexisset minùs, dilexit plùs: sed cùm dilexisset, dilexit. Tempora tantùm distinxit & per tempora amorem; sinè præferentiâ tamen aut excellentiâ amoris præteriti ad præsentem, aut præsentis ad præteritum S Joannes velut Theologus divinus fuit locutus: & non tantùm velut texens historiam; sed velut amoris Christi componens panegyricum. Quantùm ad amoris substantiam, Christus Dominus noster tantùm nos amavit in die Incarnationis, quantùm hodiernâ die, & omnibus diebus vitæ suæ; quia Amor ipsius Amor est perfectus: nec esset Ejus, nisi foret talis. Amor hominum vel deficit, vel proficit vel sistit: Amor Christi nec deficere, nec proficere, nec sistere potest; quia est, fuit, & erit semper Amor perfectus: & hinc semper idem, constans & immutabilis est. Christus amat quà homo, sicut quà Deus. Quærunt Theologi, quomodo Deus aliquos plùs, alios minùs amat, si Amor ipsius (qui ab Essentia ejus non distinguitur) semper est unus solus, idem infinitus, simplicissimus & immutabilis? Respondent. Differentiam non consistere in amore, sed in effectibus: quia Deus quibusdam bona majora confert, quàm aliis. Nos homines amamus objecta propter bonum quod habent: Deus amat homines propter bonũ, quod illis præstat. Et quemadmodũ majoritatem amoris Dei judicamus per effectus; pari ratione illam amoris Christi judicare debemus. Istud solidum & certũ est fundamentum, super quo quæstionem nostram fundamus: & hi æqualiter certi sunt Termini, quibus illam resolvemus. Neque hinc Intellectûs nostri ruditati aut opinari, aut inferre licet, minùs affectuosum, vel minùs amorosum esse hunc Christi amandi modũ Nam quemadmodũ in Deo, facere bonum, amor vocatur effectivus: & quod vult facere, Amor affectivus; ità in amore Christi affectus effectuum fuêre causa, quos videbimus, & effectus affectuum demonstratio.

Veniendo igitur ad utriusque amoris in die hodiernâ, & in die Incarnationis, seu Annunciationis effectus & demonstrationes, sicut in numero; sic quòque in modo eos metiendo & expendendo, idem fuisse videtur amor, qui se adæquare & vincere tentavit. Concilium Nysſenum in

in Symbolo Fidei, Christi ponderans amorem in Incarnatione, effectus ipsius ad duo extrema reducit: Scilicet ad descendere de cœlo; & hominem fieri: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est ex Maria Virgine, & homo factus est.* Istud Spiritus Sanctus ex ore Concilii pronunciat, de Incarnationis die loquens. De die verò hodierna, idem Spiritus Sanctus quid loquitur & ponderat? binos alios effectus, & bina alia extrema: Hominibus lavare pedes; & semetipsum in sanctissimo relinquere Sacramento: *Et cœnâ factâ cœpit lavare pedes Discipulorum.* Suppositis utrimque duobus hisce extremis, utrisque non admirabilibus tantùm, sed stupendis; collato ad invicem utriusque diei amore Christi, quid dicemus, aut dicere possumus? Sine temeritate, audacter dico & affirmo, majores fuisse diei hodiernæ amoris excessus, quàm illos in die Incarnationis. Et quare? Quia si in die Incarnationis magnus fuit amoris excessus, Deum de cœlo descendere in terram: *Descendit de cælis*; Longè major fuit excessus hodierna die Christum lavare pedes hominum: *Cœpit lavare pedes discipulorum.* Etsi magnum fuit amoris extremum in die Incarnationis, Deum hominem factum: *Et homo factus est*: longè majus extremum fuit hodierna die, quod Christus corpus suum in Sacramento relinqueret hominibus in cibum, sicut in cœna fecit: *Et cœnâ factâ*: Hæc erunt duo præsentis Sermonis nostri puncta, in quo multò plùs detegetur, quàm ex jam dictis apparet.

Conc. Nyss.

Joan. 13. v. 2. 5.

§. III.

TAM grande, tamque prodigio simile fuit, quòd Deus personaliter de cælo in terram descenderet, ut mysterium illud eminùs tantùm prævisum, non solùm admirationem, stuporémque induxerit intellectui; sed etiam horrorem & pavorem ipsi invexerit Fidei. Celebratam illam à terra in cælum usque pertingentem Jacob in somno vidit scalam, per quam ascendebant & descendebant Angeli, Deo summitati ipsius innitente: & Jacob viso obstupefactus, à somno experrectus exclamavit dicens: *Terribilis est locus iste.* O terribilem! ô tremendum locum! Variis modis inusitatum hoc & peregrinum dictum solet expendi. Ego autem noto, quòd nec visio inducere potuerit horrorem; neque novitas stuporem. Hoc tantùm Jacobo incutere potuit horrorem, videre scilicet, quòd ascendentes & descendentes tantùm essent Angeli; & ad pedem scalæ ipse subsistens non ascenderet, neque Deus summitati scalæ innixus descenderet, quo significabatur ingens Deum inter & hominem distantia, velut illa de qua Abraham ad divitem Epulonem: *Inter nos & vos chaos magnũ firmatũ est* Et posito quòd apprehensio ista nobis hodie magno foret horrori, quia contrarium jam scimus; tum temporis nec horrori poterat esse visio, neque stupori novitas; quæcunque enim Jacob vidit, & quicquid visa significabant non aliud erat, quàm quod ille cæterique supponebant. Usque ad ætatem Jacob, & multò adhuc pòst Lêge scriptâ durante DEUS nunquam alicui cælum, sed bona tantùm terrestria promisit. Et hinc ortum habuit proverbium: *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Id est, cælum esse pro Deo; terram autem pro hominibus. Ergo admirari, nedum obstupescere lice-

Gen. 28. v. 17.

Luc. 16. v. 27.

licebat Jacob, quòd, cùm esset homo, pedibusque consisteret in terra, non ascenderit per scalam: multò minùs quòd Deus, quà Deus, & existens in cælo non descenderit. Si ergo Jacob nihil, quod miraretur, habebat, nedum, ob quod è somno experrectus inhorresceret; cur tanto cum horrore & stupore evigilavit?

Jacob expergefactus obstupuit non ex eo quod viderat; sed quod DEUS eâdem in visione ipsi revelârat. DEUS illâ in scalâ Jacobo altissimum revelavit Incarnationis VERBI Arcanum: Et ut Jacob aliique homines ascendere possent in cælum, ipsum Deum è cælo descensurum esse in terram. *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis.* Et Jacob videns quòd suprema Dei Majestas, relinquens (eo quo poterat modo) Cæli Empyrei thronum, personaliter de cælo descensura esset in terram; stupendæ novitatis hujus revelatio, quæ humanam nunquam subiît mentem, talem ipsi dormienti incussit horrorem & stuporem, ut experrectus tremens exclamaverit: *Terribilis est locus iste!* Duo Jacob in visione istâ occurrebant, quæ valde, nec sinè ratione, non Visum, sed Intellectum obstupefecêre. Et quænam illa? primum, cùm esset scala, ut descenderet DEUS, descensus multò major erat scalâ. Ergo descensus major scalâ? Imò verò. Quia scala de terra pertingebat ad cælum, quæ est distantia limitata: & descensus erat Dei ad hominem, qui distat in immensum. Porrò quis videns duo infinitè distantia sibi uniri extrema, quamvis valde sibi præ ens attonitus non obstupesceret? Secundum, quod Jacob obstupuit, fuit, quòd mediante sic sibi revelatâ Incarnatione, Angelorum etiam minimus plus consecuturus foret, quàm Luciferi superbia affectârat. Lucifer æqualis voluit esse Deo: & DEUS homo factus eatenus minimo etiam Angelo inferior erat. Istud (teste S. Augustino) magnum illud fuit Mysterium, quòd Angelorum quidem scalam ascenderint, alii descenderint. *S. Aug.* Deo scalæ summitati innixo, & Jacobo ad scalæ pedem subsistente, Angeli ex parte Dei descendebant; & ex parte Jacobi Angeli ascendebant. Porrò ascensus iste & descensus non erat actus, seu Motus voluntatis eorundem Angelorum, sed ordo & conditio propriæ suæ Naturæ. Angeli illi à superiore scalæ parte, ubi erat DEUS, descendebant; quia Angeli omnes multò sunt Deo inferiores: & illi ab inferiore scalæ parte, ubi erat Jacob, ascendebant; quia eidem hominibus longè sunt superiores. Porrò cùm Angeli superiores sint homine, & Deus Angelicam assumpturus non esset Naturam, sed humanam; illud obstupescebat Jacob, & terribile quid ipsi videbatur, quòd Deus descensurus adeoque se subjecturus foret, & eatenùs quolibet Angelo inferior esset futurus.

David inquit, Deum fecisse hominem paulò minorem Angelis: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*: sed illud de dominio, & non de natura intelligitur. *Psalm 8 v. 6.* Nam Deus Adamo dominium & imperium super terræ, maris, & aëris Animantia contulit, eodem attestante Prophetâ: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus oves & boves universas: insuper & pecora campi. Volucres cæli, & pisces maris.* *Ibidem v. 7. & 8.* Ità, ut

ut dominio omnium rerum & creaturarum usu ad servitium in tribus elementis homo paulò minor sit Angelis. Verùm in essentia & nobilitate naturæ non solùm ex parte limi, quo conjungimur brutis; sed etiam ex parte spirituali animæ & potentiarum ejus, quâ Angelicam imitamur Naturam, homo non solùm paulò, sed multò minor, multóque inferior est quolibet Angelo: tantóque magìs, quantò sublimioris Hierarchiæ sunt. Scala Jacob novem gradus habebat, qui novem denotabant Creaturarum rationabilium ordines inter Deum & hominem medios; quos nomine alio novem Angelorum Choros appellamus: omnibúsque gradibus istis descendit DEUS, & transiit, ut naturæ se copularet humanæ, quæ in Jacob infra omnes jacebat.

Heb. 1. v. 16. Istud S. Paulus hisce ponderavit verbis: *Nusquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.* Cujúsce fundum & energiam non sic in expositoribus invenio declaratã, prout Textus exigit. Dicunt quòd *Nusquam* idem est quod *Nunquam* vel *Nequaquam*, at verò *nusquam* non est simplex negatio, néque particulæ temporis, sed loci, & propriè significat *nullibi*, seu *nullâ in parte.* Cur igitur S. Paulus inquit, Deum in nulla parte Naturam apprehendisse Angelicam, *nusquam*? quia Deus novem habebat partes, in quibus illam apprehenderet. Tres in Hierarchiâ primâ, & totidem in secunda, & totidem in tertia. Et in hoc Mysterium Incarnationis mirabile videtur, quo Deus, ut humanã assumeret naturam, in tot partibus relinqueret Angelicam. In prima reliquit Seraphinos, Cherubinos, Thronos: in secunda reliquit Potestates, Principatus, Dominationes: in tertia reliquit Virtutes, Archangelos, Angelos: & in homine, qui erat decimus, ultimus, & infimus locus ubi jacebat Jacob, ibi nostram lapsam assumpsit naturam, ut illam elevaret; infirmam, ut illam sanaret & salvaret, qui fuit finis, quòd eousque se demittendo descenderit. Regi Ezechiæ ad mortem usque infirmo Propheta Isaïas ex nomine Dei vitam promisit; & ut promissionem esse divinam probaret, in signum ei dedit, quòd Sol decem lineis, seu gradibus retro cessurus esset, quod etiam accidit: *Et reversus est Sol decem lineis, per gradus quos descenderat.* Quare regressus est Sol decem lineis, seu gradibus decem, & non undecim, aut novem, nec plùs, nec minùs, sed signanter & expressè decem? Quia prodigio illo magno aliud adhuc majus, illud videlicet Incarnationis Verbi portendebatur: in qua sicut Sol in suo existens Zenith (aliter enim fieri nequibat) decem lineis est regressus, usque dum in horizontibus terræ occumberet. Sic DEUS à summo Majestatis suæ infinitæ aliis decem descendit lineis, donec in ultima naturæ humanæ lineâ occumberet. Et quemadmodum stupendum istud prodigium Ezechiæ amore & in salutis ipsius signum exhibuit; sic illud multò magis obstupescendum Incarnationis amore hominum, & in salutem hominum præstitit! *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est.* Isai 38. v. 8.

§ IV.

ISTUD hodiernâ die in Nazareth peractum est. Mutatâ nunc scenâ, Cœnaculũ Hierosolymitanum ingressi, videbimus, quantò justiùs de loco hoc dici queat: *Terribilis est locus iste!* Deponit Christus vestimenta sua, linteo præcinctus, aquam

propriis manibus mittit in pelvim: hinc intelligitur, quòd Discipulorum disponat lavare pedes: & his visis, quis (amabò) stupor & horror invasit præsentes? ipsi certè parietes Cœnaculi inhorruisse hoc viso videntur. Non aderat ibi Jacob, sed Petrus, qui magìs hìc, quàm in monte Thabor extra se raptus, exclamavit dicens: *Domine, Tu mihi lavas pedes*? In æternum
Joan. 13. v. 6. hoc non permittam: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* In ipso jam primo motu
Ibidem v. 8. inter diem & diem, mysterium & mysterium discrimen apparet. Agitè, S. Petrum cum Jacob comparate. Jacob scalam & descensurum per eam Deum videns desiderio exæstuabat, ut descenderet; tarditatémque adventûs æternitatem
Gen. 49. v. 26. reputabat: *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Econtrariò S. Petrus Christum disponentem se ad lavandum sibi pedes conspiciens, nequaquam admittit, néque in æternũ sese in tale quid consensurum protestatur: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Si illud amoris & reverentiæ erga Christum argumentum erat in Petro: similiter Jacob illum venerabatur & diligebat multùm. Si igitur Jacob desiderat, ut Deus descendat, séque demittat, ut homo fiat; quare non consentit Petrus ut ad lavandum sibi pedes se demittat? Eandem ipsam ob causam. Tanto enim intervallo utraque demissio ab invicem distat. Deum incarnari, erat hominẽ fieri; hominibus lavare pedes, erat fieri servum. Incarnari, erat nostrâ humanitate vestiri: hominem fieri servum, erat Divinitatem suam deponere.

Non præsumerem dicere tantum, nisi S. Paulus hoc, & multò plus dixisset. ast locus Scripturæ sæpiùs auditus, sed qui ad finem usque Mundi, quòd explicetur, habebit. *Qui cùm in Forma Dei esset,* *Philip. 2*
non rapinam arbitratus est, esse se æqualem *v. 5. & 6.*
Deo, sed semetipsum exinanivit formam Servi accipiens: in similitudinem hominũ factus & habitu inventus ùt homo. Id est, cùm Verbum æternum per omnia æquale esset Patri, se fecit, & se exinanivit. Se fecit; quia cùm Deus esset, hominem se fecit: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo.* Et se exinanivit; quia cùm DEUS esset & homo servum se fecit: & faciendo se servum se exinanivit, & annihilavit seipsum *Exinanivit se ipsum formam servi accipiens.* Nunc interrogo: Quando se Deus fecit hominem, & quando se fecit servum? hominem se fecit incarnando; & servum se fecit pedes lavando: in Incarnatione igitur se fecit, & in lotione se annihilavit. Multi Authorum de incarnatione tantùm textũ hunc intelligunt, & quòd Deus faciendo se hominem, simul se fecerit servum. Ast interpretatio hæc est impropria: ne dicam quòd naturæ humanæ sit injuriosa. Esse hominẽ indifferens est, quoad esse servum seu Dominum: & Christus quà homo, non solùm fuit Dominus, sed magnus Dominus. Quod Angelus ipso Annunciationis, seu Incarnationis die clarè expressit, annuncians, quòd in quantùm Deus, Filius foret Altissimi: & inquantum homo Davidis Patris sui sceptrum esset hereditaturus. Sub hac hypothesi idem Christus semper est locutus: *Non est servus major* *Joan. 15.*
Domino suo: Si me persecuti sunt, & vos *v. 20.*
persequentur. Et hodie in hoc lotionis *Joan. 13.*
actu: *Vos vocatis me, Magister & Domine,* *v. 13.*
& bene dicitis, sum etenim. Distinctionem hanc non offendunt ipsa S. Pauli verba, sed confirmant, quæ dicunt, Christum servi formam assumpsisse, non se faciendo

sed

sed factum hominem: *Formam Servi accipiens, in similitudinē hominum factus*: factus enim homo in Incarnatione, formam assumpsit Servi hominibus pedes lavando. Egregiè & luculenter illud asseruit Dionysius Alexandrinus: *Jesus Christus, Dominus & Deus Apostolorum, cùm accepisset formam servi, surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua, & linteo præcinxit se: hæc est forma servi.* Subjectio servi non est injuria seu opus naturæ, sed fortunæ. Natura omnes homines fecit æquales; fortuna exaltat, humiliat, & subjicit, & servos facit. Et in hoc Amor Christi hodie excelluit, illum diei incarnationis & opus ejus, faciendo se hominem, conditiones assumpsit naturæ: faciendo se servum, & hominibus lavando pedes, humiliationes & subjectiones assumpsit fortunæ. Istud fuit se facere; & hoc, sese exinanire. *Exinanivit semetipsum formam Servi accipiens.*

Dionys. Alexandrinus.

Duplici similitudine seu Metaphorâ S. Paulus istud: se facere, & exinanire declarat; scilicet vestis, quando induitur & exuitur, & vasis, quod impletur & evacuatur. Similitudine vestis, quam induit & exuit: *Habitu inventus ùt homo.* Vasis quod impletur & evacuatur: *Exinanivit semetipsum.* Porrò utramque hanc Metaphoram S. Paulus ex lotionis actu de quo agimus, desumpsisse videtur. Illam vestis in quantum se exuit: *Ponit vestimenta sua.* Illam vasis, quatenus evacuatur: *Mittit aquam in pelvim.* Enimverò quare S. Paulus duplici hâc metaphorâ & similitudine usus est? Quia in illis tantùm differentiam diei hujus & actûs, ad opus, diémque incarnationis poterat demonstrare. In die Incarnationis DEUS se faciens hominem, humanitate se vestivit; quia illam sibi univit, séque illâ texit: & humanitas, quæ erat vas ex limo modicum & angustum, Deo fuit impleta; quia Deus illam essentiæ suæ immensitate adimplevit. *Quia in Ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Et cùm hoc peractum sit in die Incarnationis; totum istud (quantùm ad exteriorem apparentiam oculorúmque humanorum intuitum) exinanitum videtur hodierno die & actu lotionis. Christo quippè ad hominum, taliúmque hominum se pedes demittente eorúmque se servum, & in tam abjecto ministerio servum se faciente, videtur Deus denuò exuisse humanitatem, quâ erat indutus, eam seponendo: & eadem humanitas Deo plena, perditâ Unione cum Divinitate, totaliter fuisse evacuata: *Exinanivit semetipsum formam Servi accipiens.* Et nunquid hoc ità factum fuit, utì superficie tenus apparet? nequaquam. Sed posito, humanitatem Christi hoc actu non perdidisse unionem cum Divinitate, & æquè, ùt antè, Deo plenam remansisse; nihilominùs ad tam abjectum & vile ministerium se demisisse, ut humanis oculis & judicio tale quid videri posset, tam notabilis, támque stupenda fuit differentia, ut solus S. Paulus illam expendere, & exaggerare sufficiat: proinde ad profundissimam verborum ipsius considerationem modò devenimus.

Coloss. 2. v. 9.

Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. q.d. Quòd Christus servum se fecerit, cùm esset DEUS (inquit S. Paulus) non fecit, quia Divinitatem suam, non suam, sed alienam existimaret; quasi illam Deo Patri surripuisset. Nunquid igitur Christus Divinitatē suam non

Philip. 2. v. 6.

non esse suam, putare poterat? clarum est, quod non potuerit tale quid, adeò contrarium veritati, & ab omni cogitatione alienum, putare. Quare igitur Apostolus ex tertio cœlo dicit, quod Christus faciendo se servum non existimârit divinitatem suam, non esse suam? quia abjicere se ad pedes hominum talis fuit actus in Christo, ut homines hinc imaginari sibi potuerint, Christum tale quid de se sentire. Argumentari enim sic poterant. Homo tantum se abjiciens vel non est Deus, vel si quandoque fuit Deus, desiit esse Deus: vel si adhuc est Deus, utique eum opinari oportet, se non esse Deum; Deus enim existens, Deumque se sciens, ad tam vile & abjectum quid demittere se non posset. Proinde quia actus tam alienus erat ab operante, mentes hominum talis subire poterat cogitatio, ut vel Christum non esse Deum, vel talem se non reputare, opinarentur. Hinc præ cæteris ponderat & advertit S. Paulus, Christum, quando ad tam vile & abjectum servi ministerium se demisit, non hoc fecisse, quod se Deum esse non putaret: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Hoc idem noster advertit pariterq; considerat Evangelista præfando, quando actum eundem enarrare exorsus est. Hinc dixit Christum quando Discipulorum cœpit lavare pedes, scivisse se Deum esse, iisdemque manibus, quibus lavabat pedes, imperium se tenere super omnia: *Sciens quia à Deo exivit & ad Deum vadit: & quia omnia dedit ei Pater in manus, cœpit lavare pedes Discipulorum.* Firmissimè igitur veritatem hanc credens S. Petrus (idcircò enim dixit: *Domine, tu mihi*) quid mirum, quod cùm magnus esset Navarchus ille, qui maximis sævientibus tempestatibus, à scopo & recto tramite nunquam aberravit, pedibusque maris undas calcare ausus; quod jam hîc in arenam impingens, tam modicâ (sicut illâ in pelvi) suffocaretur aquâ, & in tam immensa tremendi adeò mysterii profunditate pedem figere nequiret?

§. V.

CHristus stuporem S. Petri, repugnantiamque compescuit. Sed quomodo? *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Posteà Domine? inquit S. Petrus. Et quando? quando in cœlo eundem denuò revestitum videris suâ majestate, quem hodie ex dimidio vides exutum, & servili hoc linteo præcinctum. Hoc sensu illud, *Scies autem posteà*, intelligunt S. Augustinus, S. Chrysostomus, Beda, Rupertus, Theophilactus, Euthymius. Nec sine ratione. Quemadmodum similitudines cognosci nequeunt nisi de prope; sic distantiæ mensurari nequeunt nisi de longè. Quid refert, quod dicas: *tu mihi*: si de te parum, de me verò nihil cognoscas? ubi totum videris, quod sum, tunc intelliges quantum sit, quod facio. Si loqueris ex eo quod in monte Thabor vidisti, iste est excessus in Jerusalem complendus, de quo Moyses & Elias magis obstupefacti, quàm Tu, loquebantur. Modò lavari te permitte, sub pœna quod in æternum me non sis visurus, neque assecuturus intellectu, quod oculis nunc intueris, & nescis: *Quod ego facio, tu nescis modò.* Joan. 13. v. 7.

Ita Christus gravibus tremendisque verbis fuit effatus, neque mirarer tantùm,

si cui Apostolorum alii idem asseverasset: sed S. Petro? istud sanè supra omnem modum miror, multoque amplius adhuc, in commemoratione concursuque duorum horum dierum, quos celebramus. Alia occasione Christus collectos simul Discipulos suos interrogavit: *Quem dicunt homines, esse Filium hominis?* alii varia retulerunt: S. Petrus verò respondit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Conjungite modò hoc responsum Petri, cum interrogatione Christi, & videbitis quomodo Apostolorum Princeps paucis hisce verbis totum incarnationis mysterium complexus sit, & resumpserit. *Filium hominis: Filius Dei vivi.* In *Filium*, & in *Filius*, duas comprehendit generationes, unam æternam, alteram temporalem: in *Hominis*, & in *Dei vivi*, duas comprehendit naturas, divinam & humanam: & in *Tu es*, unionem comprehendit hypostaticam, quâ utramque indissolubilitèr sibi copulavit. Porrò si S. Petrus ante hunc diem agens in terra capax fuit tam perfectè sciendi & penetrandi Incarnationis mysterium; quomodo multo jam interlapso tempore, & in scholæ Christi discipulatu, insufficiens adhuc ad intelligendum pedum lotionis mysterium habebatur, *quod ego facio, tu nescis modò?* Et si ob confessionem mysterii Incarnationis eidem Petro collatæ sunt claves regni cœlorum, quo, quæso, pacto pro cœlo reservatur scientia ejus, quod videbat & mirabatur in terra? *Scies autem posteà?* hîc liquidò patebit quantò major mysteriorum, amorisque profunditas, in stupenda illa ad Discipulorum pedes se prosternentis Christi actione includatur, quàm in altissimo mysterio, quod Deus fiat homo. Sublimitatem mysterii primi, accepto è cœlo lumine Piscator quispiam assequi potest in terra: secundi hujus profunditatem in tam modica aqua penetrare nequit maximus Apostolus. Mysterii Incarnationis altitudinem, Pater, qui est in cœlis, Petro revelavit existenti in terra: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis:* Lotionis verò pedum profunditatem eidem Petro non revelavit Filius, nisi quando Filius & Petrus, ambo fuerint in cœlo: *Scies autem postea.*

Matth. 16. v. 13.

Ibid. v. 16.

Matth. 16. v. 17.

Spiritu S. Petri locutus videtur S. Paulus dicens: *Neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Christi.* Charitas ista Christi juxta conformem Interpretum sensum intelligi potest vel de amore, quo nos amamus Christum; vel quo amamus ab ipso: & secundo hoc sensu asserit S. Paulus, quod nec altitudo, nec profundum facere possit, quin Christus nos amet; in altitudine enim incarnationis, existens Deus, nos amavit homo factus: & in profundo lotionis pedum, existens jam homo, nos amavit ad pedes hominum se collocando. Facundissimus verò Apostolus posito jam alto, adjecit & profundum: *Neque altitudo, neque profundum:* quia magis in Christi amore ponderat & exaggerat profundum lotionis pedum, ubi ad hominum pedes sese prostravit; quàm altum incarnationis, unde, ut homo esset, descendit.

Rom. 8. v. 35. 39.

Istud in profundissima hac actione considerare conor: sed quando Christus dicit Petro; *Quod ego facio, tu nescis:* ubi Petrus nescit intelligere; quis sciet loqui? visâ nihilominùs ignorantiâ ipsius, & meam ego proferre præsumam, sed non nisi diem cum die conferendo.

Quod passim omnes de incarnationis die exaggerant, est, quod Deus sese humiliando homo fiat; sed est certum, hunc actum non fuisse actum humilitatis: actum verò illum lotionis pedum, quo Christus hominum pedes lavit, non solùm humilitatis fuisse, sed omnium humilitatum maximam certum est. Enim verò, quare humilitas non fuit, quod Deus fieret homo? quia Deus nec humilis est, nec humilis esse potest. Humilitas essentialiter propriæ dependentiæ, imperfectionis, & miseriæ est agnitio: & Deus per se independens suprema existentia, summa perfectio, & summa felicitas, nec est, nec esse potest humilis. Quomodo igitur omnes Sancti, Deum se in hoc ingenti actu humiliâsse asseverant? quia humiliatione, & non humilitate se humiliavit. De Rege Achab Deus dixit ad Prophetam: *Nonne vidisti humiliatum*
3 Reg. 21.v.29. *Achab*? & Achab nec humilis, nec humilitatis virtute præditus erat: Isto verò casu humiliatus erat non ex humilitate, sed humiliatione. Pari modo (sed divinissimo & sanctissimo modo) etiam Deus sese humiliavit, homo factus: ad id enim usque temporis nec humilis erat, nec esse poterat. In primo verò incarnationis instanti, seu secundo, postquam incarnatus (prout alii volunt Theologi) etiam humilis & extremè humilis esse cœpit, uti hodie plus quàm aliàs unquam ostendit. Ubi notandum venit, ingens hoc humilitatis extremum post humiliationem ut homo fieret, non tantùm fuisse novi consequentiam statûs, sed obligationem. Si enim Deus, antequam humilis esset, adeò se humiliavit ut homo fieret, sequitur quod jam humilis factus, multò magis sehumiliare teneretur. Obligato itaque Deo ad se magis humiliandum, quàm se humiliaverat, quid faciendum restabat? hoc quod hodie fecit. Flexis ante homines genibus, propriis manibus pedes illis lavat: nam solummodò ad pedes hominum prostratus, magis humiliare se poterat, quàm se homo factus humiliârat.

Consequentiam hanc necessariam, quæ ad primi mysterii humiliationem obligavit, & ad humilitatē secundi Christum compulit, David propheticè præcognovit dicens: *Abyssus abyssum invocat.* Psal. 41. v. 8. Abyssum nôstis esse locum immensum & profundissimum, sicut ille de quo Scriptura sacra in prima Elementorum creatione loquitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Gen. 1 v. 2. Et cùm duæ fuerint abyssi, utranam prima alteram invocavit? nunquid in Sermonis exordio diximus, quod dies Incarnationis diem alloqueretur hodiernam: *Dies diei eructat verbum*? Psalm. 18. v 3. cùm igitur hi duo dies sibi invicem sunt locuti, mysterium incarnationis, mysterium invocavit pedum lotionis; & hæc duo mysteria duæ istæ fuerunt abyssi. Prima abyssus fuit Incarnatio Verbi; Deus enim se faciens hominem quasi absorptus est, & Divinitas tali modo in humana natura submersa est, ut totaliter disparuerit: & ideò in eadem subsistens non apparebat. Secunda abyssus fuit lotio pedum; nam cùm Christus in Incarnatione absorptus fuit quà Deus, postmodum in lotione pedum, ad hominum pedes prostratus etiam ibidem se demersit quà homo. Quod ipsemet ille dixit: *Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis.* Psalm. 21. v. 7. Enim verò quænam ista est Plebs, & quis abjectus iste? Plebs erant Apostoli, per naturam, per generationem,

nem,& officium Plebs; erant enim pauperes Piscatores: porrò plebis hujus abjectus erat Christus, ad pedes eorum procumbens; eosque lavans: non enim abjectior, contemptibilior, ipsâque plebe inferior actus dari potest, quàm flexis ante eam genibus ei lavare pedes. Aqua tantùm erat unius pelvis, actionis verò tam profunda erat abyssus; ut taliter in ea absorptus fuerit Christus, etiam quà homo, ut jam non appareret in eo signum illius quod erat: sed negatio illius quod fuerat; *Non homo.* Multò incomparabiliùs igitur Christus se exinanivit, ejusque amor plus præstitit in lotionis pedum actu, quàm in Incarnationis opere: in Incarnatione enim se fecit hominem: lavando pedes hominum se fecit non hominem *Non homo.*

Enimverò si sic demisit se Christus, Petro reliquisque Discipulis pedes lavans, quid dicam, quidve imaginari mihi possum, ipsum ad Judæ pedes videns prostratum? hìc similiter intellectus absorbetur Seraphinorum, & præ stupore obmutescunt linguæ Angelorum. Si, Domine, Petrus obstupefactus dixit: *Tu mihi?* quantò magis attonitos nos tibi dicere oportet: Tu Judæ? Judæ, proditori illi, & à dæmone obsesso, de quo sanctus Joannes dixit: *Cùm Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas?* Joan.13. v.2. Judæ, illi ad infernum præscito, & omnium præscitorum pessimo, de quo tu ipse dixisti: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille?* Matth. 26.v.24. non aliam hìc desidero considerationem, quàm hæc tua propria verba. Christus dicit, melius fore Judæ, si non esset, quàm esse: nec magis exaggerari potest extrema miseria Judæ, & extrema ad pedes ejus procumbentis Christi abjectio. Novi equidem quàm subtiliter Philosophia disputet, utrùm Judæ, seu cuilibet alii damnato melius foret non esse, quàm esse: ast ubi absolutam unam habemus conclusionem Christi; apage omnes Philosophorum argutias. Salomon tres hominum facit classes, vivorum, mortuorum, & nondum natorum: & solummodò in consideratione malorum temporalium, mortuos vivis, & nondum natos præfert utrisque. Quid dicturus fuisset si ad mala se reflexisset æterna, quæ Judam exspectabant, & peccatum in quo obstinatus persistebat, quod malorum omnium est maximum? per omnes modos melius fuisset Judæ, non esse, quàm esse. Et quod Christus se incurvârit ad pedes hominis, cujus esse pejus erat, quàm non esse? inter esse, qualecunque id demum sit, & non esse, infinita datur distantia: & cùm distantia sit infinita, hodie in cœnaculo Hierosolymitano duo visi sunt gradus vel status ipso non esse multò inferiores: Primus in Juda, qui longè inferior erat, quàm non esse; quia melius ipsi fuisset non esse, quàm esse: Secundus in Christo, cùm Judas esset multò inferior quàm non esse, ille ad pedes procumbebat Judæ. Agite, metimini, incipiendo à Deo, inferioritatem, ad quam Filius Dei, hominum amore se demisit. Infra Deum infinitè distat omne creatum; infra omne creatum infinitè itidem distat non esse; infra non esse, est Judas: & infra Judam est Christus. Tantum distat, Deus in die Incarnationis homo factus, & Christus hodie ad hominis talis pedes abjectus! illud

illud innuit, *Cùm dilexisset*: istud est, *in finem dilexit.*

§. VI.

TArdiùs venio, Domine in Sacramento, ad comparandum sacrosanctum & divinissimum hoc mysterium, cum similiter divinissimo Incarnationis tuæ mysterio: sed idem ipse Thronus Majestatis, in quo te videmus & adoramus, vel non visum etiam veneramur, amoris tui in hac die triumphum nobis publicat, in quo, eò quòd ultimus visibilis tuæ præsentiæ, te nobiscum reliquisti. Hæc sit Probatio prima.

Isaias Incarnationis mysterium expressioribus verbis, circumstantiisque singularioribus, præ cæteris Prophetis prædicens inquit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* (*Isai.7. v.14.*) Ultimum hoc verbum valde expendunt in Phrasi sacræ Scripturæ parum versati Christus Dominus noster non fuit vocatus Emmanuel, sed Jesus: quomodo igitur dixit Propheta Filium ex Virgine nasciturum Emmanuel vocandum? verùm consideratio hæc ex ignorantia Phrasis Hebraicæ oritur. In Phrasi Hebraica quemadmodum res vocantur *verba*, sic, *vocari* significat esse, & istud significat *vocabitur*. Eâdem phrasi Angelus eodem die est usus, & in Mysterio Incarnationis, annuncians Virgini, quod purissimis suis visceribus nasciturus, Altissimi Filius vocandus foret: *Filius altissimi vocabitur*: (*Luc.1. v.32.*) Quod quamvis ita se haberet, Christus per humilitatem, non Filius Altissimi, sed *Filius hominis* vocabatur Sed eâdem phrasi, tam Propheta, quàm Angelus eodem casu est locutus; nam *vocabitur*, significat, erit. Supposito igitur quod vocari significat esse, & nomen accipitur pro significato; quid significare voluit Propheta, dicens quod Filius de Virgine nasciturus, Emmanuel esset vocandus? Emmanuel significat *Nobiscum Deus*: & istud celebri hâc Prophetiâ Isaias vaticinando promisit, novum quid, tam admirabile, quàm certum hominibus annuncians, quod idem Deus, cujus majestas adeò semper à nobis fuit sejuncta, sine motu locali, seu nunquam è cœlo egressa; modò incarnandus esset, ut homo fiat, descensurusque in terram, ut in ea habitans versaretur nobiscum: *Nobiscum Deus.*

Dixi sine motu locali, & quod nunquam exierit cœlo: nam quando in S. Scriptura dicitur, Deum formâsse limum Adami; descendisse ad impediendam Turris Babylonicæ fabricam; nec non, quod in Rubo Moysi apparuerit, eidemque in Monte Sinai legem tradiderit, & alia hujusmodi: qui visibiliter ista operabantur (juxta probabiliorem Doctorum sententiam) erant Angeli Deum repræsentantes: & non Deus ipse personaliter. Et David stupendum quid reputabat, quod Deus tam excelsus è tam sublimi deorsum respicere terram dignaretur. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra* (*Psalm. 112.v.5.*) Verùm sicut amor non est contentus eminùs, absentiæque est impatiens, tantum amor hominum in Deum prævaluit, ut illum de cœlo traxerit in terram, hominemque fecerit non tantùm ad redimendos nos & salvandos (juxta opinionem multorum) quantùm præ desiderio quo æstuabat, & præ gaudio, quod percepturus erat commorando nobiscum: *Nobiscum Deus.*

Cele-

Celeberrima inter Theologos agitatur, Quæstio, utrùm, si Adam non peccâsset, DEUS fuisset incarnatus? S. Thomas Ejúsque Schola negant. Scotus cum sua affirmat. Ego distinguendo utramque opinionem concilio. Quoniam Adam peccavit, incarnatus est Deus carne passibili; congruentius enim erat culpæ, & convenientius satisfactioni, pati & mori. Verùm, si Adam non peccâsset; nihilominùs Deus incarnatus fuisset, sed carne impassibili; nam ubi non erat culpa, necessaria non erat pœna: & tali casu factus fuisset homo non ad satisfaciendum pro nostris peccatis, sed ad satis suo faciendũ amori. Distinctio hæc non est mea, sed ipsius Concilii Nysseni: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem incarnatus est.* Ubi clarè patet mysteriũ Incarnationis duo distincta habu sse Motiva: unũ Remediũ, alterũ Amorẽ; amorẽ verò priùs, quàm remedium. Itá, ut, si remedium non fuisset necessarium, ex solo amoris hominum Motivo incarnari debuisset Deus, quia istud primarium primúmque Motivum fuit: *Qui propter nos homines.* Visitabitis Amicum, quem in via audîstis vulneratum; visitatis illum velut amicum & vulneratum, hoc tamen præsupposito, quòd si vulneratus non esset, tantùm velut amicum eum visitaretis; quia hæc prima & primaria vestra fuit intentio. Idem in mysterio Incarnationis accidit quod Zacharias visitationem Dei appellavit: *Visitavit nos oriens ex alto.* Primum Dei Decretum, ut homo fieret ante prævisionem peccati, unicè fuit amor hominum, & ut habitaret & conversaretur cum illis, sicut ipse tunc dixit: *Deliciæ meæ sunt, esse cum filiis hominum.* Postmodum contigit peccatum Adami, & mortale

Concil. Nyss.

Luc. 1. v. 78.

Prov. 8. v. 31.

supervênit humani generis vulnus, & sic motivo amoris motivum remedii accessit: & DEUS nos tantùm visitaturus tanquam amicos, nos etiam visitavit tanquam vulneratos. *Propter nos homines, & propter nostram salutem.* Et quemadmodum alteri amico ex solo amore & oblectandi se gratiâ visitanti accrevit dolor & pœna; pari ratione Deus aliàs venturus impassibilis, passibilis vênit. In summa quia intentio & finis Incarnationis, sicut dixi, non fuit tantum, ut nos redimeret & salvaret, quod fuit motivum secundum; quantùm ut suo satisfacturus amori nobiscum esset, quod fuit motivum primum: propterea Isaïas tam expressis circumstantiis incarnationis Verbi arcana revelans, cùm dicere posset, quòd nasciturus ex Virgine Filius vocandus esset JESUS, quod est idem ac Salvator: non hoc dixit, sed: quòd vocabitur *Emmanuel*, quod significat, *Nobiscum Deus*; quia principale Motivum, cur hominem se faceret, non fuit tam remedium homines salvandi, quàm Amor desideriúmque cum eis manendi & conversandi. *Nobiscum* DEUS.

§. VII.

ISTUD fuit Motivum affectuosissimum, iste affectus excellentissimus, ista excellentia sublimissima, quâ Amor Divinus in die Incarnationis, & in suo principio ostendit finem, quo Deum traxisset in terram. Finis ex primo Decreto, propriâque origine suâ, purè ac sincerè amorosus, sine intentionis, affectûsve alterius admixtione; quia redimere fuit Amor cum misericordia: esse verò nobiscum, amor purus. Sed quid de hodierna die dicam, incarnate & in Sacramento præsens Deus? Quantumcunque divinus tuus

Amor, excellenter & purè amorosum se amantémque in die Incarnationis ostenderit; nihilominus non possum non fateri & dicere, nec ille ipse negabit, quin die hodiernâ amoroso amorosior, & amante fuerit amantior. Quare? Quia si in die Incarnationis carnem assumpsisti ut esses nobiscum: *Nobiscum Deus*: In hac die te constituisti in Sacramento, non tantùm ut esses nobiscum; sed etiam in nobis: Nobiscum in altari, ubi te adoramus: & in nobis, nostrum subeundo pectus, ubi te recipimus. Amor (ecce num ille maximus) Amor essentialiter est Unio, quantóque magìs unit, & amantes unire satagit, tantò majores operatur effectus, tantóque majores amoris ostendit affectus. Esse nobiscum est assistentia externa; esse in nobis, est præsentia intima: esse nobiscũ est esse juxta; esse in nobis, est esse intra: Esse nobiscum est societas; esse in nobis est identitas. Minus ergo fecit Amor Incarnationis, Christo existente nobiscũ, quàm amor Sacramenti, existente Christo nobiscum, & simul in nobis.

Admirabiliter sanè duo hæc extrema univit, & duos hósce amoris idem Discipulus dilectus distinxit: divina hæc Aquila sublimissimo elevata volatu, postquam
Joan. 1. v. 1. intonuit: *In principio erat VERBUM*: recollectis alis descendens in terram, æquali voce & tonitru insonuit, dicens,
Ibid. v. 14. Verbum carnem esse factum: *Verbum caro factum est*. Et nullo verbo interposito adjungit: *Et habitavit in nobis*. O Evangelista qui in alto æquè ac in imo te semper elevas, fac nos te intelligere! si loqueris de unione Verbi cum humanitate, quare non dicis Verbum hominem esse factum, sed carnem: *Caro factum est*: Et si loqueris de tempore quo idem Verbum eo fine homo factum, moratus est & habitavit nobiscum. quare dicis, quòd habitavit in nobis: *Et habitavit in nobis*? S. Joannes non foret dilectissimus, amantissimúsque Christi, nisi concurreret ad amorem ipsius promovendum, & illum in Incarnationis aurorâ relinquendo, ad zenith Sacramenti non attolleret. Acutè S. Augustinus similiter Aquila. Non dixit S. Aug. quòd Verbum factum esset homo, sed caro, quia in carne, *vi verborum*, corporis sui instituturus erat Sacramentum: *Caro mea verè est cibus*. Et non dixit, qui habitavit nobiscum, sed: *in nobis*; quia si amori Incarnationis satisfactum fuisset morando nobiscum: *Nobiscum Deus*: Amori Sacramenti magìs anxio, quia majori amori non satis fuisset tantùm esse nobiscum; sed etiam in nobis. *Et habitavit in nobis*.

Deo jam mediante Incarnatione homine facto, caro eadẽ corpúsque idem quod assumpserat, novum in nobis existendi obicem ponebat: duo enim corpora eodem in loco consistere nequeunt. Quod igitur remedium inveniret Amor, ad impossibile illud expediendum desiderio suo tantùm obsistens? Remedium fuit, ut eadem caro assumpta in Incarnatione, cibus noster fieret in Sacramento: *Caro mea verè est cibus*. Et hoc pacto uterque amoris utriusque finis sibi est sociatus: ille, esse nobiscum, qui erat Incarnationis; & ille: esse nobiscũ & magìs in nobis, qui est hodiernus.

Verùm enimverò in hoc esse supra esse aliam adhuc habemus excellentiam supra excellentiã. Quia non contentus fuit Amor hodiernus, quòd Christus nobiscũ, & in nobis esset; verùm ut & nos essemus in illo. Hic Sacramenti secundus est

effectus,

effectus, primóque amorosior in comedente: *Qui manducat meam carnem,* Joan. 6. v. 57. *in me manet, & ego in eo.* q.d. Non solùm Ego in illo, unione simplici: sed ego in illo, & ille in me, unione duplici, & reciproco inexistendi modo. Istud S. Aug. Tract. 27 in Joan. S. Augustinus accommodato Solœcismo declaravit: *Si manet & manetur.* Quid hoc audito, diceret Donatus? Sed istæ amoris sunt Grammaticæ, & magìs in die quo Verbum factum est Passivum. Ipsi etiam Philosophi, ut unam perfectam admittant unionem, recognoscunt duas: unam ex parte Formæ, alteram ex parte Subjecti; unam ex parte unientis, alteram ex parte uniti. Et hæc est Philosophia Christi.

Christus in cruce in locũ suum S. Joannem substituens Matri sanctissimæ dixit: Joan. 19. v. 27. *Ecce Filius tuus:* & mox ad dilectum Discipulum: *Ecce Mater tua.* In hoc casu tantũ videntur dicere prima, quantum verba secunda: nam si Beata Virgo erat Mater Joannis, jam subintelligebatur Joannem esse Filium Beatæ Virginis. Cur igitur Christus hìc repetit quod jam dixerat, & tempore tali quo verba ipsius singulariter observabantur & attendebantur? Quia in primis duobus ultimæ voluntatis suæ legatariis & reciprocis amoris sui heredibus volebat, ut amor, & utriusque partis correspondentiæ essent reciprocæ. Cor Beatissimæ Virginis, & Cor S. Joannis duo erant corda præ ceteris à Christo dilecta, eundémque similiter amantia: & cùm Christus absentiæ suæ substituendo in eis de suo testaretur & disponeret amore: ut idem Amor, velut suus, non esset tantùm Amor, & magnus amor, sed amor reciprocè unitus; primis verbis Cor Matris novo univit Filio: *Ecce Filius tuus.* Et secundis verbis cor Filii novæ univit Matri: *Ecce Mater tua.*

Porrò si duo particularia Matris & Discipuli legata Christus publici amoris & unionis reciprocæ stabilivit & confirmavit vinculo; quo pacto illam etiam non duplicaret in testamento communi, in quo nos universales Corporis & Sanguinis sui fecit heredes. *Hic calix* 1. Cor. 11. v. 25. *novum Testamentum est in meo Sanguine?* Hinc idem confirmando testamentum, Discipulis suis recommendavit, dicens: *Manete in me, & Ego in vobis.* Tam reciprocum voluit illum existendi modum. Et tantùm conatus est amor hodiernus vincere amorem Incarnationis, non unâ solùm, sed duplici victoriâ: & non solùm ex parte Christi; sed suâ & magìs nostrâ. Ut Amor hodiernus vinceret amorem Incarnationis, sufficiebat Christum in Sacramento esse nobiscum, & magìs in nobis: verùm ut victoria non esset sicut illa Jacob, vincentis victoriâ claudicante; non tantùm illud esse nobiscum, vincere voluit, illo esse in nobis, sed illo, quòd ipse esset in nobis, & nos essemus in ipso: *In me manet, & ego in illo.*

§. VIII.

Enimverò, ut Amor Incarnationis dicere non possit, se hodie victum de differentia ad differentiam, & non de similitudine ad similitudinem; sepositâ differentiâ seu gloriâ, quâ Christus in Sacramento in nobis est, & nos in eo: seorsim & per se tantùm sumendo actum existendi nobiscum, qui fuit primum Incarnationis Motivum: ex æqualitate ad æqualitatem comparemus, quomodo

 Christus

Christus nobiscum sit, quatenùs in Sacramento; & quomodo fuit nobiscum quatenùs incarnatus tantùm: & videbitur cum novo & majore amoris hodierni triumpho, quanto discrimine distent illa *Esse nobiscum.*

In quantum incarnatus, fuit Christus nobiscum: sed localiter, vel in Nazareth, vel in Bethlehem, vel in Jerusalem, seu aliis in locis existendo: ità tamen loci limitatione circumscriptus, ut in uno præsens, ab alio abesset. Habitantes trans Jordanem detinere cupiebant Christum, ut aliquot diebus secum moraretur: *Detinebant illum ne discederet ab eis*, inquit S. Lucas. Et quid respondit illis Christus? *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* Domine Jesu Christe, hanc excusationem tuam non admitto, imò eandem potestatem infringere, tuumque amorem tepefactum ostendere videtur, vade prædicatum istis civitatibus: & simul cum illis maneto hominibus, qui tantâ devotione hoc expetunt. Nunquid eodem tempore diversis civitatibus præsens adesse potes? Etiam, possum. Istos verò existendi modos reservo, usque dum præsens in Sacramento extitero. Christus quà incarnatus præsens in civitate aliquâ, esse non poterat in altera: quatenùs existens in Sacramento, non tantùm in omnibus præsens est civitatibus, sed etiam in tot, ejusdem civitatis partibus, in quot eum hodie habemus. Per Ecclesias currite Ulyssipponensis civitatis, & vos priùs lassabimini illas visitando, quàm ille lassetur vos expectando: nam in tot locis præsentem se exposuit, tantùm ut sit vobiscum. Hâc nocte portis vos expectat apertis; aliis noctibus quibus portæ clauduntur, ille propterea non discedit, quia semper suus ibi eum detinet amor solitarium, & desiderantem, ut dies illucescat quo cum tantoperè amatis esse possit.

Luc. v. 42. 43.

Similiter incarnatus amabat, sed cum magna differentia inter esse, & esse nobiscum. Infirmatus fuit Lazarus, & mortuus: quem Evangelio testante, Christus valdè amabat; & idem Christus Discipulis dixit, Lazarum mortuum, quia non fuisset ibi: *Lazarus mortuus est, ut credatis, quia non eram ibi.* Quod idem Martha & Maria iisdem affirmârunt verbis: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:* Istud dixit Christus, idemque dixerunt Christo; quando tantùm erat incarnatus: sed postquam Christus se reliquit in Sacramento, jam non potest dicere ipse: *Non eram ibi:* neque nos dicere possumus: *Domine si fuisses hic:* quia in Bethania, & extrà Bethaniam; in vita, & in morte: in sanitate, & infirmitate, semper & ubique illum præsentem, & nobiscum habemus. In unâ tantùm mundi parte Christus non est nobiscum: & quæ est ista? ubi nos non fuerimus. Moriuntur homines in civitatibus; habitant in desertis; conscendunt montes; descendunt ad valles; vagantur per sylvas & sylvestria; vitam fragili credunt ligno in aquis & undis, & eousque nobiscum erit. In mari agebant Discipuli, divini Magistri sui præsentiâ benè indigentes: & hoc casu Evangelistâ teste, Christus solus erat in terra: *Et ipse solus erat in terra.* Similis verò casus hodiè dari nequit, quia non tantùm in terra, sed etiam in mari est, & navigat nobiscum Christus in Sacramento. Noë non sacrificavit durante diluvio, quia erat in mari egressus ex arca sacrificavit. Hodie non ex-

Joan. 11. v. 15.

Ibid. v. 21.

Marc. 6. v. 47.

expectat, nec patitur amor ut navigantes terram prius attingant, sacrificare & consecrare permittit super undas: ut etiam super undas sit nobiscum.

Sed quid dico super undas? si etiam vel maximè furentibus tempestatibus maris? Et quando tibi, Domine mi, fugiendum esset ab hominibus, tuus amor te abesse illis non patitur. Incarnatus & non multò post., quàm incarnatus & natus fuisti, persequente Herode fugisti in Ægyptum: non admissus in Genezareth, & in Samaria, Samaritanos & Genezarenos dereliquisti: Et quid hodie amor tuus facit in Anglia, in Hollandia, in Dania, in Suecia, & in tot aliis partibus septentrionalibus, ubi in hoc ipso Sacramento tales persecutiones pateris à perfidia hæreticorum, qui nec te ibidem præsentem credunt, nec amant. Hoc modo persecutionem patiens non fugis, ità nec dilectus nec creditus perseveras inter illos: occultus & absconditus, & necè affectus à proprio tuo amore; quia ille non consentit, ullam esse mundi partem, in qua non sis nobiscum. Non loquor de eo, quod nostris ingratitudinibus & injuriis, quas idem Dominus etiam inter Catholicos in Sacramento tolerat, quorum peccata occulta, & irreverentias publicas fides nostra multò sensibiliores & acerbiores reddit. Condignum foret, ut læsa hoc modo ipsius patientia diceret, sicut jam olim dixit: *Eamus hinc:* & sicut templum Populumque alterum, qui etiam vocabatur suus deseruit, ita & nos desereret. Verùm tam firmâ resolutione amor hodiernus oppignoravit Christum ad existendum nobiscum semper, ut ne separari posset à nobis (licet nos hoc mereremur & Christus ipse vellet) voluntario illum Sacramenti includens carceri, claves non in suis sed nostris reliquerit manibus. In incarnatione, quia claves in sua habebat manu, rediit in cœlum: in Sacramento, cùm claves in nostra sint manu eundemque Dominum sub clave habeamus, etiamsi nollet, semper nobiscum manere debet.

Hæc vox audita est in templo, scisso velo in morte Christi.

S. Laurentius Justinianus loquens de Christo in Sacramento, alludendo ad textum Isaiæ, elegantèr dixit: *dispar modus, & idem Emmanuel.* q d. sicut in incarnatione fuit Emmanuel, sic etiam Emmanuel est in Sacramento, modo tantum differente. Quænam autem illa est differentia? Multa, ut dixi; Principalis tamen omniumque maxima est, quod in incarnatione fuit Emmanuel, & nobiscum Deus; sed cum libertate nos deserendi; immò præsupponendo se id facturum, pro ut ipsemet dixit: *Exivi à Patre, & veni in mundum iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* In Sacramento est Emmanuel, & nobiscum Deus, non solùm sine discedendi à nobis libertate sed cum inviolabili, in propria ipsius promissione fundata, nunquam nos deserendi, sed usque ad mundi finem nobiscum manendi obligatione: *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* Denique omnia duobus in verbis resumendo: In incarnatione fuit Emmanuel, & Deus nobiscum in una tantùm terra; in Sacramento in omni parte seu loco: in incarnatione, pro paucis, in Sacramento pro omnibus: in incarnatione, pro præsentibus; in Sacramento pro præsentibus simul & futuris: in incarnatione, ad limitatum & breve tempus; in Sacramento, sine limite durationis,

Joan. 16. v. 28.

Matth. 28. v. 20.

tionis, quousque duraverit mundus & in eo vixerint homines: *Usque ad consummationem sæculi.* Ergò negari non potest, etiam in præcisa existendi nobiscum similitudine, multò puriorem, multò excellentiorem, amorosum magis & amabilem, amantem magis & amicum esse, quodque majorem se ostendat amorem, ille amor Christi hodiè, quàm in die incarnationis suæ.

§. IX.

VErùm quia Verbi æterni incarnatio opus fuit tam excellenter divinum, & omnia divinæ magnificentiæ opera transcenderit; ne etiam ex hac parte videri possit amorem excessisse hodiernum; audite quo pacto amor hodiernus Triumpho suo subjecerit ipsam incarnationem; non solùm quoad affectus, quos jam vidimus; & alios, quos prætereo: sed in propria sua substantia. Sed quomodo factum est illud, quod impossibile videtur? Eodem amore faciente, ut quemadmodum Deus illâ die unâ tantùm incarnatus est humanitate, hodiè in omnibus hominibus incarnaretur. In die incarnationis, Deus à Beatissima Virgine carnem sumens, unâ tantùm incarnatus est humanitate, quæ fuit illa Christi: Et hodie Christus dans nobis suam carnem propriam in Sacramento, in omnibus incarnatus est hominibus, qui sumus nos qui illum communicamus. Profundissima est S. Joannis Chrysostomi considera- tio, quem secutus est S Joannes Damascenus, S. Paschasius, Rupertus, & alii Patres. Verba S. Chrysostomi, quæ Authores latini non referunt, vel mutilata allegant translatorum defectu, ex Originali græco quo fuêre conscripta, sunt ista. Per partes procedamus.

S. Chrysost. & alii.

Ex nostra (Deus) generatus est substantia, id est, Verbum factum homo; quemadmodum fuerat generatum ab æterno de substantia Dei; sic in incarnatione fuit generatum in tèmpore, de nostra propria substantia. *Sed nihil hoc (inquies) ad omnes pertinet:* Sed dices mihi (instat Chrysostomus) istud pertinere ad Christum, & non ad nos omnes. *Imò ad omnes.* Dico, & repeto quod ad omnes. Et quare? *Nam si ad naturam nostram descendit, patet quod ad omnes: quod si ad omnes; & ad unumquemque profectò.* Id est, quia si Deus nostram assumpsit naturam se incarnando, sequitur quod ipsa incarnatio se extendit ad omnes; & si ad omnes, etiam ad quemlibet. Quando hucusque perveni, non mihi satisfecit sed displicuit, ratio argumentumque Chrysostomi; quia si Deus se naturæ univisset humanæ in communi, rectè sequeretur quod eadem unio omnibus sese communicaret individuis: sed naturam sibi non univit in communi, quæ non est assumptibilis; sed tantùm assumpsit, hyposthasique divinæ univit humanitatem Christi, quæ singularis & non communis est. Admirabilitèr se explicat Sanctus Chrysostomus, de Mysterio Incarnationis transeundo ad Mysterium Sacramenti: *Singulis enim fidelibus, per hoc Mysterium se commiscet, & quos peperit, non aliis nutriendos tradit, sed ipse studiosissimè alit, hâc etiam re tibi persuadens, carnem illam tuam assumpsisse* Verum est, quod Deus in Incarnatione naturam non assumpsit humanam in communi; sed unam humanitatem particularem, sed eandem istam humanitatem, eandémque

Sic locum à se restitutum ait Theophil. Raynaud. in Candel. sect. 3. cap. 1.

S Chrysost.

que istam carnem divinitati unitam, Christus universalem fecit & communem, illam in Sacramento omnibus exhibens Fidelibus, eosque realiter sibi uniens: & sicut cùm Christo manent uniti & incarnati, eadem incarnatio Verbi, se extendit & multiplicat in omnibus nobis. Verba Ruperti similitèr digna sunt, ut non prætereantur silentio. *Assumpserat hominem in Deum, quando Verbum caro factum est, ut per eum essemus in illo, sed necdum ille admiscuerat se per carnem suam in nobis, ut singuli, membra in illo, unum essemus corpus.* q. d. Quando Deus factus est homo, id factum est, ut mediante carne Verbi nos uniret sibi, & essemus idem cum illo: sed istud factum non est in actu Incarnationis in quo corpus Dei, & corpora nostra erant divisa; sed reservatum fuit institutioni Sacramenti, in quo, Christo mediante carne suâ se uniente cuilibet nostrûm, omnes velut ejus membra, unum efficimur corpus. Sufficiat allegâsse authoritates tantas & tales, ut ipsæ solæ sufficerent. Ad Scripturas & experientiam procedamus.

Rupert. lib. 2. de offic. c. 11.

Cœnâ peractâ Christus Dominus noster in hortum Gethzemani pergit, & cùm secederet à Discipulis ait Evangelista S. Lucas: *Et ipse avulsus est ab eis.* Nemo singularitatem verbi hujus non notabit. Frequenter aliàs à suis se separâsse Discipulis referunt Evangelistæ, & in omnibus simpliciter dicunt, quod se separavit. Si igitur tunc separabatur, quare modò est avulsus? quia Christus jam sanctissimum instituerat Sacramentum, & Discipuli communicaverant, & quia mediante Sacramento Christus in eis erat incarnatus, & illi in Christo; propterea jam separari, non erat separari; erat avelli: *Avulsus est.* Tertullianum in libro de carne Christi auscultate: *Quid avellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, & innexum est ei, à quo avellitur?* Et magis adhuc se explcans, dicit: *Cùm quid extraneum ita convisceratur, & concarnatur, ut cùm avellitur rapiat secum aliquid ex corpore, cui avellitur.* Ita ut verbum *avellitur*, vel *avulsus* propriè tantùm dicatur de duabus rebus diversis non solùm infixis & innexis: *Infixum & innexum*; sed sibi invicem convisceratis & concarnatis: *Convisceratur & concarnatur.* Porrò cùm ista prima fuerit Communio in mundo, Evangelista usus est verbo *avulsus est*, grandi mysterio, ut eadem verbi proprietas efficaciam & effectum ostenderet Sacramenti; quia non poterat separari, nisi avellendo se qui erat convisceratus & concarnatus, à quibus separabatur. Convisceratus, quia viscera eorum subierat; *Convisceratur*: & concarnatus, quia mediante carne suâ se illis unierat: *Concarnatur.* Et hæc fuit differentia, quâ etiam de incarnato ad incarnatum, amor, diesque hodiernus amorem, diemque excessit Incarnationis. In die incarnationis Christum amor incarnari fecit unâ tantùm humanitate; die verò hodiernâ illum concarnari fecit omnibus hominibus.

Luc. 22. v. 41.

Tertull. de carne Christi.

Duo signa Gedeon à Deo petivit è cœlo diversis diebus, modo notabili. Posuit ex lana vellus in medio siccæ areæ. Primo die petens ut ros solum vellus madefaceret, omnibus circumcirca siccis: secundo die petiit, ut terrâ circum circa ex rore madidâ solum vellus siccum remaneret: & ita factum est. Signum primæ diei, quod incarnationis præsigni-

Jud. 6. v. 37. & seqq.

fi-

ficârit mysterium extra controversiam est; ros enim erat Verbum, quod de cœlo descendit, & vellus lanæ significabat humanitatem, quâ Verbum se vestivit, velut agnus qui veniebat tollere peccata mundi: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Sic illud posteà duo declarârunt Prophetæ, Isaias & David: Isaias incarnationem accelerari desiderans, suspirans rorem è cœlo petebat, ut Salvator nasceretur in terra: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Et David modum adventûs ipsius designans, descensurum illum dicebat sicut pluviam, vel rorem in vellus laneum, placidè & sine sonitu *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Porrò ab his duobus Prophetis accepit Ecclesia, quando de eadem incarnatione cantat, *Sicut pluvia in vellus descendisti; ut salvum faceres genus humanum.* Si igitur in rore de cœlo descendere Gedeon primo die incarnationem petebat; quare secundo die eandem petiit in eodem rore? & si primo die petiit ut caderet in vellus, quare die secundo petiit, ut caderet super aream, & non in vellus? quia Gedeon in illa hora tanquam spiritu Prophetico illuminatus, non unam tantùm Filii Dei incarnationem, sed duobus differentibus diebus, duas vidit Incarnationes: unam in die quæ propriè vocatur Incarnationis: alteram in die hodierna. Prima angusta erat & contracta; & hinc in solo volo vellere; secunda extensa & dilatata: & idcirco in area. Prima in vellere, cui immergebatur ros, & operiebatur divinitas, secunda in area, in qua colligebatur panis, sub quo se nobis dedit in Sacramento. Prima particularis, quâ se uni tantùm Christus univit humanitati; secunda universalis, in qua se omnibus univit hominibus: Primâ quâ incarnatus tantùm in se nostram assumendo carnem; secunda in qua incarnatus est in nobis, dando nobis suam. *Totus in vellere, totus in area*, inquit S. Bernardus: sed in vellere totus tantùm pro sua Matre; in area totus pro omnibus nobis. Est manna temporibus mutatis. Manna quod priùs de cœlo pluebat in agros, ut Populus ex eo sustentaretur, postea inclusum est Arcæ Testamenti, ubi à nemine comederetur. Hìc verò vice versâ, diebúsque mutatis: in die Incarnationis ventri includebatur virginali, idcirco Arca Testamenti nominato: hodierno verò die sese extendît & per totum diffudit mundū ut omnes illud comedendo in se convertant. Denique simile videtur Sacramentum ipsi amori, quo hodie fuit institutum, sicut ait Concilium Tridentinum: *In quo Salvator divitias divini sui erga homines amoris quasi effudit.*

Ioan. 1. v. 29. — *Isai. 45. v. 8.* — *Psalm. 71. v. 6.* — *Eccles.* — *S. Bern.* — *Trid. Sess. 13. Cap. 2.*

Docti mihi tantummodò opponere possunt & dicere, omnes præferentias seu excellentias, quibus Amor hodiernus vincere videtur amorem Incarnationis, ad ipsam Incarnationem, illiúsque diei amorem esse referendas: quia eadem Incarnatio principium fundamentúmque fuit omnium; nisi enim Christus fuisset incarnatus, non se consecrare, & in Sacramento relinquere potuisset. Respondeo tale quid non sequi: & nunc quiddam audietis, quod nunquam fortè audîstis. Scotus aliique celebres Theologi talem vim & efficaciam verbis Consecrationis attribuunt, ut, si, antequam Christus incarnaretur, & Deus crearet Mundum, unum tantùm creâsset Sacerdotem & hostiam

Scotus citatus à Theophilo Raynaudo in Candelabro quos

sequitur & laudat Cornel. in Isai. c. 7. v. 14. pagin. 120. col. 2.

hostiam, super quam consecrationis verba pronunciaret, in eodem instanti & momento, in illa hostia corpus & sanguis Christi tam realiter & integrè præsens futurum esset, sicut est hodie in ea, quam præsentem habemus & adoramus. Quonam igitur modo ibi adfuturum esset corpus Christi, Christo nondum nato, nec tali corpore existente. Quia verborum horum omnipotentia, quemadmodum vim habet ad reproducendum corpus Christi in loco ubi non erat, sic etiam vim habitura fuisset in hoc casu, ad producendum illum in tempore, quo non erat: non enim major potestas requiritur pro uno quàm pro altero miraculo. Hinc nova & excellens intelligetur proprietas, quâ S. Paulus Christi sacerdotium per illud Melchisedech declarans, notat quod Melchisedech nec Patrem, nec Matrem, nec Genealogiam habuerit: *Sine Patre, sine Matre, sine Genealogia.* Christi sacerdotium non fuit simile sacerdotio Aaronis agnos & vitulos immolantis: sed (Davide attestante) secundùm ordinem Melchisedech, in pane & vino sacrificantis: *Melchisedech proferens panem & vinum, erat Sacerdos Dei altissimi.* Et hinc Christus existens simul Sacerdos & sacrificium, consecravit & obtulit corpus suum & sanguinem, sub eisdem panis & vini speciebus. Sed Christus Dominus noster habuit Patrem & Matrem & Genealogiam extensissimam omnium quotquot Scripturæ meminerunt: Liber generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham, &c. Si igitur Christus Genealogiam habuit tantam tamque notoriam; quomodo S. Paulus obser-

Heb. 7. v. 3.

Gen. 14. v. 18.

Matth. 1. v. 1.

vat, sacerdotium ipsius simile fuisse illi sacerdotio Melchisedech, hominis sine Patre, sine Matre, sine Genealogia? quia Christus instituens sacrificium & Sacramentum, in quo reliquit seipsum, tantâ hoc fecit Incarnationis suæ independentiâ, ac si nunquam generatus fuisset aut natus. Ita ut etiam Christo nondum incarnato & nato, si verba consecrationis super hostiam dicta fuissent, quocunque tempore & loco, ibi corpus ipsius infallibiliter præsens futurum fuisset. Verum est, quod Corpus & Sanguis, quæ Christus hodie consecravit, fuerint eadem numero, quæ in Incarnatione assumpsit: verùm modo tam absoluto & independente ab eâdem incarnatione, ea consecravit; ut si ante incarnatus non fuisset, tunc incarnatus fuisset sine Matre, sine Genealogia, & existeret in Sacramento. Ergò quamvis Christus eandam nobis carnem, eundemque dederit sanguinem, quem in die incarnationis assumpserat; non tamen idcirco magnitudo & suppositio operis illius, quicquam imminuit glorias & excellentias hujus; sic enim illud supposuit, ac si non supposuisset. In illa die fuit incarnatus maximo protinùs amore: *Cùm dilexisset suos*: verùm hodie præsens in Sacramento, amore multò majore: *In finem dilexit eos.*

§. X.

JAm dudum absolvere debuissem Sermonem. De amore utroque unum breve valde colligo documentum. Quodnam illud? ut talis noster sit amor in vita, ut eum continuemus præsente seu in-

instante jam morte. Quidnam Christus ab instanti Incarnationis suæ amavit? Homines. *Cùm dilexisset suos*: Et hodie in vitæ suæ extremo, & morti vicinus: *Sciens quia venit hora ejus*; quid amavit? eosdem quos dilexerat: *In finem dilexit eos*. Quàm differens vivere, quàm differens mori, quàm differens amare fuit ipsius à nostro! Quibus Dei misericordia concedit ex arbitrio, & præsentes sibi mori, plerumque dolent & pœnitent de omnibus, quæ in vita amaverunt. Potéstne major dari insania, potestne major dari cœcitas, quàm amare illud ipsum, de quo scio, quod me pœnitebit postea, seu damnationem mihi adducet? ô Domine, utinam à primo instanti, quo quis te cognovit, te amâsset, nec unquam cor suum cum alio amore divisisset! Si quem justè pœnitere posset amati, te sanè pœnitere posset, quandoquidem tam abjectas, tam ingratas, tantoque odio dignas amâsti creaturas, sicut nos homines sumus. Verùm cùm amor tuus tam fuerit purus & constans, ut quamvis excellenter & excessivè nos amaveris à principio, multò nihilominùs excellentius, majoribusque amoris argumentis nos amâsti usque in finem; hodie, & hoc momento, finis omnis sit amoris, qui non est tuus. Imitati Prodigum, & Magdalenam in amando vetita, quemadmodum vestigiis inhæsêre erraticis & cœcis falsi sui amoris; sic hodie, & ab hodie, & deinceps sequi resolvant lucem se illuminantem, cum vero, firmo & constanti proposito te solum amandi usque in finem. Te solum, amabilissime Domine, Te solum, amabilissime Domine, Te solum: Te solum, nec pro cœli lucro, quod tu reliquisti propter nos: Solum te, & non inferni timore, quem Judas præ te elegit: sed purè & unicè, eò quod es qui es, infinito & æterno amore dignissimus. Ita Te amare proponimus in vita, ita Te amare proponimus usque ad mortem: ut gratia tua, amorque tuus dignos nos reddant, non dicimus ad te fruendum, sed per omnem æternitatem te diligendum. Amen.



SERMO

SERMO SECUNDUS
De
MANDATO.

Eodem die in Capella Regia, horâ tertiâ pomeridianâ dictus Anno 1655.

Sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Joann. 13.

§. 1.



TERUM, Domine, hâc ipsâ die, iterum ad loquendũ de Amore tuo redeo. Geminati sunt hodie dies, gemina sibi hodie occurrunt Mysteria, idem sibi ipsi obviat Amor: Et cùm ille eodem nos die bis amaverit tantum, quare etiam nos non iteratâ vice de eodem loqueremur Amore, cùm dixerimus tam parum? victoriosum hodie Christi reliqui amorem, sed eodem in die adhuc multum restat vincendum. Josue ad absolvendam unam victoriam stare jussit Solem, & ex uno die fecit duos. Nos duos habemus dies, ad unum tantùm reductos, nec tamen propterea novum timeo præsentare certamen; neque enim lux nobis deesse potest, ubi Sol ipse pugnat. Josue dixit nec ante, nec post tam longam fuisse diem, sicut fuit ista: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Sed dies quam agimus (qui similiter & antea, & postea comprehendit) per hoc, quod fuit & est, multò major est dies. Una tantùm hora diei hujus, multò major est illo toto; quia ille dies erat Josue; & hæc est hora Jesu: *Sciens quia venit hora ejus.* (Josue 10. v. 14.)

Hâc igitur horâ (quæ ultra horam non extendetur) amor Christi rursum prodibit in campum, similiter de amore ad amorem: & de die ad diem. S. Joannes in sua Apocalypsi equo albo insidentem vidit equitem splendidum arcu & sagittis armatum: *Et ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum*: cujus capiti mox imponi vidit coronam: *Et data est ei corona*: & sic coronatus exivit jam Victor ad vincendum: *Et exivit vincens ut vinceret.* Per equum hunc album Interpretes sacram intelligunt humanitatẽ, quæ semper ut in Thabor nivem albedine refert. Eques instructus arcu & sagittis, ipsa insignia denotant Amorem, (Apoc. 6. v. 2.; Ibidem)

nec alium quàm ipsius Christi. Sed, si jam venerat victor seu vincens, & coronam acceperat victoriæ, quare denuò exit ad præliandum & vincendum; *Exivit vincens ut vinceret?* quia divini Amantis amor quando amando decertat, prout hodie decertavit (cùm dilexisset, dilexit) non unâ tantùm contentus est coronâ, neque unâ tantùm victoriâ: coronatur ut denuò coronetur; & vincit ut iterum vincat. Hoc non imaginabile molimen ipsum hodie non ad idem, sed majus aliud Theatrum invitat. Hoc mane exivit ad vincendam pugnam, modò exit ad vincendam victoriam.

Verùm si comparando diem cum die, & amorem cum amore, amor Christi hoc manè decertando vicit seipsum; quis, quæso, novus, vel alius antagonista dari poterit major, ut major sit colluctatio, majorque victoria? certum est solum Patrem æternum esse posse majorem, de quo ipse Christus dixit: *Quia Pater major me est.* Et quia solus Pater major colluctator; Amor æterni Patris in die Incarnationis, & amor Christi in die hodierna duo maximi erunt pugiles & antagonistæ, quos hoc vespere decertare videbimus (tantâ suâ, quantâ nostrâ gloriâ) uter eorum homines magis dilexerit. In omnibus, quæ Christus Dominus noster operatus est in mysteriis Cœnaculi, jam vidimus, quod semper sibi diem incarnationis & hodiernum ob oculos posuerit: *Sciens quia à Deo exivit*: ecce diem Incarnationis. *Et ad Deum vadit*: ecce diem hodiernum. Porrò quemadmodum Christus diem unum cum altero comparavit; sic etiam Evangelista amorē unum cum altero comparavit. De amore Patris in die Incarnationis dixerat

Ioan. 14. v. 28.

Ioan. 13. v. 3.

idem S Joannes: *Sic Deus dilexit mundū, ut Filium suum unigenitum daret.* Et de amore Christi die hodierno, amorem amori, mundum mundo, & Filium Patri opponendo iisdem terminis dixit: *Suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Ly *in finem*, respondet illi, *Sic*: & illud *Sic*, &, *in finem*, æqualiter, & sine præferentia utriusque, *dilexit*, significat excessum. Opponendo ergò sibi altrinsecus æquali in luctamine hinc, *dilexit*, unum, & illinc *dilexit* alterum: hinc amorem Patris in incarnatione; & illinc Christi amorem hodiernâ die; resolutio totius certaminis in duabus Propositionibus erit ista. In die Incarnationis Pater æternus tantum amavit homines, ut eos plùs dilexisse videatur, quàm suum Filium: in die hodierna Christus tantum dilexit homines, ut plùs dilexisse videatur homines, quàm Patrem. Si quis interim, hoc non esse vincere, sed adæquare putârit: videbit postea, quod ex parte amoris Christi steterit vincere, & victoria maxima.

Ioan. 3. v. 16.

Ioan. 13. v. 1.

§. II.

GRavissimas nostras aggrediendo Propositiones, & exordiendo à prima, pro dicendorum intelligentiâ necesse est, sanæ solidæque Theologiæ conformiter supponere, quod quando Patris æterni amor hominibus suum dedit Filium, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: non solùm ipsum nobis non dederit cum libertate vivendi quousque & quomodo vellet; sed cum præcepto & obedientia moriendi, & patiendi pro nobis omnia quæ passus est. Id jam Christus ipse

ex

Psal. 39. v. 8. & 9. ex ore Davidis dixerat : *In capite Libri scriptum est de me , ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui , & Legem tuam in medio cordis mei.* Et in hâc die (sicut aliàs sæpiùs) ejusdem Præcepti meminit: *Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem: & sicut Mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* *Joan. 14. v. 31.* Et quemadmodum in die Incarnationis Pater æternus effectivè nobis suum dedit Filiũ, sic eodem instanti debitum istud ipsi imposuit, & quidem sub obedientiâ quod antea fieri non poterat : antea quippè VERBUM Patri non erat subjectum ; incarnatum verò & homo factum mox poterat.

Hoc jam posito, cùm amorem divinum comprehendere nequeamus ex hoc quod est ; judicare illum oportet ex eo quod esse videtur. Dico igitur, quòd in die Incarnationis Pater æternus tantùm dilexerit homines, ut plùs homines, quàm Filium amâsse videatur. *Sic DEUS dilexit Mundum , ut Filium suum unigenitum daret.* Quod in die Incarnationis amorem Patris æterni valde exaggerat, est, quòd pro nobis Filium suum dederit. Cùm esset unicus, & non haberet alium : *Filium suum unigenitum.* Si Pater æternus duos haberet Filios , multum faceret unum dando : & si unum daret pro altero, jam nervossè argumentari nobis liceret, & opinari , quòd plùs amaret hunc secundum, quàm primum. Agite, dicite mihi : Si quis pater duos haberet filios, liberum unum in Patria degentem, alterum Algirii captivum, & ad redimendum captivum , daret aut venderet liberum : nunquid omnes crederemus, patrẽ talem plùs amare filium captivum quàm liberũ ? Clarum est. Porrò si iste, quem filium vocamus , esset servus, & non filius ; nunquid multò sublimiorem adhuc conciperemus opinionem de excessivo patris illius amore ? Istud Pater æternus in die Incarnationis egit : *Ut servum redimeres , Filium tradidisti.* Homo captivus erat peccato : redimere hunc volebat æternus Pater , & quid ejus fecit Amor ? Filium vendidit, ad servum redimendum Hodie venditum Filium, cras servum videbitis redemptum.

Plus in hoc casu facit Pater æternus : & tantò plus , ut solum facti dimidium sufficeret, ut omnis sanus Intellectus concluderet, quòd multò plùs amaverit homines quàm Filium. Isaïas Propheta Cap. 53. in quo ineffabilem Christi, quatenus æterni Patris Filii generationem affirmat: *Generationem ejus quis enarrabit?* admirabiles duas ejusdem Patris considerat resolutiones : & quales de nullo Patre respectu filii sui credi possent. *Isai. 53. v. 8.* Hinc incipit dicens & quasi dubius, num quis sibi fidem habiturus sit. *Quis credidit auditui nostro ?* *Ibidem v. 1.* Enimverò, quænam fuerunt istæ duæ resolutiones ? Prima fuit, quòd ad nos liberandos, ablata à nobis peccata nostra suo imposuerit Filio. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* *Ibid. v. 6.* Secunda fuit, quòd ad nos justificandos, sublata Filio merita nobis applicârit : *Pro eo quod laboravit anima ejus, justificabit ipse justus servus meus multos.* *Ibid. v. 11.* Ità utrumque factum est. Pater æternus peccata nostra abstulit à nobis , & ea suo imposuit Filio ; quia nos pro eis Justitiæ Divinæ satisfacere nequibamus : & Christus ea in se suscipiens, pro illis satisfecit. Similiter Filio suo Merita sua auferens applicavit nobis ; quia Christus nec gratiam, nec gloriam promeruit sibi,

& nos neutram nisì mediantibus meritis ipsius obtinere & consequi poteramus. Cùm igitur certum sit & de Fide, Patrem ablatas à nobis culpas suo imposuisse Filio; similitérque ablata Filio suo merita nobis applicâsse, quanta Fides requiritur ad non credendum, quòd plùs homines amaverit, quàm suum Filium ? Duorum horum excessuum unus tantùm , vel dimidium duntaxat eorum sufficiebat , ùt dixi, ut totus Mundus ità judicaret.

Rebecca duos habebat Filios, Jacob & Esau : sed plùs amabat Jacob, quàm Esau : *Rebecca diligebat Jacob.* Ex quo major iste amor probatur ? non solùm S. Scripturæ verbis quæ est Fides prima : sed etiam operibus, quæ est Fides secunda, comprobatur. Omnes novimus, quòd cùm benedictio deberetur Esau, Rebecca technis suis eam ab Esau in Jacob derivârit. Prosuis eam ab Esau in Jacob derivârit. Proinde mater, debitam uni filio benedictioné in alium dirigens , faciénsque, ut quod Esau labore & sudore promeruerat, absque labore, & lotis manibus surripiat Jacob. Clarum est, quòd plùs diligit Jacob quàm Esau : *Rebecca diligebat Jacob.* Agedùm, interrogo. Sicut Rebecca benedictionem ab Esau direxit in Jacob, nunquid etiam peccata quæpiam Jacobo abstulit, ut in Esau transferret? Minimè. Ergo Rebecca amando Jacob non ultra dimidium præstitit illius , quod Pater æternus amore nostrî egit ; quia Rebecca surreptam tantùm Esau benedictionem transtulit in Jacob : Pater verò æternus sublatam Filio benedictionem contulit hominibus, & ablatam hominibus culpam suo imposuit Filio. Si igitur dimidium tantùm, seu similitudo dimidii illius, quod Pater æternus propter homines fecit, ad probandum suffecit, ut de Fide esset, quòd Rebecca plùs diligebat Jacob, quàm Esau : dupliciter ratio nostra inducitur ad credendum, quòd Pater æternus plùs homines, quàm suum Filium dilexerit. Non ità se res habuit ; contrarium enim Fides docet ; sed tam propè abfuit, ut sic esset, ut ità fuisse videatur. Ad alios filios transeamus.

Gen. 25. v. 28.

Extrema ad quæ amor Patris in die incarnationis suum adegit Filium, tam fuêre exotica, & verè omni illi, quod Amor paternus intendit, conatur, & attentat tam contraria, ut ad ea credenda necesse sit fingere. Filiis Zebedæi duas in Regno Christi prætendentibus Cathedras , & Christo respondente , quòd ad conscendendum Cathedram, calicem bibere foret necessarium : Si amor matris petentis tam fuisset inæqualis, sicut ille Rebeccæ, respondere potuisset hoc pacto. Accepto, Domine expeditionem tanquam adeò Justitiæ tuæ divinæ propriam; sed ut illa in toto rigore suo servetur. Et spes, quæ me hîc ad tuos prostravit pedes, vacua prorsus non remaneat : supposito filios meos esse duos, inter ambos mea petitio, & similiter tua dividatur expeditio. Unus reportet laborem, & alter mercedem ; unus bibat calicem , alter conscendat Cathedram. In Cathedra sedeat Joannes : & calicem bibat Jacobus. Si ità respondisset mater Zebedæorum, nunquid liquidò constaret, quòd plùs amaret Joannem, quàm filium alterum ? Ità planè. Et quamvìs ego non dicam , idem intelligendum esse de amore Patris : sciendum tamen assero, quòd ità fecit. Ut homo collocaretur & sederet in sede gloriæ , juxta Legem divinæque Justitiæ Decreta necessarium erat, ut priùs Passionis calix biberetur : Et quid Amor Patris fecit ? Calicem,

cathe-

cathedrámque inter Filium hominémque divisit: voluítque ut homo conscenderet sedem, & Filius biberet calicem. Sic illud idem ipse Filius de æterno suo Patre
Joan. 18. v. 11. loquens asseruit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* & nunquid hoc est amare magìs hominem, quàm Filium? Tanta Fides necessaria est ad credendum, quòd nos non plùs dilexerit, quanta ad credendum quòd tantū fecerit.

Verùm in Paradigmate progrediamur. Mater Zebedæorum, quia æqualiter utrumque amabat filium, partitionē hanc non postulavit: & casu quo illam petiîsset, & Christus concesisset, & Jacob vicibus iteratis replicâsset, ut Joannes, obtentâ jam sede, etiam calicē biberet & non ipse: Et mater nihilominus inexorabilis ad omnes istas Replicas, immobilis ad misericordiam in eadem resolutione persisteret, ut Jacobus calicem biberet, & illum ad hoc obligaret, nunquid in hac instantiâ evidentiùs adhuc probaretur, quòd Joannem plùs amaret? Talis igitur est casus, de quo agimus, quem Pater hoc modo in suo Filio est executus. Christus existens in horto inferiori animæ suæ parti indulsit, ut ore loqueretur naturæ, omnésque suos exprimeret affectus: proinde hæc
Mar. 14 v. 36. Matt. 26 v. 39. pronunciavit verba: *Pater, omnia tibi possibilia sunt: Si possibile est, transfer calicem hunc à me.* q. d. Pater mi, omnia tibi sunt possibilia: & si possibile est, ut ego non patiar, transfer à me hunc calicem.
Luc. 22. v. 42. Eodem verbo, *transfer*, utitur S. Lucas, & transferri est transire de loco uno ad aliū: vel de una persona ad aliam personam. Ubi Christus non petiîsse videtur, ne redimeretur Mundus; neque ut calix differretur, aut effunderetur; sed ut non ipse eum exhaurire teneretur, sed alius, in quem transferretur: *Transfer calicem hunc à me.* Propterea commutationis hujus possibilitatem allegabat. Quamvìs enim juxta Theologorum resolutiones, pro satisfactione, ex Justitiæ rigore necessarium erat, ut homo satisfacturus simul Deus esset; ex liberalitate tamen & gratiâ Deus ab homine puro satisfactionem acceptare potuisset. Hoc igitur sensu loquentis Christi petitio fuit, quasi dixisset: agedùm, cùm homo peccaverit, ipse peccatum suum expiet; cúmque nunc perrecturus sit ad gloriam sibi non debitam, etiam calicem bibat, ut eam aliquatenùs mereatur. Iterum iterúmque ille calicem bibat, & non ego, qui nunquā peccavi, & ipsa sum Innocentia: bibat ille calicem, & non Ego, cui non est opus lucrari, vel gloriam mereri, cùm sit mea. Porrò cùm petitio ista esset tam justa, & de materia non impossibili, nec non Filius ternis eam iteraret vicibus, cum tanto cruciatu & agoniâ, ut sanguinem sudârit: Quòd Pater nihilominus quà Pater invocatus, neque primam, neque secundam, neque tertiam orationem exaudiat, & absolutè velit, & jubeat, ut homo in cathedra sedeat, quòd Filius calicem bibat; & ut homo peccator triumphet, Filius insons patiatur: istud fuit amoris excessus omnem excedens admirationem. Et his omnibus consideratis humanus existimet Intellectus, quòd in die, quo Decretū hoc intimatum est Christo (qui fuit suæ Incarnationis) Pater hoc ita ordinans, non plùs amaverit homines, quàm Filium?

§. III.

Agedùm Domine, ego nunc ex suppositionibus, humanísve argumentis discurrere nolo, sed ut tuam ipsius nobis

nobis edifferas sententiam volo ; ut videamus nos, & videas tu, quàm benè fundata sit opinio nostra. Experimentaliter probare voluit Deus, quem ex duobus plùs diligeret Abraham : utrum Deum ipsum, an Filium suum Isaacum. Probationem hanc faciendi ratio optimè erat fundata ; multi enim sunt Patres, plus filios, quàm Deum amantes; & Abraham profectò filium illum valde diligebat. Sed quonam experimento usus est Deus ad probandum, uter magis amaretur ? Casum novimus omnes. Mandat Deus Abrahamo, ut immolet filium suum Isaacum: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offeres eum in holocaustum.* Illud, *quem diligis*, satis indicabat sacrificii motivum. Acceptum itaque filium Abraham ducit in montem, ligatumque imponit super ligna, & arripit gladium. Sufficit, inquit Deus, jam mihi factum est satis : *Nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* q. d. Noluisti parcere filio tuo, sed illum voluisti immolare propter me? Clarum est, quòd me plùs ames quàm illum. Si itaque Domine, hoc tibi ita visum est, quare etiam non videatur mihi quod dico ? Non mea, sed tua est opinio. Tu dicis de Abrahamo : *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me* : Et S. Paulus dicit de te : *Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis tradidit illum.* Si quod Pater Filium suum sacrificare velit amore Dei, est plùs amare Deum quàm filium : quòd Deus effectivè Filium suum immolet amore hominum, quare hoc ipsum non esset, magis amare homines quàm Filium ? Ego quidem affirmare non audeo hoc ità esse : sed Deus negare non potest, quin ità videatur. Deus dixit : *Nunc cognovi*:

Gen. 22. v. 2.

Ibid. v. 12.

Rom. 8. v. 31

Nobisque idem affirmare licet majore ratione. Abraham Filium suum immolare voluit, sed non immolavit : Pater æternus voluit immolare Filium suum, & actualiter immolavit: Abraham filium imposuit ligno, sed ferrum illi non admovit; Pater æternus Filium suum imposuit ligno crucis, tribusque ferreis affixit clavis, usque dum in ea expiraret : Abrahamo danti unum filium, superstes manebat alter; Pater æternus Filium suum dedit non habens, nec habere potens alterum : Amor Abrahami fuit coactus per Præceptum; Amor Patris liber fuit & spontaneus : Amor Abrahami timore fuit mixtus: *Nunc cognovi, quòd times Deum*; Amor Patris æterni purus fuit Amor, non enim habuit quem timeret; & tantùm timuit, ne homines pessum irent : quod vel maximè amorem ipsius exaggerat. Cùm igitur tanta sit differentia de Patre ad Patrem; de Filio, ad Filium; de amore ad amorem :- Si quod Abraham filium suum dederit amore Dei, fuit magis amare Deum, quàm Filium : quod Deus amore hominum suum dederit filium, quare non esset magis amare homines, quam filium? tantum, tamque profundum hoc esse videtur, ut necessarium sit Fidem nobis claudere oculos, ut credamus, quod non ità fuerit.

Denique supervixit Isaac neque tamen Deus sacrificium imperfectum reliquit : & quomodo? Ariete per cornua vepribus irretito : *Arietem inter vepres hærentem cornibus.* Hunc teste textu, Abraham loco filii sui immolavit : *Quem assumens obtulit holocaustum pro filio:* & sic pandens absolvit actum illum Tragico-Comœdum. Verùm si in actu hoc ultimo licitum mihi foret interrogare Deum, duo illum roga-

Gen 22. v. 13.

Ibid.

rogarem. Primò, utrum plus amarit arietem quem miraculosè, ut immolaretur eò detulit quàm Isaacum, cujus jam jugulo impendentem Patris gladium cohibuit, & à sacrificio liberavit? certum est, quod plus Isaacum, quam arietem sese amâsse responderet. Quo accepto responso, rogarem secundò, quisnam ille fuerit Isaac, & quisnam aries ille? & similiter extra dubium est, Deum mihi responsurum; Isaacum figuram gessisse ad mortem condemnati hominis; & arietem spinis coronatum & immolatum typum gessisse sui Filii, qui ne homo moreretur, mortem oppetiit. Si igitur Isaac magis amatus fuit quàm aries; & aries figura erat sui Filii, & Isaac figura hominis: quare nos non intelligeremus, vel saltem in figuram acciperemus, quod Pater occidens filium, ut homo viveret, magis amaverit hominem, quàm Filium?

§. IV.

IN tantum hoc verum est, ut hoc in actu, collocatis hinc hominibus, illinc Filio, & inter utrosque Patre; hominum videretur esse Pater, & non Filii. Judicium est humanum, sed Sapientiæ divinæ duæ mulieres comparuerunt coram Salomone; cum supplica & contentione notabili. Afferebant secum infantes duos, vivum unum, alterum mortuum. Utraque suum afferebat: mortuum neutra suum esse volebat. Quid verò Rex in
3.Reg.3. v.25. tàm perplexo casu faceret? *Dividite infantem vivum*: id est, dividatur infans & utraque suam tollat partem. Pronunciatâ sententiâ altera earum in divisionem consentiens, inquit, *Dividatur*: altera verò nequaquam consentiens inquit, *Vivat infans*, eumque domum secum deferat mea æmula in nomine Domini. Utra igitur earum vera mater fuisse vobis videtur? Illa quæ dixit: *Vivat infans.* Ità judicavit Salomon, & sic erat; nam quæ dixit, Moriatur, se non amare ostendit: quæ verò dixit Vivat, se amare probavit: & quæ amare se ostendit infantem mater ipsius erat. Agedum, vertamus parabolam, & ad judicium nunc veniat amor Patris æterni: In die incarnationis homo erat mortuus, & Filius ipsius erat vivus: & æternus Pater quid dixit? Dixit, moriatur Filius, ut homo vivat. Moriatur Filius, & vivat homo? Ergo Pater est hominis, & non Filii. Ibi, & non hìc amor consistit. Mater filii vivi tantum adamavit illum ut vivum voluerit, licet deinceps non foret suus: Mater filii mortui tam parùm dilexit eum, ut potius vellet filium vivum alienum, quàm mortuum esse suum. Et Pater æternus cùm Pater esset vivi, adeo adamavit mortuum, ut mori voluerit vivum ut revivisceret mortuus. Ecce num plus amaverit hominem quàm Filium: & utrum Pater visus sit hominis, an verò Filii Si sic judicandum sibi Salomon putavit, quidni idem mihi videatur?

Sedulius Pater antiquus, & celebris sub lege gratiæ Poëta casum narrat mirabilem. Venatum exivit famosus quidam sclopetarius Thessalonicensis, ad pedem arboris cujusdam expectare jussit filium, quousque pervagatis huc illuc dumetis & vepribus rediret. Jam reversus filium videt à serpente complexum. Quid hìc consilii in tam periculoso casu capesseret Pater? Si exploderet in serpentem, periclitabatur de nece filii: nisi exploderet, serpens mordendo enecaret filium. Resolvit igitur sic: arcui imposuit sagit-

sagittam, cujus chordam ità ad mensuram extendit, jactumque seu ejaculationem sic attemperavit, ut occidendo serpentem non tetigerit filium. Jactum seu ejaculationem admirando obstupescens Sedulius ità canit: *Ars fuit esse Patrem.* q. d. nemo hoc artis dexteritatem fuisse putet: istud fuit esse Patrem; serpens ille in Paradiso involvit Adamum, & involvit Christum: Adamum; quia fuit author culpæ: Christum; quia culpam in se suscepit Adami. Pater æternus voluit occidere serpentem: sed quomodo se gessit? explosit in serpentem cui homo erat intricatus, occîdit serpentem & non tetigit hominem: Iterum explosit in serpentem, cui innexus erat filius, occîdit serpentem & simul transfixit Filium. Filium igitur occîdit, & hominem non tetigit? Ita. In Filium explosit tam inconsideratè, quasi Filius suus non esset: & in hominem tantâ dexteritate, quasi Pater ejus fuisset. *Ars fuit esse Patrem.* Si amor judicandus sit ex sagittis, in sagitta directa ad hominem, ostendit Pater se esse Patrem: & in ea ad Filium, se ostendit non esse Patrem Die crastinâ visum fuit illud publicè, & in terminis propriis.

Sedul.

Christo & Barrabbâ propositis à Pilato plebi, ut eligerent quem vellent, cujus vitæ parceretur. Plebs à sacerdotum principibus concitata exclamavit: moriatur Christus, & Barrabbas vivat. Enormis injustitia; sed longè majus mysterium: inquit S. Athanasius. Et quodnam illud fuit? Quod primâ mox sententiâ, quâ Christus ad mortem fuit comdemnatus publicè pateret ex ejus effectu, quia moreretur & condemnaretur ad dandam vitam, absolvendumque damnatos. *O res mira, præterq; opinionem! subit sententiam mortis Christus, & statim Barrabbas absolvitur. Condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit.* Populus qui solebat esse vox Dei, non intelligens quid diceret, sententiæ Patris præco fuit, qui priùs dixerat: Moriatur Filius meus, & homo vivat. Et ecce quod in nulla figura, quàm illa Barrabbæ, repræsentari potuerit casus. Barrabbas dicente S. Luca, & S. Marco, fur erat & homicida, & hinc perquàm propria primi hominis figura, qui fuit fur arboris vetitæ fructum furando: & homicida, seipsum & omnem suam posteritatem occidendo. Porrò Patre condemnante & occidente Filium ad dandam vitam, absolvendumque hominem, quemnam eorum dicemus filium esse Patris? Audacter affirmo ex apparenti, quod non sit filius, sed homo. Ergo homo in Barrabba repræsentatus, seu ipse Barrabbas, est Filius? Ità planè, & ità, ita; proprietate admirabili. Barrabbas enim linguâ Hebraicâ significat: *Filius Patris. Barrabbas, filius Patris latinè dicitur,* inquit S. Ambrosius. Et ratio Etymologiæ est, quia *Bar*, in hebraico significat Filius, & *abbas*, Pater. Proinde filio comdemnato, ut homo liberetur; & Filio moriente, ut homo vivat; tunc homo *Filius Patris* vocatur: quia reverà hoc casu homo Filius Patris esse, & Filius, non esse videtur Filius.

S. Athan.

Ambr. in c. 23. Luc.

Ah Fili Dei, utrùm tibi compatiar nescio! Certum est si in Deum cadere possent zelotypiæ, & in Filium Dei invidiæ, hoc casu & occasione posset Christus invidere hominibus, & Patris zelari amorem. Quod Christus ipse dixit, seu parabolicè expressit. Quando Pater recepit Filium prodigum tam festivè, vitu-

vitulumque saginatum (quæ naturales temporis istius deliciæ erant) ad instituendum ipsi convivium occidit ; filius natu major foris cognito quod agebatur, indignatus querelas magnas deposuit domum subire detrectans, ita ut Pater exire domo coactus, ipsum invitare ad intrandum , & ad satisfaciendum fuerit compulsus. Enim verò quemnam seu quosnam Pater ille, & duo isti filii figurabant? Pater, Patrem figurabat æternum; Filius senior , Christum ab æterno generatum quatenùs erat Deus : Filius junior, hominem in tempore creatum. Si igitur Filius senior erat Christus, quomodo ob favores , gratias & oblectamenta à Patre filio juniori exhibita se in tantum ostendit offensum, ut non solùm ipsi invidere, sed ob amorē Patris ejusdem , zelotypiam ostendit? Ratio est, quia consideratis omnibus mysterii Incarnationis Verbi, Redemptionisque humanæ circumstantiis, tales excessus Deus propter hominem præstitit; tamq; differenter Filium suum tractavit ; ut si in Filium Dei invidia caderet , & in amore Dei zelotypiæ locus esset ; Filius magnæ zelotypiæ occasionem in amore Patris haberet; similiterq; magnæ invidiæ in hominibus ob favores, gratias, & teneriores affectus quibus tractavit homines.

Vituli occisi in convivium delicias natu major Filius quàm maximè resensit, de quibus murmuravit & Patri in faciem exprobravit. Ast quiesce, obsecro, afflicte & insons Fili , moderatiùs ferto dolorem justum, & sensum acerbiorem : occasio quippe querelæ , zelotypiæ, & invidiæ quousque perventura sic, necdum declaratum & demonstratum est. Edicito mihi , si loco vituli quem Pater tuus occidit in gratiam tui fratris , occideret te, & de carne & sanguine tuo insolitum ipsi præpararet ferculum , quàm nunquam visus hic foret excessus ? sic igitur futurum scito, quòd de eâdem carne eodemq; de sanguine , quæ hodie assumpsisti, omnipotentia, sapientia, & amor tui Patris tam exquisitum ipsi præparabit ferculum , ut nec manna cœleste ullatenùs illi possit comparari. Ita factum est , & Christus ipse confessus est , publicans Sacramenti institutionem , antequam suum esset opus , donum fuisse Patris : *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dedit vobis panem de cælo verum.* *Joan. 6. v. 32.* Eousque pervenit & se extendit illud *Dilexit* Patris in die Incarnationis, tantumque hominibus contulit, Unigenitum suum illis donando Filium : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

§. V.

VErùm enim verò , si in die incarnationis Pater in tantum amavit homines, ut plùs amâsse videatur homines quàm Filium ; opponendo nunc diei diem , amorique amorem , videamus etiam , quomodo hodie Filius tantum dilexit homines , ut plus amâsse videatur homines quàm Patrem. Et quamvis *Dilexit* illud primæ diei latiorem nobis campum aperuerit, ampliorem que & copiosiorem nobis exhibuerit materiam cum obedientiis tunc à Patre Verbo recèns incarnato impositis, quarum executiones ad horam usque mortis sese extenderunt; ad quam principaliter ordinatæ erant, & directæ: & vice versâ hujus diei *Dilexit* ad paucarum actiones horarum, sine ulteriore , quàm illo Cœnaculi Theatro,

 restrin-

restringatur & limitetur ; neque largiore campo, quàm illis horti unius angustiis excurrere permittatur: nihilominùs hodiernus amor sperat confidenter, quod non excedendo limites, currendo tali vi & generositate confringet lanceas, ut non dubitet de victoria.

Suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. In his Evangelistæ verbis vel maximè considerandum est; quod Patrem tantùm vocat Patrem, & non suum: & homines tantùm vocat suos, aliud illis nomen non tribuendo. Patrem tantùm vocat patrem, & non vocat illum, suum: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: Homines tantùm vocat suos, aliud illis nomen non imponendo: *Suos, qui erant in mundo; in finem dilexit eos.* In omnibus quodammodò Evangeliorum paginis, Christus Patrem suum compellat, patrem meum: similitérque homines, quibuscum agebat & tractabat, aliquando servos, aliquando Discipulos, aliquando amicos, & aliàs filios nuncupabat. Si igitur Christus suum Patrem dicebat suum, & homines, aliis aliisq; pro re nata, seu occasione data, nominibus appellabat; quomodo in hac specialiter die (*Ante diem festam Paschæ*) stylum variat Evangelista, & terminis nec ante nec postea usitatis, homines tantùm vocat suos: *Suos qui erant in mundo*: & Patrem non vocat suum: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*? Extra controversiam est, S. Joannem, tanquam cordis amorisque Christi Secretarium, nonnisi rationabili & bene fundatâ causâ, novitate adeò singulari hodie prodire. Quænam illa fuerit, meum non est hodie speculari, meo tantùm intento deservit edicere quod videtur. Dico igitur, nomen istud, *Suum*, quando non denotat dominium, sed specialitatem (prout hîc) non amorem tantùm, sed intensum & singularem denotat amorem. Rex Ezechias ab Assyriorum exercitu obsessus, misit ad Isaiam Prophetam petens ut præsentem maximam necessitatem Deo commendaret, & desuper illum consuleret. *Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit Rex Assyriorum ad blasphemandum Dominum Deum viventem, & exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus.* Isa 37. v. 4. Hæc fuêre verba missionis seu nuncii ad Isaiam directi, in quibus valde notandum, quod Rex ab Isaia petat non tantùm, ut casum commendet Deo, sed Deo suo suo Isaiæ, & non suo Regis: *Si quo modo audiat Dominus Deus tuus*: *quos audivit Dominus Deus tuus.* Rex Ezechias, & Propheta Isaias uterque eundem credebant, & adorabant Deum. Si igitur Deus Regis, & Deus Prophetæ erat idem, quare Deus vocatur suus Prophetæ, & non Deus suus Regis? ratio literalis est, quia denominatio ista sui, non in sola fide, sed in amore fundatur. Hoc sensu S. Augustinus exclamabat: *ô Deus, utinam possem dicere meus!* S. Aug. Deum te voco, quia in te credo, meum verò te vocare non audeo, quia te non diligo. Verùm ista ratio seu exceptio, in Ezechia locum non habebat; siquidem & ipse Rex erat sanctus, & Deum valde diligebat. Si igitur Ezechias etiam diligebat Deum, quare illum non vocat meum, vel nostrum, sed suum Isaiæ, *Deus tuus*? quia Isaias velut Propheta tam singularis, & sublimis spiritûs, amabat amabatúrque à Deo multò plùs quàm Rex, & omnes quotquot in Israël erant: porrò istud nomen, seu epitheton, sui, non amorem simpliciter, sed ma-

majorem demonstrat amorem : neque amatum simpliciter ; sed magis amatum significat.

Regula ista tam certa est & generalis (ne de ea dubitetur, vel ex parte Patris, vel ex parte nostra) ut non solùm verificetur de amore erga Deum, sed etiam de amore erga homines. Deo Eliam sublaturo in cælum, tam Prophetæ ex Bethel, quàm ex Jericho, iisdem Elisæo dicebant verbis : *Nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum à te?* quasi dixissent : scisne quia Deus hodie Dominum tuum tollet ad se? Sic reverentiæ causâ Magistrum ipsius vocabant. Verùm si Elias Magister Elisæi etiam aliorum omnium Prophetarum Magister erat, qui in desertis morabantur, quare etiam non vocârunt Magistrum nostrum; sed suum Elisæi : *Dominum tuum?* erat omnium, sed Elisæi solius erat suus? Ita : quia inter omnes Discipulos, qui plùs amabat Eliam, & redamabatur ab Elia, erat Elisæus : & istud nomen seu prærogativa (*suus*) tam propria támque singularis majori est amori, ut, cùm Elias Magister esset omnium : Elisæo soli esset suus, & non aliis. Hinc in ejusdem amoris, singularitatísque confirmationem non dixerunt, quòd Elias derelicturus esset eos, sed ipsum : *Tollet à te.* Et sicut esse vel non esse suum, idem est quod esse, vel non esse magis amatum ; videntibus nobis hodie, quòd S. Joannes loquens de amore Christi, homines vocat suos : *Suos qui erant in mundo* : & Patrem non vocat suum: *Ut transeat de hoc mundo ad Patrem.* Quidnam ex differentia hâc arguendum, seu inferendum restat? num fortè, quòd Christus Patrem, quem non vocat suum, amaverit minùs, & homines, qui vocantur sui, amaverit ampliùs? Christianorum nullus tam erit rudis, ut error hic in mentem illi veniat. Sed unum est, quod est; alterum hoc, quod esse videtur. Semper Christus infinitè & incomparabiliter magis amavit Patrem quàm homines ; in hac verò die, quâ Evangelista singulariter eos vocat suos talia occurrerunt amoris extrema, quæ Filius Dei pro ipsis egit, ut videatur plùs amâsse homines, quàm Patrem.

4 Reg. 2. v. 3.

§. VI.

AGite, per omnes Christi actiones in hac die discurramus, neque inde recedamus ; & videbimus, quo pacto omnes hanc opinionem seu hoc videri, confirment. Amoroso Domino primum actum, qui fuit pedum lotio, exorsuro, inquit Evangelista, quòd Magister divinus ad tam stupendam se resolverit actionem, considerando, quòd Pater suus omnia ipsi tradiderit in manus : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, cœpit lavare pedes Discipulorũ.* Sæpiùs in sacro Textu fit aliàs mentio omnium eorum, quæ Christo à Patre sunt tradita : *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Et multis aliis locis. Verùm, si toties repetitur, quòd Pater omnia dederit suo Filio ; quare hoc loco tantùm dicitur, quòd omnia ista dedit ei in manus : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus?* procul dubio ob correspondentiam & oppositionem, quam manus habent cum pedibus. Evangelistæ intentio erat Christi amorem in hac die erga homines exaggerare : etenim Filius Dei quòd illis ipsis manibus, in quibus æternus Pater omnia collocârat,

Joan. 13. v. 3. & 5.

Matt. 11 v. 27.

Joan. 16. v. 15.

Joan. 17. v. 7.

pedes hominum lavaret, tantùm actionis ejusdem humilitatem sublimare videtur, ut ipsum quodammodo patrem contingat. Idcirco dixit: *Pater*, singulari advertentiâ. Potuisset utique Evangelista dicere, Deus, prout mox subjungit: *Sciens quia à Deo exivit; & ad Deum vadit*: sed expressè dixit, Pater: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: ut quemadmodum opposuit manus pedibus, ita Patrem opponeret hominibus. Et verè opponendo manus pedibus, & Patrem hominibus, plùs homines, quàm ipse Pater, amati esse videntur.

Amor totus est æstimatio. Et quis videns Filium Dei hominum lavare pedes iisdem manibus, in quibus Pater collocârat omnia, superficie tenus non opinetur, Filium pluris æstimâsse pedes hominum, quàm dona Patris? Pater tanti fecit Filiũ, ut omnia quæ habuit, in manus posuerit Filii: *Omnia dedit ei Pater in manus*: & Filius tanti fecit homines, ut cum omnibus, quæ illi Pater dederat in manus, easdem manus pedibus opposuerit hominum: *Cœpit lavare pedes Discipulorum*. Notate hunc lavandi modum, ab usitato valde diversum: non lavit hominum pedes manibus vacuis, sed plenis. Ita lavit, & sic lavare debuit, quia sic lavat Deus. DEUS quando lavat, non tantùm mundat, sed etiam ditat. Mundat, quia tollit maculas culpæ: & ditat, quia simul nos thesauris implet Gratiæ. Proinde quia Deus erat, qui Discipulis pedes lavabat, clarum est, quòd non vacuis, sed plenis manibus id fieri oportebat. Porrò si plenæ erant omnibus, quæ Pater in eas posuerat; & illas ipsas manus Christus hominũ pedibus supponit, quomodo, quæso, non intelligendum est, quòd pluris æstimârit eosdem pedes, quàm omnia quæ Pater ei dederat in manus?

De primitivæ Ecclesiæ Christianis inquit S. Lucas, quòd cuncta quæ habebant vendiderint, pretiúmque ad pedes Apostolorum posuerint. *Afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* *Act 4. v. 35.*

Quare hoc ponebant ante pedes, & non tradebant in manus, si erat pretium omnium? Ut ostenderent, inquit S. Chrysostomus, quòd pluris æstimarent pedes Apostolorum, quàm totum quod dabant, & quod habebant. Tradere ad manus foret æstimare datum; ponere ante pedes, erat protestari dignitatem Personarum: & quia pluris æstimabant Personas, quàm dona; hinc illa ponebant ante pedes, & non tradebant ea in manus. *Ponebant ante pedes Apostolorum.* O dona Patris! ô pedes hominum! ô Amor & æstimatio Christi! Pater omnia quæ habebat Filio tradidit, & non posuit ea ante pedes, sed in manus; æstimavit enim ea quæ tradidit, pro merito, cùm essent omnia quæ habebat Deus. Et quòd omnia ista Patris, quibus plenæ erant manus Filii, hæc ipsa, imò ipsas etiam manus Filius ad pedes poneret hominum.

Discurrendo hinc inferri posset, nisi Fides prohiberet, quòd Christus pluris æstimaverit pedes hominum, quàm dona Patris: ast certum verúmque est, quòd nec fuerit, nec ita esse potuerit. Amavit sanè & æstimavit summè Christus dona Patris cùm propter se ipsa, tum propter manus à quibus veniebant. Verùm æstimatio eadem non dissolvit, sed eundem Discursũ corroborat; quia hinc æstimatio super æstimationẽ, & amor super amorem

infertur,

infertur. Quando Magdalena ad pedes Christi posuit alabastrum, unguenta, capillos, oculos, lacrymas, manus, os & seipsam, hoc non factum est quod illa omnia non æstimaret; sed quia omnia ista pretiosiora & sibi cariora reputabat. Et qualem inde conclusionem, & consequentiam intulit ipse Christus? non aliam, nisi *Quoniam dilexit multum.* Ex eo enim quod omnia sibi cariora, quæ majoris æstimabat, & seipsam ad pedes Christi poneret, ipse Christus magnum intulit amoris excessum. Et ita erat. Sic igitur inferente & concludente Christo, quare nos idem non inferremus? si omnia quæ Pater posuit in manus Filii, illas ipsas manus, & seipsum humiprostratum Filius ponit ante pedes hominum, quomodo, quæso, non videri debet, quod Christus homines pluris æstimat, & homines magis amat?

Luc.7. v.47.

Ad declarandum amorem Patris necesse fuit nobis fingere Parabolas: ad inferendum amorem Filii non necesse est eas fingere, unam & hanc suam applicare sufficit. Quando Filius prodigus ad deserviendum alteri amori impendit cuncta quæ acceperat à Patre, propriamque personam suam ad sordidissima & vilissima quæque servi abjecit exercitia, nonne certum est, quod plùs amaverit eum, cui se tradiderat, quàm suum Patrem? Prodigus, assertore Abbate Guerrico, & post illum, Guilielmo, majore adhuc energiâ: *Quis unicus prodigus invenitur, sicut ille Unigenitus Patris?* Unicus prodigus qui fuit in mundo, fuit Filius æterni Patris. Et quare prodigus, & unicus? prodigus, quia similis prodigo; & unicus, quia excessit. Similis visus fuit prodigo; quia quemadmodum prodigus quicquid acceperat à Patre, & seipsum, impendit in servitiis & amore ejus qui hoc non merebatur; sic Christus omnibus à Patre acceptis, & suâ propriâ personâ ministravit, & amavit homines: & (ut parabola sit integra) homines peccatores. Proinde ipsum Prodigum multùm excessit; quia prodigus fame compulsus panem quæsivit in domo Patris: & Christus illum non quæsivit alibi, sed exenteravit seipsum, & factus est panis: Prodigum amoris sui pœnituit, veniamque petiit quòd amâsset: sed Christum nunquam pœnituit, sed constans semper in amore eodem, in finem usque perseveravit: *In finem dilexit eos.*

Guerr. serm. in Pente. Guiliel. apud Euseb. in Theop. Raynaud. part. I. lib. I. c. 4.

Ab humili lotionis ministerio Christus ad altissimum transiit Mysterium Sacramenti, & hîc amor ipsius pro parte hominum multò magis emicuit. Et quare? quia pro Patre Sacramentum instituit velut sacrificium, pró hominibus instituit sacrificium velut Sacramentum; & posito mysterium esse idem, major ex eo arguitur amor quatenus est Sacramentum, quàm quatenus est sacrificium. Quatenus sacrificium absumitur; quatenus Sacramentum conservatur: quatenus sacrificium, est actio transiens; quatenus Sacramentum, permanens: velut sacrificium, certas habet diei horas; velut Sacramentum, omni durat tempore, die ac nocte; velut sacrificium non recedit ab altari, & ab ara; velut Sacramentum, egreditur ad plateas, & nostras intrat domos. Denique quà sacrificium, respicit ut finem, Patris cultum & venerationem: quà Sacramentum, habet præsentiam, assistentiam, & unionem cum hominibus. Ecce differentiam amoris, in eadem institutione & mensa, quæ fuit mensa

& al-

& altare : *Tibi*, Patri, *Gratias agens*. *Discipulis* hominibus : *Accipite & comedite*. Patri egit gratias : Hominibus fecit convivium. Patri sese obtulit : Hominibus sese univit.

Quomodo autem se univit? talem unionem homines cum Christo contrahunt in Sacramento, ut unioni ipsi, quam Filius habet cum Patre, comparata, si non excedit illam in quantum Unio ; illam plurimùm excedat quatenus est amorosa. Christus intimam, quam cum Patre suo habet unionem revelans inquit : *Ego in Patre, & Pater in me est* : declaránsque unionem , quam cum homine habet in Sacramento, iisdem terminis dicit : *In me manet, & ego in illo.* Et quænam duarum unionum harum sibi tam similium est major ? Illa quam Filius habet cum Patre est arctior in genere unionis ; quia est Unitas : illa vero, quam Filius habet cum homine in Sacramento , est major in genere amorositatis, quia illam fecit Amor. Unionem igitur illam quam Filius habet cum Patre, non fecit Amor ? Non ; quia Unio inter Patrem & Filium in generatione fundatur æternâ , omnem voluntatis actum antecedente. Nostram unionem operatur Filii voluntas : illam Filii, Intellectus operatur Patris. Filius est in Patre, & Pater in Filio ; quia Pater se cognovit : & nos sumus in Christo, & Christus in nobis ; quia Filius nos amavit. Ergo etiam conferendo unionem , quam Filius habet cum Patre, sine controversiâ & pugnâ Amor hominum vincit.

Joan. 14. v. 10.

Joan. 6. v. 57.

Istud in Sacramento, quà Sacramento. Et transeundo ad Sacrificium, quà Sacrificium; dico idem Sacrificiũ ordinatũ esse ad majorem unionem Christi cum hominibus, quàm ejusdem Christi cum Patre, S. Augustinus unionem hanc distinguens, & amorem Christi in ea admirans , postquam totum Sacrificium quatuor partibus constare notavit ; quid offeratur, à quo offeratur, cui offeratur, pro quibus offeratur ; dicit finem scopúmque Christi in adinventione admirabili Sacrificii sui fuisse , ut mediante hoc quatuor isti unum quid efficerentur : *Ut idem ipse unus verusque Mediator per Sacrificium pacis nos reconcilians Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat : unum in se faceret, pro quibus offerebat : unus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat.* Solum S. Augustini acumen intima tam intricati, támque subtilis labyrinthi amoris secreta rimari & penetrare posset. In altaris Sacrificio offerens est Christus ; quod offert, suum est Corpus ; cui offert, est Pater ; pro quibus offert, sunt homines. Et quo, quæso, pacto fieri potest, ut quatuor isti in uno tantùm Sacrificio sic uniantur, ut unum quid existant ? Hoc modo. Ut Christus, qui est Sacerdos offerens, idem esset cum Sacrificio ; fecit ut Sacrificium esset sui corporis : ut homines, pro quibus offertur , idem essent cum Sacrificio & Sacerdote ; fecit ut homines ipsum manducarent : & ut Pater, cui offertur, idem esset cum hominibus & cum Christo ; fecit , ut mediante eodem Sacrificio Pater reconciliaretur cum hominibus. Solus Amor omnipotens invenire potuit bolum, in quo, cùm unus tantùm sit comedens , sint quatuor , & tales quatuor, qui sibi unirentur.

S. Aug. Lib. 4. de Trin. Cap. 14.

Agedùm, nunc quæro. In unione hâc tam mirabili , quàm verâ , ad quam Christus Sacrificium hoc ordinavit , quod offert Patri, quínam magis uniuntur Christo , an Pater , an homines ?

Nullum

Nullum est dubium, quin homines; Unio quippe nostra cum Christo est immediata & directa: Unio Patris cum eodem Christo est mediata & reflexa. Christus nos immediatè univit sibi: Patri se univit idem Christus mediantibus nobis. Quia Pater univit se nobis, hinc Christus se univit Patri. Ità ut unio Christi cùm Patre fuerit effectus: & Unio Patris nobiscum fuerit motivum. Auscultentur denuò & quidem attentione singulari verba Sancti Augustini: *Ut ipse unus per sacrificiũ pacis reconcilians* nos Deo, *unum cum illo maneret, cui offerebat*. Obtulit se Christus Patri in Sacrificium, ut eodem mediante Sacrificio Patre hominibus reconciliato, Christus ipsi uniretur Patri. Ergóne, ut Christus uniatur Patri, prærequiritur, ut Patri se uniat reconcilietúrque hominibus? omnino: sub istis etenim conditionibus Deus amat, quando amorẽ hominũ suo amori anteponere videtur. *Si offers* Matt. 5. v. 24 *munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc offeres munus tuum.* Si deposuisti munus tuum ad altare meum (inquit Deus) & non fueris proximo tuo reconciliatus, vade priùs reconciliari illi, & hoc facto oblationem tuam acceptabo. Eodem modo eâdemque sub conditione se Christus unit Patri in corporis sui sacrificio. Quemadmodum Deus munus non acceptat hominis, antequam homo reconciliatus sit cum suo proximo: sic Christus non se antè unit Patri, quàm Pater reconciliatus sit cum hominibus: *ut reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret*. O stupor! ô amoris Christi erga homines prodigiũ, etiam Patris respectu! præstantissimus Evangelistarum Interpres in istum commentando Textum, ex eo infert, quòd Deus certo modo amorem proximi sui ipsius anteponat amori: *dilectioni quodam modo suî, Proximi dilectionem anteponit.* Maldonat. ibid. Porrò si vim istam habet conditio, ut priùs reconcilietur homo suo proximo, antequam Deus munus ipsius acceptet: ut quid non similiter consequeretur, ut Pater priùs reconciliatus sit cum hominibus, ut Christus se uniat Patri? Et ut pateat qualem habeat certitudinem id quod certo modo vocatur; Christum ipsum hoc eodem die, eâdemque in mensa, in qua Mysterium hoc instituit, loquentem audiamus: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis.* Joan. 16. v. 27. Vis hujus *quia* in utroque casu æqualis est. Quemadmodum Pater amat homines, quia homines amant Filium: sic Filius unit se Patri, quia Pater se unit hominibus. Ergo si Pater amat homines, quia homines amant Filium, argumentum est, quòd Pater magis amet Filium, quàm homines: Similiter, quòd Filius se uniat Patri, quia Pater se unit hominibus, signum erit, quòd Filius magis amet homines quàm Patrem. Hoc ità se habere Fides affirmare nequit: verùm Intellectus, ità saltem videri, negare non potest.

§. VII.

Finitis Sacræ Cœnæ Mysteriis, Christus ex cœnaculo ad hortum discessurus, ubi finaliter suis valedixit, in hanc formam Discipulos suos est allocutus: *Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem: Et sicut Mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Joan. 14. v. 31. Quasi diceret: Ut Mundus cognoscat, quantùm meum diligo Patrem, & quomodo præceptis Ejus obediam: Surgite, eamus hinc. Hisce verbis unum evincitur evidenter:

& alterum probari videtur. Quod evincitur certò est, quòd Christus in hoc mundo carius nihil haberet hominibus; nec difficilius sibi quicquam occurreret, quàm separari ab illis: hoc igitur exemplo clarissimo demonstravit Mundo, quantùm suum amaret Patrem. Verùm hoc ipso evidenter probari videtur (contra hoc, quod hucusque arguere voluimus) quòd multò major sit, multóque ampliùs in Christo prævaleat Amor Patris, quàm amor hominũ: cùm tam arduum & acerbũ fuerit ipsius cordi, illos derelinquere, & ab eis separari, in conflictu amoris cum amore, prævalet Amor Patris. Sic videtur; sed sic non est; ex ipsis Christi verbis potiùs evincitur contrarium, quódque fortior in corde ipsius fuerit Amor hominum, quàm Amor Patris. Probo. Quare non dicit Christus, quòd ipsum ab hominibus tollat, & separet ab hominibus Amor tantùm Patris; sed Amor Patris & magìs obedientia Patris: *Quia diligo Patrem; & sicut Mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Si amor Patris solus cum solo depugnâsset amore hominum & prævaluisset, bene inferretur, quòd magìs fuisset potens; verùm si non nisì sociatâ sibi obedientiâ (cui resistere illicitum erat) certamen subire non est ausus, hoc ipso clarè infertur & convincitur, quòd non suis tantùm præsiderit viribus, nec solæ illæ prævaluerint. Quare Philistæi nunquam fuerunt ausi adoriri Sampsonem, nisì à Dalila ligatum? Quia Sampsonem se fortiorem noverant. Dalila manus ligans amori, quo Christus amabat homines, fuit obedientia. Et quia Amor, quo diligebat Patrem, cum eo decertavit manibus ligatis; quid mirum, quòd prævaleret? Sic victus fuit Sampson, cùm esset fortissimus.

Sed Historia adhuc alias habet pro casu nostro similitudines. Non solùm victus fuit Sampson, eo quòd à Dalila ligatus: sed quia amor ipsius fuit subornatus. Ut Amor Patris, in Christo amori prævaleret hominum, non solùm Pater amoris sui rationes, & vim suæ impendit obedientiæ; sed eundem subornavit amorem, quo Christus homines amabat: ut non solùm velut obligatus & obediens; sed velut suâ interesset, sineret se vinci. Et qualis ista fuit subornatio? Dona fuerunt Spiritûs Sancti, quæ Patris disponente Decreto Christus dare non posset, vel mittere hominibus, nisi conscenso priùs cælo, ageret cum ipso Patre: *Expedit ut Ego vadam: si enim non abiero,* Joan. 16.
Paracletus non veniet ad vos; si autẽ abiero v. 7.
mittam eum ad vos. Ecce quàm potens, quámque ingeniosum simul fuit molimen & impendium Patris, ad vincendum & obligandum Christum, ut ab hominibus sese separaret. Subornavit eum donis hominibus distribuendis; hoc tamen Pacto & Decreto, ut ea elargiri non posset, nisi priùs se ab eis separaret. Amor Dalilæ, tanquam falsus, acceptis sibi donis corrumpi se & subornari permisit: Amor Christi tanquam verus, subornari tantùm potest donis, quæ ad distribuendum hominibus recepit. Nunc utique bene intellecta & conciliata erit S. Pauli cum Davide discordia, quæ tantùm discordare fecit Expositores. S. Paulus inquit, quòd ascendens Christus in cælum, dona dedit hominibus: *Ascendens* Ephes. 4.
in altum, dedit dona hominibus: Et David v. 8.
inquit, quòd illa non dederit; sed quòd acceperit: *ascendisti in altũ; accepisti dona* Psal. 67.
in hominibus. Si igitur S. Paulus eundem v. 19.
citat

citat Davidem; porrò David dicit, quod Christus ascendens in cœlum, dona accepit; quo pacto S. Paulus dicit & transfert, non quod ea acceperit, sed quod illa dederit? Quia omnia sic contigêre. Recepit ea à Patre, ut hominibus illa daret. Ipse David istud hoc modo declaravit: *Accepisti dona in hominibus.* Non dicit, quod ea accepit in se, sed in hominibus: *In hominibus*: nam ad elargiendum ea hominibus accepit. Hoc modo Christi amorem subornavit Pater, cum magna ejusdem amoris prorogativa; qui quando est verus tantùm subornari se sinit à convenientiis amati: *Expedit vobis, ut ego vadam:* id est, vado, quia vobis convenit ut vadam; q. dixisset amorosus Dominus ad homines; non Pater solus me tollit; sed etiam vos me tollitis: non solùm ad Patrem vado quia ille præcipit; sed etiam quia vobis expedit: non solùm quia amo illum; sed quia etiam amo vos. Porro si amor patris, hâc occasione, erga Christum eodem usus est amore hominũ; bene videtur, quod Christus plus diligeret homines, quàm patrem. Nisi hoc ita esset, quando Evangelista dixit: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: dixisset, *in finem dilexit* eum: sed quia dicit: *dilexit eos*: eandem nobis opinionem confirmare videtur.

Progreditur praxis, progreditur amor, & novis semper in favorem hominum argumentis. Christus discipulos suos de suo discessu jam certos, ex parte patris urgente obedientiâ, & ex parte Discipulorum, propriorum commodorum convenientiâ, adhuc alio consolatus est motivo, scilicet, quod se iterum, & quidem
Joan. 16. v. 16. modico temporis intervallo essent visuri: *Iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Super verborum horum intellectu cum admiratione perplexi sese invicem interrogârunt Discipuli: *Quid est hoc, quod dicit nobis: modicum, & quia vado ad Patrem?* tandemque omnes pariter confessi expresse, quod Christi verba non caperent: *Nescimus quid loquitur.* Casus notabilis! si verba erant tam clara ut omnes ea intelligamus, quomodo in schola Christi non fuit inventus, qui ea intelligeret, præsertim, cùm ibi quoque S. Joannes adesset, qui paulò ante super pectus ejus recumbens didicerat, & ex eo altissimæ sapientiæ hauserat thesauros? Nihilominus omnes ingenuè sunt fassi, nullum intelligere horum Christi verborum sensum, & quid insinuare vellent. Et qui minus ea intelligebat, erat idem sanctus Joannes, quia melius omnibus significatum illorum penetrabat. Quodlibet asserti membrum seorsim erat valdè facile: utrumque verò simul junctum, in nullius cadebat intellectum. Membrum unum, Christum ad Patrem abiturum asserebat: *Quia ad Patrem vado*: alterum membrum, tempus, quo Christus adhuc cum Discipulis moraturus esset in terris, breve futurum astruebat: *Modicum, & videbitis me.* Et quod tempus moræ hujus, cùm spatium esset quo Christi transitus differebatur ad Patrem breve, & valde breve futurum esset (istud enim significare vult *Modicum*) perplexum illis erat, nec facile penetrabant. Quare? Quia per naturalem consequentiam inde inferebatur ingens cum amore Christi implicatio: quæ postea magis declarata, indice experientia, quod mora illa & tarditas quadraginta fuerit dierum.

Nihil in absentia rei desideratæ magis

 pro-

prolongat tempus, quàm dilatio: Horæ fiunt anni, & dies secula. Si igitur Christi ad Patrem ascendendi desideria erant, qualia Filii, & talis Filii, ad videndum Patrem, & talem Patrem esse oportebat, post triginta & quatuor annorum absentiam; quónam, quæso, pacto breve, & tam breve poterat esse tempus illud tam longæ dilationis? Naturaliter hinc inferebatur, quòd in corde Christi prædominans alius regnaverit affectus, qui oppositus amori Patris tanquam potentior stringebat distantias, & illi ipsi tempori abbreviabat spatia. Tempus definitur: *Mensura primi mobilis*. Porrò primum mobile in hoc Microcosmo, quem vocamus hominem, est Cor. Hinc venit, ut secundùm ejusdem cordis motus, differente respectu, idem tempus longum esse posset, & breve. Et tales discurrendo evincebantur esse, respectu Patris & hominum, illi quadraginta dies. Quoad redeundum ad Patrem, dies erant, & quadraginta quidem: sed ad commorandum cum hominibus non nisi minuta quædam & momenta erant, sic abbreviata, ut nè numerum quidem facerent. Istud *Modicum* illud innuit, & multò magis verbum *vado*. Supposito quòd Christus promitteret Discipulis, se aliquanto tempore cum illis mansurum, dicere debuisse non videtur: *vado*; sed: ibo. Imò propriè magìs dicere debuisset, non vado; vel: non ibo tam citò, quin tempus me videndi habeatis. Si igitur Christus hoc dicens nondum ibat, nec post Resurrectionem suam iturus erat, nonnisi quadraginta dierum expleto curriculo, quomodo eodem die eâdemque horâ dicit: *quia vado*? quia sicut illis diebus commoraturus erat cum hominibus, eorundem hominum Amor illos abbreviabat, taliter illos uniebat & contrahebat, ut omnes dies in illâ ipsâ horâ essent quasi collecti & resumpti. Idcirco quando secundùm Leges temporis dicendum videbatur, *vadam*, secundùm amoris sui experientias dicebat: *vado*. Evidentem in Evangelico Textu habemus probationem.

Manè seu diluculo primi diei eorundē quadraginta dierum, qui fuit ille Resurrectionis, Christus Magdalenæ apparens, hujuscemodi Apostolis deferendum commisit nuncium: dicito meis Discipulis, ut in Galilæam euntes ibi meam præstolentur præsentiam, quia ad Patrem vado: *Ascendo ad Patrē meum, & Patrē vestrū.* *Joan. 20. v. 17.* Et Magdalenam procumbendo pedes amplecti parantem Christus prohibuit dicens, quòd nondum ad Patrem ascendisset: *Nondum ascendi ad Patrem*. Porrò si Christus non nisì quadraginta elapsis abhinc diebus ascensurus erat ad Patrem; quare non dicit, ascendam, sed quòd jam ascēderet, *ascendo*. Et si ad Apostolos misit, quæ diceret, quòd ascenderet; quare Magdalenæ dicit, quòd nondum ascendisset: *Nondum ascendi*? Meliùs declarari non poterat, quomodo omnes temporis differentiæ in corde & amore Christi illâ horâ essent collectæ. Manè seu diluculum Resurrectionis prima erat hora illorum quadraginta dierum, quibus evolutis Christus ascensurus erat ad Patrem: Amor verò desideriumque manendi cum hominibus sic illi omnes istos abbreviabat dies, ut principium primi jam illi videretur finis ultimi. Hinc non dicit se ascensurum esse, sed jam ascendere: *Ascendo*. Et quia idem amor & desiderium, cùm esset spatium extensum, futurum illi faciebat præsens; sic, cùm duratio tam

tam foret longa, ità abbreviabat illud præsens, ut jam præteritum videri posset. Idcirco Magdalenæ se nondum ascendisse dicebat: *Nondum ascendi.* Dicendo, *Ascendo*, expresse addidit, *ad Patrem*, & dicendo: *Ascendi*, similiter repetivit, *ad Patrem*, ut appareat potentia & vis, quam in corde Christi, etiam concurrente Patris amore, amor hominum habebat. Et si Amor in præsentia Amati tempus abbreviat, & eodē amato absente tempus prolongat. Cùm tempus idem, quatenus Christo discessum ad Patrem differebat, longum illi non videbatur, & quatenus cum hominibus manere sinebat, illi adeò breve videretur; quis hâc stante differentiâ illum plùs homines, quàm Patrem amasse non judicabit? Istud naturaliter ex verbis Christi inferebatur: & hæc fuit difficultas vel implicatio, quare omnes Apostoli, & præ cæteris S. Joannes, ea non intelligebant. *Nescimus quid loquitur.*

Discedendum tandem erat Christo, & ne separatio illa hoc efficeret in Apostolis, quod naturaliter in aliis causare solet hominibus; exhortans illos ut semper sibi per memoriam & amorem essent uniti, quantorum bonorum hæc unio illis foret causa, vitis exemplo ipsis declaravit, in qua palmites fructificare nequirent nisi viti inhærentes, ità dicens: *Ego sum vitis, vos palmites; Pater meus agricola est.* q. d. Ego, Discipuli mei, sum vitis, vos estis palmites, & Pater meus agricola. Hîc iterum Christum, homines, Patremque habemus; sicque concurrunt omnia, quæ quæstionis nostræ sunt; personam verò Patris applicatam non habemus, sicut naturalis parabolæ proprietas exigebat. Si Christus se comparabat viti, & Discipulos palmitibus: Pater non agricolæ, sed radici comparandus videbatur. Christus Filius est Patris, & Discipuli sunt Filii Christi, prout idem Dominus illos hâc occasione appellavit: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Filioli* inquit: Et quis immensitatem amoris illo inclusam diminutivo comprehendere poterit? si igitur Discipuli Filii erant Christi, & Christus Filius Patris, & ipse se comparat viti, & Discipulos palmitibus; quare Patrem non comparat radici, quod natura metaphoræ requirebat, sed agricolæ? quia agricola viti non est infixus, sed palmites: ita est. Et in hac die id tantum curâsse videtur Christus, ut à Patre se separaret, & hominibus conjungeret. De hominibus loquebatur sicut de filiis, de Patre, ac si non fuisset Pater: Patri nomen potentiæ; hominibus nomen tribuebat amoris: Patri tanquam separato, hominibus tanquam sibi unitis: denique similis illi plantæ, quæ inter omnes sola novit deplorare separationes: fibræ verò sicut & reliqua, à terra separari nequeunt sine evulsione.

Christus hortum jam ingressus, cùm separaret se à Discipulis, ut oraret Patrem, inquit S. Lucas Evangelista, quod avulsus est ab eis; *Avulsus est ab eis.* Locum hunc alio fine hoc mane consideravi: nunc addo, ampliusque noto, quod separans se à Patre, rediensque ad Discipulos, nec S. Lucas nec quisquam Evangelistarum alius dicat, quod avulsus sit, sed quod venerit: *Venit ad Discipulos suos:* si igitur à Discipulis vadens ad Patrem avellitur, quare rediens à Patre ad Discipulos similiter non avellitur? quia sic differt, ut dixi, infixum, & non infixum

Joan. 15. v. 1. & 5.

Joan. 13. v. 33.

Luc. 22. v. 41.

Matth. 26. v. 40.

fixum esse. Quando recedit infixus, avellitur; quando venit non infixus, venit. Hoc modo ibat Christus vadens: & sic veniebat rediens. Et si recedere ab hominibus ad Patrem, est avelli; & à Patre redire ad homines, est tantùm venire; ecquid dicemus, aut esse putabimus illud non notatum à nobis, sed ab ipsis Evangelistis animadversum? minus quod existimari & videri potest, nec non multum quod dici non potest, est quod amor Christi hodiè plus amavit homines quàm patrem.

Verùm quis verbis pronunciare ausit, quod amor ipse respectûs ergò obmutescens, non nisi per signa & actus ausus fuit significare! Tribus horis duravit illa Christi oratio in horto, tribusque vicibus, itidem tribus istis horis Christus Discipulos suos visitatum venit, non obstante incuriâ & modicâ sollicitudine, quam in eis inveniebat, & exiguo amore quem experiebatur, ut non unâ sed tot vicibus rediret. Enimverò benè, Fili patris tui æterni semper amantissime, eundem tu patrem derelinquis, & tot iteratis vicibus, ut venias ad homines? non argumentor pro parte respectûs, qui etiam suam in hoc casu instantiam habere posset: pro parte amoris tantùm dubito. Nunquid amoris tui centrum est pater? sic est, nec aliter esse potest. Quo igitur modo cor tuum adeò est inquietum, si est in suo centro? dicere, quod pater centrum esset sui amoris, & homines centrum curæ suæ & sollicitudinis, inconveniens est solutio: siquidem amor & sollicitudo non distinguuntur. Si igitur trium tantùm horarum spatio cum patre tuo agis, quare tantillo tempore patrem tuum derelinquis, ut ad Discipulos venias? scio equidem quod dilectam tibi præ omnibus creatis Matrē triduo dereliqueris, nulla aliâ satisfactione datâ, quàm quod cum Patre tuo egeris. Verùm istud tunc contigit, & non hodie, quando amoris hominum privilegia exemplum non habent. Quid hoc sit, non intelligo, sed quid videatur esse, tacere nequeo. Videtur satisfactionem te similiter hominibus dare voluisse: quæ quoniam talis erat ut verbis exprimi non posset; amore & sollicitudine, & actu ipso expressisti, finaliter ipsis valefaciendo: Quid? tremens dico. Videris nobis protestari voluisse ita: cùm hac die amore Patris homines me deserere oporteat semel, tribus vicibus hominum amore deseram Patrem.

Modò sic; quia benè se amor Christi explicavit: nam si amor Patris (uti vidimus) fuit talis, ut zelotypiam suscitare posset Filio; hic actus amoris Filii est talis, ut zelotypias excitare posset Patri. Saul eòusque progressus est, ut Jonathan suum negaret Filium; quia magis Davidem quàm proprium amabat Patrem. Et cras quando audietur quod Pater dereliquerit Filium: *Ut quid dereliquisti me?* non deerit qui autumet, quod Pater illum derelinquat, quia ille similiter dereliquit Patrem amore hominum. Sed in tantum verum est contrarium, ut Filius nunquam tantum placuerit Patri; neque Pater illum unquam magis agnoverit Filium, quàm per hæc eadem, quibus homines amavit, extrema: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie, hodie te magis, quàm unquam, te agnosco Filium; quia amando homines, prout eos amâsti, te Patris tui Filium ostendisti. Nam si ego in die Incarnationis,

Matth. 27. v. 46.

Heb. 1. v. 5.

nis qui fuit primus, tantum eos amavi, ut magìs amâsse videar homines, quàm Filium; quo pacto tu meum te monstrares Filium hodierno die, qui est ultimus, nisi tantùm eosdem amando homines, ut plùs amâsse videaris homines quàm Patrem?

§. VIII.

HÆc diei unius cum altero, amorisque unius cum altero fuit concertatio vel collatio: & hæc fuit æqualitas illius *Dilexit* Patris: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: & hæc est æqualitas illius *Dilexit* Filii: *Suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Verùm in hac ipsa æqualitate, in qua non datur prærogativa (uti promisi) amoris hodierni victoria consistit. Et cur, vel quomodo? quia Christus ex parte quam habet hominis minor est Patre,
Joan 14. *v.*28. sicut ipse docuit: *Quia Pater major me est*: & in concertationibus minoris cum majore, quando minor adæquat majorem, adæquare est vincere. In lucta Jacobi cum Angelo, neque Angelus prostravit Jacobum, neque Jacob prostravit Angelum: nihilominùs textus sacer non semel, sed sæpiùs victoriam celebrat Jacobi, & ob hanc Deus illi nomen Jacob
*Gen.*32. *v.*28. in Israël immutavit, dicens: *Si contra Deū fortis fuisti, quantò magìs contra homines prævalebis?* si igitur Jacob Angelum non superavit, & solummodò Angelus agnovit, quod illum superare non posset: *Cùm videret quòd illum superare non posset*: quare Jacob attribuitur victoria? dicatur, non succubuisse: sed non, superâsse. Imò non succubuisse, fuit causa cur diceretur, vicisse: in colluctationibus enim minoris cum majore, non succumbere, est vincere. Casu quo lucta fuisset inter duos homines, seu inter duos Angelos, necessariò alterutrum succubuisse oporteret, ut victor aliquis existeret: verùm quia erat inter hominem & Angelum, inter minorem & majorem, æqualitas in minore fuit victoria: & non fuisse victum, vincere fuit. Quisnam verò iste erat Angelus, quis erat iste Jacob, & qualis lucta? Angelus repræsentabat Patrem, qui idcircò dixit: *Si contra Deum fortis fuisti.* Jacob repræsentabat Christum qui multoties in Scripturis Jacob appellatur; lucta erat de amore, quæ hanc ob causam lucta fuit, scilicet amplexuum. Proinde quia in concertatione hac amorosa nec Pater potest vincere Filium, nec Filius Patrem: ab eadem amoris æqualitate bene concluditur, totam victoriam fuisse ob *dilexit* hodiernum. *In finem*: S. Chrysostomus hoc ita transfert: *In victoriam dilexit eos.*

§. IX.

VIctoriæ hujus spolia exigit amor, ut sint corda hominum, tam æqualiter, tamque excessivè à Patre Filioque amata. Peracerbè tulit amorosus Dominus JESUS CHRISTUS, quòd è duodecim cordibus in cœnaculo collectis, unum sibi deesset: *Cùm Diabolus jam misisset in Cor, ut traderet eum Judas.* *Joan.*13. *v.*2.
Et quid foret si inter illos, qui sic ingratitudinem & infidelitatem illam abominantur, invenirentur multi similiter, æquè, imò magìs ipso Judâ ingrati? Quid foret, si Patre luctante cum Filio, uter eorum ampliùs amet homines, nos homines viveremus, quasi certantes quis nostrûm

noſtrûm magis offendat Patrem, qui nobis proprium ſuum dedit Filium; & Filium, qui nobis dedit ſeipſum?

Stricttiſſimè ad hoc exemplum obligantur Parentes & Filii. Parentes, ut magis ament Deum, quàm Filios, quorum causâ multi damnantur: & Filii ut magis ament Deum quàm Parentes, quorum timore & reſpectu illum non amplectuntur vitæ ſtatum, in quo ſalus ipſorum magis aſſecuraretur. Quot Parentes, eo quod Filios falsè & erroneé ament, eos mundo potius quàm Deo mancipere volentes, eos à divino ſervitio impediunt. Et quot ſunt liberi, qui ne Parentes offendant deſerto Deo mundo deſerviunt? O felices, generoſæ & quæ benè conſuluiſtis vobis animæ, quæ tam magnanima prudentique reſolutione, hujus tam ſublimis aulici ſtatus ordine deſerto, omnes promiſſiones mundi & ſpes, ubi magis ille viget mundus, deſpexiſtis: & in ætate dolis ipſius & fraudibus magis obnoxia, non ſolùm ipſi tergum obvertiſtis, ſed ſub pedibus collocaſtis. Si Chriſtus hodie vocavit ſuos eos qui erant in mundo: *Suos qui erant in mundo:* Solùm quia mundus non erat in eis; vobis, quæ jam non eſtis in mundo, nec ille in vobis unquam eſſe poteſt, quod nomen non dederit ejus amor, & quem locum ejus cor? Et ſi Filiæ, quibus tenerior & ad blandimenta proclivior eſt natura, tam alacri reſiſtentiâ, conſtantique renunciatione ædes deſerunt Parentum, neque clauſurâ terrentur & cilicio: in filiis (vobis loquor) in filiis, quos natura ad majores animos obligat, illosque ubi non convenit, oſtendunt; quare non inveniantur ſimilis mundi fallaciarum & deceptionum renunciationes? quare tot decepti juvenes non reſolvant mundo nuncium remittere, mundum deſpicere, mundum cognoſcere, & illum tractare, ſicuti meretur.

Alludit ad Gynecæum aulicũ, ex quo in eadem quadrageſima nonnullæ religionem ingreſſæ ſunt.

Veritatem agnoſcamus; neceſſe eſt enim nos mundum deſerere antequam ille nos deſerat. Et quænam accommodatior, efficacior ad hoc, immò nobilior occaſio, quàm illum deſerere, quando Creator ipſius & noſter illum deſerit? Eritne conveniens, ut Chriſtus ex hoc mundo diſcedat, *Ut tranſeat ex hoc mundo*; & iter illud peragat ſine comite, ſine ſequace? quodnam cor tam obliviosum erit Dei, & ſui, quod auditâ voce illâ & tubâ cœleſti: *Sciens Jeſus; quia venit hora ejus*, non conſternetur animo, & reſolutè ſibi dicat, hæc etiam erit hora mea? Chriſtianorum nullus tam profligatæ erit conſcientiæ, quin quandoque ſe convertere, & Deo conſecrare cogitet: porrò ſi hoc aliquâ futurum ſit horâ, quænam hora, ſicut iſta? ô quàm metuendum, ne qui hanc infructuosè prætermittit horam, ipſi defutura ſit alia! ſi quilibet horam ſciret, quâ ſibi ex hoc mundo tranſeundum eſſet, ſicut ſcivit Chriſtus ſuam: *Sciens quia venit hora ejus*: minor cæcitas eſſet; verùm ſi arcanum illud latet omnes, & nemo ſcit diem, neque horam: *quia neſcitis diem, neque horam*; quare talem perderemus horam, velut hanc præſentem, & talem diem, velut hodiernum? talem diem velut hodiernum, tepeto. Diem in quo duo maximi dies, amoris & miſericordiæ ſe conjunxerunt: diem in quo Jeſus, Deus & Redemptor noſter è mundo diſcedens eum derelinquit, ut nos eum ſequamur: & diem, in quo veniens in mundum reliquit cælum, ut nos ſaltem relinqueremus terram. O maledicta

Matth. 25.v.13.

dicta terra, ô maledicte munde! eheu quod nullum sufficiat exemplum ut te deseramus, nulla veritas ut te cognoscamus, nullus amor Dei, ut te non amemus!

Domine Jesu, cùm hodie amor tuus vincat omnia, vincat etiam, & triumphet de cordibus istis tam duris, tam ingratis, tam cæcis. Emolli, quæso, Domine, hanc duritiam; istam converte ingratitudinem; istam illumina cæcitatem. Immuta & transforma tandem voluntatum nostrarum rebellionem, ut te tantùm amet, te tantùm velint, te tantùm desiderent, ad te solùm suspirent; in te solo sperent, in te solo vivant, pro te solo moriantur: donec veniat ultima illa & felix hora tecum ex hoc mundo transeundi ad Patrem: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ubi te videant, ubi te fruantur, ubi sine fine te diligant. *In finem dilexit eos.* Amen.

SERMO
Pro
Feria Secunda Paschæ.
In
Majore Ecclesia Civitatis Bethlehem in magno Parà Anno 1656.

Occasione quâ venerunt nova de vana & inani spe aurifodinarum maximis sumptibus quæsitarum.

Qui sunt hi Sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël. Luc. 24.

§. 1.



IN Die tam læta, velut illa Pascha, in qua per gloriosam Christi Redemptoris nostri Resurrectionem, eâdem cum gloria revocata fuit antiqua illa contra Adamum & Evam fulminata mortis sententia; admiratione sanè dignum est, nec in filiabus Evæ, nec in filiis Adami lætitiæ effectus inveniri. Exortus est Sol serenâ hac die rutilantibus magis radiis, quàm unquam aliàs, tot naturali suo splendori addens radios, quot in die Passionis Ecclypsi fuerant ob-

obtenebrati: quid verò Sol idem exortus invenit in Oriente, aut occumbens in Occidente? exortus lacrymis Magdalenæ irroratam & madidam invenit terram, ac si illa diei hujus fuisset aurora: *Mulier quid ploras?* Occidens duorum
Joan.20. v.13. in Emmaus pergentium Discipulorum invenit tristitiam: *Et estis tristes:* ac si in
Luc.24. v.17. illis involuta umbris se multiplicâsset stella vespertina, seu Hesperus: *Quoniam advesperascit.* Tam tragici velut illi fuerunt duo primi celebris hujus comœdiæ actus sive scenæ.

Ad declarandum vobis, quàm naturales utriusque sensus & doloris sint causæ, non mihi necesse est exemplum quærere de longè, cùm fortuna his ipsis diebus in vestras invexerit ædes. Nonne afflicto magna est, quærere & non invenire? hoc Magdalenam, aliasque Marias summopere affligebat: *Non invento*
Ibidem v.23. *corpore ejus.* Nunquid sufficiens tristitiæ motivum est sperare; & non obvenire speratum? hoc Discipulos contristabat: *Nos autem sperabamus.* Quamdiu
Ibidem v.21. spes & sollicitudines collocantur in terra, terræ deesse nequeunt afflictiones, & tristitiæ: Mariæ tristes fuerunt & afflictæ, eò quòd non invenerint, quod quærebant sub terra: *Veniunt ad monumen-*
Marc. 16.v.2. *tum.* Et Discipuli tristes, quia illis non evenit, quod pro terræ suæ remedio sperabant: *Quia ipse esset redempturus Israël.*
Luc 24. v.21. Hujusmodi, Auditores, hâc occasione considero causas, vel hujusmodi sunt, etiam non consideratæ causæ, quæ nobis, ut videtur, minus læta reddiderunt hæc Festa Paschalia, quæ ego omnibus, & pro omnibus, tam gravida cœlestium & non cœlestium bonorum à Deo apprecor, sicut ipse Dominus nobis expedire novit. Investigatæ fuerunt sub terra auri-& argenti-fodinæ, quæ cum tanto exantlato labore non fuerint inventæ; quemadmodum Mariæ afflictæ fuêre videntes infructuosas suas sollicitudines, diligentias, immò & expensas:
Emerunt aromata: sic fateor valde vos contristari meritò posse, quod in infausto hoc itinere, & tempus & labor & industria, simul cum impendiis pessum ierint. Porrò sicut Discipuli incedebant tristes, eò quòd spes suas inanes & elusas viderent, quibus melioratam suam Patriam, Regnumque restauratum cernere gestiebant: *Quia ipse esset redempturus Israël:* Sic vobis concedo, sentiendum esse, nec privatam seu propriam, nec Monarchiæ opulentiam fuisse consecutum; & quicquid ab ipsis auri-argentive fodinis, cum tanto boatu sperebatur. Nihilominus tam bonus consolator est Christus, tamque velox, ut eodem manè Mariarum delicârit lachrymas; eodemque vesperi Discipulorum dispulerit tristitiam: sicut & ego hodie vestram allevare statui. Marc. 16.v.1.

Resumptâ igitur Historiâ Evangelicâ, quæ accidit heri, Ecclesia pro hac die secunda, duos affectus, seu duas naturales animi reservavit Passiones, quas Christus Dominus noster in duobus Discipulis in Emmaus euntibus consolatus est & curavit, scilicet tristitiam exteriùs ostensam: & spem perditam. Tristitiam declaratam, *Et estis tristes:* Spem perditam: *Nos autem sperabamus.* Porrò cùm binis iisdem affectibus Civium nostrorum turbata & intranquilla reperiantur corda; quemadmodum Christus Dominus noster vivum se exhibens Discipulis,

discipulis, eorum mox ſepultâ triſtitiâ, ſpem reſuſcitavit; ſic ego ad unam conſolandâ, alteramque nutriendam, duas vobis veritates ad vivum demonſtrabo. Harum prima eſt, multò melius vobis fuiſſe ſperatas aurifodinas non fuiſſe, quam fuiſſe detectas. Secunda, quod non detectarum incertarum aurifodinarum loco, Deus vobis alias certas, multòque ditiores deteget. Utraque illa veritas videtur temporalis, ſicuti pro rebus etiam temporalibus duorum in Emaus euntium Diſcipulorum triſtitia & deſperatio conſtitutæ erant; ſed quamvis temporales eſſent, nihilominus divinus Magiſter non omiſit eas conſolari, ut eas converteret & in ſpirituales immutaret, prout converſæ ſunt & immutatæ. Idem ego aſſiſtente mihi gratiâ cœleſti facere ſtatui, ad quod precum veſtrarum ſuffragium requiro Ave Maria.

§. II.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?

HOc modo Chriſtus Redemptor noſter binos de Jeruſalem in Emmaus tendentes Diſcipulos interrogavit. Quod ſi ego eandem quæſtionem in noſtra Bethlehem proponerem, veſtram interrogando converſationem, quare eſtis triſtes? reſponderetis utique ſicut reſponderunt illi: *Nos autem ſperabamus:* ſperabamus aurifodinas, & cognoſcimus quod non ſint: vel ſperabamus detegendas, & non ſunt detectæ. Et ſi ego magis inſtarē volens ſcire ſermones & conſequentias, quibus hâc ſuper veritate veſtram fundatis triſtitiam, ſimiliter utique cum illis reſponderetis, quod in deſiderato & ſuppoſito ſucceſſu repoſita fuerit ſpes non ſolùm hanc civitatem, ſed totum redimendi regnum: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël.* Agedum, attentè me aſcultate, & (contra quod vobis imaginabimini, & fortaſſis adhuc imaginamini) videbitis, quomodo in hoc, quod infortunium & infelicitatē habetis, veſtra conſiſtat redemptio: & à quot laboribus, ærumnis, infortuniis, & captivitatibus vos redemerit & liberaverit Deus, eò quòd non evenerit, quod ſperabatis.

Supponendum eſt primò, non infrequenter in noſtram cedere perditionem, ſi ſucceſſus pro voto fluant; & è contrario è re noſtra eſſe, ſi minùs proſperè res cadant. In quadam maledictione Job, clariſſimum & notabiliſſimum, quod in imaginationem cadere poteſt, veritatis hujus ſpeculum habemus: *Pereat nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Job.3.v.3.& 9. Id eſt, maledicta ſit nox, in qua conceptus fui, inquit Job; expectet lucem, & nunquam fiat manè; præſtoletur auroram, & nunquam veniat Videbitur vobis (ſicut etiam viſum fuit illi, qui hoc dixit) quod hæc maxima fuit infelicitas, quæ nocti poterat evenire, maximaque pœna quam quis ei poterat imprecari. Verùm re benè conſideratâ, non niſi ſumma erat felicitas & fortuna. Maximus noctis inimicus eſt aurora, necdum appropiante diluculo, & illuceſcente die, nox ſubſiſtit & perſeverat: illuceſcente manè nox fugata perit; ergò quod videbatur maledictio, non erat maledictio, ſed ſummum potiùs bonum; & maxima felicitas quam quis illi poterat imprecari, ſeu ipſa deſiderare; nam ſi nox pro dilu-

diluculo expectaret; eveniendo hoc quod speraret, in hoc finis ipsius & interitus consisteret: non eveniendo verò quod sperabat, ejus erat conservatio, incrementum & subsistentia.

Idem ego, Auditores, de aurifodinarum vestrarum spe, quam nunquam benè fundatam censui, affirmo, interrogatusque ita dixi. Visum est ibi aurum & argentum; sed ista duo metalla sæpius sunt, veluti isti duo hædi Jacob, quibus cæcum decepit Parentem, ut benedictionem tolleret Esau. Dixit Jacob edulium, quod Patri suo præsentabat esse de venatione, & non erat de sylva, sed de grege. Sic est aurum & argentum quod inde ferunt, dicunt erutum esse ex fodina, & effusum est ex crumena. Hinc auri & argentifodinæ non sunt fodinæ pro eo qui facit expensas, sed tantùm sunt fodinæ, velut benedictio Jacob, pro illis ipsis qui eas finxêre, & opulenti veniunt mercibus, stipendiis, pleni facultatibus & authoritatibus, quibus ditiores evadunt. Verùm sive non detectæ fuerint auri fodinæ quia non sunt; seu quamvis sint, Deus eas detegi noluerit; ecce à quot, quantisque periculis & laboribus vos redemerit & liberaverit misericordia & providentia divina, eò quod pro voto non successerit detectio sperata!

Gen. 27. v. 9.

§. III.

UT incipiamus à periculis, quæ ab extrà, & è longinquo evenire possunt. Si Status hic, etiam non habens aurifodinas prætensus jam fuit armisque peregrinis infestatus & impetitus, quid fieret istis habitis thesauris? Christus Dominus noster agri cujusdam paradigma adducit, qui superficietenùs tantummodò cultûs florum frugumque ferax erat: quidam verò fortè fortuna, thesaurum in eodem agro absconditum, terræque suffossum sciens, *Thesauro abscondito in agro*, omni mox curâ, sollicitudine, & secreto agrum illum sibi viâ emptionis acquirere sategerit, quanticunque constaret, & hoc modo agri effectus sit Dominus, non agri, sed thesauri amore. Ita ut omnis infelicitas agri in mutando dominio, & ad alium transeundo Dominum constiterit in eo, quod thesaurum continuerit, & hoc ipsum alii constiterit. Proinde contenti simus eo, quod agri nostri pacificè nobis producunt, quod agricultor ex superficie terræ colligit; neque in visceribus eorum absconditos desideremus & investigemus thesauros, qui alienam irritent orexin: præsertim agris ipsis non tàm validâ circumseptis maceriâ quæ ab ingressu arcere possit.

Matth. 13. v. 44.

Ezechielis cap. 38. narrat Scriptura sacra (sive historia sit præteriti, sive Prophetia futuri) quod nationes Gog & Magos scientes Hebræos habitare in suis ditionibus securos & opulentos, ipsos infestandi inierint consilium, binis hisce inductæ motivis. Primum erat, quod auro & argento abundarent: Secundum, quod propugnaculis destituti facilè essent accessibiles. Motivum unum excitavit cupiditatem: alterum executionem expeditiorem reddidit. Quod excitavit, aurum fuit & argentum: *Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum & aurum*: Et quod expeditiorem executionem fecit, fuit, quod terræ essent nudatæ muris, & munitionibus: *Ascendam ad terram absque muro*,

Ezech. 38. v. 13.

Ibid. v. 11.

muro, vectes, & portæ non sunt in eis. Porrò terræ auro & argento locupletes, murorumque validorum defendentium ambitu destitutæ, naturaliter inimicorum concupiscentiæ & invasioni sunt expositæ: aurum quippè & argentum quo affluunt orexin excitat; murorumq; & propugnaculorum defensioni necessariorum defectus invasioně expeditiorem reddit.

Verum est, quod Hebræi cùm vicinis nationibus pacem habentes habitarent securi, & ab armis earum nihil timerent: *Ad terram, quæ reversa est à gladio; ad quiescentes habitantesque securè.* Verùm securitas hæc dolis & fraudibus patet. Ubi spes commodi affulget; ibi confœderationis fiducia expirat. Notabile Jeremiæ dictum auscultate. *Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?* Id est, putatisne ferrum aquilonare, confœderari cum alio ferro, & æs illud cum alio ære? decipitis vos, inquit Propheta illis, quibuscum loquebatur: idemque ego quamvis non sim Propheta, tanquam certum vobis affirmo. Deus præservavit vos ab argento, quia liberos vos voluit à ferro. Æs cum argento alia metalla conglutinat: & concupiscentia seu cupiditas, argento omnium fœderum conglutinationes & vincula dissolvit.

V. 8.

Jerem. 15. v. 12.

Confœderati erant Israëlitæ cum Babyloniis, tàmque arcta inter utrumque Regem intercedebat amicitia & correspondentia, ut Baladan Rex Babyloniæ superbissimus & potentissimus, cognito quod Ezechias Rex Israël ab infirmitate illa gravissima, quâ ad mortem usq; decubuerat, convaluisset, Legatos ad congratulandum ipsi de recuperata valetudine miserit cum muneribus. Porro Ezechias grati animi ostendendi ergo, & in benevolentiæ & confidentiæ argumentum, Legatos eosdem ad intima Palatii deducens, omnes illis reconditos thesauros inspiciendos exposuit. Utrique optimè fuère contenti; sed vix viginti quatuor elapsis horis, Deus annunciatum misit Ezechiæ pertristes ostensionis, seu ostentationis consequentias. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus: & de filiis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* q. d. Et tu, Ezechia, fuisti tàm inconsideratus, ut Legatis Babylonicis tuos ostenderes thesauros? scias igitur, inquit Deus, quod Babylonii te invasuri non solùm thesauros istos in suam redigent potestatem, ità ut nihil eorum tibi remaneat: verùm & filios tuos in captivitatem & servitutem abducent. Ecce in quid amicitiarum & pacis fœdera desinant thesauris detectis. Gratias Deo agite, quod sic spes vestræ sint elusæ, neque ingrati sitis ipsi dolendo: cùm hoc medio à tantis vos periculis liberârit.

Isai. 39. v. 6. & 7.

Nisi Hispania auri & argenti fodinis gauderet (de quibus Strabo, quod totius mundi essent opulentissimæ) nunquam Romani è tàm longinquò, tam sumptuosum & pertinax bellum ipsis intulissent. Quod scriptura sacra primo Machabæorum libro docet, referens Romanorum conquisitiones eorundemq; victoriarum famam. *Et quanta fecerunt in Regione Hispaniæ, & quod in potestatem redegerunt metalla argëti, & auri, quæ illic sunt.* Non dicit, quod invaserint homines, sed aurifodinas; nam aurifodinæ fuerunt motivum belli & conquisitionis. Quia

Strabo.

1. Machab. 8. v. 3.

Gens Hiſpana erat opulenta, tam remota, & tam fortis, Potentia Romana pertinaciter hanc prætendendo conquiſitionem, ducentos triginta quinque annos huic ſubjugandæ impendit. Ecce, utrùm hìc tot erunt neceſſarii, uſque dum tandem terra, auri- & argenti-fodinæ, nec non incolæ & habitatores jugo Dominióque extraneo fuerint ſubjecti, & ab eorum legionibus præſidium acceperint, eorum concupiſcentiæ ſeu cupiditati tributarii, & ab eorundem tyrannide oppreſsi: proinde ipſum aurum & argentum, quod (atteſtante Spiritu Sancto ſæpiùs redemptio eſt hominum) ipſis fuit cauſa ſervitutis; & echo, quod eos è tam longinquo accivit, & illis in domum captivitatem invexit.

§. IV.

VErùm poſito, auri-fodinas tam deſideratas ex famæ conſequentia non periclitaturas fuiſſe ab extraneis: laborum miſeriarúmque domeſticarum conſideratio ſufficiebat vos excitare & inducere, ut ſi rationis compotes eſſetis, ex ejus potiùs dictamine inventas jam ſepeliri potiùs, quàm erui & detegi, etiamſi valde certas, ſatageretis. Ex majoribus plagis quas Deus Statui huic ſeu civitati inferre poterat, erat auri-fodinarum detectio. Nec ego ſum qui hoc dico, ſed prudentia & veritas, quæ decipere nequibant.

Pſalmo ſexto decimo David à Deo petit fieri Juſtitiam, & condignã inimicis ſuis irrogari pœnam, ob inhumanam innocentiæ ſuæ perſecutionẽ. Et poſtquã petitionem ſuam exauditam dixit, punitionem prophetizat, quòd juſtus Judex inimicos ſuos traditurus eſſet, & quaſi jam factum paucis narrat verbis: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* *Pſal. 16. v. 14.*

q. d. Exſatiâſti Domine famem eorum: tuis illos implendo abſconditis. Hìc nunc Interpretes intrant ad examinandum, quænam ſint abſcondita Dei: ſenſúsque proprius magìs & literalis, juxta Symmachum & alios, eſt, abſcondita Dei eſſe auri- & argenti-fodinas. Aurum & argentum DEUS nobis in profundo terræ, ubi ea creavit, abſcondit. Porrò quandocunque eidem Domino eas fodinas detegi placuerit; tunc abſcondita illa Dei manifeſta apparent: *De abſconditis tuis.* Sed ſi David petiît à Deo, ut faciendo Juſtitiam puniret inimicos; & ipſe Deus hoc ſe facturum pollicitus eſt; quomodo dicit, quòd aurum & argentum ipſis ſit detecturus, quod in auri & argenti fodinis latet, & inde eos ſatiaturus: *de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum?* Adhuc inſto, & plus urgeo. In hoc Pſalmo qui totus eſt Propheticus, quemadmodum in Perſona Davidis figuratus eſt Chriſtus, ſic in Davidis perſecutionibus ſignificatæ ſunt crudelitas & ingratitudo, quibus in vita fuit exagitatus; & impietates & peccata, quibus hodiedum adhuc inhonoratur & offenditur. Ergo in offenſarum & peccatorum horum præmium Deus ſuos, quos ſub terra abſconditos habet, detegit theſauros; nec non auro & argento adimplet & exſatiat, auri & argenti fodinarum avidos? omnino. Iſtas quippe auri & argenti, tam avidè deſideratas, tantíque æſtimatas fodinas, non pro meritis; ſed ordinariè in peccatorum pœnam DEUS largitur. Omnium PP. Græcorum ſuper Textum illum commentationem auſcultate, qui in duas, ſed concordes, in eo quod dixi, abeunt ſententias: *Illud autem de abſconditis, alii quidem intellexerunt de ſuppliciis; alii*

Symmach. & alii.

Patres Græci apud Cord.

alii verò de fusilibus metallis. Ea, quæ Propheta vocat abscondita Dei, Sanctorum Patrum aliqui supplicia significare intellexerunt, alii auri- & argenti-fodinas: & utraque pars non discrepat; sed admirabiliter in utriusque sensûs differentiâ concordat. Quare? Quia auri-fodinæ, detegente eas Deo, sunt supplicia: & ex majoribus suppliciis, quæ Deus pro peccatis irrogat, est auri-fodinarum detectio: *De metallis fusilibus, de suppliciis.*

Et mysteriosam notate proprietatem, quâ genus illud suppliciorum, abscondita Dei appellatur: *De absconditis tuis.* Quia Deus quandoque absconditis, quandoque manifestis punit suppliciis. Supplicia manifesta sunt illa, quæ omnes timent, & quà talia agnoscunt; qualia sunt fames, pestes, bella, aliæque calamitates temporales. Supplicia abscondita & occulta sunt quæ nec æstimantur, nec quà talia timentur; sed potiùs tanquam prosperitates & fortunæ habentur & desiderantur: & ex horum genere sunt auri & argenti fodinæ earundémque detectiones. Abscondita sunt supplicia, sub apparentiis contrariis; quia appetuntur, æstimantur, & magni fiunt deceptoriè, cùm certum sit, sub pretio & splendore auri & argenti immensos latêre labores & ærumnas, quibus Justitia divina propter peccata easdem disponit punire terras, ubi mineralium horum venæ deteguntur. Deus æquè punire potest virgis ferreis, ac argenteis, & aureis: imò flagella hæc multò sunt ponderosiora, sicut aurum & argentum ferro præponderant. Iste montuosæ terræ apex, hodie Promontorium S. Vincentii dictus, olim Promontorium sacrum vocabatur, eò quòd ibidem Protoplasti Nationis nostræ Tubal sepulchrum esse crederetur, & simul Herculis unius ex famosioribus & carioribus Lusitaniæ Regibus. In hoc Promontorio erant mineralia, ejusdem venerationis causâ effodi prohibita. Porrò temporis illius historiæ narrant, unico tantùm casu loci incolis, mineraliũ istorum auro & argento se ditare fuisse permissum. Et quo casu? Res admirabilis & notatu dignissima! Casus erat, quando è cælo decidens fulgetrum, penetrans terram, abscondita in eâ metalla retegeret: ità ut in illâ terrâ, etiam nostrâ, idem esset & in unum recideret, retegere auri-fodinas, & è cælo cadere fulgetra: ac si cælum nobis prædicaret, quòd mineralium detectio in terrâ non sit prosperum quid & fortunatum, prout imaginamur, sed iræ divinæ executio, & cælestis punitio.

§. V.

Ne verò hæc vobis exaggerata videantur lenimina, & ad tristitiam dissipandam, & superficialem consolationem adinventa; aurum & argentum istud in minutas dividendo partes consideremus, lucra & commoda quæ ab auri-fodinarum detectione Patriæ vestræ fuissent obventura, si fuissent inventæ. Ego nunquam fui Potusi, néque auri-fodinas vidi; verùm in libris, qui describunt quicquid in eis faciendum occurrit, stuporem & horrorem incutit, legere fabricas, & machinas, artificia, violentiam labores & pericula, quibus montes effodiantur, viæ explorentur, teneantur, & perditæ denuò investigentur; impenetrabilis chalybis obstacula; subterraneas aquas aut è rupibus erumpentes, quæ vel antliis exhauriendæ, aut aliâ viâ aperto in aliâ montium parte exitu

educendæ:

educendæ: Malleorum, cuneorum, rotarum, aliorúmque ferreorum instrumentorum sonitus, quorum aliqua centum quinquaginta librarum pondus continent, quibus percutiuntur, scinduntur & eruuntur saxa, vel maximo periculo præcipitantur ex alto. Et omnia ista in profundissimis istis concavitatibus seu infernis, quò nunquam radius Solis penetravit, miserè illuminatis infelicibus illis Cyclopibus luce tantùm evanidâ, & ab ignibus quibusdam artificialibus excitatâ, quorum exhalatio, fumus ardénsque vapor respiratione interclusâ eos sæpe suffocat.

Concupiscentia seu cupiditas multò plura hìc subire facit, quàm Isaïas prædixit, & Pœnitentia quandoque suadebit. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ: projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones.* Ecce quomodo easdem nunc Figuras consociat & in obscurum hoc horrendúmque patientiæ theatrum sinè virtute concupiscentia introducit. Ibi Pœnitentes dolentes speluncas & concava subeunt terræ: Hìc cupidi & decepti etiam non per eos quos terra sponte aperuit, sed per eos, quos ipsi totis effoderunt viribus, longè protensiores & profundiores ingrediuntur hiatus: ibi despiciunt auri & argenti idola, cognitis eorum vanitate & mendacio; hìc adeò adoratur & æstimatur vanitas ipsa, ut per novas abditásque tot stadiorum semitas investigetur & eruatur aurum & argentum, ut fundantur & elaborentur idola: ibi Idolorum Figura sunt talpæ & vespertiliones: *Talpas & vespertiliones*; & hìc homines talparum instar deformati

Isai. 2. v. 19. & 20.

vivunt sub terrâ, sinè oculis ad videndam lucem, & vespertilionum instar fugientes Solem & diem, ut profundiùs se potiùs sepeliant in terrâ illâ perpetuâque nocte, quàm in eâ vivant. Alia adhuc restat proprietas; quidam enim sicut talpæ cum manibus pedibúsque in terra vagantur, fodicantes, volventes, evolventes, eámque continuò excutientes; & alii velut vespertiliones in aëre suspensi, explorant lapides, eorum venas secant, corpore & vitâ ex uno fune pendentibus. Nunquid unquam Eremicolarum Anachoretarúmve quispiam tam duram egit Pœnitentiam? Verùm nondum audîstis, quid inde maximè timendum.

Suffultis montibus istis magnis, tota & immensa eorundem moles columnis innititur talis materiæ, quæ cum tempore interit, deficit, & corruit, quod non infrequenter accidit: & quo effectu? Mons totus seu potior ejus pars derepentè collabitur, & omnis eruentium seu effodientium multitudo unico momento consepelitur, sinè aliâ tantæ támque miserabilis stragis notitiâ, quam ruïnæ fragor, nec non terræ totius tremor & motus longè habitantibus impertivit. Ista scribuntur, nec tamen adhuc rei ipsius veritatem adæquant. Ad probandum sufficiat, quòd Neronum Diocletianorúmque crudelitas & sævitia mortes martyriáque Christianorum ad auri & argenti fodinas eos condemnando commutabant: Et Ecclesia quæ tam accuratè & solicitè Sanctorum merita examinat, inter Sanctos referebat & venerabatur pro Martyribus, in illis vitâ defunctos.

Agite, nunc vos interrogo. Hæc auri & argenti fodinarum Martyria, si vestræ detegerentur, quis subire & pati vellet?

De Condemnatis non loquor; nam qui hodie ad terram condemnantur Maragnanam, potiùs omnes ad aurifodinas condemnari deberent. Laboratores fossorésque non forent nobiliores opulentiorésque; sed quales futuri essent; nisì servi & mancipia? quis omnia intùs laboraturis necessaria instrumenta subministraret? quis victû vitæque necessaria operantibus præberet? Quis sterilia ista ligna hinc inde ex rupibus collecta exscinderet, & eò veheret pro fornacibus & fusionibus? Et lumina ista perpetua & subterranea quibus oleis alenda & conservanda forent, nisì ex fructibus agrestibus quæ hìc stillant, & non illo pingui olivarũ oleo, quod è Lusitania veniret? Super omnia, si tot Indorum millia paucis adeò annis, támque levi, qualis operum & artium vestrarum est, labore sunt consumpti; ubinam, quæso inquirendi alii, qui supplerent, & sufferrent ea quæ dixi? Omnia ista non facerent, néque paterentur, qui civitatem Ulyssiponensem perambulant; quia fodinæ istæ sunt, sicut illæ pulveris quæ semper ruinam, cladem, stragémque inferunt vicinissimis. Hæc terræ vestræ desiderâstis; & quia (ùt sperabatis) non evênit, contristamini.

Adhuc superest, quod in majorem vestram perniciem & exitium vergeret. Quot Ministri Regii; quot Justitiæ ærarii bellíque Administri pro extractione, assecuratione & traditione ejusdem auri & argenti huc necessariò mittendi vobis videntur? Porrò si vel unum horum toties ad destruendum Statum vestrum sufficientem experti estis; quid facerent tot & tanti? num Ministri Regii nomen ignoratis (quamvìs contra Regum ipsorum intentionem) quantùm se hìc eminùs extendit, quámque violentum sit & intolerabile? Quot Administratores, quot Provisores, quot redditüum Receptores, quot Calculatores, quot maris terræque Custodes, quótve aliarum functionum creari oportuisset Curatores, vel cum istis fodinis fundi, ad vos confundendos & sepeliendos in eis? Nunquid omnia quæ habetis & possidetis, deservire debuissêt Regi, vel eis qui specioso hoc prætextu se plùs quàm Reges efficiunt? Eodem die bonorum vestrorum omnium non domini, sed dispensatores tantùm efficeremini. Neque servus vester aut mancipium, neque navis vestra, neque currus vester, neque bos vester nisì ad sustentandum pro servitio tali, vestra mansura essent. Domus vestra in hospitium Præfectis fodinarum deservitura esset: aratra vestra ruri vacatura essent, quia agrorum cultoribus fodinis insudandum esset: nec vos ipsi juris vestri essetis, nam vos ad labores istos sive habiles sive ineptos compellerent: & vestra ingenia, quod molerent, & ruminarent, solum esset, quia vos & filii vestri commolitioni & comminutioni essetis expositi.

§. VI.

Videmini mihi, Auditores, dictis meis assensum præbere (nam ideo ad tam particularia & domestica descendi) similitérque credo spem vestram nunc mutâsse judicium, conspectâ tali mineralium detectione, & aliorum tam diversorum ab eo, quod sperata detectio desiderabat & supponebat, quæ utique majora & duriora futura erant ipsâ experientiâ, quàm meus ea Discursus oculis proponere possit. Conclusionis igitur loco serviat, quòd Deus multò majorem vobis præstiterit gratiam, longéque favorabilior fuerit vobis fortuna, abscondendo vobis

fodinas, quàm si aurum & argentum, quod suppositum ex eis sperabatur, fuisset inventum. Gentilis cujusdam, in Ratione tantùm naturali, & experientiâ fundati, sinè omni Fidei principio auscultate Sententiam, quæ nos meritò à terra magìs elevare & attollere deberet: *Aurum irrepertum, & sic melius situm cùm terra celat.* Aurum (inquit Horatius) est melius non inveniri, neque detegi, quàm inveniri. *Aurum irrepertum*: Et quare? Quia quamdiu illud terra abscondit & operit: *Cùm terra celat*, in loco sitúque est meliore, utpotè in loco quem Natura illi dedit: *Et meliùs situm.* Excellens ratio. Res naturales, quamdiu in suo remanent loco, ubi eas constituit Natura, nullum inferunt damnum; inde verò motæ perquàm sunt nocivæ. Aqua in suo centro non gravat; ignis in sua sphæra non urit; terra in aërem surgens facit fulmina; aër terrâ conclusus terræ motus excitat; domos & civitates evertit: pari ratione aurum argentúmque, quamdiu in fodinis & in centro terræ sunt abscondita, ubi ea natura reposuit, innocua remanentia nemini malum inferunt; inde verò effossa & extracta perquàm perniciosa, ingentem stragem edunt. Præteritum respicite, nisi decipi velitis præsenti.

Horat.

Aureum illud pristini temporis tam celebre seculum quis illud fecit? Aurum illud fecisse videtur, non quod erat, sed quod non erat: quia necdum fuerat detectum. Quamdiu aurum non fuit, aureum fuit Seculum: postquam aurum apparuit in mundo, ferreum esse cœpit ævum.

Horat. *Jámque nocens ferrum, ferróque*
nocentius aurum
prodierat.

Vitæ conservationíque hominum necessaria & utilia, prout notavit Seneca, Democritus, imò & ipse Epicurus, natura valde nobis vicina, detecta & patentia collocavit; veluti plantas, fructus, & animalia: è contrario non tantùm inutilia, verùm etiam perniciosa longiùs à nobis removit, & abscondit, ne illa videremus: & hæc sunt aurum & argentum. In omnibus Natura matrem fuit imitata. Mater pomum dat filiolo, & abscondit illi cultrum, quare? quia vult ut comedat; sed non ut se lædat: proinde, puero flente pro eo quo se lædet, justum non est, ut viri ratione judicióque præditi sensu sint parvuli.

Doctrinam hanc velut tam necessariam (ne Philosophorum tantùm esse putetur) omnium primam nos in principio mundi Sacra docuit Scriptura: *In principio creavit Deus cælum & terram: Terra autem erat inanis & vacua.* Et quid innuere vult, terram inanem fuisse & vacuam: *Inanis & vacua?* Significat, quòd vacua fuerit *ab extra*, & vacua *ab intra*. Vacua *ab intra*; *Inanis*, nondum enim Deus in visceribus terræ creaverat mineralia: & vacua ab extra, *& vacua*, quia Deus similiter in ejusdem superficie terræ nondum creaverat plantas, arbores, & animalia. Deus igitur omnia ista primis sex creavit diebus. Porrò Scriptura exactam & particularem plantarum, arborum, & animalium relationem texens, fodinarum metallorúmque nullam prorsus facit mentionem. Si igitur Scriptura terram in primâ suâ creatione vacuam & inanem *ab intra* & *ab extra* refert; támque distinctè & magnificè narrat, quomodo Deus illâ impleverit, instruxerit *ab extra*, quare omnino subticet, nec dicit, quomodo illam impleverit

Gen. 1. v. 1 & 2.

& ditaverit *ab intra*? Ampliùs. Postquam DEUS omnibus creatis, ultimò creavit hominem, ostendit illi herbas, plantas, & arbores, earúmque fructus dicens: ecce omnem varietatem istam, quam creavi, tibi in victum & oblectamentum concedo: cunctáque terræ viventia coram Adamo adducens similiter dixit: ecce super omnia ista Dominum te constituo, quæ tibi in adjutorium & servitium creavi. Putabam nunc additurum Deum: nec tantùm sustentationi, servitio, conservationíque tuæ concessi & providi, quæ in superficie terræ vides; sed & in visceribus & centro ipsius pretiosissimorum metallorum fodinas, ad cumulandas opes, augendam magnificentiam, commodáque tua tuorúmque Posterorum multiplicanda creavi: sed nihil horum dixit Deus, silentio præteriens similia, nè minimâ quidem eorum mentione factâ. Si igitur Deus in hac donatione universali, velut in Registro, Adamo reliqua tradidit, omnia quæ in usum ipsius creaverat, auri- & argentifodinas, quæ (sicut videntur hodie) pars eorum videbantur ditissima & optima, quare prætermittit? quia reliqua omnia, quæ in superficie videntur terræ, eorúmque dominium & usus, homini pro suî conservatione, sustentatione & oblectamento utilia erant & necessaria: auri- verò & argenti-fodinæ non solùm non utiles & necessariæ, sed superfluæ, perniciosæ, multorúmque gravissimorum damnorum occasionem præbere poterant: hinc quemadmodum eas sub terra abdiderat; sic etiam earundem notitiam illi abscondit, silentio eas præteriens, nec ullâ talis rei factâ mentione.

Verùm enimverò interrogari mihi videor à curiosis, & argui à Criticis: si fodinæ adeò erant damnosæ & perniciosæ homini, ideóque Deus eas abscondit & operuit, quare & ad quid eas creavit? Ut ad istam vobis quæstionem respondeam, priùs propono aliam. Arborem Scientiæ omnium totius mundi malorum occasionem, quare Deus creavit in Paradiso? Vel illa bona erat, vel mala, prout argumentatur S. Augustinus. Si erat mala; quare Deus eam plantavit? & si erat bona; quare eam prohibuit? Minatur homini mortem, si comederit de fructu, ipsúmque fructum talibus inficit coloribus, ut invitet & irritet oculos, *Pulcrum visu, aspectuque delectabile*? Ita factum est. Ille quippe fructus tam pulcher non fuit creatus, ut Adam ex eo comederet, & gustaret; sed ut Deus Adamum tentaret, & eo probaret. Hæc eadem est ratio, quare Deus aurum argentúmque condiderit, tantúmque illi coloris fulgorem tribuerit. Chilo septem Græciæ Sapientûm unus inquiebat, quòd sicut Lapis Lydius probat aurū & argentum; sic idem aurum & argentum est Lapis Lydius hominum. Vultin scire, quales sint homines? auro & argento eos probate. De auro dixit Ecclesiasticus: *Qui post aurum non abiit: Probatus est in illo.* Et de argento dixit David: *Ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Et notate hâc tentatione approbatum fuisse non nisi unum tantùm: *qui probatus est in illo*: & reprobatos & exclusos fuisse multos: *Ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Porrò cùm quotidie petamus à Deo à tentationibus liberari, & in eas non induci: *Ne nos inducas in tentationē*: Gratias agamus Deo, quia nos ab eâ liberavit, in quam nos ipsos immisissemus.

Porrò, ne qua vobis afflictio remaneat ex eo, quòd non habeatis, unde mone-

Gen. 3. v. 6.

Chilo.

Eccl. 31. v. 8 & 10

Psal. 67. v. 3.

tam in terra vestra cudatis, sciant, qui hoc tentoperè desiderant, & promovere satagunt, hanc maximam esse perfidiam, quam Patriæ suæ irrogare possent. Estne possibile, quod Deus terram vobis, dederit tam uberem atque fertilem, ut sola fructuum & aromatum commutatione, à tot jam annis tam abundanter & nobiliter vitam transigatis, nullâ ibidem usitatâ pecuniâ; & nihilominus desideretis & suspiretis pro pecunia, sine qua, & propter quod ipsum fortuna vos tam singulares fecit in mundo? Plinius omnium horum expertissimus, inter plures alias sententias, quibus pecuniarum usum condemnando, illam naturalium fructuum commutationem extollit, hæc notabilia verba scribit. *Quàm innocens, quàm beata imò verò & delicata esset vita, si nihil aliud quàm supra terras concupisceret! utinamq; posset è vita totum abdicari aurum, ad perniciem vitæ repertum: quantū feliciore ævo, cùm res ipsæ permutabantur inter se!* Hucusque magni illius judicii opinio, quod omnium sæculorum scientiam & comprehensionem in se sociavit. Et postquam Deus hanc vobis præstitit gratiam, ut inæstimabili illâ opulentiâ & felicitate naturali fruamini, tam universali perniciosoq; hosti, qualis est pecunia, portas aperire velitis, qui mox ubi ingressus fuerit in terram, pauperes vos efficiet? casum admirabilem inter Christum & Discipulos ipsius audite.

Plin. in proœmio lib. 33. c. 1.

Christus Discipulos suos in mundum mittens, expressè prohibuit, ne aurum & argentum, neque peram secum & pecuniam deferrent: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Revertentes ab itinere Discipulos Magister divinus interrogavit; *Quando misi vos sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Omnes responderunt, sibi defuisse nihil: *At illi dixerunt: nihil.* Ergò jam vobis dico, inquit iterum Christus, ut si quis habuerit sacculum & pecuniam, illam ferat secum; & si habuerit peram, similiter: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Non sine ratione casum hunc admirabilem dixi. Enim verò si Christus Discipulos sine sacculo & pecunia miserat, ipsiq; nihil sibi defuisse sunt experti & confessi, quomodo post experientiā & confessionē hanc, contrarium, pecuniamque secum deferre mandat? si vitæ necessaria ipsis defuissent, rectè sequebatur, ut Christus illis hoc cōcederet. Verùm postquam missis primâ vice pecuniam prohibuerat, & nihil ipsis defuerat, quare nunc sacculum secum ferre præcepit? prævia admiratione grandi respondet S. Chrysostomus. Christus Dominus noster Discipulos suos in patiētia voluit exercere, & ut inopiam necessariorumq; defectum æquanimiter tolerarent: & sicut profectis sine pecunia nihil istorum illis defuit; sic pecuniam secum ferre jussit, ut omnia deessent: *Ac si eis dixerit: hactenus cuncta vobis uberrimè affluebant, nunc autem volo vos & inopiam experiri.* Idem volunt, non intelligentes quid velint, pecuniæ usum vestram subire & pervagari terram desiderantes. Si sine pecunia, & ex sola naturalium terræ vestræ fructuum commutatione omnibus vitæ necessariis abundatis, & multis vestrûm ea superfluant; ad quid vultis pecuniam, nisi ut omnia constent pecuniâ; & omnibus pecuniâ constantibus, vos pauperes sitis? acceptate & fruamini illis quæ Deus tam abundanter vobis tribuit super terram, & sub terra

Matth. 10. v. 9.

Luc. 22. v. 35.

Ibidem v. 36.

Chrys. apud Caten.

terra nolite fodinas, neque quod ex eis cuditur.

§. VII.

Antequam punctum hoc absolvamus (cum promissione quod secundum multò succinctius sit futurum) nolo me minùs zelosum pro opulentia regni culpetis. Et quemadmodum vobis demonstravi, quòd fodinæ, casu quo fuissent detectæ, in magnum vobis damnum & huic particulariter Statui cessissent: sic nunc addo, quod similiter eidem Regno universaliter, majoris perniciei & ruinæ, quàm prosperitatis & incrementi causa & occasio extitissent. Agedùm, ab exemplis vicinioribus exordiamur. Quæ utilitas Hispaniæ emersit ex suo famoso Potossi, aliisque ejusdem hujus Americæ fodinis? ipsa Hispania fatetur & deplorat, quod ad nihil servierit aliud, quàm ad ipsam depopulandam & depauperandam. Illi argentum fodiunt & abnavigant, & extranei illud acquirunt: aliis pretiosorum metallorum provenit substantia, & illis tantùm scoria. Isaias de Israëlitico Regno loquens ait: *Argentum tuum versum est in scoriam.* Idem sine metaphora de Hispaniæ argento pronunciare liceret: Et proprietate magis adhuc domesticâ, illis applicari posset, illud sui proprii Patroni S. Jacobi effatum: *Argentum vestrum æruginavit*: argentum enim conversum est in cuprum, & tot millionum fama & opulentia, in spargimenta.

Isa.1.v. 22.

Jacob.5. v. 3.

Porrò ne quis deceptus mihi dicat aut opinetur, exempli hujus evidentiam nobis servire pro doctrina & correctione; ad regnum aliud, seu regimen sapientius transeamus, quale fuit sine præjudicio & injuria præsentium & futurorum, illud Salomonis. Salomon universali suâ sapientiâ ditissimas detexit fodinas, nec alias, quàm, gravium Authorum opinione, has ipsas novi hujus mundi. Illas in Peru, quas Hispani etiam non investigando retexerunt; & has Brasiliæ, quas nos inquirentes non detegimus. Hæc sententia fundatur in cap. 3. libri secundi Paralippomenon, ubi de auro quod ad Salomonem inde veniebat, ait textus Hebraicus: *Aurum erat parvaim.* Verbum istud Parvaim nomen est plurale, cujus singulare est Peru: & sic idem dicit textus, istud aurum ferri de ambobus Pervais, vel de utroque Peru. Hoc ita declarat Genebrardus linguæ Hebraicæ expertissimus: *Aurum Parvaim in Hebræo appellatur, quasi allatum ex utroq; Peru.* Et infert evidenter, ex novi hujus mundi fodinis erutum fuisse. *Quis non cernit novum hunc orbem nominari?* & ut videatur, unum horum Peru fuisse illud, quod hodiedum adhuc illud nomē retinet: & alterum esse nostrum, quod vocamus Brasiliam (ubi tantùm Salomonis naves appellere poterant) inquit textus, ex rebus peregrinis, & in Asia nunquam visis naves advexisse certa ligna, vocata *Ligna Thyina*, quæ Hebræi à Tirino citati fuisse asserunt *Lignum Brasilium*; Chaldæus transfert, *Coralium*: unde videtur illi dedisse hoc nomen propter similitudinem coloris rubri. Opera verò à textu relata quæ ex hoc fiebant ligno, non poterant esse ex eo, quod vulgariter lignum vocatur Brasilium, sed de alio ligno pretioso ex eis quæ ibidem in copia crescunt.

NB. Author per novum mundū intelligit Americā.

2. Paralip.3.v. 5.& 7.

Geneb. l. 1. Chronolog.

Tirin. in cap. 10. Reg.3.

Hoc supposito (& similiter non supposito) sive hujus essent terræ illæ Salomonis fodinæ, sive alterius cujuscunque;

quid annuè attulerint, & cui rei illud fuerit impensum inquiramus, quod in rem meam facit. Quod classis hæc in auro tantùm afferebat, conficiebat sexcenta, sexaginta sex talenta, quæ constant octo milliones, minus octo millibus cruciatorum. Sic illud specificè numerat & narrat S. Scriptura. *Pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri.* Neque solum aurum sed copiosissimum etiam argentum classis afferebat, cujus in Aula Hierosolymitana tanta erat abundantia, ut platearum lapides adæquâsse Scriptura affirmet. *Fecitque, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* Hanc immensitatem fodinæ istæ annis singulis afferebant. Verùm antequam videamus quibus omne istud aurum & argentum fuerit impensum, unam mihi movere liceat considerationem; non admiratione tantùm, sed etiam horrore dignam.

3. Reg. 10. v. 14.

Ibidem.

Mortuo Salomone in Regno successit Roboam filius ejus: & primò omnium collectus in unum Populus illi proponebat, ut commiseratione motus tributa ableviaret, quibus à Parente suo oppressi fuerant; quia erant importabilia. Et instantia hæc eos finaliter sortita est exitus, ut nolente Roboamo in tam justa petita condescendere, è duodecim Tribubus quibus regnum totum constabat, decem negatâ deinceps obedientiâ rebelles, alium sibi fecerint Regem, & aliud regnum, nunquam amplius subditum & restitutum hæredibus Salomonis. Hìc consideratio mea subintrat. Enim verò, si pondus auri, quantitasque argenti tam excessiva erant, quæ contribuebant fodinæ (præter ordinarios regios proventus quorum etiam meminit Scriptura) omni ista divitiarum immensitate, omnibus istis auri argentique continuò currentibus rivis *per singulos annos*: quare non alleviabatur subditorum oppressio, quare non remittebantur & imminuebantur tributa; imò crescebant, aggravabantur, tam exorbitanter, ut ipsos in desperationem, regnumque in extremam adegerint ruinam? hìc fodinarum fructû, & è tam longinquo deductorum auri & argenti rivorum effectum videre licet. Torrentibus suis inundant terram, opprimunt populum, dejiciunt domos, & regna evertunt.

Naturales tam lamentabilium effectuum causæ ordinariæ non sunt aliæ, quàm quæ in Salomonis præcesserunt regimine. Et quales fuerunt istæ? Luxus, Vanitas, ostentatio, deliciæ, palatia, domus ad omnem amœnitatem constructæ, fabricæ, exquisitæ machinæ, & alia tam exotica, quàm superflua, quæ ad Aulam Hierosolymitanam oculos mundi invitabant: & visa faciebant obstupescere præ admiratione; sicut Reginæ Sabæ contigit. Vasa omnia erant aurea (argentum nihili æstimabatur) mensæ, omnisque alia suppellex & ornamenta erant aurea: & quod fidem excederet, nisi sacra Scriptura id assereret, ad lanceas usque & scuta magno numero erant aurea: hisce vanitatis monstris (quæ potentiam semper excedit) immensi insumebantur thesauri; & ubi non sufficiebant milliones navium, supplere debebant tributa subditorum. Quando classem expedire oportebat, alii convenienter suæ arti concurrebant ad præparationes necessarias; alii ex bonis suis contribuebant pro habitaculis;

taculis;

taculis; alii monetâ cusâ pro ſtipendiis; alii perſonaliter navem conſcendere coacti ad tam longinquam, tam novam, & periculoſam navigationem. Et navibus illis revertentibus auro argentoq; onuſtis, nihil in levamen, remediumque Populi cedebat, ſed ut magis implerentur, qui illis imperabant, & novæ conſumendi excogitarentur artes, & novæ deſtruendi inventiones. Porrò ſi hoc in regimine accidebat Salomonis, penſate utrum ſimile quid expectari vel timeri poſſit, cùm non fuerint Salomones qui regunt & ſceptra tenent.

De conditionibus contingentibusque futuris nemo ſcit niſi Deus & Prophetæ ejus. Proinde non mihi, ſed Iſaiæ fidem
Iſai. 2. v. 7. & 8. haberi volo. *Repleta eſt terra argento & auro: & non eſt finis theſaurorum ejus.* Video terram (inquit Iſaias) totam argento & auro plenam, tantosq; theſauros ipſius ut finem non habeant. O beatam fortunatamq; terram, in qua jam non erit inopia & miſeria! cùm omnis terra ſit plena, omnes circumdabit opulentia, nec erit cui vitæ neceſſaria deſint. Ita verè eſſe videtur. Sed videamus utrum quid amplius videat Propheta, & num illud ipſum quod nos inferimus. Iſaias progrediens jam di-
Ibidem. ctis addit ſequentia. *Et repleta eſt terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus: & repleta eſt terra idolis: opus manuum ſuarum adoraverunt.* Poſtquam vidiſſem terram auro argentoque plenam, equis etiam repletam, & currus ipſius innumerabiles eſſe vidi, & idolis plenam quæ homines manibus ſuis facta adorabant. Ecce incrementa regno acceſſura ex opibus, quas fodinæ promittebant. Implere-tur quidem terra auro & argento; iſtud verò aurum & argentum, quamvis nativo ſibi pondere tendat deorſum, aſcenderet ſurſum. Non ad indigos & inopes, neque ad tenuis conditionis perventurum eſſet homines; ſed omne Magnatûm Potentûmque manibus amplectendum conſignandumq; foret: nam juxta ingenioſum cujuſdam Aſſertum: Magnetes attrahunt ferrum, & Magnates aurum: porrò opera pia quibus theſauri iſti applicarentur, forent plures equi, & currus, plura ornamẽta & palatia; nec non ad pompam & oſtentationem extructa magnificè opera, in quibus ſimiliter locum ſuum habitura eſſent idola baptizata, quæ ibi adorarentur, & quæ tot vitas & bona perdiderunt. Et ſi his incrementis Regnum dilatandũ erat veſtrarum detectione fodinarum, cum veſtrorum diſpendio bonorum, laboris veſtri, cum oppreſſione veſtri & captivitate: videte annon ingenti gratiâ, cœleſtique providentiâ factum ut non detegerentur: & num tam in particulari, quàm generali ſpes veſtra abertârit: *Nos autem ſperabamus.*

§. VIII.

Hoc modo evaneſcente falsâ venarum veſtrarum detectione, ſequitur vera mearum, quam promiſi detectio: & quia certa eſt & infallibilis, tam prolixo diſcurſu non indiget. Chriſtus Redemptor noſter Scribis & Phariſæis miraculum è cælo petentibus, aliud è terra promittens ajebat, quod, ſicut Jonas tribus diebus, & tribus noctibus fuiſſet in ventre ceti, ſic totidem diebus & noctibus eſſet futurus in corde terræ, quæ noctes dieſque fuerunt eæ, quæ à veſpere ſuæ ſacræ mortis, uſque ad mane glorioſæ ſuæ Reſurrectionis numerantur. Quidam Prophetiam hanc & promiſſionem in Chriſti ſepultura completam

pletam afferunt. Verùm hæc interpretatio insufficiens & impropria est, nam licet Christus in sepultura fuerit sub terra, non tamen fuit in corde terræ: *In corde terræ.* Cor terræ non est vicinum superficiei, ubi erat sepulchrum: sed medium ejus & centrum, sed locus profundior & interior, quo Christus descendit, & ubi commoratus est illo triduo: & hoc est quod credimus & confitemur dicentes, quod non solùm sepultus est, sed quod descendit ad inferos. Sed quem in finem descendit Christus in statu glorioso jam constitutus, cui naturaliter competit cœlum? ad quid concava illa tenebrosa visitavit, quò nunquam sol penetravit? scopus & intentio fuit, quærere ibidem & retegere mineras omni auro & argento ditiores, quarum pretium & locum solus ille noverat, & nec Angelus, nec homo ullus, sed solus ipse aperire poterat.

Matth. 12.v.40.

Authores etiam gentiles supremum furiosæ & cæcæ concupiscentiæ seu cupiditatis apicem exaggerare volentes, quo nimirum homines acti ad profundissima terræ sese demittere, & ipsos sibi imponere montes non trepidant, quo ad fodinarum abdita perveniant, inquiunt; quod, ad infernum usque aurum argentumque quæsitum, & erutum abeant:

Ovidius.

Itum est ad viscera terræ:
Quasque recondiderat stygiisque advexerat undis
Effodiuntur opes, irritamenta malorum:

Elegantibus versibus cecinit Ovidius. Et non inelegantiore prosa, neque inferiore judicio affirmavit Plinius: *Imus in viscera ejus, & in sede manium opes quærimus. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit atque demersit.* Quod homines isti Christi notitiâ destituti, per exaggerationem de auri argentique fossoribus pronunciârunt, illud ipsum Christus in propriis terminis, realiter & personaliter peregit magis abdita & profundiora penetrando terræ, & ad infernum descendendo, ad detegendas, dirumpendas, & reserandas suas fodinas non auri & argenti, quæ augent mala terræ; sed aliorum longè pretiosiorum metallorum, quibus augetur, decoratur, & ditatur cœlum.

Plin.

Mons unde fodinæ istæ erui & fodi cœperunt, mons fuit Calvariæ: Instrumenta, crux & clavi; situs subterraneus, ubi illæ erant reconditæ, sinus erat Abrahæ; & tot exantlatis laboribus inde à Christo eductæ divitiæ, erant animæ. Animam ipsius eduxit Abrahæ, qui nomen dedit loco; Animam eduxit Abelis, quæ prima omnium illuc fuerat ingressa. Animas eduxit Adami & Evæ, quæ unius appetitu pomi causa extiterunt, quò minus & ipsi & eorum posteri è Paradiso terrestri in cœlum transferrentur. Eduxit animas veterum Patriarcharum, Seth, Noë, Isaac, Jacob, Joseph & Moysis, quorum lex quamvis fuerit dispositio, non tamen sufficiens fuit ad introducendos homines in gloriam, quod legis gratiæ singulare est privilegium. Eduxit animam Job, quæ eodem tempore salvata fuit in lege naturæ, & pariter (pro ut videtur) illas aliorum amicorum suorum, eâdem veri Dei fide præditorum. Eduxit animas Regum justorum & Sanctorum (verum rariore numero, quàm fuerant coronæ) animam Josiæ, Ezechiæ, Manassis, Josaphat, & Davidis. Et si illis associata non fuerit anima Salomonis, prô

prô quanta infelicitas! Eduxit Animas Prophetarum, Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, Daniëlis & ceterorum, & cum singulis eorum in triumphum animas, quas prædicationibus ab Inferno liberârant. Et ne excludantur mulieres (quarum animas, non defuit, qui ad imaginem & similitudinem Dei creatas esse negaret) eduxit animas Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Mariæ Sororis Moysis, Esther, Ruth, illam castæ Susannæ, & generosæ Judith. Et cum his famosioribus ceteras omnes, quæ in obscuro isto carcere Mesiæ adventum longanimiter sperabant & exspectabant.

Ex eis, quæ ab Incarnato Verbo Dei (nisi historiâ divitis Epulonis fuerit antiquior) fuerant ingressæ, eduxit Christus animam Lazari pauperis, cujus tantùm meminit Evangelium, quam ad eundem Abrahæ sinum deduxerant Angeli; semper manente in Inferno, & in igne, & invidiâ arsurâ Divitis ejusdem animâ, cujus fortuna ad invidiam usque floruerat in mundo. Eminuit quòque inter temporis istius animas illa Simeonis, felicis illius Senis, qui Christum suis ulnis est amplexus, & primus læta illuc de redemptore jam nato detulit nuncia. Antiqui censuerunt dari animas magnas & parvas: quod si ità se haberet, parvarum numerum animarum valde auxerunt illæ Innocentûm Bethlehemiticorum, quos Christus à gladio non liberavit Herodis, ut Eos nunc gloriosè secum deduceret. Denique in numerosissimâ illâ animarum catervâ, inter omnes illas magnas animas præ ceteris resplenduerunt quatuor majores, scilicet illa S. Joannis Baptistæ, illa S. Joachimi, illa S. Annæ, & illa ipsius, qui dignus fuit ipsius Christi Pater nuncupari, incomparabilis Josephi.

Hi inæstimabiles fuêre thesauri, quos Redemptor Mundi è suis eduxit fodinis, qui quatuor millium annorum spatio ab ejusdem mundi principio multiplicati crevêre semper. Tunc impletum est, quod Deus ex ore Isaïæ promiserat dicens: quòd ipsi daturus esset thesauros absconditos & abditissimos in terra, portásque æreas & vectes ferreos confracturus. *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Isai. 45. v. 2. & 3. Novi equidem hæc verba superficie tenus ad Regem Cyrum esse directa; ipsam verò Prophetiæ intentionem Christum respexisse certum est. Quemadmodum qui ante se Sancti cujusdam habet imaginem, loqui videtur cum imagine, & loquitur cum Sancto: sic Isaias literaliter loquens cum Cyro, qui typus & Figura erat Christi, cum ipso Christo loquebatur propriè, & de ipso prophetabat, & non de Cyro. Idem Propheta mox commentando explicat seipsum sic determinando verba, ut nullâ ratione de Cyro seu quocunque alio homine intelligi possent, nisi qui simul & Deus esset & homo: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Ibidem v. 15. q. d. Ille de quo loquor sub nomine Cyri, est verè Deus absconditus & Salvator. Deus absconditus; in Christo enim erat Divinitas sub humanitate abscondita: & Deus sic absconditus Salvator; quia ut salvaret nos Deus, se fecit hominem. Porrò ad omne tollendum dubium, quòd ille Salvator non esset instar ceterorum hominû terrestrium, sed Deus qui de cælo descenderet, prosequitur idem Propheta, ipsum interpellans cælum, ut desuper plueret Justum, ut in terra nasceretur Salvator: *Rorate cæli desuper, & nubes* Ibid. v. 8.

pluant Justum : aperiatur terra & germinet Salvatorem. Ità ut Princeps ille, cui DEUS detectionem promisit fodinarum secretarum, & abditissimorum divitias thesaurorum, non esset Cyrus, neque Rex alius terrenus; sed Christus verus Deus similiter absconditus, de cælo descensurus: nec alio descensurus fine, quàm ut esset Salvator.

Verùm si Christus, quando descendens de cælo & veniens in Mundum natus est in vili stabulo: Si velut Filius Matrem elegit inopem; si quà Magister pauperes elegit Discipulos; si primam omnium prædicavit & docuit paupertatem; si velut pauper ipse eleëmosynis vixit: si mortuus est sinè domo, sinè lecto, & nudus tanquam extremè indigus & pauper: si semper damnavit divitias & cælum promittens pauperibus, ingressum in illud difficilem & quasi impossibilem fecit divitibus; quinam isti sunt thesauri, quos Deus illi promisit, & quænam abditæ fodinæ ipsi erant retegendæ? dubio procul non fuerunt aliæ, quàm illæ pretiosæ ac gloriosæ animæ, quæ in sinu Abrahæ tanquã in thesauro per omnia secula reponebantur, non solùm absconditæ & inclusæ; sed verè captivæ: pro quarum illustratione, liberatione, & redemptione Christus descendit (ùt inquit S. Paulus) in inferiores partes terræ: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* Et quia eædem animæ ex subterraneo isto loco egredi nequibant, ubi captivæ ferróque constrictæ tenebantur tanquam in carcere æneo: idcirco thesauros hósce & fodinas promittendo Deus certum simul reddidit Christum illorum detectorem & acquisitorem, quòd priùs portas æreas confringet, vectésque ferreos disrumpet: *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam: & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorũ.*

Ephes. 4. v. 8. & 9.

Ità in locum hunc literaliter commentatur S. Hieronymus & S. Augustinus. quis verò thesaurorum horum & fodinarum harum pretium dignè poterit declarare? comparatione tantùm auri & argenti quæ mundus in fodinis aliis tanti æstimat, aliquatenus investigari potest; & sic fecit S. Petrus, de animabus illis & nostris loquens, exhortetur nos S. Petrus, ut puras nostras conservemus animas, divinis obediendo Mandatis, quæ omnia in dilectione includuntur: *Animas vestras castificantes in obedientia Caritatis.* Et principale Motivum ad hoc non aliud nobis proponit, quàm earundem pretium valorémque animarum: *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Unùm advertatis S. Petrum non solùm exprimere pretiũ, quo animæ fuerunt comparatæ; sed etiam pretium, quo non fuerunt comparatæ, ignoro. Non auro & argento, sed sanguine Christi comparatas fuisse dicit. Enimverò nunquid dicere sufficiebat cõparatas esse sanguine Christi Divinitati unito, & hinc pretio infinito? Sufficiebat, & superabundabat. Verùm quia de vilitate & abjectione hominum loquebatur, qui velut de terra facti, à terra nesciunt cogitationes attollere, tantíque aurum & argentum æstimant; hinc considerando addidit non auro & argento fuisse comparatas; sed infinito Sanguinis Christi pretio: ut intelligant credántque omnes Fide præditi, animas infinitè pretiosiores esse, infinitéque ditiores

1. Pet. 1. v. 2.

Ibid. v. 2.

tes esse fodinas, ubi Christus eas quæ sivit sub terrâ, quàm omne aurum & argentum quod ab aliis educitur, & educi potest.

Quàm bene hoc intellexit Rex Joannes Secundus, quando retectæ fuerunt fodinæ in Regione Africæ, quæ nomen eidem indiderunt terræ! constructum ibi fuit famosum S. Georgii castellum: verùm quia multas absorbebat expensas, & Regio insufficiens, convocatum & habitum fuit Statûs consilium, utrùm extendendum videretur: multorum verò id affirmantibus suffragiis, quid Rex respondit? nullatenus extendendum. Ego enim, inquit, castellum illud non tàm pro defensione & conservatione fodinarum, quàm pro conversione animarum gentilium illud extrui mandavi: & sufficit mihi spes unius tantùm animæ ex ipsis, ut benè applicatas censeam expensas.

§. IX.

Istæ, Auditores mei, sunt fodinæ, è quibus Christus hodie, dives adeò è terræ centro ascendit: istæ sunt fodinæ, quas me hodie vobis detecturum promisi. Si auri & argenti fodinas Deus vobis pro voto non concessit; vel gratiam vobis, ne detegerentur præstitit, ut à tantis vos præservaret & liberaret casibus adversis & infortuniis, sicut audîstis; bono estote animo acquiescentes, quod vos dotârit & ditârit illis, quæ ipsius æstimatione (quæ sola certa est & vera) dignæ fuerunt, ut proprio ipsius sanguine emerentur & compararentur. Magnus iste Fluvius, omnium mundi fluviorum Dominus, qui nomē civitati vestræ & toti Statui imposuit, quam quæso ripam habet in lato suo cursu, vel in suis extensis adeò brachiis, quæ non loco arenarum aurearum, de quibus alii se fluvii fabulosè jactant, unionibus istis & margaritis, quales Christus vocavit animas, dives existat? Alii hunc vocant fluvium Amazonidum, seu Amazoniarum; Ego verò Animasoniarum illum appello: non quod minores sint, minoresve pretii (omnes enim eodem pretio constiterunt) sed quia tàm leviter & despicabiliter prostituuntur, & perduntur, dum aurum & argentum tam anxiè desideratur, tantâ curâ & sollicitudine procuratur, tantoque quæritur labore & conatu? O animæ Sanguine Filii Dei redemptæ, quàm parum vestrum cognoscitur pretium, & quàm modicè vester sentitur interitus, qui sanguineis etiam lacrymis deplorari mereretur! Qui verò tam parvi faciunt animam propriam, quanti facient alienas?

Agedùm, cùm Christus mundi Dominus nobis hasce detexerit mineras, earumque nobis exaggeraverit pretium, easque in terræ flore collocavit; in hac, quæso, terra, quam vobis tradidit Dominus, eundem in finem, ne eas sic vilipendatis. Ecce quàm injuriosum esset fidei, charitati, sanguinique Christi; si illo ad centrum terræ descendente ut animas quæreret, nos ipsas pessum ire ad infernum patiamur, quando illas sibi ipsis, & nobis, & Christo ipsi, non fodiendo, nec perforando montes servare & salvare scimus! Porrò ut noster ad hoc accendatur zelus, tam quæstuoso labore; tantùm advertere nos omnes volo, quod hoc ita faciendo, certo modo plùs faciemus etiam nequidem terræ

superficiem egrediendo, quàm fecerit Christus ad ejus centrum descendendo. Est Fide de Christum ad inferos descendisse: *Descendit ad inferos.* Est etiam de Fide, duplicem esse infernum: unum profundiorem in terra, ubi Dives Epulo detinebatur: & alium superiorem & superficiei terræ viciniorem, ubi Abraham cum Lazaro morabatur. Ex hoc inferno superiore Christus eduxit animas quotquot ibi morabantur; ex inferno verò inferiore (sive Christus personaliter eò descenderit sive non) nullam eduxit. Nihilominus David asserit, Deum animam suam ex inferno inferiore eripuisse: *Eruisti animam meam ex inferno inferiore.* Si igitur anima Davidis aliorumve Prophetarum, è sinu Abrahæ, qui est infernus superior, fuit educta, quo pacto eductam illam adstruit ex inferno inferiore, qui est infernus Damnatorum, & propriè infernus appellatur? Animam Davidis Deus bis, & à duobus liberavit infernis: semel in vita, & iterum post mortem. Post mortem ab inferno illam liberavit superiore, quando jam cum reliquis animabus sanctis ex sinu Abrahæ eduxit: & in vita eandem ab inferno inferiore eripuit, ad quem ob adulterii & homicidii peccatum erat condemnata, & ubi æternum illi patiendum fuisset, nisi Deus ex sua magna misericordia eam inde liberasset; prout ipse ingenuè confitetur: *Quia misericordia tua magna est super me; & eruisti animam meam ex inferno inferiore.*

Psal. 85. v. 13.

Ibid.

Ecce statum, in quo tàm infinita animarum multitudo degit, quarum remedium salutemque Deus nostro credit zelo & pietati Christianæ. Innocentes ob peccatum originale ibunt ad limbum, qui etiam est infernus, non enim videbunt Deum in æternum. Omnes verò adulti, tàm propter peccata actualia, quàm fidei baptismique defectum rectà ad infernum inferiorem vadunt. Et ab hoc inferno, unde Christus nullam hodie eduxit animam, nos etiam terram nostram non exeundo, tot millenas educere possumus animas, & ex eis inæstimabilem conflare thesaurum, tantò locupletiorem & pretiosiorem, quantò pretiosior una est anima, omni auro & argento, & omnibus mundi bonis. Christiani, veritatem istam vel credimus, vel non credimus? Si eam non credimus ubi nostra est Fides, nostra spes, & noster intellectus? de nostro dicatur intellectu & fide, quod Christus hodie desperabundis dixit Discipulis: *O stulti & tardi corde ad credendum!* Verùm si fidem habemus & ratione utimur, quomodo lætitia, gaudium, & felicitas, quod Deus hasce cœlestes detexerit nobis fodinas, fallacem & fatuam non absorbebit tristitiam, de non inventis terrenis, quas investigabamus?

Luc. 24. v. 25.

S. Augustinus rem intellectu suo condignam notavit, quæ hodie accidit S. Petro: Maria Magdalena, quæsitum in sepulchro corpus Domini non inveniens, omni positâ morâ, S. Petro hoc narratum abiit festinatò: S. Petrus æquali festinatione non tàm ivit, quàm cucurrit ad sepulchrum, oculis veritatem narratii exploraturus. Et quale desiderium in corde S. Petri arsisse putamus?

S. Au-

Aug. Serm. 132. de Temp. S. Augustinus illud declarat, dicens: *Ad sepulchrum celeri cursu festinat, lætior rediturus, si non inveniret, quem quærebat.* Id est, S. Petrus currebat festinanter ad sepulchrum, non desiderio inveniendi; sed non inveniendi, & ut lætior rediret, si non inveniret, quem quærebat. Hoc modo lætatur qui judicio sano rem intuetur, quique intelligit, uti S. Augustinus intelligebat: dantur enim casus, in quibus felicitas non in inveniendo, quod quæritur, & desideratur, sed in non inveniendo subsistit. Quousque inter creaturas non inveniebatur Adamo similis: *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus:* *Gen. 2. v. 20.* eousque Adam fuit felix; mox verò ut inventum fuit, quod non inveniebatur, omnium ipsius infelicitatum, calamitatum, & miseriarum origo & causa indè processit. Lætentur igitur cum S. Petro, quotquot tristes fuêre de non invento, quod quærebant: similiterque, & multò amplius lætentur cum Discipulis in Emmaus euntibus, quod inveniant & plùs ipsis detegatur, quàm sperabant. Illi unum particulare bonum temporale, scilicet Redemptionem Israël sperabant: *Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israël:* Et quod invenerunt non quæsitum, fuit spiritualis æternaque redemptio mundi: in qua animarum suarum omniumque aliarum salus consistebat.

Omnium animarum salus desideranda est, & pro omnibus sacrificia precumque suffragia Deo offerenda sunt. Cùm verò omnium salutem procurare non sufficiamus; saltem non desimus derelictis illis & desolatis, quibus tanquam nobis propinquioribus charitas nostra magis est obligata. Super omnia quilibet pio Christianoque zelo actus, satagat domesticorum suorum promovere animarum salutem, & particulariter suæ propriæ, cujus, pro dolor! multi adeò obliti vivunt. Denique intelligentes veritatem, agnoscamus quod res est, hos tantùm veros esse thesauros, & non dari alios, quamvis cæcitas nostra hoc eos vocet nomine. Permitto vobis desideratas detegi fodinas, civitatemque vestram argento stratam, & domos vestras laminis aureis tectas: quis inde fructus omnibus animabus? tolleréts ne aliquid horum secum? num ad reddendam rationem quicquam profuturum esset? si igitur hîc remansura sunt omnia, quare non placet nobis consilium Christi, toties nos adhortantis, ut thesauros comparemus in cœlis: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* *Matth. 6. v. 20.* Et notate, quod dicit: *Thesaurizate vobis:* omnes enim alii thesauri, remanētibus hîc tantùm prosunt. Veteres, thesauros suos sepulchris suis suffodi faciebant: hinc Job dicit, thesaurorum effossores invento lætari sepulchro: *Effodientes thesaurum gaudent vehementer; cùm invenerint sepulchrum.* *Job. 3. v. 22.* Numquid autem melius est, ut anima suos inveniat thesauros in cœlo, ibidemq; lætetur eisdem, quàm quod alii vestro lætentur sepulchro, vestrâq; morte, ut sibi acquirant ea, quæ vos vobiscum deferre non potestis? Agite, agite, fidem habeamus, habeamus, inquam, fidem, & sola nos peccata nostra contristent, & bene fundata salutis nostræ spes sola nos lætificet. Et ut è non inventis etiam fodinis aliquem referatis fructum; primus sit Pudor, quòd tantum labo-

laboris impendamus thesauris terræ, quando tam modicum impendimus æternùm duraturis thesauris cœli. Secundus sit, exemplum & resolutio tantundem faciendi saltem pro animæ salute & gratia Dei, quam nobis ipse Deus promittit, quod ubique inveniemus, si illam prædicto modo quæsierimus. *Si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies.* Amen. Prov. 2. v. 4.

SERMO

In


EXEQUIIS

Excellentissimæ Domicellæ Mariæ de Ataide, Filiæ Comitum de Atouguia, è Gynæceo Aulico.

In Conventu S. Francisci de Enxobregas. Anno 1649.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

§. I.



HÆc Verba (quæ Christus apud S. Lucam effatur) magnâ cum solemnitate cantabat Ecclesia die Augusti vigesimo secundo inter plures hujus anni funesto, in cujus memoriā, atque ad exprimendum simul & mitigandum dolorem, hocce pietatis & misericordiæ opus dedicatum est. Illa ipsa dies, quæ subjectum Discursus sustulit, Thema suggessit. Erat dies gloriosa Octava Assumptionis Dei Matris, dies felix ad relinquendam terram, occasio fortunata ad intrandum cœlum. Diem mortis, cum timore Scriptura appellat diem Domini: *Adveniet dies Domini ut fur.* Felix anima! cui accidit, ut dies Domini caderet in diem suæ Matris; dies tremendus in diem adeò privilegiatum: magnum sanè felicitatis argumentum! est pia & recepta Doctorum opinio, omnibus diebus uni è Festivitatibus Beatissimæ Virgini Mariæ consecratis, magis patere cœli portas, hocq; privilegium omnium Festivitatum principali, seu Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis diei præcipuè concedi, non id solùm admittit opinionum probabilitas, sed certum est. S. Petrus Damianus hoc affirmat, & gravissimis id exemplis confirmat. Ad hanc circumstantiam usque Maria sibi novit optimam eligere partem: *Maria optimam partem elegit.* Luc. 10. v. 42.

2. Pet. 3. v. 10.

Qui-

QuidamPrincipes,dum quem ad mortem condemnârunt, hujusmodi condemnatis genus mortis eligendi facultatem concesserunt, ita Nero egit cum Seneca. Quod si Deus ad mortem nos præordinans attribueret pariter facultatem eligendi nobis diem,quo moriamur, crederem omnes hoc die mortem desideraturos, neq; enim potest eligi felicior ad hoc periculosum iter in alteram vitam perficiendum,quàm post vestigia illius Principis supremæ, quæ ad deducendum stella est, ad ascendendum scala est, ad intrandum porta est; Stellā matutinam, Scalam Jacob,Cœli Portam eam appellat. Ecclesia. Dum Filii Israël ex Ægypto iter facerent in terram Promissionis, hoc ordine profecti sunt. Præcedebat Arca Testamenti ad duo millia passuum: sequebatur deinde totus Exercitus in certa agmina divisus & dispositus: ultimo (hunc locum illis assignant Scriptores) ferebantur in tumulo portatili ossa Joseph. Hoc iter Israëlitarum(id est videntium Deum) figura erat illius itineris, quo animæ ex hujus mundi Ægypto, ad terram Promissionis æternæ Gloriæ proficiscuntur: at nunquam veriùs, quàm præsenti occasione. Præcessit vera Arca Testamenti Virgo Maria, quam in die triumphalis Assumptionis nominatim vocavit Arcā Testamenti David: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & Arca Sanctificationis tuæ.* Mox secutum est in proportionata distantia (quanta diem inter & octavam intercedit) non corpus Exercitûs, sed Exercitus animæ. Anima omnibus Ecclesiæ Sacramentis armata, stipata Angelis, associata piis operibus, tot suffragiis & sacrificiis insecuta, quid aliud est, nisi exercitus benè ordinatus & terribilis? sic eā non sine admiratione appellant Beati illi Spiritus cœlorum Præsidiarii, dum vident animā ascendentem: *Quæ est ista, quæ ascendit, terribilis ut castrorum acies ordinata?* denique & in fine (talis enim omnis rei finis est) terminatur hodie hæc invisibilis & gloriosa pompa, per id quod videtur, & quod solùm oculi nostri videre possunt, per paucos cineres, & per Tumulum. Tumulus ille & Cineres etiam ipsi progrediuntur, sed motu adeò lento, & passibus ita remissis, quod ad cœlum, ubi anima nunc quiescit, haud pertingent, nisi in die universalis Resurrectionis. Brevì hos cineres è conspectu perdemus, nunquam amplius conspiciendos. Modò solummodò sunt præsentes, & oculis nostris repræsentantur, ut ad pietatē moveant, sintq; nobis pro perpetuo exemplo, & ultima veritate, ne tandem nos ipsos decipiamus Rogemus eandem Beatissimam Virginem, quæ jam dedit gloriam felicissimo nostræ orationis Assumpto, etiam nobis det gratiam, quâ indigemus ad loquendum de eo; Ave Maria.

Psalm. 131. v. 8.

Cant. 5. v. 6.

§. II.

Maria optimam partem elegit.

HUic sententiæ Christi occasionem dedit pium quoddam lamentum, sed tam temerarium, ut ipsum Dominum morderet, ejusque Providentiam argueret: *Domine non est tibi curæ?* Domine, non provides? in mundo accidunt nonnulli casus, in quibus Deum suæ Providentiæ videtur fuisse oblitum: inter hos præcipuè miramur illos, qui circa vitam & mortem contingunt. Ex hac admiratione natus fuit in mentibus hominum error ille de Fato & Fortuna, quæ licet apud nos exciderint Divinitate, retinent tamen nomen. Si

Si consideremus attentè quis in hoc mundo vivit, & quis moritur, magnâ fide opus est, ut Providentiam existere credamus. Sola hujus lamenti causa fuit, quòd Martha se videret à Maria derelictã quæ conversabatur cum Deo. Similis huic causa est præsens, sed pluribus fulta afflictionum circumstantiis (nescio utrùm dicam sinè ratione) unde & hodie plura audiemus lamenta, & plures lamentantes.

Tandem Maria est & conversatur cum Deo: *Sedens secus pedes Domini*: dissolvit debitum & curas mundi, vincula humanitatis disrupit, sanguinem, amorem
Luc. 10. v. 40. & ipsam vitam solam reliquit: *Reliquit me solam.* De hac insperata derelictione tres sunt hodie, quæ sicut Martha lamententur, néque de Maria conquerantur, quòd ità agat, sed de Domino, quòd ità permittat: *Domine, non est tibi curæ?* Et quæ sunt istæ lamentantes? Prima est Ætas; secunda est Formositas; tertia Ingenium & Discretio. Omnes steterunt sicut Martha: *Quæ stetit & ait*: Lamentantur unà cum illis, Corpus, Anima & Unio, totáque humani Compositi fabrica. Pro parte Unionis lamentatur Ætas rescissa: pro parte Animæ dolet Prudentia obmutescens: pro parte corporis queritur Formositas ecclypsim passa. Plangit Ætas ictum, Prudentia silentium, Formositas ecclypsim: non enim contra mortem ivit, quod in Ætate floridum, in Formositate gratiosum, in Prudentiâ ingeniosum fuit. Auscultemus hæc lamenta, & has lamentantes, & postea illis respondebimus.

§. III.

Ætas primùm de morte conqueritur, nec sinè ratione. Mirabatur David à Deo sibi adeò strictè mensuratos dies
Psal. 38. v. 6. suæ vitæ: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*: nihilominùs vixit octuaginta annis. Jacob omnes dies suos paucos dixit & malos: *Dies peregrinationis meæ parvi & mali*; & tamen vixit centum & quadraginta septem annis. Gen. 47. v. 9. Job mirabatur, quantâ velocitate progrederetur ad sepulchrum: *Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Job 17. v. 1. Nihilominùs vixit ducentis & septuaginta annis. Si igitur Jobo, Patientiæ Speculo, videbantur dies sui, quantumvìs longi, adeò breves: Si Davidi, Fortitudinis Columnæ, videbantur adeò malè mensurati dies sui: Si Jacobo, Constantiæ exemplari videbantur pauci & mali: quam rationem dolendi non habebit ætas multò strictiùs mensurata, eò breviùs decurtata, eò magìs abbreviata, quod in flore rescissa? si queruntur octuaginta anni, centum & quadraginta, & ipsi ducenti & septuaginta anni, cur non lamententur viginti quatuor? ô mortem crudelem! quàm decepti à te vivunt illi, qui dicunt te æquâ ratione agere cum omnibus!

Encomium æqualis apud vulgus mors acquisivit propter indifferentiam, quâ Regum Palatia pariter ac Pastorum casas proterit: *Æquo pede pulsat Pauperum tabernas Regumque turres*: Non enim possunt Regum Palatia quantiscunque cincta vigiliis mortis insultibus resistere, erátque rationi conforme, ut quæ semper assolent veritati claudi, natura ipsa ostiolum, quo à fraudibus liberarentur, aperiret. Sed etsi mors æquus Arbiter sit, sæpe tamen sese demonstrat inæqualem. Æqua mors est, quia nullam personarum habet exceptionem; iniqua est, quia nec ætatem respicit, nec merita. Occidere omnes nemini condonando, nullũ dubiũ est, quin id sit æqualiter cum omnibus agere:

agere: sed nos in flore ætatis vitâ privare, alios post ætatem consummatam; præterire hos qui sunt Mundo impedimentum, cósque tollere qui serviunt ornamento, quæ major inæqualitas & injustitia? Omnes de brevitate vitæ queruntur: sed ego non queror nisi de inæqualitate, nec non diversitate, quâ mors progreditur. Advertite.

Apparuit aliquando mors Prophetæ Habacuc, & vidit, quòd gradiebatur
Habac. 3 v. 5. in triumphum de Christo: *Ante faciem Ejus ibit mors.* Apparuit iterum S. Joanni in Apocalypsi, & vidit, quòd equitaret:
Apoc. 6 v. 8. *Ecce equus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Prophetæ Zachariæ tertiâ vice mors apparuit, qui vidit
Zach. 5. v. 1. faciem alatam: *Vidi, & ecce falx volans.* Ita ut sit mors, quæ pedibus gradiatur, quæ equitet, & quæ alata volet. Vita eodē semper passu incedit, sequitur enim cursum temporis: at mors in suis gressibus nullum ordinem observat; aliis gradiendo venit; aliis currendo; aliis volando. Si mors omnibus graderetur, curreret, aut volaret, æqualis esset; ast aliis incedere, aliis currere, mihi volare? id sanè non est esse æqualem. O mors, utinam rescinderentur alæ tuæ! Sed bene est, quòd tu eas possis agitare, ut nos illas possimus rescindere. Depingitur mors dexterâ tenens falcem, & sinistrâ horologium alatum. Si aliquando mors talis fuit; mutetur inposterum hæc Pictura, non enim jam se ita habet mors: *Ecce falx volans.* Sustulit mors horologio alas, quod tenet manu sinistrâ; easque falci addidit, quam manu dexterâ sustinet: est enim velocior falx mortis ad rescindendum, quàm horologium vitæ ad currendum. Quinimò, licèt mors non volet, currit velociùs quàm vita. Equum illum, super quem vidit S. Joannes mortem sedentem, ait Textus (secundùm versionem Tertulliani) fuisse viridem: *Equus viridis.* Quis unquam vidit equum viridem? erat equus mortis; induitur hoc animal indomitum coloribus annotū quos invenit; spe adornatur, quam tollit; depingitur verno, quod destruit. Morti omnes anni sunt subjecti, sed nulli magis quàm illi, qui credebantur magis securi, scilicet virides. Tertull.

Ostendit DEUS Prophetæ Amos (qui erat homo agricola) visionem, cúmque interrogavit, quid videret: *Quid vides tu Amos?* Respondit Propheta: Amos 8. v. 8. Domine, *Uncinum pomorum.* Id est, video uncinum quo fructus arborum colliguntur. Scias (inquit Deus) hunc uncinum quem vides, esse mortem. Totus hic mundi circuius est locus arboribus plenus: arbores aliquæ grandes, aliæ humiles, sunt diversa stemmata & familiæ; fructus, alii magis, alii minùs maturi, sunt homines; uncinus, quo etiam ad ramos altissimos pertingitur, est mors: alios colligit, alios relinquit. O Domine! hæc mors est, prout esse debebat, non prout reipsâ est. Qui pomarium intrat, ut fructus colligat, maturos apprehendit, agrestes & immaturos derelinquit; & quantumvis agrestes colligeret, adhuc fructus colligeret. Sed quod deploro, illud est, quòd non colligens mors fructus, decerpat flores: *Flores apparuerunt in terra nostra*: Cant. 2. v. 12. Nec ultrò mors indulsit: *Tempus putationis advênit*: Apparuerunt simul & disparuerunt. Attendite flores. Ver vitæ, mortis Autumnus est. Falx, quam manu agitat, est instrumentū Augusti, non Aprilis; hâc dexterâ sagacitate armatur mors.

Minatur spicis, ne flores ad defendendũ se præparent. O crudelitatem! ô deceptionem! Non ictum suspiro, sed tempus queror. *Flores apparuerunt: tempus putationis advênit!* quòd tempus sit florescendi, & tempus metendi, ad naturæ ordinem spectat: Sed quòd tempus florescendi sit tempus metendi! quòd ætas magìs florida sit maximè mortalis! quòd Vita æternitate digna sit prima, quæ morti subjiciatur! cùm adsit superior huic tyranno dominans! cùm sit Providentia quæ Mundum gubernet! hoc ipsum est, quod vita lamentatur: *Domine, non est tibi cura?*

§. IV.

HÆC Ætatis justissima lamenta sequuntur illa quæ concepit Formositas, non sanè minùs compatibilia, quin potiùs magìs idonea ad movendam compassionem. Jeremias in planctu Bethlemitico lacrymas Liæ transtulit in oculos Rachelis, non quidem ut majori sensu deplorarentur, sed ut majore compassione auscultarentur. Deplorat Formositas, mortem tanto splendori paucos adeò dies concedere, & tam eximiæ scenæ angustum adeò indulgere theatrum. Cùmque lamenta ex ore Rachelis meliùs audiantur, sit horum lamentorum ipsa Rachel prima Allegoria. Observo valde, quàm diversimodè cum Rachele sese habuerunt, ille qui ipsi vitam dedit, & ille qui eam sibi sustulit, scilicet Laban & mors. Petebat Jacob à Laban præmium septem annorum, quibus ipsi serviêrat, deditque illi Laban loco Rachelis Liam Sponsam, dicendo, Liam esse primogenitam, ideóque debere præcedere. Sustinuit patienter Jacob, aliísque septem annis servivit, cúmque posthæc faceret iter ex Bethel in Bethlehem, mortua est Rachel sepultáque in via, supervivente multis adhuc annis Liâ. Nescio, an differentiam notetis. Laban, dum in matrimonium collocaturus erat unam ex Filiabus, ad annos attendît, Liámque anteposuit: sed mors sepulchro conditura unam ex his duabus Sororibus, majorem ætatem non attendît, fecítque Rachelem præcedere. Si igitur primùm Lia ante Rachelem Matrimonio jungi debeat, quia illa hanc superat ætate: cur ante Liam Rachel sepeliri debet, cùm ætate Rachel sit Liâ junior? éstne possibile, ut Rachel ad Sponsalitium ultima, prima esse debeat ad sepulchrum? Ità est, hoc enim est Rachelem esse. Secundùm Leges Laban pro Matrimonio præcedit major ætas: secundùm Lêges mortis pro sepulchro præfertur major formositas.

De terra in cælum usque hæc Lex firmata est. In terra Rosa Florum Regina ephemeris est unius diei: Candescens illa pompa, illa ambitiosa Purpura, quibus vestitur, sunt pro tempore matutino fasciæ, pro meridie ornamentum, pro vespero syndon sepulchralis. In cælo Lunam stellarum Reginam, aspiciendo eam plenam, quis non dixerit eam esse formositatis effigiem: & mox deficientem si respexerit, non judicabit mutationis redundantiam? Quando cum omni gyro illustrata resplendet, tunc ecclypsim patitur; quando Soli opponitur, tunc terrâ operitur. Jungamus pulchritudinem terrenam cælesti, & idem in hac unione reperiemus. Transfiguratus est Christus in monte Thabor, apparuerúntque ibidem cum Christo Moyses & Elias: *Et dicebant excessũ ejus quem* *Luc. 9, v. 31*

quem completurus erat in Jerusalem. Quis unquam in tali occasione ità fieri vidit, ut dum Christi Formositas suam unâ vice ostentaret gloriam, subitò eam plangerent Prophetæ? Optimè sanè: illa enim pulchritudo quam intuebantur mortis erat prænuncia de qua loquebantur: *Loquebantur de excessu.* De uno excessu alterum inferebant: quòd qui tantùm excedebat in pulchritudine, non poterat diu vivere. Quantum dicebatur in monte Thabor, id omne fuit hujus veritatis demonstratio. In monte Thabor locuti fuerunt illi duo Prophetæ, nec non S. Petrus. S. Petrus ùt ignorans loquebatur: *Nesciens quid diceret*; credidit námque, hanc excessivam pulchritudinem posse diu in hac vita durare: *Bonum est nos hic esse.* Prophetæ prudenter discurrebant: cùm enim tam excessivam pulchritudinem intuerentur, excessum mortis infallibiliter intulerunt: *Loquebantur de excessu.* Imò, si bene consideraverimus, ipsa pulchritudo Christi fuit maxima confirmatio exigui illius temporis, quo durare debebat. *Matt. 17 v. 2.* Dicunt Evangelistæ: *Resplenduit Facies Ejus sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Pulchritudo Solis & nivis grandis est; sed exiguo durat tempore. Cùm Solem & nivem simul intuemur, utriusque dies breves sunt. Satìs vidimus, quamdiu duraverit tantus Sol, & tanta nix! Scimus uno solo die durâsse, quot horis, nescimus.

O Nix radiis Solis resoluta! ô Sol in occasu Nivis sepulte! quàm largam præbetis Orationi meæ materiam querelam prosequendi, si haberem, non dico eloquentiam, sed confidentiam Hieronymi! Illi qui legerunt S. Hieronymum, vel in Consolatione Juliani super mortem Faustinæ, vel in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, vel in funebribus Marcellæ & Fabiolæ, scio quòd culpabunt exiguitatem styli, contractionem exaggerationis, & tepiditatem vel timiditatem affectuum, quibus in hoc casu loquor. Sed sicut in iis (quamvìs non majoribus) erat persona alia quæ loquebatur, nec non aliâ linguâ, & aliis auribus! obligat me Discretio & Prudentia, ut ad silentium remittam compassivum harum querelarum, ut illud ponderosum suarum audiamus.

§. V.

Conqueritur denique Discretio seu Sapientia (hæc enim ad lamenta semper est ultima) utinam alium nancisceretur interpretem, ad declarandum quo & quanto conqueratur fundamento. Quem creditis esse præcipuum vitæ inimicum? Maximus vitæ inimicus est Intellectus & ipsa Sapientia. In tantum Natura erga hominem se demonstravit novercam, ut quæ in visceribus animalium tantam produxit anthidotorum copiam, in illius animâ præcipuum creaverit venenum. Si primam mortis investigemus originem, inveniemus, Deum in arbore Scientiæ primum constituisse fructum mortalitatis, & ubi homines se credebant futuros doctiores: *Eritis sicut Dii*, ibi cœperunt esse mortales. In ipsomet etiam Deo locum habuit crudelis hæc Consequentia. Debebat una ex divinis Personis incarnari & mori, sed cur magìs secunda & Filius, quàm una ex aliis Personis? verá hujus rei causam DEUS novit, quam ego scio hæc est, quòd Filio attribuatur Sapientia, & quòd Personæ Filii unita sit mortalitas. Sicutì Intellectus Verbum ab æterno procesit per Intellectum, sic ab æterno

propendit,ut esset mortale. Quod si ità evenit Deo, quid hominibus continget? Omnes homines sunt mortales,ast doctior plùs ceteris est mortalis. In Parabola decem Virginum nuptiæ significant mortem, & valde notandum est, quòd cùm quinque essent prudentes, & quinque fatuæ: mortuæ primùm fuerint omnes quinque prudentes: *Intraverunt cum eo ad nuptias*. Multum scire, & diu vivere, denotat vel in Scientiâ fraudem, aut in vitâ miraculum. Hujus rei ratio, meo judicio,ea esse debet; quòd quilibet eo modo sentiat & apprehendat, prout intelligit. Qui multum intelligit, non potest parum apprehendere; & qui multum apprehendit, non potest diu vivere. Homo est vivens sensitivum,& rationale: ipsum rationale purificat sensitivum; purificatum autem sensitivum ipsum vivens destruit.

Verùm cùm homines æquè vivere ament, & desiderent esse sapientes, hinc est, quòd hanc funestam difficulter sibi persuadeant Philosophiam. Dicebat Deo David: *Da mihi Intellectum & vivam*.
Psalm. 118. v. 144. O David, nunquid scis, quod petis? si mori volueris, postula, ut det tibi Deus intellectum: at si velis vivere, pete, ut & quem habes,tollat. Non est, quod aliundè id probemus. Postquàm id dixisset, abiit David ad aulam Regis Achis, audit, quod velint eum occidere, ipseque se fatuum simulavit. Et quid est hoc David? nonne tu, ut viveres, postulabas à Deo intellectum: cur igitur nunc, ut vivas,eum,quem habes,intellectum dissimulas? Priùs gubernabat se David per discursum, nunc verò per experientiam; secundùm discursum nihil videbatur Davidi ad vitam conducibilius ipsâ sapientiâ; sed experientiâ didicit ad vitam conservandam esse necessarium, ut nullo esset præditus judicio. Quod si ità non sit, edicat illud maximus ille sapiens, quem David plus timuit,quàm ipsum exercitum Absolonis. Primus Regni Israël sapiens erat illis temporibus Achitophel, & quid eum juvit hæc sapientia? ut propriis se manibus interimeret, quod sua Absolon consilia respuisset. Ità, ut tanta sit inter sapientiam & vitam (in aulis maximè) contrarietas, ut utramque simul nemo conservare possit: aut sapientiam linquere debes aut vitam;aut desipere sicut David, aut te occidere sicut Achitophel. Si amas magis vitam quàm sapientiam velut David,desipis: si amas magis sapientiam quàm vitam velut Achitophel, te interficis.Non est remedium.

Dedimus hujus rei causam ex naturâ: demus nunc aliam ex injuria, audiamusque aliquod exemplum. Intrârunt in hortum milites, qui veniebant ad capiendum Christum: S. Petrus evaginat gladium,aggreditur Malchum, eumque vulnerat. Multùm semper hanc aggressionem, hunc ictum vulnusve consideravi. Si S. Petrus suum velit defendere Magistrum, militibus armatis sese opponat, hos aggrediatur,hos occidat;interim vulnerat Malchum? Malchum,qui nonnisi lucernam manu portabat ad causandum lumen? *Qui erat servus Pontificis;& hujusmodi Ministris non permittebantur arma à Cæsare*. Videte nunc, quo pacto mundus lumina tractet;dum lumen apparet, omnes in illud ictus exonerantur; ne portantes arma invaderet, aggressus est eum,qui lumen deferebat: quia nullâ re homines magis offenduntur, nisi dum alterius lumen conspiciunt. Si cum exercitu

armato

armato adveneris, *cum gladiis & fustibus* ad summum reputabunt te inimicum, nihil autem mali inferent; at ubi contigerit te portare lucernam, si Deus lumine quopiam te illustrârit (licet non sit ad lucendum, sed ad illuminandum) infelicem te! jam caput offer, erit enim Petrus, qui te percutiat. Magna infelicitas & miseria! quod nos magis offendant lumina, quàm lanceæ: & quod potiùs velimus esse vulnerati, quàm illuminati! Rursus magna miseria! quod robustos nos monstremus in lumen inerme, nec pensemus occurrere armatis contra nos, sed arma convertamus in eum, qui nobis lumen defert. O infortunata lumina temporibus illis, quibus regnant tenebræ!

Sed in hâc tanta miseriâ & infelicitate duas insignes reperi rationes, quibus se lumen consolari queat. Ictus, quibus lumen impetebatur, à Christo improbabantur, à Petro exonerabantur. Petrus, priusquam id ageret, tribus vicibus dormierat; & postquam hoc fecisset, tertiò negavit. O lumina! nostis quis vos persequitur? Ille qui primùm dormiit, & deinde est negaturus: qui priùs neglexerat esse vigilans, & posteà negaturus est Fidem, ille est qui vos persequitur; idcircò Gallus cantabit, & Christi Prophetia apparebit vera. Ex dictis colligere licet, ut si videamus ante tempus lumina deficere (aut quia moriuntur, aut quia extinguuntur) non sit quod miremur, sed quod valdè lamentemur: quod admiremur, non, istud enim agit mundus; quod lamentemur, sanè, ipsum enim Deus gubernat: *Domine, non est tibi curæ?* Itáne sit, Domine! ut per tuam providentiam tenebræ permittantur vivere, & lumina intereant? Stultus ignorantiæ tenebris sepultus pacem cum morte habebit, & prudens lumine Discursûs illustratus cum vitâ pugnabit? David comminando potentibus inevitabilem ex hâc vita transitum, doctis ait & indoctis, omnibus simul moriendum esse: *Cùm viderit sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.* Psal. 48. v. 11. Si sic esset, adhuc esset inæqualitas: sed quod mors festina sit attributum sapientiæ, & vita longa attributum ignorantiæ! non sufficiebat ignorantibus unum attributum? non sufficiebat illis esse infinitos numero, sed & æternos duratione? quod in Paradiso arbor scientiæ producat fructus mortis, & in mundo, ignorantiæ sit arbor vitæ; quod intrà nosmetipsos scientia sit mortalis infirmitas: & quod extrà nos usus rationis sit delictum mortale? & cum sit naturale esse rationalem, nemo sub pœna vitæ talis esse possit? quodque hæ mortis injuriæ & injustitiæ, sint dispositiones divinæ providentiæ! *Domine, non est tibi curæ?*

§. VI.

Audivimus contra injurias mortis, tria illa lamenta quæ ab exordio opposuimus. Sed observo, omnes advertere, inter hæc lamenta tam naturalia, non audiri illa, quæ ex præcipuo naturæ affectu, id est, ex amore materno procedunt. Dignum est, ut & hocce silentium consideremus: sed magis est admiratione & memoriâ digna, ejusdem causa. Non audita nec auscultata hâc occasione fuerunt lamenta amoris materni, hic enim in hisce circumstantiis adeò generosus, penè dixeram, crudelis fuit,

ut amor esse non videretur. Defuit naturæ debito, ut non deesset obligationi officii. & astitit adeo exactè ubi serviebat, ut videretur quod abhorrebat, ubi diligebat. O rarum exemplum serviendi Principibus! eo modo servire Principibus, quo Deus vult sibi serviri, illo nihil est excellentius. Dicit Christus in Evangelio, *Qui non odit filios suos, mihi servire non potest.* Est hæc adeò profunda Doctrina, ut explicatione indigeat. Non dicit absolutè Christus, ut Patres odio habeant filios; non enim præcepta divina naturalibus sunt contraria: sed dicere voluit, ut si filiorum amor obsisteret divino servitio, eo modo Deo serviretur, ac si filii odio haberentur. Hic est summus ille rigor, quo Deus desiderat ut sibi serviatur, atque hâc voluntate vidimus hoc casu mundi Principibus fuisse exhibitum servitium: pervênit opere in serviendo, quò pervênit Deus desiderio, ut sibi serviatur. O Spiritum generosum, & in summo infortunio felicem! nescio, an dicam, hanc solùm potuisse æstimare occasionem, ut amoris probaret excellentiam. Certum est, non posse dubitari, num fuerit magis invidia propter id quod operabatur; aut compassione, propter id quod perdebat. Non legitur, in similibus circumstantiis excellentius quidpiam egisse, aut Livias, aut Rutilias, aut Paulas, aut Melanias quæ propter suam generositatem adeò honorârunt utramque Romam, Gentilem & Christianam. Verùm si Romanæ matronæ palmam præripuerint Lusitanicis ut essent primæ: hæc eximia nationis nostræ est gloria, quod Lusitanæ Romanis præripiant, ut in hoc sint singulares.

Luc. 14. v. 26.

O quomodo in hoc casu errasset judicium Salomonis, si debuisset ferre sententiam! In illa contentione, quam duæ illæ matres de duobus filiis, uno vivo, altero mortuo agitabant, judicabat Salomon eam veram esse matrem, quæ plus amabat, nec erravit: in hac controversia eodem modo judicasset, magis dilectum & amatum verum esse filium, at fuisset graviter hallucinatus; cùm enim uni serviretur, alter relinqueretur, derelictus erat verus filius, non verò is cui serviebatur: nisi dixerimus, utrumq; verum fuisse filium; nihilomagis propriè & magis amatus filius is est, cui præstatur educatio, quàm ille cui datur esse. Recordor, quod petenti à Christo licentiam filio ut sepeliret Patrem, Dei Filius eam negarit, eò quod sibi serviret. Grandem moralitatem in utriusq; casus disparitate invenio. In primo filius postulat à Rege licentiam assistendi sepulturæ sui Patris, eamque Rex negat: in secundo offertur matri licentia assistendi morti suæ filiæ, & hæc eam refutat; utrumq; non sine merito. In primo casu, imperfectio quâ petebatur ea licentia, rigorem illum promeruit, ut negaretur: in secundo casu, benignitas quâ illa licentia offerebatur, promeruit amoris teneritudinem, ut non acceptaretur. O quantum in Principibus fœnus benignitas! sint liberales in eo quod nulla re illis constat, atque ità nonnunquam favebunt Vasallis in re, quæ maximè illos premit. Denique hîc visæ sunt emendatæ querelæ Marthæ; ibi præferebatur solitudo ministerio, hîc solitudini præfertur ministerium: *Reliquit me solam ministrare.*

Matth. 8. v. 21.

§. II.

Tempus est, ut redeamus ad Discursum

ſum de Divina Providentia, & tribus noſtris Querulis reſpondeamus. Omnibus tribus uno Chriſtus reſponſo ſatisfacit: *Maria optimam partem elegit.* Non lamentetur Ætas, quia decurtata eſt, nec Sapientia, quia obmutuit; neque Formoſitas, quia ecclypſin paſſa eſt; præ his omnibus Maria optimam partem elegit. Verum eſt, quia mortua eſt, ſed morte ipsâ æternam reddidit ætatem, auxit pulchritudinem, amplificavit ſapientiam. Nunc videte ſi cauſam habeant lamentandi, aut ſe gravatas exiſtimandi.

Primùm quidem Ætas æternata eſt, eam enim reſcidiſſe ad illam æternandam extitit artificium. Dicebat Job: *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Moriar, & multiplicabo dies meos. Notabilis loquendi modus. Videtur, Jobum debuiſſe dicere, moriar, & terminabo dies meos: ſed, *Moriar, & multiplicabo dies meos*! Quomodo id fieri poteſt? Ipſe Job modum aſſignat: *Sicut Phœnix.* Attendite, inquit Job, non loquor ut homo, ſed ut Phœnix; homo dicit, moriar, & terminabo dies meos, morte enim finit. Econtrà Phœnix dicit, moriar, & multiplicabo dies meos, Phœnicis enim vitæ finis, eſt artificium ad provehendam vel multiplicandam ætatem. Sileat igitur querula ætas, non enim meretur lamenta, quia ut Phœnix moritur. Inter omnes mortes hujus mundi, una ſola eſt, quæ compaſſionem non meretur, & hæc eſt mors Phœnicis. Si Phœnix moreretur ut vitam finiret, mors illius omni aliâ eſſet maximè compaſſione digna, quia eſt unica: ſed quia Phœnix moritur ut renaſcatur quia vitam diminuit, ut eam multiplicet: quia vitæ ſuæ finis, eſt ejuſdem principium: ejus mors non eſt digna lacrymis, ſed applauſibus.

Job. 29. v. 18.

Sed contra hos applauſus nonnemo replicare poterit, quod noſtra Phœnix, ſi benè conſideretur, dies non multiplicavit: perdere enim dies in parte unâ, ad eos lucrandos in alterâ, eſt dies mutare, & non multiplicare. Quàm benè occurrit huic Replicæ ipſe Job cum dierum differentiâ. *Multiplicabo dies meos*: Notate, quod non dicit, multiplicabo dies meos, niſi emphaticè, dies meos. Dies hujus vitæ non ſunt dies noſtri: ſi eſſent noſtri, haberemus eos in noſtrâ poteſtate, & eſſet in manu noſtrâ eos lucrari & augere: ſed ſunt in poteſtate tot tyrannorum, quot ſunt miſeriæ vitæ: ſoli dies æternitatis ſunt dies noſtri, quia nemo nobis poteſt eos tollere. Benè igitur inquit Job, iſtum modum moriendi, eſſe artificium multiplicandi; perdere enim dies, qui ſunt alieni, ad multiplicandum dies, qui ſunt mei, eſt verè dies augere: multiplicabo dies meos.

Nihilominus cùm iſti dies ſint dies æternitatis, videtur novâ inſtantiâ, nullo modo multiplicari potuiſſe: æternitas etenim non admittit multiplicationem, nec augmentum. Sed iſtud fuit illud impoſſibile, quod vicit ingenium noſtræ Phœnicis: reſcindere, ſcilicet, paſſus vitæ, ad augendum ſpatia æternitati. Æternitas Dei non poteſt creſcere, illa hominum poteſt. Æternitas Dei non poteſt creſcere, quia eſt æternitas ſine principio, & ſine fine: æternitas hominum creſcere poteſt, licet enim finem non habeat, habet tamen principium. Neque creſcere poteſt *à parte poſt*, in qua parte finit; *ſed à parte antè*, à quâ incipit: atque hoc modo quantum

viæ

vita detrahitur, tantum æternitati superadditur. Voluit Michæas Propheta aliquando æternitatem augere, sed pace sua, non dixit benè: *Ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum, & ultrà.* Id est, adorabimus & serviemus Deo per totam æternitatem, & ultrà. Verum dixit Propheta quantum ad augmentum, non quantum ad partem; id fuit reservatum electioni Mariæ: *Maria optimam partem elegit.* Propheta voluit augere æternitatem *à parte post*, quod est augmentum imaginarium: Maria auxit æternitatem *à Parte ante*, quod verum extitit augmentum. Propheta voluit æternitatem augere, & servare vitam: Maria vitam abbreviavit, ut augeret æternitatem. Hoc solo modo poterat satisfacere Deo. Amor Dei erga nos (ut ita loquar) duas habet æternitates: amavit enim nos sine principio, & amabit sine fine. Noster amor erga Deum, unam solummodò habet æternitatem, licet enim sine fine eum amare debeamus, amamus tamen illum cum principio. Unde cùm Maria duplicem amoris æternitatem non posset aliis duabus æternitatibus Deo compensare, unam solam, sed auctam æternitatem exhibuit: auxit æternitatem totâ illa parte, quam vitæ detraxit. *Maria optimam partem elegit.*

Mich. 4 v. 5.

§. VIII.

NEque Formositas causam habet lamentandi. Mori, non fuit perdere, sed meliorare formositatem. O si mundana cæcitas haberet oculos ad hanc veritatem cognoscendam, certè non ità adorarentur hæ vanæ imagines, & apparentiæ. Apparuit Angelus S. Joanni in Apocalypsi, & cùm S. Joannes esset aquila, excæcarunt illum adeò radii illius formositatis, ut se demitteret in terram, ut illum adoraret. Notabilis casus! numquid S. Joannes viderat Christum in Transfiguratione? Nonne illum viderat post Resurrectionem? Nonne illum viderat ascendere in cœlum cum tanta gloria & majestate? Si igitur Christi visio gloriosa in S. Joanne tales effectus non causavit, quomodo visio unius Angeli illum cæcat quasi idololatram suæ formositatis? Hîc videbitis quantum excedat formositas Spiritûs, formositatem corporis. Formositas Christi, quamvis cœlestis, quamvis gloriosa, erat formositas corporis: formositas Angeli erat formositas Spiritûs: & cum formositate Spiritûs nullam habet comparationem maxima formositas Corporis. Veniet tempus, & erit post Resurrectionem universalem, quando natura humana naturæ suæ restituta poterit ambabus istis formositatibus simul frui: & supposito ante istum terminum quod non frui possit nisi unâ tantùm, exue formositatem Corporis, ut animæ pulchritudine induaris, hoc ipsum è duabus, est meliorem partem eligere: *Maria optimam partem elegit.* O quàm mirabiles transformationes mors invisibiliter sub terra operatur! Chymici in hanc horam usque non reperêrunt Lapidem Philosophicum, nullas enim nacti fuerunt experientias lapidum sepulchralium. Deus loquens Abrahæ de gloriosa filiorum suorum posteritate, nunc eos pulveri, nunc stellis comparavit: ut eos doceret (ait Philo) quod eo pacto evaderent stellæ, si in cineres resolverentur. Quidnam creditis esse sepulchrum? nihil est aliud, nisi officina stella-

stellarum. Ipsa etiam Natura producit nobiliorem pulchritudinem in ipsis terræ visceribus, quàm in ejus superficie. Flores, pulchritudo marcessibilis, in terræ superficie producuntur: Lapides pretiosi pulchritudo durabilis, in ipso terræ centro generantur. Judicet nunc decepta formositas, utrùm injuriosum fuerit Racheli sepulchrum; vel utrùm non ut Maria optimam eligere partem. Obiit flos, ut in adamantem gelasceret; resoluta est in cineres, ut in stellam transformaretur.

Quòd si formositas per mortem non obtinuisset, ut in rem pulchriorem transformaretur: quæro, exiguúmne fuisset beneficium hoc pacto à damnis liberari, quæ affert ipsa mutatio? deceptio illa apparens, quam formositatem homines appellant, cùm sit tam fragilis, adhuc plures habet inimicos, quàm vita. Vita sibi contrariam habet mortem, formositas etiam ante mortem adversariam habet vitam.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor.

Primi formositatis Tiranni sunt anni, & prima ejus mors tempus est. Sub imperio mortis finit, sub tyrannide temporis mutatur: & si quis pulchritudinem percunctaretur, an mortem mallet, vel mutationem? absque dubio responderet, se mori malle quàm mutari. Formositas mortua servatur memoriâ ejus quod fuit: Formositas immutata offenditur memoriâ ejus quod est. Victoria, quam de formositate mors obtinet, deditio secreta est, quam terra celatam tenet: Victoria, quam de eâdem reportat tempus, publicus est triumphus, omnibus manifestus: multúmque differt, putare Epitaphium vultui inscriptum, vel illud sepulchro habere inscriptum. Videtur hæc ratio humana nimis, ast Deus illam divinam reddidit. Maxima pulchritudo, quam vel oculus in hoc Mundo vidit (nulli hominum sit injuria) fuit illa Moysis, tam magna, ut velo cooperire vultum necesse fuerit, ne oculi qui eum intuerentur, excæcarentur. Moritur Moyses, & sepelit eum Deus propriis suis manibus: *Et non cognovit homo sepulchrum ejus*: Neque enim in hodiernum usque diem sepulchrum Moysis quispiam potuit explorare. Cur igitur Deus noluit ab hominibus sciri Moysis sepulcrum? non est alia ratio, quàm illa S. Augustini (in Glossa) *Quatenus illam faciem, quæ consortio Sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam nullus videret.* q. d. Ne morte viderent immutatū vultum illum, qui tanto splendore radiaverat. Occultavit ergo Deus sepulcrum Moysis non quidem, ne homines eum mortuum viderent, sed ne pulchritudinem ejus conspicerent imminutam: videant mortuam, sed nequaquam videant immutatam. Sic DEUS tractat eorum pulchritudinem, quibus majorem vult exhibere favorem. Est igitur secundùm Dei judicium confirmatum, pulchritudini melius esse mori, quàm immutari. Quòd igitur humana pulchritudo ad eum præcisè perfectionis terminum pertingens, in quo durare non licet, crescere impossibile, deficere necessarium, fœdus cum morte inîerit: si id non fuit meliorem partem eligere; fuit tamen meliori adhærere conditioni: *Maria optimam partem elegit.*

Deut. 34. v. 6.

Glossa.

§. IX.

DEnique non est quòd Scientia lamentetur: licèt enim mors eam mutam reddiderit; reddidit tamen & celebrem.

Vera Sapientia non consistit in Potentiâ loquendi, sed in Scientia moriendi. Usque ad mortem nemo cum certitudine sapiens aut stultus dici potest. Ultimum bene factum, ultimúsque error, ea sunt quæ totius vitæ sapientiæ tribuunt nomen. Hinc est, quòd Deus in principio Mundi laudans omnes Creaturas, solum non laudavit hominem, laus enim hominis à fine semper dependet: *Non in exordio, sed in fine laudatur homo*; inquit Sanctus Ambrosius. q. d. Non potest securè laudari homo, neque dum esse incipit, neque dum est, sed tantummodò dum esse desinit. Priusquam ultimus dies advenisset, dubia erat decem Virginum Prudentia, sedit pro tribunali mors, & definivit, quænam ex eis erant prudentes, quænam fatuæ. Nunquam in re aliquâ meliùs cognoscitur electionis bonitas, quàm dum id quod eligitur bene, mutari non potest: & quod malè eligitur, non potest emendari. Electio est, à qua dependent omnia, & pars, quæ in se includit totum, & ideo pars optima: *Optimam partem elegit*.

Quam ultimam partem ut probem, accommodabo me scrupulo, quocum video jam à principio hucusque auscultant me minùs teneræ Conscientiæ Auditores. Mors, de qua loquimur, casus fuit, non electio: impropriè igitur videmur illi applicare verba ista: *Maria optimam partem elegit*. Dico primò, non ideo, quòd casus fuerit, obstat, quò minùs fuerit electio, id ex ipso Textu colligitur, ubi enim Vulgata legit: *Optimam partem elegit*: Originale Græcum habet: *Optimam sortem elegit*; Sors ad Casum spectat: nihilominus ipse Textus eam vocat electionē: *elegit*; non enim implicat, quò minùs eadem res casus sit & electio. Sunt aliquæ responsiones, quæ faciliùs probari, quàm capi possunt. Quomodo potest esse electio, quod est casus? consideremus rem terminis magìs Christianis. Id quod Vulgus Casum appellat, est Providentia: Providentia nihil aliud est, quàm quædam dispositio divino Decreto ordinata: quomodo ergo eadem res ex electione nostrâ esse potest, & ex divinâ dispositione? Respondeo, quotiescunque nos divinæ conformamus ordinationi, facimus, ut, quod ejus est electio, sit & nostra. Hoc sensu dicebat David: *Mandata tua elegi*. In Mandatis electio ad eum pertinet, qui præcipit, non verò ad eum qui obedit. David obediebat, Deus præcipiebat: electio igitur spectabat ad Deum. Si igitur electio spectabat ad Deum; cur dicit David esse suam: *Mandata tua elegi*? quia David obediendo divinæ sese conformabat voluntati, & propter virtutem conformationis, id quod erat Dei electio, erat quòque electio Davidis. Talis fuit in hoc casu electio: *Maria optimam partem elegit*. Electio Dei fuit electio Providentiæ, in MARIA fuit electio Conformitatis, & in utroque fuit electio melioris: in Deo, quia elegit sibi Mariam; in Mariâ, quia hinc discesit, ut cum Deo esset *Maria optimam partem elegit*.

Psal. 118. v. 137.

Sola difficultas superesse potest, quòd electio per conformitatem cuipiam videretur esse aliquo modo imperfecta. Dico, & concludo, quòd electio ex conformitate sit longè perfectior electione ex deliberatione. Quando ex propria deliberatione eligimus, ex propria eligimus voluntate: quando eligimus per conformitatem, eligimus per Dei volun-

voluntatem. Quando ego eligo, meam facio voluntatem: quando me conformo voluntatem facio divinam, neque actus reperiri potest perfectior illo, quo Deus & ego simul unâ eâdemque voluntate volumus; neque est alia actio Christi actibus similior. Christi actiones divinæ erant & humanæ propter Unionem Naturarum: hæc actio humana simul est & divina propter transformationem voluntatum. Notabilis Philosophia! ut ibi crescat meritorium, ubi decrescere videtur voluntarium. Non fuit in Mundo Sacrificium magìs voluntarium morte Christi: *Oblatus est, quia Ipse voluit:* (Isai. 53. v. 7.) Verùm tamen valde notandum est, mortem Christi non tantùm Caritati, quantùm obedientiæ attribui: *Factus obediens usque ad mortem.* (ad Phil. 2. v. 8.) Eccur magìs obedientiæ, quàm Caritati! Quia Caritas propriæ voluntatis impulsum sequitur; Obedientia alterius voluntatis imperium exequitur. Nec erat in Christo actus adeò generosus morti sese subdere, ut propriæ satisfaceret voluntati, quantus erat, ut æterni sui Patris sese voluntati conformaret: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* (Luc. 22. v. 42.) Omnes illæ repugnantiæ in horto fuerunt directæ, non ad excusandam mortem, sed ad declarandam & purificandam conformitatem. O quàm generosa conformatio! ô quàm discreta & prudens mors! Videbatur Casus, & fuit electio: videbatur violentia, & fuit voluntas propria. Et si aliquid habuit repugnantiæ aut violentiæ, id fuit, ut circumstantiam daret Merito, & essentiam Sacrificio. Mutet itaque Sapientia loquelam, & loco querelarum gratias agat morti: cùm solummodò in morte qualificata & consummata fuit Sapientia, quando in illo Puncto, quo finiuntur omnia, & de quo dependent omnia, voluntarium inter & præcisum Maria optimam novit eligere partem: *Maria optimam partem elegit.*

§. X.

PAcavi nunc & satisfeci (nisi fallor) tribus nostris Querulis. Sed si illis tempus superesset ad lamenta repetenda, mihi vires ad dicendum, & vobis Auditores patientia ad auscultandum, nullus dubito & certum est, quin hæc lamenta quæ hucusque parum fundatè facta sunt contra mortem, omnia converterentur (& quidem bonâ ratione) contra nostram vitam. O Ætas cæca! ô pulchritudo decepta! ô Sapientia inconsulta! vivit ætas, ac si mors non superesset: vivit formositas, ac si tempus non præterlaberetur: vivit Sapientia, ac si judicium non pertimesceret. O! desinamus tandem cæci esse; ponamus ante nostros oculos funestas istas catastrophes (nostrûm ipsorummet imagines) quas non absque singulari Providentiâ Deus nobis repentè in domibus nostris objicit. Vix est in hoc Regno domus aliqua illustris, quæ hoc anno non vestiatur lugubribus: néque adhuc finis est. Cùm jam consanguinei sibi Deóque moriuntur, moriantur etiam nobis: ad minùs nos heredes habeant sui erroris. Consideremus, quòd illud ipsum fuerunt, quod nos sumus: nósque illud futuros, quod ipsi sunt. Huc finiunt omnia. Id quod tunc non juvat, nihil est. Si fidamus ætati, pensemus, quàm sit illa fragilis, & quantùm minimo accidenti subdita: Si formositas nos decipiat, ab errore nos liberet Calvaria, in

Kk 2 quo

quo solo perennat omnis pulchritudo; si denique ipsa sapientia nos extollat, discamus esse sapientes, id est, sciamus nos ipsos salvare. Cùm tantam vitæ partem dederimus mundo & vanitatibus: demus hanc ultimam Deo quæ superest, illa semper erit melior, & hoc modo cum Maria optimam partem eligemus: *Maria optimam partem elegit.*


SERMO
De
S. ROCHO.

Ulyssippone in Capella Regia Anno 1652.

Postquam Author eodem die prædicaverat in S. Rocho, Ecclesia Domûs Professionis Societatis JESU.

Beati sunt Servi illi. Luc.12.

§. I.



VEL S. Rochi vita aberravit, vel Mundus totus delirat. Ita paucis abhinc diebus dixi; & quantò magis vias, quibus graditur mundus, & quas sanctus ambulavit Rochus, considero: tantò magis in hac veritate confirmor. Videamus quid in eligendo vitæ genere fecerit S. Rochus, quidque simili occasione faceret in mundo quilibet ejusdem ætatis, fortunæ, generis, & conditionis alius. Ea S. Rocho obtigit felicitas, ut nondum expletis viginti vitæ annis, parentibus fuerit orbatus. Istud olim vocabatur infelicitas; ego verò felicitatem illud appellavi, ut temporis moderni me phrasi accommodarem. Hodie nihil magis affligere videtur filios, quàm longa vita Parentum. Qui expectare refugit donec hæres eorum fiat post mortem; quo pacto longam ipsis desiderabit vitam? omnes quasi tituli, qui in aula nostra his annis expirârunt, nati sunt unici, & mortui sunt gemini: prius enim eis frui sunt Filii, quàm eos deserent parentes. *Pallium breve* (inquit Spiritus Sanctus) *duos operire non potest.* Isai. 28. v. 20. Verùm homines plùs posse volunt, quàm Deus scit & novit: Unus rectâ pallii parte se operit, alter inversâ, tempore eodem. Adeò longa filiis videtur vita parentum

parentum, ut finem ipsius expectare detrectent per mortem. Denique sive indecentia hæc hodiernis insit filiis, sive felicitas sit in S. Rocho; ipse vigesimo ætatis anno sine filiali subjectione, Civitatis & Status Montis-Pessulani, qui Parentum fuerat, se vidit Dominum, magnæque domus, nec non thesaurorum ditissimorum ibidem à Majoribus suis coacervatorum hæredem.

Hoc supposito, quid consilii resolutionisve tali casu & statu illum capturum; quidve alium quempiam præsentium in simili casu facturum putatis, tam illustri oriundum sanguine, talis dominii hæredem, sic subditis & opibus affluentem, & ætate floridum? mea quidem opinione, judicando secundum id, quod video, alterutrum resolveretis. Absoluto luctu, vel ad aulam (& vel maximè ad aulam Parisiensem, ad illud mundi compendium) proficisceremini, ad ostentationem, & ad concertandum in luxibus, in pompis, & magnificentiis: nec non ad assistendum, Regique de propè serviendum, & benè de ipso merendum; & hac via, nova domui personæque incrementa acquirendum. Hæc ætatis illius vivacior, propriaque magis est resolutio. Verùm si judicium vestrum foret solidius, si maturitate sua vinceret annos, si sibi consuleret, seu prudenter consultum vellet; Ego contrarium judicando suaderem, ut cogitationibus aulæ, veluti turbidi & procellosi, & nunquam securi maris exclusis, statu conditioneque vestra contenti acquiesceretis, melius minoribusq; expensis authoritatem conservaturi, fruiturique cum quiete, quod vestri vobis, non sine labore comparavere Majores; subditosque vestros in pace & tranquillitate, in amore & honore ab ipsis habiti, cum servitiorum promptitudine, feliciter gubernaturi.

Nullus dubio relinquitur locus, quin alterutram resolutionum harum, quilibet præsentium; & quidem secundum majorem, minoremve judicii sui capacitatem, capesseret. Verùm Rochus (cùm esset Gallus) neutram approbando, diversam valde ingressus est viam. Relictos sibi thesauros coram afferri mandat; eis apertis, primum quod in eis vidit, Prædecessorum suorum corda fuerunt. Quod suum etiam ibi non inveniretur, contentus; convocatis pauperibus, fortunam cum eis commutat; quibus ditatis, pauper ipse remansit. Jam video, quod qui istud operatur manibus, sublimiores & majores multò cogitationes revolvat in corde. Mox Notarium adduci mandat, palamque Statui renunciat, & omnibus quæ in eo possidebat, seu juris sui esse poterant: assumpto deinde tertii Ordinis S. Francisci habitu, baculum accipit, & pallium coriaceum, & peregrinatum abit per mundum universum, illum magnum quæsiturus Dominum ad ei serviendum, qui in omni loco suam habet Aulam; eò quòd ubique locorum præsens sit. Quod nemo alius faceret, S. Rochus fecit; proinde solus ille sapit; quod reliquum est mundi, delirat. Notate. Potuisset S. Rochus in aula Regis servire Regi: potuisset sua in aula suos regere subditos, sed noluit: ad serviendum Deo soli se resolvit, omni aliâ sollicitudine sequestrata; porrò tribus istis resolutionibus, omnem, non tantum alterius, sed etiam vitæ hujus consecutus est felicitatem, quod textûs nostri propositio innuit: *Beati sunt servi illi*; Omnes ho-

mines, & vel maximè Aulici, vitæ hujus beatitudinem ambiunt. Huic autem obtinendæ quid faciunt ? omnes servitiis occupantur, omnes ut mandent & regant moriuntur, & hinc nemo beatitudine quæsitâ potitur. Vultin veram non alterius solùm, sed etiam hujus vitæ adipisci felicitatem ? tres S. Rochi resolutiones capessite. Servire? soli Deo. Hominibus? nec servire, neque imperare. In eo omnis prudentia & felicitas consistit humana: in eo omnis prudentia & felicitas consistit Christiana. Si sumus Christiani tractare nos oportet de Deo; si sumus homines, cum hominibus nobis agendum est. Quonam igitur medio felicitatem cum Deo & hominibus nobis comparabimus ? S. Rochum imitando. Ut felices simus cum Deo, Deo serviendo: ut felices simus cum hominibus, neque serviendo iisdem, neq; imperando. Tria Prudentiæ, totidem Felicitatis, totidémque puncta Sermonis habemus. Hominibus nec serviendum, nec imperandum: Deo, & soli Deo serviendum: *Beati sunt servi illi.*

§. II.

PRima S.Rochi resolutio aliquid minus, & aliquid amplius, quàm humanum habens, fuit, nolle servire, neque imperare hominibus. Nolle servire hominibus quamvis Regibus, magnam redolere videtur superbiam: nolle imperare hominibus quamvis subditis, vasallis, famulisque propriis, abjecti & pusilli animi videtur esse indicium. Sed neque primum fuit arrogantia, neque secundum pusillanimitas: quinimò magnæ fuit prudentiæ, magni animi, magnæque generositatis argumentum. S.Rochus velut homo, velut Christianus, & velut Sanctus, fuit operatus. Et quoniam hodie mei est officii rationes declarare, quas ille habuit; & persuadere ut habeat imitatores: ipsum obtestor Sanctum, quatenùs tali spiritu Discursui meo assistere dignetur ut ab intento conceptuque suo non longè abeat.

Primò itaque S. Rochus servire noluit hominibus, quia homo remanere voluit. Hominem creavit Deus ad imperandum: bruta ad serviendum. Proinde si bruta contra Adamum rebellantia servire noluerunt homini, cùm tantò inferioris essent conditionis; flebilis sanè & miserabilis est conditio, quod homo servire debeat homini, cùm omnes sint æquales. Quando primò prophetatum est, quod homo in hoc mundo servire deberet homini, sub maledictionis nomine hoc factū est. Ita Noë nepoti suo Chanaan in pœnam Patris, & Filii prædixit & imprecatus est. Eòusque ignorabatur in mundo quidnam esset servire; tuncq; intelligi cœpit maledictio propter delictum: & miseria propter pœnam. Medios homines vocavit postmodum Poëta Lyricus illos qui serviunt, & dixit benè. Tota hominis nobilitas & excellentia in libero consistit arbitrio, & servire, si non est arbitrium perdere; est illud captivū reddere. Rationem igitur S.Rochus habuit nolendi servire hominibus: ne desineret esse homo.

De hominibus, absque eo quod illos plus quàm homines appellet, loquitur David Psalmo sexagesimo quinto, notabilique exaggeratione declarat, hoc, quod quasi inconsideratè ex consuetudine patimur: *Quoniam probâsti nos Deus, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes* *Psalm. 65. v. 10. 11. 12.*

tiones in dorso nostro : *imposuisti homines super capita nostra.* q. d. voluisti Domine in nobis probare & experiri, quantum sufferre potest patientia & humana perferre constantia : & aliquos examinâsti igne (sicut S.Laurentium) *Igne nos examinâsti.* Alios in carceres & catenas misisti (sicut S. Petrum & S. Paulum) *Induxisti nos in laqueum* : Alios tribulationibus & ærumnis castigâsti (prout Martyres & Confessores) *Posuisti tribulationes in dorso nostro* : & super omnia, alios super aliorum capita constituisti : *Imposuisti homines super capita nostra.* Ergóne maxima probatio, evidentissima experientia, maximum examen, & maxima humanæ patientiæ & tolerantiæ exaggeratio, est, quod Deus homines aliorum capitibus imponat ? ita sanè. Illi enim superiores imperant, & gubernant; & inferiores serviunt; porrò cùm servientes æquales sint aliis per naturam, quod hi illos super caput suum tolerent, & quod illi hos supplantent, seu pedibus calcent : *Homines super capita nostra* : dolorem hunc nec omnis Confessorum pœnitentia, nec omnia Martyrum tormenta martyrium hoc adæquant.

Adhuc amplius quiddam textus affirmat. Verùm antequam progrediamur, videtur propter hanc rationem servire debuisse hominibus S.Rochus, saltem ut Sanctus. Ita sanè, & hoc S.Rochus patientiâ suâ & constantiâ peregit, extra & intra patriam de propriorum subditorum suorum manibus accipiens vulnera, injurias, testimonia falsa, captivitatem, perpetuumque ad mortem usque carcerem perferendo. Hæc verò omnia amore Dei, & non ad serviendum hominibus libenter toleravit. Et peroptimè egit, meliore multò ratione, quàm diximus. Textus nunc redeat. Ubi in nostra Vulgata legitur : *Imposuisti homines super capita nostra* : in Originali Hebraïco habetur : *Equitare fecisti homines super capita nostra* q. d. Domine, ad nostram probandã patientiam, tu fecisti, ut homines super nostra capita equitarent. Pensate num utrumq; multùm discrepet. Ità ut dominantibus desuper, non sufficiat servientes inferiùs suis calcare pedibus, nisi etiam equorum ipsos pedibus calcent : *Equitare fecisti homines super capita nostra.* Casu quo autem interrogarer, ubinam casus tales accidere possint, ut homines sic tractent homines & sibi servientes ? Respondeo, quod ibi, quò S Rochus noluit abire; in aulis. Ad intelligendam hanc veritatem (quamvis ad probationem ipsius experientia sufficeret) supponendum est, quod in aulis quantumcunque Christianis, imò Christianissimis, non sufficit gratiâ tantùm gaudere Principis supremi, nisi simul assistentium quoque favor obtineatur. S. Joannes in Apocalypsi suâ de aula Dei loquens, hoc modo Asiæ salutat Episcopos, quibus scribit : *Gratia vobis, & pax, ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; & à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorũ, & Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. v. 4. & 5. Videmini mihi omnes salutationis hujus, imprecationisque Apostolorum omnium doctissimi terminos advertisse. Si illis commissæ sibi Provinciæ Prælatis, supremi omnium Domini & Gubernatoris Patris gratiam apprecatur; quare illam itidem throno ipsius assistentium ipsis precatur: Et si gratiæ Patris, illam sui primogeniti, terræ Regum Principis adjungit, quare hanc tertio, ministrorum verò assistentium,

rium, secundo ponit loco? Quia Evangelista de Aula cælesti ad similitudinem terrestrium loquebatur Aularum. Non sufficit gaudere gratiâ Regis, & gratiâ Principis, nisi assistentium quòque Ministrorum gratiâ gaudeatis. Ego novi qui gratiâ gaudent Patris & Filii: & si solâ infructuosâ gratiâ non forent contenti; fortè utrique se immiscentes parti Ministri illam satagerent turbare: *Gratia vobis & pax*. Hoc primum suppono bellum, quod patiuntur, aut pati possunt in aulis homines, etiam optimè servientes, si alios super se habent: *Imposuisti homines super capita nostra*.

Quinam vero sunt illi, qui non suis duntaxat, sed & equorum suorum pedibus calcant: *Equitare fecisti*? certum est, non esse Reges; Regii enim pedes non conculcant, neque sordidant; sed honorem, authoritatemque tribuunt. Hinc ad pedes eorum se prosternunt subditi: quantóque digniores existunt, tantò magis pedibus eorum capita submittunt. Tertullianus dixit, Minervam in capite calceâsse galeam: *Minerva calceans galeam*. Sic est calceamentum Regum calcei eorum non conculcant, coronant. Quinam igitur tam honorata calcant capita, qualia illa, inter quæ illud Davidis numerabatur, & non suis duntaxat, sed etiam equorum suorum pedibus; *Equitare fecisti homines super capita nostra*? Hîc nunc secunda maximeque dolenda suppositio subintrat, nec fidem invenire digna, nisi Salomon oculorum suorum

Eccles. 10. v. 7. testimonio fidem illi conciliaret: *Vidi servos in equis, & Principes ambulare super terram*: id est, vidit servos equitantes, & Principes pedestres. Vidit illud, dubio procul Salomon prophetice, quando Roboam filium suum maxima ex parte vidit detronizatum, & Jeroboam servum suum ad thronum evectum. Et quando idem in aliis evenit Regnis? bonum est hoc interrogare, quia infelicitatem hanc in Regno nostro non videmus, quæ sola omnibus illius prosperitatibus corrumpendis sufficeret. Porrò hoc accidit, quando Princeps, cujus est Regni moderari habenas, ex desidia & vecordia eas dimissas servo committit. Et hoc contingente casu, servus postquam equum conscendit, capitibus hominum impositum se cernens, non duobus tantùm, sed quatuor ea pedibus calcat. Testetur hoc Mardochæus sub Aman in regno Assueri; & Daniel cum Satrapis in regno Nabuchodonosoris, & Darii. Hujuscemodi temporibus, pro eo, quod homines serviant Regibus gloriosè, servi sunt servorum ignominiosè, patiunturque erubescentia & confusione infructuosâ (deficientibus tantùm stapedis) maledictionem Chanaan, quæ hodie completur in Æthiopibus: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*. Ut videatur utrum fas fuerit tam generoso spiritui, qualis ille S. Rochi fuit, caput suum pro ullo pretio similibus subjicere, vel talibus abjectionibus exponere. *Gen. 9. v. 25.*

Video equidem qualitates ipsius & excellentiam, diversas in aula meritò sperare potuisse dignitates & respectus: sed à mediis, quibus ejusmodi conservantur, multò magis adhuc spiritûs ipsius integritas abhorrebat. David in aula Regis Achis locum gratiæ, quem obtinuerat conservare & stabilire satagens, quonam usus est medio, ne ab assistentibus à latere Regis ejusdem everteretur? jam constat quod stultum se finxerit: & quo stul-

stultitiam suam magis proderet, inquit sacra Historia, quòd pedibus sursum, & capite deorsum versùs incesserit. Erat dexteritas & agilitas, quâ David adhuc Pastorculus ludendo se exercuerat, velut tanti roboris & agilitatis Juvenis; & modò illâ pro larvâ usus est: omnis etenim Scientia suo tempore servit. In summa manibus inambulabat, capite deorsum, pedibus sursum erectis; istud significabat: *Ferebatur in manibus suis.* Hic est Textus, qui S. Augustino tantum facessivit negotii & nemo post illum, quod sciò, usque huc explicavit: sed hic literalis & proprius verborum horum est sensus. Morale verò ac politicum actionis tam extraordinariæ documentum quale putamus? est; ut homo in Aula, gratiâque Regum, instar Davidis in Aula Regis Achis, conservare se volens nullum ad hoc congruentius & efficacius, imò necessarium magis & urgens medium invenire possit, quàm inverso ambulare modo: pedibus sursum, capite deorsum, & ne manibus apprehendat cælum, manibus ferri per terram: *Ferebatur in manibus suis.* Forétne dignum, quòd cor adeò generosum & rectum velut illud S. Rochi; & homo frangi potiùs quàm flecti paratus ad tam indigna sese abjiceret? non est dubium, quin hoc esset manus demittere in terram tanquam parùm honoratum? & pedes surrigere in Cælum velut malum Christinnum. Idcirco S. Rochus nihil sibi voluit commune cum Aula, néque servire hominibus, quantumvis Regibus. Foras, Foras, & quàm remotissimè.

Juxta LXX. 1. Reg. 21 v. 13.

§. III.

Videntur mihi dicta sufficere, si non ad persuandendam imitationem, saltem ad probandã prudentiã, judiciíque veritatem, quâ S. Rochus ad non serviendum hominibus se resolvit. Verùm quòd imperare illis noluerit, non tantùm dico valde paucos futuros qui imitentur, sed nullus dubito quin aliquis erit, qui actum hunc reprehendat & damnet: tam naturale est homini desiderium, & appetitus hominibus imperandi. S. Paulus Apostolus, mulierem per filiorum generationem salvari asserit: *Salvabitur autem* (mulier) *per generationẽ filiorum.* Communis sententiæ hujus explicatio est, quòd mulier prima, quæ fuit Eva, per unius filiorum suorum, scilicet Christi generationem sit salvata. Verùm istud salvationis genus non soli competit mulieri, sed æqualiter viro, & tantùm Adamo, quantùm Evæ. Quænã igitur illa generatio, quâ tantùm mulier & non vir gaudet per filiorum generationem? Dicam. Eva duplici subjacuit damnationi, quarum una fuit ad mortem & infernum propter peccatum, à qua salvata, & liberata fuit à Christo, & hæc viro & mulieri communis fuit: altera particularis, & mulieri tantùm propria, quâ Deus eam condemnavit, ut viri arbitrio subjaceat: *Sub viri potestate eris.* Et ab hâc secundâ condemnatione mulier salvatur & restituitur per filiorum generationem: *Per filiorum generationem.* Sed quare, & quomodo? quia generando evadit mater; & quamvis velut mulier subdita sit viro, qui est maritus: quà mater regere, & imperare potest viris, qui sunt filii. Hinc venit, ut per lineam rectam Evæ, ejusdémque generationis vi omnes homines ad imperandum proclives nascantur. In Jacob & Esau nondum natis illud advertere licet. Contra se invicem luctabantur matris adhuc utero conclusi: & quâ

1. Tim. 2. v. 15.

Gen. 3. v. 16.

quâ super re pugnabant, uter eorũ alteri aut imperare aut servire deberet. Quod ità Deus ipse declaravit, super contentione pronunciando sententiam, respondens matri, à qua fuerat consultus, quòd minor dominari, majórque servire & subesse deberet: *Major serviet minori.*

Gen. 25. v. 23.

Cùm igitur regnandi imperandíque desiderium in homine non solùm superioritas sit naturæ in statu primo uti in Adamo; sed reparatio & solatiũ statûs secundi, sicut in Eva: & cùm idem desiderium nobiscum connascatur & congeneretur sicut in Jacob & Esau; ut quid S. Rochus regnare & imperare detrectat? Ingenium sagax, judiciúmque maturum, quo noluit servire, ad regendùm ipsum obligabat; primum quippe Politicæ naturalis principium est, docente Aristotele, quòd doctiorum & sapientiorum proprium sit regere; rudium verò & stupidorum sit servire. Ergo contra omnia ista naturæ ac rationis dictamina S. Rochus est operatus dimittendo imperiũ, subditorúmque suorum regimen, quorũ conditio & nativitas ipsum heredem, & Indoles atque ingeniũ fecerat Dominum? Servire nolle hominibus, prudens est resolutio, ob motiva quæ adduximus: nolle verò imperare hominibus, & talibus hominibus, quibus sufficientibus niti poterat fundamentis, non dico quæ extra-ordinariũ adeò actum justificent; sed quæ rationabiliter illum improbent, imò damnent? Equidem credo non facilè occursura motiva ambitionis, & cæcam regnandi libidinem, quibus regitur Mundus, hinc tam malè gubernatus. Verùm respondeo & dico, justissimas S. Rochum habuisse rationes ad non serviendum hominibus; easdémque & justiores adhuc ad eis non imperandum. Et quare? Quia major est servitus hominibus imperare, quàm servire.

Rex Antigonus cum Filio suo Principe super administratione & gubernatione Regni, cujus ipsum relicturus erat heredem, disserens; generoso Adolescenti, ad tantas obligationes & onera attonito, dixit, ut refert Ælianus: *Annon novisti, Fili mi, Regnum nostrum esse nobile servitutem?* Nobilem dixit, & prudenti judicio. Quia servitus servorum est servitus sinè honore; & hinc minor, momentíque minoris. Verùm præter servitutis onus, etiam illud sustinere honoris & nobilitatis, longè major est subjectio, & gravius onus. Est servire famæ & ori hominum, quorum gustus & palatum tam diversimodè & corruptè sapiunt, ut ipsum Manna eis sit fastidio. Si homo unus servire nequit duobus teste Christo, quo pacto serviet tot millibus? cuilibet homini Deus unum deputavit Angelum Tutelarem, & cuilibet Angelo unum duntaxat hominem. Porrò si Angelus unus dispositione & ordine tam punctuali totum stellatum movet regítque cælum; non nisi ad unum solum custodiendum à se ipso & ordinatè ac compositè gubernandũ inter alios, hominem sufficit; quomodo unus tantùm homo ad tot homines intra Leges continendos, & in Justitia conservandos sufficiet? Nescit quid sint homines, qui istud non considerat & penetrat: profundè sublimitérque illud florente adhuc ætate, tali judicii penetravit maturitate S. Rochus, qualê in tot ætatibus decrepitis non invenimus.

Antiqui Philosophi hominem microcosmum, id est, parvum mundùm appellârunt: Sanctus verò Gregorius Nazianzenus, melior Philosophus ceteris omnibus, & per excellentiam Theologus, S. Greg. Nazian.

Mundum

Mundum cum homine collatum, parvum hominem; & hominē mundo comparatū, magnū mundum asseruit: *Mundū in parvo magnum.* Non est homo parvus mundus qui est in mundo magno: sed est mundus, & sunt multi Mundi magni, qui sunt in parvo. In probationē sufficiat cor humanū quod cùm tam exigua pars sit hominis, capacitate suâ totam rotunditatem & amplitudinem excedit mundi. Proinde si hominum nullus totam illam Mundi Machinam sufficit regere, quanta, quæso, erit difficultas, tot regere homines, quorū quilibet major est mundo, difficiliorísque temperamenti, quàm totus Mundus? Demonstratio est manifesta. In hâc Mundi Machinâ, cui etiam includitur cælū, stellæ ordinatū suū habent cursū quem nunquā invertunt: Sol limites suos habet & tropicos, quos non transit: Mare cùm monstrū sit indomitum, ad arenas usque egressum, quiescit & sistit: Arbores, ubi plantantur, non mutantur: Pisces contenti sunt mari: Volucres aëre: Animalia terrâ. E contrariò homo monstrum seu elementorū omnium Chimæra, in nullo sistit loco; nulli acquiescit fortunæ; nullo ambitu & appetitu exsatiatur: omnia perturbat, omnia invertit, omnia excedit, omnia confundit: & quia major est mundo, Mundus illum non capit. Magnum in eodem mundo habemus exemplū, non pleno velut hodie, sed vacuo & devastato cum filiis Adam & Noë. Deus Adamo super mundum totum contulit imperiū, super pisces, super volucres, super Animantia terræ, & duos nequit in pace regere homines, & istos quidem fratres, quin unus alterum interficiat. Noë cuncta gubernavit animalia, eáque pacificè in Arca continuit, & extra Arcam tres non potest regere homines, quin unus eorū ipsum inhonestè discooperiendo contumeliâ afficeret, cùm omnes tres ipsius filii essent. Pensate nunc, utra gravior & difficilior sit servitus, illáne imperandi, an illa hominibus serviendi? qui servit, sicut non nisi uni servire potest, uni tantùm se subjecit voluntati: qui verò regit, quomodo reget omnes, quomodo omnium sibi subjiciet voluntates, & has non filiorum, in quibus Obedientia & Amor est naturalis; néque fratrum inter se in quibus qualitates sunt æquales, & Indoles similes: sed tot, támque diversarum conditionum, & inclinationum, quot in eis sunt facies, & intentiones.

§. IV.

HINC sequitur (id quod non leve pondus humanitùs habuit in judicio S. Rochi) quòd serviens, quantumcunque dura sit ejus servitus, certas horas habet intercapedinis & quietis: Imperans verò & Gubernans nullam penitùs. *Ut Sol stare nescit, ità Tu Imperator;* inquit Pacatus in Panegyrico ad Imperatorem Theodosium Magnum. q. d. Sicut Sol nunquam sistit; ità & Tu ô Magne Imperator, & ideo magnus. Deus Solem fecit Mundi Principem: *Luminare majus, ut præesset diei.* Et à quo die illud ipsi demandavit officium, in præsens usque nec momento quidem quievit. Tantæ molis est esse Solem, tantáque servitus ejus quamvis in loco tam sublimi! inquietudo continua, Motus perpetuus, currere & circuire semper, & millies circuire mundū, absque quòd sistat unquam, aut quiescat. Dicendo Solem occumbere decipimur; tunc enim ad regendos Antipodas abit. Non est quòd è longinquo similitudinis pro- Genes. 1. v. 16.

bationem petamus, cùm illam in domo Regibusque nostris, propriamque magis quàm in alia quacunque mundi plaga habeamus. Subditis dormientibus & quiescentibus, Rex Lusitaniæ idem post diurnos Regiminis labores facere videtur; & non est ita; quia transiit ad Antipodas. Ibi versatur cogitatione, solicitudine, pro China, pro Japonia: pro Regnis Idalco, Samori, Mogor: pro Promontorio Bonæ Spei, Comori, Javas: pro maribus & litoribus Africæ, Asiæ, & Americæ lustrando exercitus, inspiciendo fortalitia; componendo pacem, aperiendo viam commerciis; Regni Dei, & sui dilatationem semper meditando, sine alia quiete & requie quàm quæ oculis cernitur, quia sol verum occasum non habet. Horologium, quod vicarium solis agit in terra, non sonat, nec nisi certis foris auditur temporibus, interim nec otiatur, nec quiescit; semper adsunt ad onerandum pondera, ad gyrandum rotæ; & tales sunt Principum curæ die ac nocte. Pro subditis, qui obediunt & serviunt, differunt dies ac noctes: pro imperante Principe semper dies est. Quod ità de curis suis & solicitudinibus Job affirmabat: *Noctem verterunt in diem.* Job.17. v.12.

Dominus imperans, Subditusque serviens eodem discrimine distant, quo cor, & reliqui sensus. Dormiente homine sensus omnes quiescunt. Oculi non vident, aures non audiunt, lingua non loquitur & sic de cæteris. Verùm si eodem tempore hominis pectori manus imposueritis; sentietis quomodo cor in eo palpitet. Porrò si iterum iterumque & quâcunque horâ reversi fueritis, eundem in illo motū experiemini. Sensus igitur hominis inferioritate suâ sensibus brutorum similes dormiunt somno dissoluti; & cor vitæ principium, & nobilissima hominis pars, sine omni quiete semper vigilat? ita sanè: illud enim est esse cor. Cor Reipublicæ est, qui eam regit & gubernat: & quando eadem Respublica curarum solicitudinumq; superioritatem ei contulit, omnes in eo curas solicitudinesque deposuit. Illum solicitum esse oportet, sine quietis intercapedine, ut quiescant omnes: illum vigilare, ut dormiant omnes. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, inquiebat Salomon: & Rex animalium Leo oculis dormit apertis. Vigilare sicut cor, quando totum dormit corpus, est leonem esse inter animalia; & Salomonem inter homines. Cant.5. v.2.

Multum semper admiratus fui in fabrica ferculi ejusdem Salomonis, quod capiti reclinatorium fecerit aureum: *Reclinatorium aureum; Ascensum purpureū.* Istud mihi simile videtur ei, quod sibi imaginantur rustici, Reges nimirum lodicibus indormire auro intertextis. Cervicalia aurea valde sunt pretiosa: sed dura, valde frigida, & incommoda. Verùm omni suâ sapientiâ lectis Regum convenientius molliusque cervical adinvenire nescivit, quia non erat ad somnum conciliandum, sed eundem impediendum. Hoc modo inquietus dormiebat Pharao, de septem fertilitatis & famis in suo regno annis somnians. Hoc modo inquietus dormiebat Nabuchodonosor, de Monarchiæ suæ duratione, & eventuris sibi infortuniis somnians. Et ipse Joseph, quem Deus jam destinaverat Principem, ut regeret & gubernaret, quamdiu fratres sui Pastores & agricolæ quiescebant, ipse junior quietus dormire nequibat. Jam somniabat de manipulis, jam de stellis, cœlum terramque cogitationibus revolvens. Cant.3. v.10.

volvens. Purpuram Reges exuere possunt quando incumbunt; curas autem & solicitudines, quæ excitant, deponere nequeunt. Judæi in Prætorio Pilati Christum Regem scenicum facientes, spinis ipsum coronârunt, purpurâ vestitum. Porrò singulariter notavit Paschasius, quod purpurâ illum denuò exuerunt, coronam verò spineam Christus nunquam de capite deposuit: *Porrò spinas, quas capite gestavit, nec mutavit, nec alicubi transposuit.* Spinæ sunt curæ, prout Christus ipse eas vocavit; & qui Rex est, seu Regem in mundo repræsentat; hujus semper caput spinæ istæ pungunt, hujus semper cogitationes lancinant: sensus ipsius inquietant, nec somnum nec quietem capere permittentes. Qui serviunt nullum Dominum talem experiuntur Tirannum, qui quiescendi horas non indulgeat: regnantibus, talis Tyrannus ipsum est imperium, ut nisi sumant pro levamine ipsas curas (sicut ait Tacitus de Tiberio) nec horam, imò nec momentum illis consentiunt quietis.

S. Paschasius.

Replicari tantùm potest contra exaggerationem horum dictaminum (quantumvis verorum) cum abolitione eorum & contemptu, nec non cum singularitate eorundem exemplorum tam rarorum in regimine mundi, sicuti obedientiæ legum, in eis quorum arbitrio subsunt. Ordinariè ex imperio & regimine ea pars tantùm assumitur, quæ potestatis est & majestatis, & magnificentiæ, dimissâ illâ quæ curas, & onera concernit; nullius rei magis quàm quietis, deliciarum & oblectamentorum habitâ ratione; & ut omnibus phantasiis, & liberi ac potentis appetitûs desideriis habenæ laxentur, fiatque satis: fortunæ supremæ indulgentias, gaudiis, voluptatibus, & vitæ placitis adæquando. Verùm hæc Replica non solùm non annihilat, sed potiùs corroborat & confirmat ea quæ diximus: nam si, qui regnis præsunt, ea faciunt & patiuntur, ad quæ imperium eos obligat, dura est & tristis eorum servitus; quæ si non præstant, & subire nolunt, durior sanè & tristior ipsis servitus evadit: *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Sap. 6. v. 6. Non solùm durum, sed durissimum (inquit Spiritus Sanctus) erit judicium Dei his, qui præfuerunt in mundo; de omnibus quippe, quæ fecerunt, & facere neglexerunt, strictissima ab eis exigetur ratio; & singulariter de eorum cogitationibus & curis: *Quoniam interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Ibidem v. 4. q. d. Vitæ tuæ rationem redde, in quo ejus curam impendisti: aliarumque vitarum rationem redde, & quanta alii ob incuriam tuam sunt passi. Passi sunt in quiete, in bonis, in honore, in ipsis vitis, & quod plus est, in animarum perditione. Porrò de omnibus, singulisque animabus, tu qui hominibus imperâsti, rationem mihi reddes. Hâc consideratione, Pipinus in Gallia, Rachisius in Italia, Sigibertus in Anglia, Trebellius in Bulgaria, Henricus in Cypro, Joannes in Armenia, Ludovicus in Sicilia, Ramirus in Aragonia, Veremundus in Castilia seu Hispania; hâc inquam consideratione & ratione, hi aliique Principes irrefragabiliter convicti, vel cùm essent Reges, renunciârunt coronis; vel Regum Filii, eorum hæreditatibus: eligentes potiùs subesse & servire in aliquo Monasterio, quàm imperare, & Dominos esse in mundo. Et quamvis status S. Rochi non fuerit tantus; fuit tamen

æqualis ejus ratio Status. Suo renunciavit Statui, ne rationem redderet de eo: & ut hominis unius tantùm curaret salutem, hominibus imperare detrectavit.

§. V.

Vidimus quanta sit servitus servire hominibus, & quantò major sit servitus imperare eisdem, vertamus nunc Discursum & ex eorundem hominum seu servientium seu imperantium parte videamus quam vicem rependere consueverint tam benè sibi servienti, quàm benè sibi imperanti. Duo fuerunt homines in mundo, quorum alter meliùs cæteris novit servire; & alter meliùs omnibus imperare. Melius servire sciens, fuit David; meliùs imperare sciens, fuit Moyses. Et quid accidit utrique? uterque luculentum de se præbuit exemplū, detexitque veritatem, quid sit hominibus seu servire, seu imperare.

David ex recommendatione qualitatum suarum à Saule ad aulam fuit vocatus: & quia Saul, à subeunte corpus suum spiritu nequam gravibus exagitabatur melancholiis & furiis; tam artificiosè & suaviter David ludebat citharâ, ut non solùm tristitiarum Saul sentiret levamen: sed & à dæmonio omnis concordiæ & consonantiæ hoste liberaretur. Quomodo verò Saul dulcisonos adeò exorcismos compensabat? à dæmonio liberum se sentiens, arreptam manu lanceam in Davidem intorquebat, ut eum configeret cum pariete. Hoc pacto Rex remunerabat eum, qui dæmonium ex corpore ipsius fugabat: & contingere poterat meliùs eodem tempore remunerari, ex servitio suo, qui dæmonium domui ipsius immitteret. Porrò David mox citharam non fregit, posteà quippe ad inserviendum Sauli cum eadem denuò est reversus. Verùm ad suam regressus caulam, unam Aulæ impertivit benedictionem (sicut multas impertire potuisset maledictiones) & ruris solitudini, oviumque suarum innocentiæ restituturus, teste S. Scripturâ, cum leonibus quasi cum agnis ludebat: *Cum leonibus lusit quasi cum agnis.* Leones quoque erant feræ coronatæ, sed ab iis sibi non timebat, quia non erant homines. David tum temporis, nondum habens viginti ætatis annos, tantus erat homo, ut solus contra Gigantem in arenam descendere fuerit ausus, à quo totus Israëliticus tremebat Exercitus. Saul tam generosâ animadversâ resolutione inquirebat, quisnam iste esset Adolescens? quis ab interrogatione non ingemisceret? Domine, Adolescens iste est, quem ob famam ipsius à Patre suo petiisti; iste est qui quotidie melancholiæ & tristitiæ tuæ horis tibi assistebat: iste qui tangendo citharā te recreabat, animumq; tuum relevabat: iste qui dæmonium compescebat, & à te effugabat. Non nisi octodecim mensibus à te abfuit, & jam illum non nôsti? estne possibile Principes tam citò oblivisci, & notitiam amittere servorum? Minus foret, esse possibile: nisi in consuetudinem abiisset. Denique David prostrato à se Giganti amputat caput, & ad Saulis deponit pedes, & hic maximus nationis suæ triumphus, & maxima Patriæ suæ gloria, infelicitatem illi maximam apud Saulem peperit. Septies Saul intentavit Davidi necem, jam arte & industriâ; jam per insidias, jam vi manifesta: quandoq; per suos satellites; aliàs propriâ personâ militibus stipatâ, abutens eâdem pugnâ, quâ ipsum David

Eccles. 47. v. 5.

David defendebat, & victoriâ quâ illum honorabat, in novum odii incentivum. Et quid faciebat David? persecutionem patiens, profugus, exul, proscriptus, semper fidus, semper fidelis, semper venerans Regem, & inimicorum ipsius inimicus, quos ipse persecutionem patiens, atroci bello persequebatur. Super omnia David in Regem Israël unctus, & successor ipsius in regnum à Deo declaratus, & occidendi eum copiâ sibi factâ, cùm disponente Deo tribus illum vicibus sub ense haberet, condonando vitam ipsi cum capite & Coronâ reliquit. Et est possibile, quod Saul Vasallum cui tot modis erat obstrictus, & qui tot acceptis offensis & injuriis, nihilominùs ipsi serviebat, amorem, venerationem, & custodiam impendebat, tam extremo amoris excessu; ipse eum sic aversaretur, odio haberet, & tam exorbitante ingratitudinis, vindictæ, iræ odiique excessu persequeretur? at Saul erat homo, licet Rex; & hanc vicem servientibus sibi homines rependunt.

Exemplum ejus, qui optimè omnium servire novit, sequitur, & nescio utrùm majore cum stupore, ille, qui omnium optimè regere scivit, & imperare. Deus Moysen supremum Populi sui Ducem constituit, & gubernatorē; neq; homines utiliorem, gratiorem, humaniorem, diviniorem, applausúque & admiratione in omnibus digniorem regendi gubernandiq; modum, quàm illum Moysis, mente concipere aut desiderare potuerunt. Quid homines in Rectore seu Duce suo desiderare possunt? ingentem amorem, & Boni publici zelum? Et Moyses tantopere adamavit Populum Israëliticum, bonumq; hujus Populi etiam necdum sibi commissi zelatus est, ut affligi potiùs, & cum eo captivitatis incommoda pati, quàm filius adoptivus filiæ Regis Pharaonis esse prælegerit, prout S. Paulus notat & exaggerat. Quid amplius desiderare possunt? ut miseriis ipsorum opituletur, & labores alleviet? & hoc Moyses fecit in tantum, ut eos ab Ægyptiaca durissima servitute, & tyrannico jugo, quo & ipsi & Patres eorum tot annis fuerant oppressi liberatos, ad possidendam terram promissionis opibus & deliciis affluentissimam totius mundi induxerit. Quid amplius desiderare queunt? an divitias? & Moyses non eos liberos tantùm, & cum omnibus suis gregibus pecorum & jumentorum, ita ut nè ungula quidem eorum, ut inquit Scriptura, in Ægypto remaneret; sed onustos insuper auro, argento, & margaritis Ægyptiorū, in compensationem servitii injusti, quo eos oppresserant, exire fecit. Quid ultra desiderandum restat? an vindicta, & victoria de inimicis, cum securitate nunquam reincidendi in manus eorum? & omnia hæc mox illis Moyses præstitit, Pharaonem & exercitum ejus in maris rubri fundo sepeliendo, Hebræis vincentibus sine pugna, triumphantibus sine armis, & in litoribus maris non interfectorū à se, spoliantibus corpora, ut sic etiam spolia reportarent. Ista desiderare tantùm, menteque concipere poterant. Progrediamur nunc ad ea, quæ nè desiderare quidem poterant. Nunquid desiderare sibi poterant, ut de omnibus ad vitam sibi non solùm necessariis, sed deliciis etiam, sine labore & expensis abunde provisum esset? nullâ ratione poterant. Et tamen Moyses manna ipsis dedit ad manducandum, omnis generis sapitos in se continens sa-

Dominium verò iſtud Nemrod quando cœpit? Juxta Chronologiam certiorem cœpit anno 1931. à creatione Mundi, quo anno etiam Abraham natus eſt. Hìc nunc noto, notatúque videtur dignum, quòd cœpto jam imperio, & ſervitute hominum abbreviabantur anni vitæ; abhinc enim, prout ex S. Scriptura conſtat rari centeſimum vitæ annum attigerunt, & rarisſimi exceſſerunt: ità ut nondum ingresſis in Mundum ſervitute & imperio, octingentis, nongentis & ultra viverent annis. Verùm poſtquam hæ binæ intrârunt peſtes, poſtquam hominum aliqui imperare, alii ſervire cœperunt, nemini non ſeptem vel octo vitæ partes mors abrupit. Porrò ſi mœrores & ærumnæ occidunt; quid mirum quòd regere & ſervire lethiferæ infirmitates exiſtant? Geminas iſtas peſtes S. Rochus curavit in ſe, nec imperare, nec ſervire hominibus volendo: easdémque in nobis ſuo curare poteſt exemplo, non ut longiore in hâc vitâ vivamus tempore; ſed ut in ea vivamus cum quiete, quæ ſola eſt felicitas & beatitudo, quæ in ea poteſt obtineri.

§. VI.

Alterius vitæ beatitudinem ſecuram fecit S. Rochus ſecundâ & meliore reſolutionis ſuæ parte, quæ fuit, ſoli Deo ſervire. Hoc nec Diſcurſu, nec probatione indiget, quia Fides eſt. Sed quia ſervire Deo, & ſervire hominibus idem ſerviendi nomen ſortiuntur; videamus duntaxat, quanta fuerit Sancti Rochi Prudentia, æquivocum iſtud ſcire diſtinguere, quantóque diſcrimine utrumque ſervire ab invicem diſtent: ut omnes, qui ſerviunt & imperant, ſervire Deo, & ſoli Deo ſervire præoptent.

Homines quando imperant (& multò magis, quando ſupremum gerunt imperium) ſive ex naturalis ingratitudinis, ſive ex ſuperioritatis dictamine, non æſtimant neque ſolvunt pro debito impenſa ſibi ſervitia; omnia enim ſibi debita putant. E contrario Deus, cui debentur omnia quæ habemus, & totum quod ſumus, nihil imperat aut mandat, ad quod remunerandum ſe tanquam debitorem non obliget. Arca, in qua Tabulæ Legis conſervabantur, vocatur *Arca Fœderis*, id eſt, Pacti ſeu Contractûs. Et quare Arca Pacti ſeu Contractûs, ſi erat Arca Legum? quia, cùm Deus ſupremus eſſet Dominus, cui in omnibus obedire oportet, tali nos Pacto ad faciendum ea, quæ præcipit, obligavit, ut ſimul debitorem ſe fecerit ad ſolvendũ nobis hoc quod fecerimus. Dixi, hoc quod fecerimus; & parum dixi; Deus non ſolùm vi Pacti ejusdem debitorem ſe obligavit ad ſolvendum quod fecerimus; ſed etiam quod non fecerimus. Homines ſuis in Legibus, ſi occidiſtis, ſi furati eſtis, vos puniunt; ſed ſi non occidiſtis, non furati eſtis, nihil vobis pro eo rependunt. Non ſic Deus. Non tantùm vos remunerat, quando facitis quod facere præcipit; ſed etiam quando non facitis quod facere vetat. O quantum ſe Deus debitorem ſancto Rocho in hora mortis ſuæ invênit, creſcentibus ſemper glorioſis debitis in cunctis vitæ ſuæ impendiis! Non ſolùm Deus S. Rocho debuit, quòd omnia quæ præceperat fecerit: neque ſolùm, quia non fecerit quæ prohibuit; ſed debuit illi etiam omnes heroïcos illos actus & omisſiones, quas DEUS libero ipſius reliquit arbitrio, qui omnia deſpiciendo, ſibi, & duntaxat ſibi ſervire voluerit.

Num. 10. v. 33.

Homines

Homines solventes seu solvere se putantes exhibita sibi servitia iidem ea æstimant. Stylus Dei in remunerando sibi servientes, ecce quàm sit indifferens. Nos ipsi servitiorum nostrorum valorem æstimam⁹, & Deus est qui remunerat & ea compensat. S. Petrus & suo & aliorum Piscatorum Christum sequentium nomine dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus Te. quid ergo erit nobis?* Videtur Christus ad tam exorbitantem replicare debuisse æstimationem: Si non nisi unam naviculam, & unum rete reliquistis, quo pacto vos omnia reliquisse dicitis? Sed tantum abfuit, ut CHRISTUS sic replicaret; ut æstimationem approbans, istud (*omnia*) solverit, in universali Judicio eos super omnia Arbitros constituendo: *Cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos.* Et nunquid istud sufficit? Non. *Et omnis qui reliquerit domum. &c. centuplum accipiet.* q.d. Quanticunque libet æstimate quæ vel propter me reliquistis aut fecistis; mea etenim solutio servitiorúmque æstimatio centuplò major erit vestrâ. Agitè, nunc navem & retia S. Petri cum eo quod S. Rochus reliquit comparate, judicantes quam à Deo acceperit solutionem. Reliquit Patriam, reliquit quietem, reliquit opes, reliquit statum: nihil loquor de disparitate generis & conditionis ab illa S. Petri; hæc enim est alia, & non exigua, quæ usitata est, & introducta inter homines, & in Deo non habet locum.

Matt.19 v.27.

Ibidem v.28.

Ibidem v.29.

Homines ad reddendas gratias genus conditionémque servientium sibi respiciunt: Deus tantùm merita actionésque cujusque nullâ generis habitâ ratione considerat. Isaac benedictionem dare decreverat Esau: Deus non alium, quàm Jacob illam accipere volebat. Quare? Progrediamur ad casum, & inveniemus rationē. Esau priùs natus est quàm Jacob, verùm in lucta, in utero matris, meliùs luctatus est Jacob quàm Esau. Ipse Esau Colluctator illud negare non ausus, confessus est, dicens: *Supplantavit enim me en alterâ vice.* Meliúsne luctatus est Jacob quàm Esau? Ista igitur differentiæ fuit causa, nec alia est in Deo. Isaac velut homo ad conferendam benedictionem & primogenituram respexit nativitatem; DEUS quà Deus, neque respexit, neque attendit nativitatem, sed tantùm majus meritum æstimavit. Si Fortunæ Pugiles illam sibi favorabilem & propitiam petunt, Deo serviant. Nativitates tollent commentas hominum: illas Dei promeritis tantùm DEUS reservat. Idcirco S. Rochus tam sublimi Genere oriundus illi renunciavit flocci pendens: maluit etenim generosiùs nobiliúsque expeditus degere in Aula veritatis & Justitiæ per nobilitatem & excellentiam operum, quæ erant sua, & non per opera Parentum & Avorum quæ sunt aliena.

Gen. 27. v.36.

Homines servientium sibi merita metiuntur annis: Deus ea metitur cordibus. Samuël Propheta ingressus domum Jesse ad unum Filiorum ipsius inungendum in Regem, videns Eliab natu majorem optimæque staturæ; illum sinè dubio à Deo electum judicabat: mox verò DEUS contrarium illi ostendit dicens, non ad corpora, neque ad annos; sed ad corda se attendere: *Homo videt ea, quæ parent; DEUS autem intuetur Cor.* David Filiorum omnium minimus fuit electus: móxque cordis sui qualitatem ostendit. Totus Saulis Exercitus

1.Reg.16. v.7.

veteranis abundabat militibus, Ducibúsque instructus erat exercitatis; omnes verò ad solum Gigantis conspectũ pavidi tremebant. Porrò David corde præditus, quo illi carebant, Gigantẽ ipsum sternendo & interficiendo, plus unâ meruit horâ, quàm omnes alii tot annis. Homines merita annis duntaxat metientes magnam committunt injustitiam: Deus verò justissimus illa duntaxat metitur cordibus, quæ solus ipse intuetur. Eâdem die & horâ, quâ Magdalena se ad pedes prostravit Christi, ipse dixit, quòd se dilexerit multùm: *Quoniam dilexit multum.* Multum, videtur dictum. Dicatur amâsse, sed non dicatur, *multum*, tunc enim amare incipiebat: Et nunc amori ipsius datur *multum*; dicatur, quòd amet, & non, quòd amaverit: *dilexit.* Sed omnia tam bene erant dicta, tanquam ab eo qui dixit; DEUS enim non tempore Cor, sed tempus corde metitur. O si homines corda viderent, quantos se in multis eorum debitores conspicerent, quos tam parùm sibi servire putant! propterea soli cordium inspectori serviendum est. Porrò si pauca temporis instantia multa capiunt amoris secula, quales æternitates Deus in corde numeraverit S. Rochi, in tot peregrinationum, carcerum, persecutionum & injuriarum annis, quæ fornaces seu camini sunt amoris? Si venientes horâ undecimâ, quæ senectus reputatur, quia tarditatem diligentiâ compensârunt, æqualem ceteris accepêre mercedem: quale cordis illius erit præmium, quod inter florentissimorum, & vel maximè fallacium annorum blandimenta totum se amori servitióque solius Dei tradidit & consecravit?

Luc. 7. v. 47.

Homines quibus servitis parum possunt & minus volunt. Si volunt dare multum non possunt: & parum id quod possunt, dare nolunt. E contrariò Deus omnia potest, & semper vult. Miseri duo Christum accesserunt, infirmitatibus suis remedium petituri, & quilibet (necessitas enim valde est eloquens) idipsum suâ petiît phrasi. Unus dixit: *Si quid potes, adjuva nos.* Alter dixit: *Si vis, potes me mundare.* Ità ut unus nondum credens, ejus interpellando voluntatem, de potestate dubitaret: Alter jam credens, potestatem ejus confitendo, requireret voluntatem. Et quid Christus dicenti: *si potes*, & dicenti: *Si vis*, respondit? Suam interpellanti voluntatem, & de potestate dubio respondit, se posse, & velle: illi verò qui potestatem confessus, voluntatem requisivit, se velle, quòd posset, respondit, amborúmque desiderio pro voto satisfecit. Quando homines petunt ab hominibus, tametsi Reges sint, pauper à paupere petit: à Deo petendo, duntaxat à vere divite petunt. *Dives in omnes, qui invocant illũ,* ait S. Paulus. Reges ùt multùm pro aliquibus sunt divites; Deus dives est in omnes: *Dives in omnes.* Hinc Sanctus Rochus pauperem se fecit, ad serviendum illi, qui solus illum divitem verè facere poterat. Rex ipsius, quamvis liberalitate par Assuero, dimidium Regni Galliæ ipsi appromittere valebat: Deus sibi servienti Regnum suum totum largitur; & quantò magis illi, qui ad serviendum ipsi soli omnia reliquit?

Marc. 9. v. 21. Matth. 8 v. 2.

Rom. 10. v. 12.

Homines (cùm de eorum nunc potestate loquamur) si pro ipsis exponatis vitam, quemadmodum tam innumeri eam offerunt in bello, licèt Reges sint & Monarchæ, quemadmodum eam vobis nequeunt dare; sic nec restituere possunt. Et

DEUS

DEUS, cùm illam vobis vitam dederit, quamvis eandem pro ipso non exponatis, si tantùm ipsius impenderitis servitio, pro vita temporali vitam vobis confert æternam. Rex erat, & Rex Exercitus gubernans, qui hanc omnibus hominibus veritatem intimavit: *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salus*, q.d. ô homines! nolite spem vestram reponere in hominibus, quamvis Reges sint, quia quamvis Reges sint, vitam vobis dare nequeunt. Reges appellantur Domini vitæ, quoniam justè, & injustè eam tollere possunt: illam verò nec filiis suis, neque sibi ipsis dare queunt. Solus Deus verus est Dominus vitæ: quoniam illam donat in ortu, eandem conservat in duratione, resuscitat post mortem, & in Patria facit perennem. Ecce differentiam vestræ vitæ, seu Deo, seu hominibus consecratæ. Si illam exponatis amore Dei, estis beati: Si illam prostituitis amore hominum, estis mortui. Qui vitam dedêre pro Deo, sunt illi, quos in hisce veneramur altaribus: qui eam amore dederunt hominum, sunt, quos hìc pedibus in illis calcamus sepulchris. Antequam Roma S. Rochum altari imponeret, jam mundus illum imposuit, quod Ecclesia approbavit. Quare? Quia soli Deo vitam obtulit, Ejusdémque servitio consecravit. Et servitium hoc adeò fuit Deo gratum & acceptum, támque copiosè remuneratum, ut eidem S. Rocho etiam indulserit facultatem nobis largiendi vitam, si illam ab eo peteremus.

Psal. 145 v. 3.

Homines (ne ore tantùm Dei, sed hominum etiam ore loquamur) quando personâ vestrâ indigent, eorum estis; quando verò vos personâ indigetis eorum estis vestri. Hoc ità ad sonũ cecinit citharæ magnus & illuminatus ille Spiritus, qui, ne Tagi videret litora, tam procul ab eis fugit. Quando te indigent, eorum es; quando tu illis indiges, tuus es: quia tunc non habes Dominos. E contrà DEUS tam bonus est Dominus, ut, cùm nemine indigeat, quando nobis facit gratiam, ut à nobis serviri sibi velit, non sinè honore magno ipsius simus: Et quando nos indigemus illo (sicut semper indigemus) nunquam desinat esse noster. Abraham, Isaac, & Jacob servîerunt Deo, & illi non usurpârunt sibi cognomen Domini; sed Dominus accepit servorum nomen. Illi se non vocârunt Abraham Dei, Isaac Dei, Jacob Dei: sed Deus se vocavit Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob. Quod ipse sic ad Moysen protestatur: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Et ad quid? Ut cognosceret Mundus, quòd quando Servi erant sui Domini, etiam Dominus servorum suorum erat. Si DEUS Abrahamo indiget pro Patre Fidei, Abraham est Dei: & vice versâ si Abraham indiget Deo, ut à duobus Ægypti & Geraræ Regibus eum liberet, Deus est Abrahami: *Deus Abraham.* Si Deus indiget Isaaco pro Sacrificio, ad experiendum amorem Patris, Isaac est Dei: Et si Isaac indiget Deo, ut ipsum liberet à gladio, & commutet cum ariete, Deus est Isaaci; *Deus Isaac.* Si DEUS indiget Jacob pro Tribuum duodecim Fundatore, Jacob est Dei: Et si Jacob indiget Deo, ut ab ira Esau, & à dolis Laban eum liberet, Deus est Jacobi: *Deus Jacob.* Si consideraverimus ærumnas, & pericula S. Rochi, non minora, quàm illa trium horum Patriarcharum fuisse inveniemus: sed quemadmodum

Exod. 3. v. 6.

S. Rochus se totum fecit suum Dei, illi serviendo soli; sic Deus se totum fecit suum Rochi, ab omnibus illum liberando & tam suum, & semper suum, ut adhuc hodiedùm nos liberet, ejus tantùm intercessione & respectu.

Denique homines, quibus servimus, licèt sint Reges, sunt mortales, quibus alii succedunt: DEUS autem, si nihil aliud nos ad serviendum ipsi obligaret, eò tantùm quòd immortalis est, & semper idem, sinè successuro, cui serviretur soli, dignus esset. Istud ità intellexêre nationes multæ, ut mortuis Regibus se consepelirent famuli, non tantùm præ amoris magnitudine quo eos dilexerant; sed ne superviverent aliorum tempore Principum, qui servitia eorum & merita ignorarent. Non fuit major Fortunæ metamorphosis quàm illa Filiorum Israël in Ægypto. In principio divites, amati, in existimatione, & honore habiti: postmodùm despecti, exosi, afflicti, captivi. Et unde tam notabilis mutatio exorta? Sacer Textus inquit: *Surrexit*
Exod. 1. v. 8. *Rex novus, qui ignorabat Joseph.* Quasi diceret: Successit in Regno Rex novus, qui non noverat Joseph. Rex antiquus consulebat Josephum, Josephi consiliis utebatur, & hoc modo omnia ei tam prosperè cedebant, ut nomen Salvatoris Ægypti illi imposuerit, ideóque fratribus ipsius inclinatus erat. Rex verò novus posteà succedens, quia non noverat Josephum, nullâ habitâ Josephi & servitiorum ejus memoriâ, cunctis ipsius Descendentibus non solùm nihil largiebatur de novo; sed etiam quæ jam habebant, ad ipsam usque libertatem inclusivè auferebat. O sapientissimum Juvenem! ô prudentissimum virum S. Rochum! vivente Sancto Rocho (quamvìs non multis annis) Gallia quòque duos habuit Reges, Carolum Magnum, & Ludovicum Pium. Porrò ille Aularum styli non ignarus, quòd si uni esset acceptus, ab altero odio haberi posset; hinc Regi servire voluit, qui non moritur, & non despicit, qui est DEUS, & solus Deus. Felix ille, & ter quatérque beatus, qui hoc ità fecit: Et nos quòque felices erimus & beati, si hunc fuerimus imitati. *Beati sunt Servi illi.*



SERMO

SERMO
DE
EPIPHANIA.

In Capella Regia Anno 1662.

Dictus

Ad Reginam regentem minorenni adhuc Rege, in præsentiâ Utriusque Majestatis; occasione, quâ Author, aliique Religiosi Societatis JESU venerunt Ulyssiponem ex missionibus Maragnanis à furente populo repulsi.

Cùm natus esset JESUS *in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Matth. 2. ℣. 1.

§. I.

UT LUSITANIA ætate nostrâ Prædicatorem audire possit Evangelicum, Prædicatorem hodie aget Evangelium. Hanc mecum ex Mundo novo novitatem confero. Stylus erat, ut Prædicator explicaret Evangelium: hodie Evangelium explicabit Prædicatorem. Non ego commentabor in Textum; sed Textus commentabitur in me. Nullum depromam verbum, quod non sit ejus; quia nullam clausulam inferam, quæ non sit mea. Ego voces ipsius repetam: Textus mea vociferabitur & proclamabit silentia. Faxit Deus ut ab hominibus audiantur in terra, ne audiri contingat in cælo,

Cùm igitur mihi, & quidem cum novis adeò circumstantiis Evangelium prædicare incumbat, quales exordium promittit; non tamen idcirco quis Prædicatorem & Sermonem Mysterio defuturum arbitretur: Quinimò esse potest, quòd raro, aut nunquam in hoc loco, nisi hodie, diei huic & solemnitati propria prædicata fuerit materia. Proprium huic diei Mysterium est vocatio & conversio Gentilitatis ad Fidem. Usque huc Ecclesia Nativitatem celebravit Christi: hodie Nativitatem celebrat Christianitatis: *Cùm natus esset JESUS in Bethlehem Juda:* concernit Nativitatem Christi, quæ jam transiit: *Ecce Magi ab Oriente venerunt:* Hæc verba innuunt Christianitatis ortum qui hodie celebratur. Nata est hodie Christia- *Matt. 2. v. 1.*

Christianitas : Tres etenim Reges, qui hodie adoraturi venerunt Christum, fuêre primi, qui Dominum illum agnoverunt, ideóque Tributi loco aurum obtulerunt : fuêre primi, qui Deum illum agnoverunt, thus propterea offerentes : fuêre primi, qui illum verum hominem in carne mortali agnoverunt ; ideóque ipsi myrrham offerentes. Advenerunt Gentiles ; & regressi sunt Fideles : accesserunt Idololatræ ; & recesserunt Christiani. Et hæc est illa nova Ecclesiæ gloria, quam illa hodie celebrat, & Prædicator noster Evangelium narrat. Attenti illum auscultemus.

§. II.

Cùm natus esset JESUS *in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt*

HÆC sunt prima Evangelii verba, ex quibus mox patescit, quòd Evangelium me interpretari posse, repugnet, si quidem Historia & Mysterium ejus de India agit Orientali ; *Ab Oriente venerunt* ; Casus verò meus de Indiis est Occidentalibus. Quòd si ad Reges, sensúmque mysticum appello, æquè mihi resistit ; Americam quippe, mundi partem, ex qua venio, excludit. SS. Augustinus, Leo Papa, Bernardus & Anselmus, & omnes quasi Patres variis discutiunt modis, quòd Reges, qui adoraturi Christum venêre, fuerint tres : & numeri hujus limitationem vel pro me, vel contra me maximè considero. Prophetæ, omnes Reges, omnésque Gentes ad agnoscendum, adorandúmque Christum venturas esse prædixerunt. *Adorabunt eum omnes Reges terræ : omnes Gentes servient Ei.* Psal. 71. v. 11. *Omnes Gentes quascunque fecisti venient & adorabunt coram Te Domine.* Psal. 85. v. 9. Si igitur Gentes omnes, Regésque omnes venturi erant adorare Christum, quare tantùm tres venerunt ? eandem planè ob rationem respondent Venerabilis Beda, & Rupertus Abbas. Fuerunt numero tres, nec plures, nec pauciores quàm tres Reges, qui adorare venerunt Christum ; quia in illis omnes Mundi partes repræsentabantur, quarum similiter sunt tres, Asia, Africa, Europa. *Tres Reges, tres Mundi partes significant, Asiam, Africam & Europam,* Beda. inquit Beda. Et eâdem distinctione Rupertus : *Magi tribus partibus Orbis, Asiæ, Europæ atque Africæ, Fidei, atque adorationis exemplar existere meruerunt.* Rupert. Istud graves hi asserunt Authores velut Evangelii Interpretes : Evangelium verò ad me interpretandum aliquid adhuc amplius dicere debet. Tres Reges Asiam, Africam, & Europam significare asserunt : ast ubi reliquerunt Americam ? nunquid etiam America pars est Mundi, & quidem maxima ? Si mihi dixerint, quòd non apparuerit in præsepio, quia remorata multis pòst seculis venit : aliæ non minùs tardaverunt ; quinimò hæc minùs tardavit, nam conversa, citiùs minoréque cum resistentiâ quàm omnes, Christum adoravit. Si igitur quælibet alia partium Mundi suum habuit Regem, quæ eam exhiberet Christo, quare miseræ Americæ talis deesset ? Ergóne Rex illi erit, qui exactis ab ea se ditet Tributis, & deerit, qui seu cum illis, seu sinè illis ipsam ad pedes adduceret Christi ? Probè scio (nec dolor meus negare potest) quòd si prima, secunda, & tertia pars Mundi habuit Reges, similiter & parti quartæ non defuisse Regem, dum gavisa fuit quarto, NB. Rex Joannes IV. jam mortuus. Verùm

Verùm ad Evangelium procedentes, Patrum expoſitionem cum eo conciliemus.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Evangeliſta Reges ab Oriente Chriſtum adoraturos veniſſe aſſerit; & in hâc ipsâ limitatione, quòd ſpecificè ab Oriente & non aliunde veniſſe adſtruit, dubium magìs convaleſcit. Æquè enim in veteri, quàm novo Teſtamento expreſsè habetur, non ab Oriente ſolùm, ſed & ab Occidente Gentiles venturos ad Chriſtum. In Teſtamento veteri Iſaïas cum Eccleſia
Iſai. 43. loquens, ait. *Ab Oriente adducam ſemen*
v. 5. *tuum, & ab Occidente congregabo te.* Et in Teſtamento novo Prophetia &
Matt. 8. Oraculum Chriſti profatur. *Dico vobis,*
v. 11. *quòd multi ab Oriente & Occidente venient.* Si igitur non Orientis ſolùm, ſed & Occidentis Nationes & Reges venturi ſunt ad Chriſtum; quo pacto Evangeliſta illos qui venerunt, expreſsè & ſpecificè omnes ex Oriente veniſſe aſſerit; vel quomodo illi tantùm ex Oriente, & non illi ex Occidente venerunt? Omnibus idem ſatisfecit Evangeliſta, & ſimplici narratione hiſtoriæ textum ſuum cum Prophetarum Textu concordavit. Quid dicit Evangeliſta? *Cùm natus eſſet JESUS in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Et in iſtis ipſis temporis, loci, perſonarúmque circumſtantiis, quibus primam Gentilitatis vocationem circumſcripſit, non unam, ſed duas futuras eſſe oſtendit, ſicuti fuerat prophetatum. Prima Gentilitatis vocatio fuit in diebus Herodis: *In diebus Herodis Regis.* Secunda quaſi in diebus noſtris. Prima fuit Chriſto jam nato: *Cùm natus eſſet JESUS.* Secunda, quando jam à nato Chriſto mille & quingenti numerabantur anni. Prima fuit mediantibus Regibus Orientis: *Ecce Magi ab Oriente venerunt:* Secunda mediantibus Regibus Occidentis, & magìs præ ceteris Occidentalibus, qui ſunt Luſitaniæ Reges.

Pro clariore binarum vocationum, vel Epiphaniarum harum intelligentiâ ſupponendum eſt, duos in hoc ipſo Mundo temporibus diverſis fuiſſe Mundos: Mundus antiquus quem Veteres noverunt; & Mundus novus, quem nec illi, nec ipſe Mundus novit, uſque dum Luſitani eum detexerunt. Mundus vetus tribus partibus, ſcilicet Aſiâ, Africâ, & Europâ conſtabat: ſed hoc pacto, ut Europâ totâ hoc compoſito comprehensâ Aſia & Africa non integræ, ſed ex parte & latere tantùm illud intrarent; Africa cum parte, quæ Mare Mediterraneum complectitur; Aſia verò cum parte, quæ ad Mare Erithræum ſe extendit. Mundus novus vetere longè vaſtior tres itidem partes complectitur, Aſiam, Africam, & Americam: verùm hoc ſimiliter modo, ut totâ Americâ inclusâ, Aſia & Africa ex parte tantùm, & duobus aliis lateribus compoſitum hoc intrent, tantò vaſtioribus, & latioribus, quantò Oceanus ea circuiens Mediterraneum & Erithræum excedit. Et quoniam Authores antiqui Mundum ſolummodò cognoverunt veterem, neque habebant, neque habere poterant notitiam Mundi novi; hinc Beda & Rupertus perpropriè dixerunt, quòd tres Reges Orientis tres Mundi partes repræſentârint, Aſiam, Africam, & Europam. Nihilominùs S. Bernardus Ruperto coævus, Evangelium noſtrum cum aliis concilians Scripturis, magno ſuo ſpiritu perſpexit, vel ſaltem ſingulari ſuo ingenio concluſit, quòd ſicut

sicut tres ex Oriente Reges Gentilitatem istam adduxêre ad Christum; sic tres alios ex Occidente Reges futuros, qui eam Gentilitatem ad eandem adducturi essent Fidem. *Vide autem, ne fortè ipsi sint & tres Magi venientes non jam ab Oriente; sed etiam ab Occidente.* Porrò quinam aut essent aut forent tres illi Reges ex Occidente, quos S Bernardus prævidit, nec dixit, nec dicere idem Sanctus potuit, quamvis Lusitaniæ tam devotus, Primóque Regi nostro tam familiaris Amicus. Verùm tempus, certissimus futurorum interpres, post quadringentos nos docuit annos, felicissimos illos fuisse Reges, Joannem Regem Secundum, Regem Emmanuelem, & Regem Joannem Tertium: Primus si quidem exorsus, Secundus est prosecutus: Tertius conquisitionum nostrarum detectioné perfecit: & omnes tres Gentilitatem istam novam, non secus ac tres Magi, illam veterem ad Christi agnitionem adduxerunt. Magi lucem ex Oriente deferentes in Occidentem; Illi ex Occidente in Orientem: Magi exhibentes Christo Asiam, Africam & Europam; & Illi Asiam, Africam, & Americam: Magi stellæ suæ radios per totum Mundum veterem usque ad oras extendentes Mediterranei; & Illi Sole novo totum Mundum novum illuminantes usque ad fines Oceani.

S. Bern. Serm. 3. de Nativitate.

Ex notabilioribus, quæ olim revelavit & promisit DEUS, fuit, quòd novum adhuc Cælum, novámque creaturus esset terram ex ore Isaïæ dicens: *Ecce Ego creo Cælos novos, & terram novam.* Certum est, Cælum terrámque in principio Mundi fuisse creata: *In principio creavit DEUS cælum & terram.* Similitérque certum est inter omnes Theologos & Philosophos, quòd post creationem illam primam non creaverit, néque creet Substantiam aliquam materialem & corpoream; tantùm enim de novo creat Animas, quæ spirituales sunt: quænam igitur terra nova, & qui novi isti sunt cæli, quos tanto antè tempore creaturum se DEUS promisit? Alii aliter hoc intelligunt, utrùm Literæ conformiter ignoro. Ego sequendo Literam & quod sonat simpliciter, novam illam terram, novósque illos cælos, terram cælúmque novi Mundi à Lusitanis detecti assero. Nunquid veritati consonat, quòd Argonautæ nostri suas auspicati & prosecuti navigationes novas simul terras, nova detexerint maria, nova climata, novos cælos, & novas retexerint stellas? Hæc igitur nova est terra, & hi novi sunt cæli, quæ DEUS se promiserat creaturum: non quòd non essent jã creati ab origine Mundi; sed quia novus iste tam occultus & absconditus erat in ipso Mundo Mundus, ut derepentè detectus visus fuerit tunc primùm existere, & de novo à Deo creatus fuisse. Porrò quia detectionis hujus, vel hujus quasi novæ creationis finis erat Ecclesia similiter nova, quam DEUS in eodem novo fundare decreverat Mundo, mox subjunxit ex ore ejusdem Prophetæ, & Terminis eisdem, quòd etiam creaturus esset Jerusalem novam, id est, novam Ecclesiam sibi placituram: *Quia ecce creo Jerusalem exultationem, & Populum ejus gaudium.* Isai. 65. v. 18.

Isai. 65. v. 17.

Genes 1. v. 1.

Considerationis hujus Authorem non inferiorem habeo, quàm Evangelistam secretorum Dei S. Joannem in sua Apocalypsi: *Et vidi Cælum novum, & terram novam: primum enim cælum, & prima terra abiit; & mare jam non est.* Apoc. 21. v. 1. & 2.

Et

Et vidi Civitatem Jerusalem novam descendentem de cælo. Primò inquit S. Joannes, quòd viderit cælum novum, & terram novam: *Vidi cælum novum, & terram novam* Hæc est terra illa nova, & cælum novum, quæ DEUS per Isaïam promiserat. Mox idem subjungit Evangelista tanquam in Prophetam commentans, quòd apparente hoc cælo novo, & terrâ novâ, cælum terráque antiqua disparuerint, & mare jam non sit. Primum enim cælum, & prima terra abiît; & mare jam non est: & hoc in mundi novi detectione evênit. Terra disparuit antiqua; terra enim abhinc & deinceps non erat quæ fuerat, sed alia longè major, extensior, & in nova dilatata magìs litora, in Promontoria, in novas Insulas, in novas Regiones, in novas Gentes, in nova animalia, novásque Plantas & arbores. Cælum quòque similiter esse cœpit aliud, astra alia, alia Signa cælestia, aliæ Polorum elevationes, aliæ eorundem declinationes; alii aspectus, alia sidera, alii influxus, aliæ eclypses, & tot alia penè alia. Super omnia, mare quod fuerat, jam non est: *& mare jam non est*: eò enim usque, quod agnoscebatur, & appellabatur nomine Maris magni in Scripturis: *Mare magnũ*, erat illud Mediterraneum: detecto verò mundo novo mox etiam innotuit non esse Mare, sed ipsius brachium: ipsúmque immeritò usurpatum, aut attributum ipsi nomen sinè contradictione transivit ad oceanum; qui propter immensam suam magnitudinem absolutè & sinè cognomine alio vocatur mare. Porrò quoniam omnis ista cæli, terræ, marísque novitas ad alterius novæ fundationem dirigebatur Ecclesiæ; hæc fuit illa, quam similiter Evangelista sub nomine novæ vidit: *Et vidi Civitatem Jerusalem novam descendentem de Cælo.* Denique ne quisquam de tota hac explicatione dubitaret; eandem Ecclesiam novam venturã ex Gentibus conflandam concludit, & Regibus Gentilibus, qui lumen Fidei in ea recepturi, suásque Coronas Imperio Christi submissuri forent: *Et ambulabunt Gentes in lumine ejus, & Reges terræ offerent gloriam suam, & honorem in illam.* Apoc. 21. v. 24. Totum istud in Mundi novi detectione vel novâ ejusdem creatione vidimus: *Ecce creo Cælos novos, & Terram novam.*

Verùm in hac secunda & nova mundi creatione, magna inter primam & novam differentia, nec non singularis pro Natione nostrâ fuit gloria. DEUS enim creatione primâ, sinè causarum secundarum concursu, per semetipsum creato Mundo; in hac creatione secundâ, velut instrumentis usus est Lusitanis, eodem quasi ordine & circumstantiis iisdem, quibus in principio creaverat Mundum. Quando DEUS creavit Mundum, inquiente sacro Textu, non apparuit Arida seu terra, sed sub aquæ elemento abscondita latebat, omniáque tenebris obvoluta erant: *Terra autem erat invisibilis* (prout legunt Septuaginta) *& tenebræ erant super faciẽ abyssi* Gen. 1. v. 2. Tunc dividente Deo aquas, apparuit terra; creante Deo lucem, cessârunt tenebræ: *Divisit aquas: facta est lux: appareat Arida* Ibid. v. 5. Ibidem v. 3. v. 9. Hoc modo primus creatus est Mundus: & quis non videt eundem observâsse modum Deum, mediantibus Lusitanis, creando secundum? Totus Mundus novus tenebris erat immersus, quia incognitus. Quæcunque ibi erant, cùm essent tanta, erant quasi nihilum; sic etenim æstimabatur, & habebatur fabula: *Terra autem erat vanitas, & nihil*; prout

Textus Hebraicus dixit. Operiebat terram elementum aquæ: oceani quippe immensitas, qui tenebat medium, insuperabilis judicabatur omnium Antiquorum & inter illos S. Augustini judicio. Magnanimitas tandem Lusitanorum & conatus incantationem illam dissolvere, & impossibile illud non formidavit vincere. Illas sulci ignaras eò usque aquas feliciter navium suarum proris scindere cœperunt, móxque hinc inde, quasi de novo nascentes apparuerunt terræ, Gentes, Mundus, quem eædem operiebant aquæ: neque tunc in mundo antiquo tenebræ hujus cessârunt ignorantiæ; sed multò magìs in novo, & à tenebris infidelitatis detecto: quia lux eis illuxit Evangelii, & notitia Christi, qui comitabatur Lusitanos, & in eis, & cum eis navigabat. Omnia ista Isaïas oculo præsago in hac detectione prævidebat, quando cum eadē Ecclesia iisdem Terminis de prima Mundi creatione dixit: *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autē orietur Dominus, & gloria Ejus in te videbitur, & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui.*

Isai. 60. v. 2. 3.

§. III.

ISTUD primi fecerunt Lusitaniæ Argo-Nautæ in suis tam prosperis novi Mundi conquisitionibus; & hinc tam fortunatæ. Hinc Deus inter omnes Mundi Nationes sub tam splendido nomine: *Fide puram, Pietate dilectam*, elegit Nostram. Istæ Gentes sunt extraneæ & remotæ, ad quas sanctissimum Nomen Ejus Nos laturos nobis appromisit. Istud est Imperium ejus, quod per Nos voluit amplificare, & in nobis stabilire: & istud est, fuit, eritque semper, de quo generositas, zelus, Religio, & Christianitas Lusitana vel maximè poterit gloriari. Verùm quis dixisset, aut in animum induxisset eam & temporum & Morum mutationem, talémque metamorphosin, ut hæc eadem inter nos gloria eclypsin passa, à nobis tenebris obduceretur? Non tangerem materiam tam tristem & indignam (idcirco enim tantùm tergiversatus sum, tanquam circuiens gressúsque retardans, ne ad locum perveniat, quem horret) sed nec præsentis occasionis Vis hoc mihi permittit; nec veritas Discursûs, quem Evangelium fore promisi, consentit. Quis (inquam) sibi imaginaretur, & persuaderet, gloriam illam tam heroïcè in tribus Mundi partibus acquisitam, adeóque in omnibus quatuor celebrem & famosam in uno angulo Americæ obnubilandam & profanandam!

Chron. Lusitan.

Excitavit fumum istum, incendiumque istud inter quatuor tuguriorum paleas insufflavit Diabolus, quæ sub nomine Civitatis Bethlehem, Anti-Christi Patria esse possent. Enimverò nisi Scripturæ nos docerent, monstrum illud ex alia terra, & natione egressurum, jam natum esse cogitare & putare liceret. Contremiscit & exhorrescit pronunciare lingua, quod oculi viderunt: verùm cùm Casus sit tam fœdus, tam horrendus, tam atrox, & sacrilegus, ut exprimi nequeat; tam publicus est & notorius, ut taceri non debeat. Audiant igitur tam novam exorbitantem, extremámque malitiam, qui soli remedium adhibere possunt: & si illi (contra quod creditur) suo defuerint officio, jus fásque non est, neque Deus permittet, deesse me meo. Munus quod ibi terrarum obivi, & quo hic fungor

(tametsi

(tametsi indignus utroque) gemino me Conscientiæ stimulo incitant ad rumpendum hucusque observatum silentium, sperantem fore, ut eadem ipsa causa, eò quòd sit Christi, locutura esset, & per se peroraret, & non Ego pro ea: sic enim in similibus & minoribus adhuc casibus fecerunt Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Hilarius, aliíque omnes insignes Patres, Ecclesiæque Doctores, quorum acta tanquam à Deo inspirata, & approbata non solùm veneranda & imitanda sunt velut exempla; verùm etiam quibus obedire oportet velut Præceptis. Clarè igitur & manifestè loquar, prout illi sunt locuti, & probabo, ad oculúmque demonstrabo, quod dixero, sicut illi fecerunt: persecutionem enim passi & profligati, illi ipsi erant corpus delicti quod accusabant, & illi ipsi ejus probatio. Sic divina permisit Providentia, ut ego tali in formâ, Sociorúmque meorum reverendæ Personæ repulsi, ad conspectū hujus Aulæ veniremus, ut illa videret, credere que non dubitaret, quod aliàs Fidem excedere videretur.

Quis crederet, in Coloniâ quâdam, Lusitanorum vocatâ, videri Ecclesiam sinè obedientia, Censuram sinè timore, Sacerdotium sinè reverentia, necnon Personas, & loca sacra sinè immunitate? Quis crederet, quòd violenter ex suis extractos claustris inter milites nudósque enses quasi captivos per publicas deducerent plateas Religiosos, & ferro catenisque constrictos sub custodia attinerent usque dum proscribant eos & expellant? Quis crederet, quòd eâdem violentiâ & injuriâ è suis ejicerent cathedris Prædicatores Evangelicos, cum scandalo antiquorum Christianorum nunquam imaginabili, non sinè Neo-Conversorum dolore, ad conspectum Gentilium attonitorum? Quis crederet, quòd nè ipsis quidem Parochis parcerent, eò audaciæ & impietatis progressi, ut eos suis spolient Ecclesiis, omni prorsus divino cultu, ejúsque ministeriorum usu interdicentes? Quis (inquam) crederet, Ecclesias vacuas, Baptisteria clausa, Sacraria sinè Sacramento, ipsum denique Christum suis spoliatum altaribus, & Deum suis Sacrificiis? Id visum ibi fuit tunc: & quid erit hodie, quod videtur & quod non videtur? Non loquor de authoribus, horúmque sacrilegiorum toties tótque titulis excommunicatis executoribus; si quidem ibi ipsis remanent Papæ & Pontifices qui eos absolvant. Sed quid fiet Indis, qui capturi sunt & spolia totius hujus belli? Quid fiet Christianis? quid Catechumenis fiet? Quid Gentilibus? quid Parentibus, mulieribus, filiis, omníque sexu & ætate fiet? Vivi & sani sinè doctrina, Infirmi sinè Sacramentis, Mortui sinè suffragiis, sinè Sepultura, & tot animarū genera in extrema necessitate sinè ullo remedio? Pastores captivi, exules, & expulsi: greges dissipati; oves aut furto ablatæ, aut perditæ; famelici lupi nunc sanguine satiantur nullo resistente; libertas mille modis in servitutem captivitatémque conversa; sola denique concupiscentia Tirannis sensualitas, & Infernus contenta requiescunt. Et hæc omnia quòd attentent, & præsumant homines nomine Lusitani, & Lusitano Rege imperante!

Ingentes confusiones in eodem Evangelii nostri leguntur Capitulo: Verùm omnibus istis excusationem mox in primis verbis ejus invenio: *In diebus Herodis Regis.* Similia in diebus Herodis Regis

contingentia ſcandala tempus excuſabat, vel extenuabat: Verùm in diebus Monarchæ illius, qui cum nomine & Coronâ zelum, Fidem, Religionem, ac pietatem Magni Alphonſi Primi hereditavit? Vah Parallelum, quod Luſitano Nomine adeò indignum, tempus cum tempore conferendo, formari poſſet! Tempore illo Luſitani humeris ſemper lateribúsque armati incedebant contra Fidei hoſtes; hodie arma contra Fidei vertunt Prædicatores: tunc acquirebant ſcalíſque conſcendebant civitates pro Deo; hodie ſcalis conſcendunt occupántque domos Dei: tunc Caziques ſeu infideles Principes ex eorum exturbabant delubris; hodie Sacerdotes extra Eccleſias & Templa ejiciunt: tunc loca profana in domos conſecrabant Orationis; hodie è Domibus Orationum loca faciunt profana: denique tunc Propugnatores, Prædicatoréſque erant Nominis Chriſtiani; hodie Perſecutores, & Everſores, irriſores & profanatores ejusdem ſunt nominis.

Porrò ne Aula Thronúsque Regum ſuccedaneorum Paralleli hujus maneret exors; tunc è Portu Ulysſiponenſi Prædicatoribus onuſtæ ſolvebant naves, ſpontaneè Patriâ exulaturis, ad Fidem & Legem Chriſti in locis conquiſitis prædicandam; hodie naves eundem ingrediuntur Portum ipſos violenter expulſos Prædicatores vehentes, tantùm quia acquiſitis in locis Legem prædicant Chriſti. Non eſt quòd erubeſcat nunc Portus Algirienſis, quòd captivi vinctíque per eum ingrediantur Sacerdotes Chriſti, cùm idem hiſce diebus noſtris Portus viderit Ulysſiponenſis. O quàm bene quadrâſſet huic caſui prodigium illud, ſi fugienti ab illo Portu Mari, & retrorſum converſo Tago accinere liceret idem, quod flumini, maríque terræ, quæ tunc eſſe ſancta incipiebat: *Quid eſt tibi Mare, quòd fugiſti: & tu Jordanis, quia converſus es retrorſū?* *Pſal. 113. v. 5.* Gloriabatur Tagus, quando in ripis ſuis fabricabantur naves: pérque ejus alveum claſſes vehebantur ad acquirendū Chriſto Imperium. Gloriabatur (inquam) eſſe ſe celebrem iſtum fluvium, de quo Verſus Davidici cantabant: *Dominabitur à mari uſque ad mare: & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum!* *Pſal. 71. v. 8.* Hodie verò ex tam propudioſa cataſtrophe confuſum retrorſum converti oporteret, ſéque intra ſcaturiginis ſuæ abſcondere latebras, niſi fortè, rubore impellente, cucurrerit ad Mare, ut in ejus ſeſe Profundo demergat & ſepeliat. Agnoſcat igitur Ulysſippo, ipſum ſibi mare in faciem tanti ſcandali tolerantiam exprobrare: ipsáſque undas quibus præ ira ſpumantibus ipſius alluit Oras, clamores eſſe & vociferationes, quibus illi easdem objiciat injurias, quas olim: *Erubeſce Sydon, ait Mare.* *Sydon.*

Nemo (rogo) háſce tam juſti doloris voces ab invectiva ſeu admiratione naſci exiſtimet, quòd Prædicatores Chriſti, imò & ipſe Chriſtus perſecutionem ſint paſſi; ſub tali enim Sidere Chriſtus eſt natus: *Cùm natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis.* Chriſtus nondū quindecim diebus fuerat natus, quando jam Herodes paucioribus elapſis diebus ipſum perſequebatur; ut perſecutio & perſecutionem patiens ſimul naſcerentur. Nec ſolùm natus eſt Chriſtus ſub ſidere, ut in Bethlehem ſolâ perſecutionem ſuſtineret; ſed in omnibus partibus Mundi: quia ubique terrarum mox ſuum habuit Herodē, qui perſequeretur. Suppono, prout verè eſt, non in ſola Bethlehem

natum

natum esse; verùm etiam in multis partibus aliis natum esse, nasci, & nasciturum Christum in omnibus. Hinc Propheta Malachias Nativitatem Christi rationabiliter cum nativitate & ortu Solis comparavit: *Orietur vobis Sol Justitiæ.* Sol successivè nascitur sive oritur toti Mundo: & quamvis quibusdam in terris citiùs tardiúsve oriatur; pro quâlibet Regione suum habet ortum, seu nativitatem: pari ratione verus Sol Christus. Primò natus est in Bethlehem, postmodũ successivè per totum natus est Mundum, secundùm quod Apostoli eorúmque Successores ipsum prædicaverunt. Quibusdam in terris natus est citiùs, in aliis seriùs: in quibusdam longè antè; in aliis longè pòst; sed pro omnibus suam habuit nativitatem. Hâc Emphasi Angelus Pastoribus dixit: *Natus est vobis hodie Salvator.* q. d Hodie natus est vobis; alii quòque suum diem habebunt, quo illis nascetur. Ità fieri oportebat, & factum est: proinde temporibus diversis, tam diversis Mundi partibus Christus est natus; nullo verò tempore, aut loco, ubi non mox persequentem se habuerit Herodem.

Malach. 4. v. 2. *Luc. 2. v. 11.*

S. Joannes in Apocalypsi cælestem illam Sole vestitam vidit mulierem parturientem partuíque vicinam, simúlque draconem ferocissimum astitisse dicit, ut prodeuntem filium statim devoraret: *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperisset, filiũ ejus devoraret.* Quæ mulier, quis filius, quísve iste est draco? Mulier fuit Beatiss. Virgo Maria, & est Ecclesia. Filius fuit, & est Christus, qui sicut semel & primò natus est de sanctissimâ V. Mariâ; itâ natus est, & nascitur sæpiùs ab Ecclesia mediante Fide, & ministrorum ejus prædicatione in diversis mundi partibus. Porro draco hiante ore mox natum devoraturus, quilibet est Tirannorum, quos vix natus, & ubicunque terrarum natus Christus contra se patitur armatos. Ita ut nativitas Christi persequente non careat, vel suo Herode. Natus est Christus Romæ S. Petri prædicatione, & statim consurrexit in ipsum aliquis Herodes, Nero scilicet Imperator, qui Petrum ipsum egit in crucem. Natus est Christus in Hispania S. Jacobo prædicante, & statim alius in ipsum insurrexit Herodes, qui fuit Rex Agrippa, à quo fuit decollatus. Natus est Christus in Æthiopia, S Matthæi prædicatione, & statim alius sese opposuit illi Herodes, Rex scilicet Hirtacus, qui similiter ipsum vitâ exuit, sacrificantémque corpus Christi ejusdem illum victimam fecit. Et ut de veteris mundi exemplis ad ea novi transeamus; natus est Christus in Japonia prædicatione, miraculísque S. Francisci Xaverii, & mox non unus, sed multi in ipsum insurrexerunt Herodes, scilicet Nabunangitæ & Taicozamitæ, qui tantum Filiorum Successorúmque Xaverii sanguinem effuderunt & adhuc effundunt. Denique natus est Christus in conquisitione nostrâ Maragnanâ, omnium nostrarum ultimâ: & ne illi in Bethlehem ista, & extra sui deessent Herodes, modò se opposuerunt bellumque indixerunt Christo, & Prædicatoribus ejus, qui non Barbari tam impiè & barbarè ipsum persequuntur. Ita nihil jam sit novi, nec quicquam admiratione dignum; quòd Christus Fideíque ipsius Prædicatores persecutionem patiantur.

Apoc. 12. v. 4.

Verùm quod omnem excedit stuporem, nec sine horrore audiri potest, est, quòd Christi suorúmque Prædicatorum persecu-

persecutores hoc casu non sint Gentiles & Infideles, sed Christiani. Si indomiti Gentiles, si barbari homines locorum istorum silvestrium incolæ terribiliter sese contra Prædicaturos obarmârunt; si operuerunt sagittis; si dissecuerunt; si palpitantia adhuc viscera ipsis evulserunt; si ignibus tradiderunt, & comederunt: Hoc jam aliàs fecerunt, & idipsum desideranter quærunt, qui ad procurandam ipsorum salutem omnia reliquerunt: verùm homines istos Ministrorum Christi charactere insignitos gentiliter persequantur Christiani, dum ipsæ coram eis Feræ mansuefiunt, quando ipsi Barbari se illis subjiciunt; quando ipsi Gentiles eos venerantur & adorant? Istud extremū & atrocissimum persecutionis est genus, & fœdior indigniórque persecutio quàm unquam passa est Ecclesia. In persecutione Neronum ac Diocletianorum Gentiles persequebantur Martyres, & Christiani illos adorabant: verùm in hâc persecutione novâ & inauditâ Christiani sunt, qui Prædicatores persequuntur; & Gentiles qui eos adorant & venerantur. In sola persecutione Herodis, & Patientiâ Christi duo ista extrema concurrunt. In Evangelio hodie Christum persecutum habemus & adoratum: sed à quónam adoratum, & à quónam persecutum? Adoratum à Gentilibus, & Persecutum à Christianis: adoratum à Magis, qui erant gentiles; persecutum ab Herode & Hierosolymâ totâ, qui temporis istius Christiani erant.

Nemo sentiat seu consideret, quòd Christianos illos vocem; dantur enim Christiani de Fide, & Christiani de Spe. Filii Ecclesiæ sumus Christiani de Fide; credimus enim Christum jam venisse. Filii Synagogæ erant Christiani de Spe: quia Christum adhuc venturum credebant & sperabant: & homines in Christum credentes & sperantes, ejusdémque cum Christo nationis & sanguinis, tam barbarè Christum persequantur? Eodémque tempore pro majore Fidei naturæque scandalo Magi Illum requirant; Gentiles in illum credant; & Idololatræ illum adorent & venerentur? Benedictus sis Domine JESU Christe, qui talem voluisti contradictionem sustinere, milliésque benedictus, quòd partem illius tam indignè Tibi servientibus dignatus es impertiri. Non in vanum Nos Societatis JESU nomine honorâsti, obligans nos ut tui essemus socii in eo, quod passus es sub eodem nomine natus: *Cùm natus esset* JESUS *in Bethlehem Juda.* Tu in Bethlehem Juda, ut persecutores tui de eâdem tuâ natione essent. Nos in Bethlehem, sed non Juda; ut persecutores nostri de nostra essent natione. Tu eâdem in terra & eodem tempore ab Herode persecutus & à Magis adoratus: Et nos similiter (tuâ gratiâ) eodem tempore, eademque in terra à Christianis persecuti, & à Gentilibus paulò minùs adorati. Ita hoc experiuntur hodie, qui ad evadendam persecutionem horrida illa loca pererrant profugi, dico: profugi, non ob hominum metum; sed amore Christi, ut exemplum ipsius imitentur. Paucis abhinc diebus Christum fugere vidimus; sed à quo; & ad quem? unde, & quò? Fidem non mereretur, nisi DEUS mandâsset, & Angelus dixisset: *Fuge in Ægyptum.* Ex Israël in Ægyptum, de terra Fidelium ad terram Gentilium, eorundémque Gentilium, à quibus olim Filii Israël fugerunt? Ità planè. In tantū enim mutata sunt tempora *Matth. 2 v. 3.*

&

& homines mutati, & usque huc persecutionis rabies pervênit: *Futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Fûgit Christus, fugiúntque Christi Prædicatores à Christianis ad Gentiles: Christiani quippe exulare eos cogunt, & Gentiles eos protegunt: Christiani quippè indignis eos modis tractant; & Gentiles eos defendunt: Christiani illos persequuntur; & Gentiles illos venerantur & adorant.

Ibidem

Nunquid admiratione meritò dignum fuit, quòd Josephum captivum, à propriisque fratribus venditum Ægyptii venerantes tanti æstimarent, ut secundum à Rege suo illum adorarent? Multò majorem igitur differentiam inter Gentiles illos experiuntur felices illi homines pro Fide laborantes, qui Christianorum captivationem evadentes ad eos confugiunt séque recipiunt. Ægyptii, quamvis Gentiles, erant homines: Gentiles illi, qui hodie incipiunt esse homines, heri erant Feræ. Erant iidem Barbari, sive bruta, qui sine Rationis usu, humanitatísque sensu, carne sese satiabant humanâ, ex craniis facientes pocula ad bibendum humanum sanguinem; & & ex ossibus frixa & bellaria, ad celebranda convivia. Porrò hi sunt illi feri, qui nunc pro eo ut nobis tollerent vitam, nos inter se recipiunt, nósque venerantur, non aliter ac leones Danielem: hi rapaces illæ sunt aves, quæ pro eo quòd nos comederent, nos sustentant non secùs ac Eliam corvi: hi sunt monstra (majore ex parte) marina quæ pro eo, ut nos deglutirent, atque consumerent, suis nos visceribus excipiunt, vivósque conservant, sicut Balæna Jonam. Et si nos hoc modo tractant Gentiles, & tales Gentiles, quando nos sic tractant Christiani, & nostræ quidem nationis Christiani, & nostri sanguinis, quis non super tantâ obstupescat differentiâ?

§. IV.

ADverto quòd intra se dicant qui me audiunt, tantóque magìs, quantò differentiam hanc admirantur ampliùs; non enim effectus tanti, nisì magnis ex causis nasci possunt. Si Christiani Fidei persequuntur Prædicatores, singularem aliquam persequendi causam habebunt: Similitérque Gentiles si in tantùm eos venerantur & adorant, magnam eos venerandi & adorandi causam habebunt. Quænam igitur istæ sunt causæ? Hoc jam sequitur dicendum. Porrò si attentas unquam mihi præbuistis aures, in duobus hísce Punctis hoc fieri obsecro.

Ab amore Gentilium exordio facto, stella illa, quæ Magos deduxit ad Christũ, cælestis quædam, & illustris valde Fidei Prædicatorum erat Figura. Quod ità S. Gregorius, & alii Patres communiter asseruerunt. Quódnam stellæ hujus fuit officium? illuminare, ducere, & adducere homines ad Christum adorandum, nec homines alios, nisì infideles & idololatras, in gentilitatis tenebris natos & educatos. Idem omnino agunt & exercent officium non quicunque, sed de quibus loquimur, Prædicatores; & hinc propriè stellæ Christi. S. Maximus singulariter notat & pensat, quòd stella Magorum ductrix specialiter stella vocetur Christi: *Stella ejus*, hoc argumentatus modo. Annon stellæ omnes aliæ etiam stellæ sunt Christi, tanquam à Deo creatæ? sunt utique. Cur igitur stella hæc præ ceteris specialiter

specialiter stella vocatur Christi, *stella ejus?* Quia reliquæ stellæ generaliter cœli mundique faces sunt creatæ: hæc verò Christi specialiter prædicatrix fuit creata: *Quia quamvis omnes ab eo creatæ stellæ ipsius sint, hæc tam propriè Christi erat,*
S. Maxim. *quia specialiter Christi innunciabat adventum.* Multæ aliæ in Hemisphærio illo visuntur stellæ splendoribus rutilantes, influentiis perquàm utiles, sicut illæ firmamenti; illæ verò, de quibus loquimur, propriè specialitérque sunt Christi, non solùm ob nomen Jesu, quo se ipsius esse profitentur: sed quia finis, institutum, & officium, ad quod fuêre creatæ, protinùs est idem, quod fuit stellæ Magorum, scilicet, infideles & gentiles ad Fidē adducere Christi. Porrò si stellæ istæ tam forent diligentes, tam solicitæ, & attentæ in associandis deducendis, serviendóque gentilibus, sicut illa comitando dedúcendóque servivit Magis; nónne gentilibus istis gravis esset eas amandi, & æstimandi, earundémque defectum acerbè ferendi, & earum præsentiâ vehementer gaudendi seq; consolandi ratio? Sic fecêre Magi, Evangelistâ teste, gaudium istud
Matth. 2, v. 10. determinatè exprimere non valente: *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.* Agite eosdem nunc stellæ hujus sequentes passus ab Oriente ad præsepium usq; transeamus, visuri usq; quomodo stellæ illæ tam invisæ & persecutæ non solùm in omnibus Magorum imitentur & exæquent stellam, verùm magnis etiam præferentiis & prærogativis eandem excedant.

Primò dicunt Magi locum ubi viderunt stellam fuisse in Oriente: *Vidimus*
Ibidem v. 2. *stellam ejus in Oriente.* Ita ut cùm stella è longinquo videri potuisset, ipsa illos in sua quæsiverit regione. Hac diligentiâ, & hac viâ, stella Magorum præcelluit Angelos, qui apparuerunt Pastoribus. Angeli etiam illuminârunt Pastores: *Claritas* Luc. 2.
circumfulsit eos: Christíque nativitatem v. 9.
illis annunciârunt: *Evangelizo vobis* Ibid. v. 10.
gaudium magnum, quia natus est vobis 11.
hodie Salvator. Istam verò lucem, Evangeliumq; istud quònā detulerunt Angeli? non ad Orientis, aliasve remotas terras, sicut stella: sed ad quatuor stadia, usque ad Bethlehem civitatem, vicináque ejus loca transitu brevissimo: *Transeamus usq; Beth-* Ibid. v.
lehem. Quantùm Bethlehem distat ab O- 15.
riente tantùm evangelizare unum ab altero distat. Hoc est, stellam comparando cum Angelis, & multò magis si illam cum ipsis comparaverimus Pastoribus. Pastores illi Bethlehemitici celeberrimi sunt in Ecclesia, quosq; allegat pro exemplo, omnibusq; Pastoribus proponit in exemplar. Enim verò, quid fecerunt aut faciebant illi Pastores? *Pastores erant in regione* Ibid. 8.
eâdem custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Solicitè adeò vigilabant pro grege suo, ut etiam mediâ non dormirent nocte, sed vigilando eum custodirent. Optimè sanè. Verùm utrùm advertatis nescio, quod Evangelista circa locum & gregem notat. Circa locum dicit quod in eadem erant Regione: *Et Pastores erant in Regione eadē.* Et circa gregem dicit, quod oves fuerint suæ: *super gregem suum.* In ambobus istis gloria consistit, quâ stella illos præcelluit. Pastores erant in Regione sua, & stella ad Regiones perrexit extraneas: illi custodiebant oves suas, hæc oves sategit acquirere Christo. Et suas custodire oves in regione sua, & acquisitum abire Christo in Regiones extraneas, quantū distet liquidò constat, quidq; dicendum sit.

Ve-

Verùm licèt omnia ista Magorum præstitit stella, nihilominus multum illi defuit, ut nostras exæquaret stellas. Illa Gentiles quæsivit in Regione remota, sed tredecim tantùm dierum itinere distante. Nostræ illos acquisitum abeunt, ultra leucarum millia, per maria & flumina; solum enim illud flumen Amazonium, ignorato ipsius ortu, cursu suo quatuor leucarum millia complectitur. Stella Magorum nunquam suo egressa est elemento: nostræ jam in Elemento terræ, jam in Elemento aquæ, jam in Elemento aëris & ventorum pericula rigoresque subeunt omnium. Stella Magorum de Arabia processit in Mesopotamiam, in eisdem semper Horizontibus: Nostræ ab ultimis Europæ finibus ad intima proficiscuntur Americæ, medium circumeundo mundum, & ab hoc Hemisphærio ad Antipodas transeundo. Denique (ut distantiæ terrarum conjungamus differentiam) stella Magorum comitabatur illos ad terram promissionis, amœnissimam & deliciosissimam, quam Natura creavit: nostræ relegantur & peregrinantur associatæ exulibus & proscriptis; non sicut illi ad colonias maritimas, ubi aëres benigniores sunt & salubriores: sed ad loca à feris inhabitata, venenosisq; serpentibus infessa: in perniciosissimis zonæ torridæ climatibus. Verùm istud non est labor maximus.

Vidimus stellam ejus. Hîc quærunt Interpretes, quare Christus Magis non Angelum, aut Prophetam, sed stellam miserit? Prophetæ sunt Legati Dei ordinarii, Angeli extraordinarii: & talis erat hæc legatio. Quare igitur Christus Magis non Angelum neque Prophetam, sed stellam misit? ratio fuit (inquiunt omnes) quia conveniens erat, ut ad Magos destinaretur Legatus, qui eis propriâ ipsorum loqueretur linguâ, Magi erant Astrologi: lingua, per quam dictamina cæli excipiunt Astrologi, sunt stellæ: & hujusmodi erat hæc eadem stella, quæ à S. Augustino, *Lingua cœli*, appellatur. Pergat igitur ad Magos stella ipsis locutura linguâ, quam intelligunt. Si ego non intelligo linguam Gentilis, nec ille meam, quo pacto illum convertam & ad Christum adducam? hinc omnes regulâ & instituto constringimur omnes addiscere linguas Regionis, quò prædicatum imus: Et hoc difficillimum laboriosissimumque est spiritualis hujus conquisitionis, & in quo stellæ nostræ illam Magorum longè excedunt. Notate. Magi linguam intelligebant stellæ, & quicquid hæc illis dicebat: sed quare eam intellexerunt? quia velut Astrologi, quales erant, ex Chaldæorum libris didicerant, stellam hanc esse novam, & nunquam visam: porrò quia simul etiam erant Discipuli Balaam, ex S. Scripturæ sciebant libris stellam novam apparituram, quæ adventum, nativitatémque Messiæ ex Jacob descensuri, designatura esset: *Orietur stella ex Jacob.* Et in hac scientiâ duplici acquisitâ studio assequi & intelligere quiverunt, quod stella significabat & dicebat. *Num. 24.v.17.* Hîc non est ita, sed contrarium ibi ad intelligendam stellam studendum est Magis: hîc ad intelligendum Gentilem, studendum est stellis. Nos, qui illos quæsitum abimus, ipsos instruere debemus, & scire linguam. Porrò quàm difficultatis laborisque plenum sit opus, Europæam addiscere non à Magistris & libris, sicut Magi; sed sinè libro, sinè Magistro, sinè principio, & ullo exemplari,

non unam, sed multas linguas barbaras, incultas,& horridas: solus novit,qui hoc experitur,& DEUS, pro quo talis labor subitur.

Quando DEUS in constructione Turris Babylonicæ confudit linguas, notat Philo Hebræus, mutos fuisse redditos & surdos: quamvis enim omnes loquerentur & audirent; nullus tamen alterum intelligebat. In antiquâ Babyloniâ septuaginta duæ fuêre linguæ: in Babylonia fluminis Amazonum jam plures, quàm centum quinquaginta cognoscuntur, tam inter se diversæ, sicut nostra & Græca; proinde quando venimus illuc, omnes nos sumus muti,& illi omnes surdi. Pensate nunc, quantum hìc requiratur studium, quantúsque sit labor necessarius, ut hi muti loquantur,& isti surdi audiant. In Regione Tyri & Sydonis, ubi similiter Gentiles degebant, surdum unum & mutum adduxerunt ad Christum, ut illum curaret: & S. Marcus inquit, Christum eum ad locum duxisse seorsum, digitos suos ipsius immisisse auribus, propriâ salivâ suâ ejus tetigisse linguam, elevatis in cælum oculis ingemuisse, & hoc facto, locutum fuisse mutum & audivisse
Marc. 7. v. 33. & 34. surdum: *Apprehendens eum de Turba seorsum, misit digitos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire.* Enimverò si Christus alia miracula eâ patrabat facilitate; quare loquelam dare Muto & Auditum, tanto ipsi labore constat, & tot circumstantiis? Quia omnes istæ circumstantiæ & diligentiæ necessariæ sunt illi, qui mutis istis & surdis linguam aurésque daturus est. Necesse est Barbarum accipere seorsum, stare & instare sedulò solum cum solo, multísque horis atque diebus necesse est laborare digitis, scribendo, insinuando, & interpretando signis quod non potest assequi verbis: Necesse est laborare linguâ, illam duplicando, torquendo, milliésque circumagendo, ut pronunciare addiscat duros adeò, peregrinósque Accentus: oculos in cælum levare opus est aliquando & sæpiùs orando, aliquando quasi desperando: necesse est denique gemere, & ingemiscere animâ totâ: gemere Intellectu; quia in tantis tenebris non videt exitum: gemere memoriâ; quia in tanta varietate non invenit firmitatem: & ipsâ etiam gemere voluntate, quantumcunque sit constans; quia in tam extremis difficultatibus quodammodo deficit. Pertinaci tandem industriâ, concurrente divinâ gratiâ, loquuntur muti & audiunt surdi; nec tamen ideo gemendi mox cessant rationes. Laboriosum hoc miraculum, tam simile illi Christi, longè diversum sortitur exitum, & longè aliud reportat præmium, quàm illud Christi: Præsentes viso hoc miraculo in applausũ erupêre dicentes: *Bene omnia fecit,* Marc. 7.
& Surdos fecit audire, & Mutos loqui. Ità v. 37.
ut Christo suffecerit uni impertiri loquelã & auditũ, ut diceretur omnia bene fecisse; nobis verò in tot mutis & surdis idem miraculum operari non sufficit, quin malefici habeamur, & quà tales tractemur. Sed stellam sequamur.

Magis jam Jerosolymæ appropinquantibus stella se abscondit: & hoc præclarissimum fuit, quod in ea considero. Sufficit, cæleste Sidus, quòd stella sis Regũ téque abscondis, & ab Aula subducis? Nondum illam intrâsti, & jam nôsti? Verùm bene ostendis, quantum habeas de Deo, quantùm illi servire & laudare desi-

desideres. Omnes stellæ (ut ait David) Psal.148 v.3. laudant Deum: *Laudate Eum omnes stellæ & lumen.* Sed ipse DEUS Jobo dixit, Job 38. v.7. maximè se matutinorum siderum laudibus delectari: *Cum me laudarent astra matutina.* Quare verò Deo magis placent stellarum matutinalium, quàm nocturnarum laudes? Quia stellæ noctium DEUM laudant lucendo; stellæ verò matutinæ Deum laudant se abscondendo: Stellæ noctium communicant influentias luce retentâ; stellæ matutinæ lucem amittunt ad meliùs gaudendum, influentiísque fruendum: denique stellæ noctis lucent, quia remotiores sunt à Sole; stellæ matutinæ se abscondunt, quia sunt propinquiores. Istud stella fecit Magorum, sed horis paucis; nostræ, vitâ totâ. Stella Magorum se abscondens luxit, sed non illuminavit; nostræ se abscondunt, ubi illuminant, non lucentes: Stella Magorum illuminabat, ubi Reges illam videbant: *Vidimus stellam ejus.* Nostræ illuminant, ubi nec videntur, nec videri possunt; in loco minimè lucido & angulo totius Mundi obscurissimo. Et istud est verè se abscondere; quia non solùm est in perpetuum exulatū ire, sed se sepelire.

Sic abscondit se hæc stella, quamdiu Magi se in Civitate detinuerunt; ast mox ubi ad prosequendum iter suum sunt Matth.2 v.9. egressi, iterum stella comparuit. *Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Notate ly *antecedebat.* Stella antecedebat, sed tali pacto antè, ut semper & in omnibus se accommodaret gressibus eorum, quos deducebat. S.Petrus Chrysol. *Ambulante Mago stella ambulat; sedente stat; dormiente excubat,* inquit S. Petrus Chrysologus; nè passu quidem plùs progrediebatur, quàm illi. Totum illud iter ab Oriente in Occidentem stella duobus momentis conficere potuisset. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem.* Matt 24 v. 27. Et illa contra naturalem sibi velocitatem nunc tardè se movens, nunc sistens, nunc immota subsistens in omnibus sese eorum accommodârit & attemperârit conditioni quos ducebat, quantum, quando, & quomodo illi poterant, valde profectò violentum illi fuit; & magis si sublevatis ad firmamentum oculis, alias sui nominis stellas viginti-quatuor horis vidisset circuire Mundum, & se quasi sistere. Ast ità facit faciendúmque est ei, qui Animas ad Christum adducere obligatur ex officio. Quatuor illa currûs, quem vidit Ezechiel, animalia, quatuor Mundi partes respicientia, quæ quatuor Evangelistas denotabant, omnia alas habebant aquilæ; sed Textus notat, pedibus ambulâsse bovis. *Et plantæ pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Ezech.1. v.7. Ergo ad bovis gressum movere se debet habens alas, & alas quidem aquilæ? Ità sanè. Istud enim est agere Evangelistam: istud facere incumbit ei, qui Evangelium ad peregrinas deferre debet Gentes. Et istud fecit stella: *antecedebat eos.*

Verùm isti (*eos*) quínam erant? hìc stellæ illius ad nostras Differentia consistit. Stella Magorum accommodabat se Gentilibus quos ducebat; sed Gentiles isti erant Magi Orientis homines totius Chaldææ sapientissimi, & doctissimi Mundi; nostræ verò stellæ, illustrissimarum Europæ Universitatum Cathedris desertis (prout multi eorum deseruerunt) accommodant se Genti maximè brutali & rudi omnium, quotquot natura seu genuit seu abortivit; nec non hominibus,

de quibus dubitatum est, an homines essent, & necesse fuit, Pontifices decidere, quòd rationales,&non bruta essent.Stella Magorum stabat, sic est ; sed nunquam retrorsum abiit : nostræ stellæ redeunt semel, milliésque suum repetunt iter, eò quò jam itum est ; docent quod jam doctum est ; repetunt quod dictum & comprehensum est. Barbarus enim rudis adinstar bruti,sicut plenè ratione non utitur ; sic nec memoriæ imprimit,nec retinet. Denique verbo rem absolvam. Stella Magorum ducebat homines iter facientes in dromedariis Madian, sicut prævidit Isaïas : *Dromedarii Madian, & Epha: Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes* : & accommodare se passibus dromedariorum Madian, & stultitiarum Brasiliensium sono, quis non videt, quanta sit Differentia?

Verbum (*eos*) adhuc aliam nobis insinuat differentiam, quam nequaquam silentio præterire fas est. Stella ductrix & prædicatrix Magorum convertit, ad Christúmque adduxit Animas Gentilium ; sed qualium Gentilium,& quales animas? Animas illustres,Animas coronatas,Animas Gentilium Regum: Nostræ stellæ etiam convertunt, & ad Christum adducunt animas;sed Animas,ubi nunquã visum fuit sceptrum, nec Corona,néque auditum fuit nomen Regis. Universalis totius Nationis istius lingua tribus caret Literis, scilicet F. L. R. Caret Literâ F. quia non habet Fidem : Caret Literâ L. quia non habet Legem : Caret Literâ R. quia non habet Regem.Et hæc est Politia Gentis,de qua loquimur Stella Magorum legatione suâ functa fuit inter purpuras & intertextas auro vestes,inter margaritas & adamantes : inter electra & succina: denique inter thésauros, deliciásque Orientis : stellæ nostræ suas peragunt missiones inter rerum omnium inopiam, & deserta, inter squalores miseriásque Gentis incultæ, Gentis miserrimæ, Nationis abjectissimæ, Gentis infimæ omnium, quotquot natæ sunt in Mundo. Nostræ (inquam) stellæ missiones suas dirigunt ad Gentem, cui tam modicum contulit Natura ; cui tam parum credidit ars & fortuna,ut eadem arbor victum& vestitũ, arma, domũ, navigationémque ministret. Foliis se vestiunt, fructu vescuntur, ramis se armant, in trunco umbram quærunt, & super cortice navigant. Hæc Gentis istius pauperrimæ supellex est; quíque horum corporum quærit animas, is solùm quærit Animas. Verùm quia Mundus hoc opus æstimare nequit pro merito,idem Mundus pretium audiat, quo dignum illud censuit, qui solus illud remunerare potest.

Quando Joannes Baptista Discipulos suos ad Christum misit interrogatum, utrùm Mesias esset; respondit Christus: *Euntes, renunciate Joanni, quæ audistis & vidistis*.Et quid viderunt,& audiêrunt? Cæcos videre,claudos ambulare,leprosos mundari, mortuos resurgere viderunt : *Cæci vident, Claudi ambulant, leprosi mundantur, Mortui resurgunt.* Nunquid omnia ista miracula sufficiebant ad probandum, Christum esse Mesiam? planè sufficiebant. Sed Christus visis adjungere voluit audita, quo evidentior & infallibilior esset probatio.Porrò Discipuli Baptistæ Evangelium Christi pauperibus prædicari audiêrant : *Pauperes evangelizantur.* Et hæc ultima fuit probatio,quâ Redemptor Mundi verum se Mesiam demonstravit; quia Evangelium prædicare pauperibus, miseris

Matt. 11. v. 4.

Ibidem v. 5.

miseris iis, qui nihil habent de Mundo, est tam propria Spiritui Christi actio, ut miraculorum suorum testimonia Filius Dei illâ tanquam sigillo consignaverit. Miraculorum patrationem spiritui aliî attribuere potest malitia : Pauperum evangelizationem propriè Spiritus esse Christi, malitia nulla negare potest.

Matt. 2. v. 9. Absoluto demum cursu suo stella stetit: sed ubi substitit? *Usque dum veniens staret suprà ubi erat Puer* Ad præsepium stetit, ubi Christus super paleas, & inter bruta erat collocatus, ibique cognosci Eum fecit. O stella tam sancta, tam prudens! Stella quæ Jerosolymæ apparere detrectans, ad præsepium substitura pergit : Stella malens commorari Christo in tugurio, quàm sinè Illo, in Regio Palatio! O Stella (inquam) sancta & prudens! prudentiores tamen, & sanctiores nostræ! Ratio patet. Christus isto tempore morabatur in præsepio, sed non Hierosolymitano in Palatio: ita ut si stella vellet manere in Palatio, manere deberet sinè Christo. In Aulis Christian saliter se res habet. In omnibus aulis est Christus, & n omnibus esse potest cum Christo. Modò devenitur ad differentiam, & excellentiam seu gloriam. Commutare Jerusalem pro præsepio, & malle cum Christo manere in tugurio, quàm in aula sinè Illo, non excellentiæ, sed obligationis est; & hoc Magorum Stella fecit : malle potiùs esse cum Christo in tugurio inter animalia, quàm in Aula cum Christo inter Principes, istud non solùm est aulam relinquere pro præsepio; sed relinquere Christum propter Christũ, Ejusdémque servitium majus pro minore. Relinquere CHRISTUM associatum ad assistendum ipsi solitario : relinquere CHRISTUM ministeriis gaudentem, ad serviendum Ipsi derelicto: relinquere Christum, ubi est cognitus, ad notificandum illum, ubi incognitus erat : istud stellæ nostræ faciunt.

Etiam Magorum Stella Christum notum fecit, sed quot hominibus, & in quanto tempore? tribus hominibus, & biennii spatio. Hæc fuit ratio quare Herodes jussit omnes occidi infantes à bimatu & infrà, juxta tempus quo Stella apparuerat Magis: *Secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Matt. 2. v. 16. Ecce quantùm Stella ista distat à nostris, ejúsque missio à nostris. Omissis veteribus, recenter sunt adornatæ duæ, una per Tocantinorum, alia per Amazonum flumen: & quo effectu? Prima convertit & ad Christum adduxit Nationem Topinambazarum, & illam Pochiguarum; secunda disposuit, ad eandémque Fidem perduxit Nationem Nheengaibarum, & Mamayanazorum; totúmque illud sex spatio mensium. Ità ut stella Magorum spatio biennii tres ad Christum adduxerit homines : & nostræ medio anno quatuor Nationes. Porrò quoniam isti Fidei Prædicatores ex officio, Instituto, obligatione, & ex caritate, & propter notitiam & opinionem generalem, quam inter Barbaros illos habent, eos in tam longinquo, tantóque zelo, tantóque labore propriis ipsorum linguis cum eis loquuntur, seséque capacitati eorum & ingeniis accommodant tanto amore, tótque alia iis impendunt Caritatis officia, ita ut etiam in animalibus brutis soleat inveniri gratitudo: nihil est miri, quòd illos ament, æstiment, illósque defendant, & quòd ante-vel postquam cognoscant & adorant Christum, quasi adorent illos.

§. V.

§. V.

AGedùm nunc ſequitur, in contrapoſitione admirabili vel ſtupenda (ideóque attentione dignisſimâ) videre cauſas, quare Chriſtiani p rſequantur, odio habeant, & à ſe homines iſtos rejiciant. Quòd Chriſtiani perſequantur eos, quos defendunt Gentiles; odio habeant eodem ſecum ſanguine natos, quos diligunt Peregrini; à ſe repellant Ratione præditi, quos recipiunt, amplectuntur, & ſecum habitare gaudent Barbari, res eſſet incredibilis, niſi toties & experientia & oculi atteſtarentur. Et ſuppoſito ſic eſſe, quid cauſæ eſſe poteſt? cùm tam notabiles ſint effectus, cauſa adhuc eſt notabilior. Tota cauſa, quòd nos illi perſequantur nominati Chriſtiani, eſt, quia facimus propter Gentiles, quod Chriſtus fecit propter Magos. *Procidentes adoraverunt eum: & reſponſo accepto ne redirent ad Herodem per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Tota Providentia divina erga Magos in duabus conſiſtit actionibus. Prima fuit, per viam unam illos adducere ad pedes Chriſti; ſecunda fuit, per aliam viam illos liberare à manibus Herodis. Nunquid magna fuiſſet injuria, injuſtitia, & impietas Magos ad Chriſtum adducere, & poſtmodum Herodi tradere? Hæ hæ ſunt illorum Chriſti Prædicatorum culpæ, & hæc unica eſt cauſa, quare ſe videant, & vos illos videatis ità perſecutos. Volunt ut Gentiles adducamus ad Fidem, & ut eos concupiſcentiæ tradamus: Volunt ut oves ducamus ad gregem, & cultello tradamus: volunt ut Magos ducamus ad Chriſtum, & Herodi tradamus. Et quia in hanc impingimus injuriam, nos injurioſi habemur; quia huic reſiſtimus injuſtitiæ, nos injuſti ſumus; & quia huic contradicimus impietati, nos impietatis arguimur.

Matt. 2. v. 11. & 12.

Intelligat, intelligat Luſitania non poſſe eſſe Chriſtianitatem, neque Chriſtianitates in conquiſitionibus, niſi Miniſtris Evangelicis liberrimè pateant duæ iſtæ viæ, quas Chriſtus hodie monſtravit. Una ad deducendos Magos ad adorationem; altera ad liberandos eos à perſecutione. Una ad ducendos Gentiles ad Fidem; altera ad liberandos eos à tyrannide. Una ad ſalvandas eorum Animas; altera ad liberanda eorum corpora. In hac 2da viâ totum conſiſtit dubium, nam in ea tota conſiſtit tentatio. Ad Miniſtros Evangelicos ſpectare tantùm volunt curam animarum, & ad Miniſtros Statûs ſervitutem & captivationem corporum. Idem intendebat Herodes. Si via, per quam ſalvati ſunt Magi, arbitrio ſubfuiſſet Herodis, de ipſis æquè ac de Infantibus fuiſſet actum. Hìc regiminis Chriſti non eſt ſtylus. Eadem Providentia quæ ſolicita fuit Magos ſecuros deducere ad Chriſtum per viam unam, eadem (inquam) illos liberare & in ſalvo conſtituere curavit per viam alteram. Porrò hâſce vias, & hâſce Curas ſeparare velle ab invicem, eſt velle, ut nec ſit Cura, neque via. Quamvìs una harum viarum ſpiritualis tantùm eſſe videatur, & altera temporalis, ambæ ad Eccleſiam, & S Petri claves pertinent, quia per unam aperiuntur Portæ Cæli, per alteram clauduntur portæ Inferni. Eccleſiæ novæ fundari & ſtabiliri debent, ſicut Chriſtus fundavit & ſtabilivit Eccleſiam univerſalem adhuc novam. Quid Chriſtus dixit S Petro? *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Tibi dabo claves Regni Cælorum:* &

Matt. 16 v. 18. & 19.

& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam Quid prodest Petrum habere claves Portæ Cæli, si contra ipsum & Ecclesiam portæ prævaluerint inferni? Istud non est novam fundare Ecclesiam; sed in propriis suis ipsam fundamentis destruere.

Utrùm adverteritis nescio, Christum non unam, sed duas Sancto Petro tradidisse claves: *Tibi dabo claves.* Ad aperiendas portas cæli clavis una sufficiebat. Quare igitur duas illi tradit? Quia sicut viæ dantur adversùs vias; sic dantur portæ adversùs portas: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Viæ adversantur viis; nam una ducit ad CHRISTUM, altera ducere potest ad Herodem:& portæ adversantur portis; quia hæ sunt portæ cæli,aliæ portæ inferni ex adverso. Hinc necesse est claves esse duas, & in eâdem manu ambas. Unam, quâ Petrus Portas reseret Cæli;& alteram quâ claudere & obserare possit portas Inferni: unam,quâ Gentiles ducere possit ad Christum; alteram quâ defendere eos possit à Diabolo & satellitibus ejus. Et omnibus viribus contendit Diabolus & Infernus, ut hæ claves earúmque potestas dividantur & in diversis consistant manibus.

Non ea Regum Serenissimorum mens fuit, qui hasce & omnes conquisitionum nostrarum fundârunt Christianitates, qui semper utramq; conjunctam potestatem tantùm Ministris commiserunt Evangelicis.Porrò Ratio Christiana & Politica illos ad hoc movens, fuit, quòd experimento didicerint, quòd solus Gentiles convertens eosdem zelatur, & protegit: & quòd, sicut separare Animas à corporibus,est occidere;sic istas dividere curas, est destruere. Ideo omnes illæ terræ tam paucorum spatio annorum destructæ sunt,& non inhabitantur: Et tot numerosarum Coloniarum devastationes,de quibus hodie non nisi nomen superest, nec præter ruïnas & cœmiteria quicquam apparet. Necesse est igitur,non tantùm pro spirituali; sed etiam pro temporali conquisitionum prosperitate, ut illi ipsi, qui novas illas construunt Ecclesias, quemadmodum zelum & artem habent illas ædificandi, easdem quòque defendendi facultate polleant.quando Israëlitæ reædificabant Templum, Civitatémque Jerusalem, inquit Sacra Scriptura, quòd quilibet operantium, unâ laboraverit manu,alterâ tenuerit gladium: *Unâ manu faciebat opus, & alterâ tenebat gladium.* 2.Esd.4. v.17. Nunquid melius fuisset utrâque laborare manu,plus facerent? utique sic: sed fieri non poterat: Eadem enim in Regione habitabant Samaritani, qui licèt Fidem in Deum profiterentur,resistebant tamen, atróxque bellum Templi ædificatoribus inferebant: Et quia opus impediebant, necesse erat unâ operari manu, & alterâ pugnare, ut Fabrica promoveretur. Idem illis novarum Ecclesiarum Fundatoribus evênit. Multò plus efficeretur in eis, nisi inter inimicos,Fideíque dimidiatæ homines, quales Samaritani erant, constituti essent. Verùm quoniam isti omnibus viribus potentiæ suæ (vel potestate, quæ non est, nec esse potest sua) Structuram remorantur, & simul laborare & pugnare necessarium est. Et si operariis istis desit gladius, quo laborē suum propugnent, non solùm cessabit, sicut jam cessat opus; sed perdetur, sicut perditur,quicquid tanto fuerat labore peractum.

Sic est. Verùm gladius instrumentum est

est profanum & sæculare, nec sacris congruum satis manibus. Primus ædificatoribus templi mandans in manus accipere gladium, fuit Nehemias, sapientissimus sanctissimusque Princeps, honorisq; divini, omnium qui tunc erant in mundo supremus zelator. Porrò si quis oculos habeat tam teneros & infirmos, ut hæc eos offendat apparentia (quia non ratio sed prætextus) nonnihil eos à nobis aversos in sanctum Paulum conjiciat. Nunquid S. Paulum manu unâ gladium, alterâ verò librum tenentem conspicitis? Hisce instrumentis nobis Ecclesia depingit & exhibet magnum illũ virum, per antonomasiam vocatum Apostolum. Et quare? quare manu unâ gladiũ, alterâ verò librum Paulus tenet? Quia Paulus inter omnes Apostolos vas electionis fuit, singulariter à Deo Gentium Prædicator & Doctor electus: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus*: Et cui incumbit ex officio prædicare, & convertere Gentes, manu unâ librum, aliâ verò gladium tenere oportet: librum ut eos doceat; gladium, ut eos protegat. Porrò si gladius iste evulsus manibus Pauli, Herodis traderetur manui, quid futurum putamus? Bethlehem tota innocentum manabit sanguine: & istud videmus. *Act. 9. v. 15.*

Verùm, ne dubium moveat nomen gladii, Gladium in Pastoralem mutemus baculum, quod est instrumentum propriũ Pastorum (quales ibi sumus) proinde respondete mihi. Quis oves pascere obligatur? Pastor. Et quis easdem à lupis defendere tenetur? similiter Pastor. Ergo Pastor idem, cujus solicitudini eas pascere incumbit, etiam easdem defendendi potestate gaudere & armari debet. Istud Pastoris, baculique pastoritii exigit officium; immittere baculum pastoritium oviculæ ad dirigendam eam, & vertere in lupum ad eum arcendum. Et vos potestatem hanc aliis, curamque illam aliis committi vultis? non fit illud consilium luporum! David oves suas ruri pascens, urso seu leone, ad eas devorandas veniente quid faciebat? Ibatne Jerosolymam, famulum quendam Saulis requisiturus, qui accelerans defenderet? non fuisset David, neque Pastor si ita fecisset. Ille ipse pascebat: ille ipse defendebat. Et taliter defendebat, ut ex ferarum faucibus & visceribus eas erueret: nam si Lupus aut Leo deglutisset agnum à capite, extrahebat illum pedibus; si à pedibus deglutisset, extrahebat illum auribus. Ita inquit Amos Propheta (tanquam ejusdem exercitii) quod facit & facere debet Pastor: *Quomodo si eruat Pastor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* *Amos 3. v. 12.*

Ne autem quis Putet Politicus, malus Grammaticus, & pejor Christianus; obligationem & officium Pastoris tantùm esse pascere, prout derivatio nominis significare videtur; noverit, eum solum qui pascit & defendit, verum esse Pastorem: & nullatenus, talem esse, qui pascit tantummodò. Christus discrimen inter Pastorem & mercenarium declarat, dicendo: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*: id est, bonus Pastor defendit oves suas, etiam vitam pro ipsis exponendo, si fuerit opus: *Mercenarius autem, & qui non est Pastor*, quid facit? *videt lupum venientem, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* Nunc considero, & valde considero, quod Christus mercenarium *Joan. 10. v. 11.* *Ibid. 12.*

rium Pastorem esse neget: *Mercenarius autem, & qui non est Pastor.* Mercenarius, juxta nominis significatum est ille, qui pro stipendio diurno oves pascit. Si igitur mercenarius etiam oves pascit, quare Christus Pastorem illum non esse dicit? quia licet pascat, eas non defendit,& viso lupo fugit. Porrò tam essentiale Pastoris est officio, oviculas defendere, ut eas defendendo sit Pastor, eas verò non defendendo, minimè: *Non est Pastor.* Cùm Christus de bono loqueretur Pastore, putabam ipsum comparaturum fuisse Pastorem bonum cum malo Pastore: bonumque Pastorem esse illum, qui oves defendit; malum verò, qui non defendit. Verùm Christus comparationem non facit inter esse bonum & malum; sed inter esse,& non esse. Oves defendentem asserit bonum esse Pastorem: & non defendentem, non dicit malum esse Pastorem. Quare? quia non defendens oves, non est Pastor bonus neque malus. Lupus dici non potest homo bonus, neque homo malus, quia non est homo. Pari ratione non defendens oves dici nequit Pastor bonus, vel malus, quia non est Pastor: *Non est Pastor.*

Sed cùm de Pastoris essentia sit defendere oves, hinc multi pro ovibus exposuerunt vitam: Hi undis absorpti; illi à Barbaris comesti: alii in sylvis meris ærumnis & desolatione confecti & mortui. Alii per sylvas & deserta inter serpentes vitas immolârunt: in stagnis & fluminibus, inter Crocodilos; in fretis & litoribus inter arenas periculosissimosque totius Oceani scopulos. Denique persecuti, capti & expulsi sunt: nunquam verò pastorali suo officio & obligationi defuerunt, & mercenariorum more viso lupo fugerunt: *Mercenarius autem fugit.* Porrò hæc ratio, & obligatio, me hîc tam clarè loqui facit. S. Gregorius Magnus in hæc commentatus verba: *Mercenarius autem fugit*: sic dicit: *Fugit, quia injustitiam vidit, & tacuit, fugit, quia se sub silentio abscondit.* Scitis, inquit supremus Ecclesiæ Pastor, quando non verus Pastor fugit; fugit quando videt injustitias, & cùm contra eas clamandum sibi esset, tacet: fugit, quia quando pro defensione veritatis prodeundum esset in publicum, se abscondit, ipsamque veritatem sub silentio abscondit. Credo equidem Auditorum meorum nonnullos existimare modestiæ decoroque congruentiùs, veritates istas & injustitias, tacito præterire pede, quod & ego velut Religiosus, facilè etiam facerem, non petita ad hocce magna patientia: sed quid esset, si hoc facerem? esset mercenarium agere, & non Pastorem: *Fugit quia mercenarius est.* Esset in ipsas consentire injustitias, quas vidi & tam remotus cohibere nequivi: *Fugit, quia injustitiam vidit, & tacuit.* Esset proditorem agere ipsarum ovium, quas mihi Christus commisit, & de quibus rationem ipsi redditurus sum, nisi illas defendero, seu me si abscondero, ubi illas defendere possum: *Fugit quia se sub silentio abscondit.* S. Greg.

§. VI.

NOstri Adversarii, zelum illum, quo defendimus Indos, quæstuosum & injustum asserunt. Quæstuosum, quia ideo eos defendimus, ut serviant nobis: injustum; quia Populo servire prohibemus. Primum probant, & opinione suâ, evidenter; quia vident nos

nos ruri & in vicis cum Indis ædificare Ecclesias: vident nos transfretare flumina navibus scaphisque ab Indis præparatis & instructis: vident, quod in Missionibus terrâ marique nos comitentur Indi & deducant: ergò defendimus & quærimus ut serviant nobis. Hæc prima illorum est consequentia: à qua nihilominùs facilè nos defendit Evangelium. Magi qui etiam erant Indi, sic comitabantur & sequebantur stellam, ut illa nec se moveret, nec vel passu procederet sine illis. Verùm in omnibus passibus illis & viis, quis serviebat & cui? serviebatne stella Magis, an Magi stellæ? clarum est, quod stella serviebat illis, & non illi stellæ. Illa quæsivit ipsos tam longè; illa deduxit ad præsepe; illa ipsos illuminavit; illa ipsos comitata est; sed non ut illi servirent sibi, sed Christo, pro quo illa serviebat ipsis. Hoc modo nos servimus Indis, & illi dicuntur servire nobis.

Si cum illis eorum construimus Ecclesias, quarum parietes sunt de luto, columnæ ex grosso ligno, fornices ex palmarum foliis, nos architecti existentes & operarii illius fabricæ, cum fune, ascia, securi, malleo, serrâ, aliisque instrumentis (quæ illis quoque ministramus) in manu; illi serviunt Deo, & sibi; nos Deo servimus & illis: sed non illi nobis. Si nos accedunt, eâdemque in navi quærunt, prout ordinariè faciunt in locis, ubi residentiam non habemus, cùm hoc fiat, sicuti fit, ad illos instruendos, & ducendos per eorum ordinem & turnum; vel ut infirmis omni hora, de die, vel de nocte Sacramenta ministremus, ad triginta, quadraginta, & sexaginta milliaria distantibus, non veniunt illi ut serviant nobis; sed nos abimus ad inserviendum illis. Si proficiscimur in Missionibus remotissimis ad reducendos Gentiles, vel pedites, sæpius excalceati, vel in navibus, inter frequentes turmas in abitu, & multò majores in adventu, illi pariter & nos abimus ad inserviendum Religioni, & Reipublicæ, ut plures habeat filios Ecclesia, & subditos corona: neque illi quos deducimus nobiscum, neque illi quos reducimus inserviunt nobis, sed nos utrisque, nec non Regi & Christo. Et quia hoc modo nos semper vident cum Indis vel in pagis, vel extra eos; vel Indos nobiscum, hanc ipsam tam perperam interpretantur assistentiam, ut loco illius, quod nos dici deberemus servire ipsis, illi dicantur servire nobis.

Venit filius Dei de cœlo in terram ad salvandum mundum, semperque comitatus & stipatus incedebat ab ipsis hominibus, quos salvaturus venerat. Sequebantur ipsum Apostoli, numero duodecim: sequebantur illum Discipuli, numero septuaginta duo: sequebantur eum turbæ hominum multorum millium: Quis verò horum serviebat, vel cui serviebatur? idem Dominus quæstionem solvit: *Non veni ministrari, sed ministrare.* *Matth. 20. v. 28.* q. d. omnes isti qui mihi assistunt, mequé sequuntur; omnes quos ego quæsitum veni, & qui me quærunt, sunt quibus ego inservio, & non illi mihi. Christus Magister erat, Medicus erat, & Pastor, sicut ipse dixit. Porrò iisdem in officiis Gentilibus & Christianis ministri illi deserviunt Evangelici. Sunt Magistri, quia catechizant & docent magnos & parvos; & non semel, sed bis in die: & quando Magister in aula agit, vel in schola,

Discipuli non serviunt Magistro, sed Magister Discipulis. Sunt Medici, quia non animabus solùm, sed & corporibus ipsorum medentur, præparando eis libum & medicamentum, & propriis applicando manibus, ad vulnera & morbos quantumcunque fædi sint: & quando Medicus curat infirmos, seu curam eorum gerit, infirmi non serviunt Medico, sed Medicus servit infirmis. Sunt Pastores, qui soliciti sunt ut pastum dent ovibus, & nutrimentum agnis; die nocteque super gregem suum vigilantes: Et quando Pastor ita facit, & sic invigilat, non oves Pastori serviunt, sed Pastor ovibus: verùm quia hoc non deservit lupis; hinc servire sibi asserunt Pastores.

Quantum ad quæstum & commoda non habeo quod dicam; quicquid enim habemus, illarum subest potestati. Quemadmodum nos captivârunt & expulerunt, sic etiam nostras sibi casas & tuguria, & quicquid in eis erat, sibi vendicarunt. Dicant quid invenerint. Invenerunt aurum & argentum, sed tantùm illud Calicum & custodiarum. In altaribus invenerunt sacraria, imagines, & reliquias, in sacristiis invenerunt ornamenta, non pretiosa, sed decentia & munda: in cellis libros quosdam, catechismos, Disciplinas, cilicia, & unam tabulam, aut funes innexos loco lectorum; quos enim hinc detulimus, dedicati fuerunt Hospitali, ubi non erant lecti; porrò si in vestimentis inventa fuerunt aliquot pallia, & tunicæ laceræ & refectæ, de grosso erant gossypio cœno lutoque intincto, sicut & calcei de pellibus capreæ vel apri, quæ eadem sunt ornamenta quibus hîc comparemus. Denique certum est Magos majorem in præsepio invenisse paupertatem: sed non majorem magisque probatum lucri defectum, seu minorem commodi expectationem. Evangelista ait, Magos apertis thesauris suis obtulisse Christo, aurum, thus, & myrrham. *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* *Matth. 2. v. 11.* Sed nescio utrum advertatis, quod cùm thesauri dicantur oblati, non dicatur, utrum sint acceptati, nec ne. Communiter Doctores opinantur, quod sic: nihilominus dubitant alii, neque sine fundamento; paucis quippe ab hinc diebus, Beatissima Maria Virgo & Mater primogenitum suum secundùm legem in templo præsentans, eadem disponente lege ut pauperes offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum, & ditiores agnum; non obtulit agnum; sed ut inquit textus. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* *Luc. 2. v. 24.* Unde colligi videtur, familiam sacram præsepii, Magorum non acceptasse thesauros: si enim habuissent aurum, obtulissent utique agnum. Ita ut certum quidem, & de fide sit, thesauros fuisse oblatos, dubium verò utrum fuerint acceptati. Hinc infero, quamvis tanta fuerit præsepii paupertas, nostram in terris illis magis esse probatam. In paupertate præsepii, certum est fuisse thesauros, dubium utrum fuerint acceptati: in nostra non est ista incertitudo, neque dubium istud esse potest; siquidem Magi quos ad Christum adducimus, & Gens cui servimus, tam inopes sunt & miserabiles, ut nec illi habeant, quod offerant, neque quod nos acceptemus.

Excutienda restat querelæ pars altera, quâ dicunt nos defendere Indos, quia populo illos servire nolumus. Usque

huc progreditur calumnia, ut ipsam confutare & repellere veritatem præsumat. Hac ipsa in aula authenticè constat, quod Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto ad eam appulerim, huic solùm querimoniæ remedium quæsiturus, & ad stabiliendum (pro ut etiam provisione regali stabilitum & confirmatum retuli) ut omnes sine exceptione Indi, eidem servirent populo, & servirent semper: nec non modum, repartitionem, & æqualitatem quibus eidem populo serviendum esset, ut servitiis contentus esset. Ecce num plus desiderare potuerit cupiditas, si illam comitari posset conscientia. Enim verò negare non possum, quod omnes in hoc puncto, & ego præ cæteris valde culpabiles existamus. Quare? quia Gentiles defendere obligati, quos ducimus ad Christum, sicut Christus defendit Magos, imbecillitati virium nostrarum, & alienæ nos accommodantes potentiæ, jura ipsorum negligimus nec defensionem præstamus. Quomodo Christus defendit Magos: tali pacto eos defendit, ut Patriam, dignitatem, libertatemque eorum perdi nec permiserit nec consenserit: & nos non consentimus tantùm, ut miseri Gentiles, quos convertimus, totum istud perdant, sed illis perdere & prostituere suademus, & desuper cum eis tractamus, visuri tantùm utrum Christianorum tyrannidi fieri satis possit: sed nihil sufficit. Christus Magos Patriam perdere noluit, quia *Reversi sunt in Regionem suam*: & nos non tantùm consentimus ut Gentiles isti Patriam suam perdant, sed persuasionum promissionumque violentiâ (si eas non retineant) eos è terris suis evellimus, integras deducendo Colonias, ut vivant moriantur que juxta nostras. Christus Magos jurisdictionem, & Majestatem perdere noluit; Reges enim venerant, & Reges reversi sunt: & nos non consentimus tantùm ut Gentiles illi naturalem superioritatem in qua nati sunt, & vivunt ab omni subjectione exempti: sed spirituali ipsos subjicimus jugo Ecclesiæ, & temporali jugo coronæ, homagium præstare facientes. Denique Christus non consensit ut libertatem perderent Magi, eos à potestate & tyrannide Herodis liberando: Et nos non solùm ipsorum non propugnamus libertatem; sed pactum inimus cum illis, & pro illis, tanquã curatores ipsorum, ut dimidiati sint captivi, alternatim sese ad serviendum obligantes ad anni medium. Verùm nihil horum sufficit, ad exsatiandam seu temperandam calumniatorum nostrorum cupiditatem & tyrannidem; nigros enim esse, & mancipia esse debere protestantur.

Matth. 2. v. 12.

Aliquoties jam consideravi mecum, quare divina permiserit Providentia, seu divina ordinârit justitia, quod terris istis & vicinis hæretici septentrionales dominati fuerunt. Ratioque mihi videtur esse, quia nos tam nigri sumus comparatione illorum, sicut Indi respectu nostri: proinde justitiæ consentaneum erat, ut postquam leges tales condidimus, pœnæ earundem executionem pateremur. Ac si dixisset Deus, agite, quia captivos illos facitis, quia albiores estis illis; ego captivos vos faciam aliorum, qui candidiores sunt vobis. Grandem injustitiæ hujus iniquitatem, alieno declaravit nomine Salomon, naturali valde demonstratione. Æthiopissam introducit Moysis uxorem nigram, loquens domicellis de Je-

Jerusalem candidis, & hinc illam despicientibus, dicens: *Filiæ Jerusalem, nolite considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* q. d. Si me despicitis quia nigra sum, & vos albæ, nolite considerare colorem, considerate causam coloris hujus esse solem, moxque videbitis, quàm temerè judicetis. Nationum quædam albiores sunt, aliæ nigriores, quia aliæ aliis remotiores, seu viciniores sunt soli. Sed enim poteſtne dari major aut intellectûs inconsideratio, aut judicii error, inter homines & homines, quàm ut sibi quis imaginetur; oportet me esse vestrum Dominum, quia remotior à sole natus sum; & vos meos esse servos & mancipia, quia soli propinquiores nati estis?

Cant. 1. v. 5.

Magorum, qui hodie venerunt ad præsepe, duo erant albi, & unus niger, prout habet traditio: sed nunquid justum vobis fuisse videretur, si Christus Casparum & Balthasarum, eò quod albi essent liberos in Orientem redire mandâsset, & Melchiorem, quia niger esset, in Bethlehem remanere, servumq; & mancipium, quãvis Sancti Josephi esse voluisset? Christus equidem hoc justè facere potuisset, qui dominantium est Dominus: verùm docere nos voluit, homines cujuscunque demum coloris, æquales esse per naturam; æqualioresque adhuc per fidem, si Magorum adinstar Christum credunt & adorant. Res est animadversione digna, quod cùm Magi essent Reges, diversorumque colorum, neutrum tamen dixerit Evangelista. Si omnes erant Reges, quare tertium nigrum fuisse non dicit? quia omnes adoratum venêre Christum, & omnes facti sunt Christiani: & inter Christianum & Christianum neque nobilitatis est differentia, neque coloris. Non est differentia nobilitatis; omnes quippe sunt filii Dei: neque differentia coloris; omnes enim sunt albi. Hæc aquæ Baptismatis est virtus & efficacia. Æthiops se lavans in aquis Zayri, fit mundus, sed non albus: in aqua verò Baptismatis utrumque accidit. *Asperges me hyssopo & mundabor*: ecce mundum: *Lavabis me, & super nivem dealbabor*: Ecce illum album. Sed tam levi aguntur ratione, tamque modicam ostendunt fidem isti Indorum inimici; ut postquam nos illos fecimus albos per Baptismum, illi servos & mancipia eos facere velint ob nigredinem.

Psalm. 50. v. 8.

Non equidem hoc intendo, quod mancipia esse nolim: imò hac in aula, ubi notorium est, & ex propositione patet, procuravi, ut fieret, uti & facta est, Virorum doctissimorum congregatio super hoc puncto, ut declararent, prout declarârunt pro lege (quæ ibidem codicibus inserta est) licitæ captivitatis causas. Verùm quia nos captivitates tantùm volumus licitas, prohibentes illegitimas: hinc nos in ea non tolerantes terra ejiciunt. Idem S. Paulo in non Christianorum regione evenit. Philippis in Macedonia puella quædam à dæmone obsessa oracula dabat, & plurima divinabat, & ex hoc quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando. Compassus illi Sanctus Paulus ibidem cum Sila socio suo in missione constitutus, ex corpore illo dupliciter captivo dæmonium ejecit. Et quid præmii & gratiarum actionis, ipse & socius ejus pro isto reportavit beneficio? totus contra eos commotus est populus, apprehensos malè tractârunt, & extra civitatem ejecerunt. Ergò quia Apo-

Apostoli dæmonium ejecerunt extra ancillam, hinc ipsi ejiciuntur extra civitatem? an fortè Paulus & Silas, ancillam suis subtraxerunt Dominis, vel eis ultra servire prohibuerunt? hoc ne in mentem quidem illis venit. Ut quid igitur virgis illos cædunt, ut quid apprehendunt, ejiciunt, & expellunt? quia ancillæ Domini, non solam volebant ancillam, sed ancillam, & simul dæmonium. Hîc totius controversiæ cardo vertitur, ideoque non concordamus. Nos volumus ut mancipia habeant & servos, sed sine dæmonio: Illi nolunt servos, nisi cum dæmonio. Quare? rationem dat ipse textus, quæ
Act.16. v.19. in utrisque est eadem: *Quia exivit spes quæstus eorum:* Id est, quia habentes ancillam sine dæmonio omni lucri sui spe excidebant. Mancipia legitima & sine dæmonio sunt valde rara: illicita, & cum dæmonio, sunt tot, quot ipsi in servitutē redigere volunt, & redigunt: & quoniam quæstus eorum (licèt sit infernalis) in habendo mancipia & servos cum dæmonio consistit; hinc malunt dæmonium, quàm Apostolos, proinde illos à se ejiciunt: *Quia exivit spes quæstus eorum: perduxerunt Paulum & Silam.* &c.

Hâc evidentiâ convicti & confusi, adhuc loquuntur, adhuc replicant, & quid dicunt? quod Herodes non ausus est dicere quamvis fecerit. Se non aliter posse vivere, statumque suum conservare asserunt. Ecce qualis ratio, ut auribus audiatur Catholicis, & velut articulus coram tribunali, seu Rege Christiano præsentetur. Vitam transigere non valemus, sine carne miserorum Indorum, & sanguine. Ergò illi sunt, qui comedunt Gentem? Nos, Nos imus devoratum illos. Hæc insatiabilis servorum Job fames erat: *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?* & hæc erat iniquitas & crudelitas, quam Deus in malis Ministris suis gravissimè ferebat: *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis.* Porrò quia Prædicatores Evangelici innocentes illas inquirunt victimas, easdem lictori, carnifici, & occisori tradere nolentes, exite, exite de finibus nostris. Christus vocans Apostolos se illos hominum piscatores facturum promisit: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Sic nos fecit, & nos facimus; & in hoc nostra occupantur retia, & fatigantur brachia. Sed ut intelligant, & cognoscant omnes hîc & ibi, quod homines istos nos piscari non debeamus, ut illi eos devorent; advertant notentque benè, quod Christus Apostolos vocando piscatores, etiam sal ipsos appellârit: *Vos estis sal terræ.* Piscatores ergò esse debent sal; & Apostoli sal, & simul piscatores? utique. Piscator capit, sal condit & conservat. Et hæc est differentia inter piscatores hominum, & piscatores piscium. Piscatores piscium capiunt pisces, ut comedantur: piscatores hominum, piscantur homines ut conserventur. In omni reliquo illius Americæ videatur, si qui fuerint Indi, qui non nisi à nostra conserventur doctrina. Idcirco nos aversantur, illos tantùm expetentes, qui ad comedendum, & devorandum concurrant: & hæc nobis pro culpis imputantur.

Job.31. v.31.
Psalm. 13 v.4.
Matth. 4.v.19.
Matt. 5.v.13.

Justitia pœnæ, quam nobis infligunt pro eis, apparet: quam Deus irrogabit illis, & præmium quo nos remunerabit, eadem pœnæ interminatio, & præmii promissio insinuat. Christus velut sapientia infinita, Apostolos suos, quos missurus erat in mundum offensuros prævidebat

videbat homines, adeò veritatis justitiæque inimicos, ut eos minimè apud se toleraturi, sed è finibus suis expulsuri forent (quemadmodum Geraseni è finibus suis ejecerunt ipsum Christum) proinde ut scirent, qualiter se in similibus eventibus gerere oporteret; instruxit eos, dicens. *Quicunque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, euntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis*: Id est, in testimonium quod pedes terræ illi intuleritis ad docendos eos, & illi vos rejecerint. Sic Ss. Paulus & Silas fecêre, è Pisidia ejecti: & ego quoque similiter feci. Quid verò Christus amplius dixit? ne Apostoli iidem propterea contristarentur, sed potiùs exiliis istis singulariter gauderent & gloriarentur, hâc eos ratione erigit: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint & ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete, & exultate; ecce enim merces vestra copiosa est in cœlo*: id est, quam nescit, neque dare potest terra.

Matth. 10. v. 14. Luc. 9. v. 5. Marc. 6. v. 11.

Luc. 6. v. 22.

Hâc mercede Christus (Benedictus ille) nobis solvet, & actu jam solvit harum perpessionem injuriarum, præviè promissionis suæ securitate: hosce labores, illâ quiete, hæc exilia, illâ patriâ, & hasce injurias illâ gloriâ remunerando: ut nemo nobis compatiatur, invidente modò nobis cœlo. Verùm ne tantorum authores scandalorum, & se, & regiones suas à debita punitione exemptas & immunes existiment, justus tandem Judex tremendâ hâc sententiâ concludit: *Amen dico tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum, quàm civitati illi*, q. d. In veritate vobis dico, quod civitatum Sodomæ & Gomorrhæ, super quas pluit ignis, tolerabilior adhuc fuit, & mitior pœna erit, quàm illa, quæ non personis tantummodò, sed etiam terris ipsis, ex quibus Prædicatores mei fuerint ejecti, destinata reservatur. Talem Justitia divina promulgavit sententiam in Gentem illam adeò irrationalem, cujus bono, & remedio, tot ego maria per tot pericula transivi. Divina illis misericordia ignoscat, quia nesciunt, quid faciunt. Et ne venia illis ex aliqua desit parte; quemadmodum socii mei & ego illam ex toto corde dedimus, sic modò illam repeto hîc publicè, & coram Deo & hominibus, omnium nomine confirmo.

Matt. 10. v. 15.

§. VII.

Suppositâ itaque pœnâ, seu punitione, quam neque peto, neque prætendo, solùm desidero remedium; prolixum hunc Discursum absolvam, ea breviter suggerendo remedia, quæ docet Evangelium. Primum, & quod fundamentum esset omnium; ut terræ istæ ab optimè morata, & verè Christiana incolerentur Gente. Hinc in Gubernatorum regulis primum illis valde commendatur curare ut Lusitanorum vita & mores sint tales, ut eorum exemplo & imitatione convertantur Gentiles. Et hoc sanctissimè est dispositum: assertore enim S. Joanne Chrysostomo, si Christiani viverent secundùm legem Christi, tota Gentilitas jam esset conversa: *Nemo profectò Gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus.* Res verò, seu admiratione, seu risu digna nescio, quod eodem tempore, quo regula hæc, seu directorium gubernatoribus traditur, iisdemque in S. Chrys.

navibus, quas conſcenderunt, qui ad incolendas terras iſtas tanquam coloni novi, criminoſi ſunt, & malefactores, è carcerum fundis educti, compedibusque & vinculis gravati ad conſcendendam navem adducti, quos tam rigidarum juſtitiarum timor nequivit reddere meliores. Porrò hi virtutum ſuarum ergò proſcripti, & quandoque ſtigmate in corpore inſigniti, ſunt illi Sancti, qui illuc mittuntur, ut eorum exemplo convertantur Gentiles, & incrementum accipiat Chriſtianitas. Samaritani illi, qui ut ſupra diximus, ſtructuram impediebant templi, erant à Salmanazar Aſſyriorum & Babyloniæ Rege proſcripti ut Samariam, quam ipſe armis ſubegerat, incolerent: & Scripturâ ſacrâ teſte, mores conſuetudinesque ſuas quas ſecum è terris ſuis conferebant, illis quas in Samaria inveniebant commiſcuerunt; proinde dimidiati erant Fideles, & Gentiles: *Et cùm Dominum colerent, Diis quoque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam.* Idem evenit, & evenire neceſſe eſt in conquiſitionibus noſtris, cum ejuſdem farinæ colonis. Verùm cùm error iſte fundamentalis jam deſtituatur remedio, tranſeamus ad ea quæ pro præſenti & futuro nos docet Evangelium.

4. Reg. 17. v. 33.

Primum eſt idoneorum ſubjectorum electio, quibus committatur regimen. Ut autem electio ſit bona, quibus qualitatibus præditos eſſe oportet electos? mihi quidem unam tantùm eos habere ſufficit. Et qualem? ut ſint ipſi de longinquo, & vicinum ſit quod promittunt. Herodes valde recommendavit Magis, ut ſolicitè de novo interrogarent Rege nato, quem quæſitum venerant, ut inventum ſibi ſtatim nunciarent, ut & ipſe veniens illum adoraret: *Ut & ego veniens adorem eum.* Vah Hipocrita! vah proditor! ut adorares Chriſtum, nunquid neceſſarium eſt eò pergere ubi ille fuerit: *Ut & ego veniens?* Herodes æquè poterat adorare Chriſtum in Jeruſalem ubi ipſe erat; ſicut in Bethlehem, vel alio quocunque loco ubi fuiſſet Chriſtus: ſed tales ſunt & eſſe ſolent Herodes. In Bethlehem, & è vicino adorant: in Jeruſalem & è longinquo non adorant. Antequam vadant, & quando veniunt adorant: *Ut & ego veniens*: ſed tam remoti adhuc, nec adorant, nec adorare cogitant ſicut Herodes, quod ſi nihil contra Regem aut ejus machinantur perſonam, contra leges ipſius & illum machinantur; cum diſpendio vitæ, ſanguinisque Innocentûm. Bonus erat Daniel, & fidus Domino ſuo miniſter: porrò Daniel agebat in Babylonia, & ſacer textus inquit eum quotidie apertis feneſtris, quæ reſpiciebant Jeruſalem tribus vicibus diebus ſingulis Jeruſalem verſus adoraſſe: *Apertis feneſtris in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat.* E Babylonia videri non poterat Jeruſalem tot centenis milliaribus diſtans, quot de monte Sion, uſque ad flumen Euphraten intercedunt. Quare igitur adorabat Daniel verſus partem reſpicientem Jeruſalem? quia Jeruſalem eo tempore erat aula Dei, templum ejus palatium, propitiatorium ſuper alas Cherubim ejus thronus: & hæc erat fidelis Miniſtri obligatio; adorare Dominum ſuum, & adorare illum ſemper & in omni loco & parte mundi, quamvis tam diſtante, ut erat Babylonia; in Jeruſalem adorabat Daniel è vicino; in Babylonia, è longinquo:

Matth. 2. v. 8.

Dan. 6. v. 10.

quo: & hoc notat & exaggerat Scriptura, non quod adoraret propè, iſtud enim faciunt omnes: ſed quod adoraret è longinquo: & è tam longinquo. Et quoniam è longinquo pauci ſunt Danieles, & multi Herodes; hinc expedit ut quibus regere incumbit terras remotas, hoc faciant de longè, quod faciunt prope.

Verùm oppoſitum è diametro fieri ita ſolemne eſt, ut hoc ipſo tantùm quod ſe tam longinquos videant, omnem Regis metum, nominisq; ipſius reverentiam excutiant. Magi ingreſſi ſunt Jeroſolymam interrogantes: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum*? & quales iſta regii nominis vox in Herode excitavit affectus? *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt.* Audito nomine Regis turbatus eſt, immutato colore, animi defectum incurrit præ timore. Sic eſſe oporteret nomen Regis, ſive pronunciatum, ſive ſcriptum in quacunque Monarchiæ ſuæ, etiam vel remotiſſima parte. Deberet eſſe inſtar tonitrui cum fulmine, quod tremefaceret civitates, fortalitia, portus, maria, montes, quantò magis homines? verùm qui ultra lineam æquinoctialem, ſeu ſub illa ſe vident, tantum abeſt, ut tonitrua illa extimeſcant, ut loco illius, quod de corde ſumere deberent Herodis, *Turbatus eſt*; ex Magorum ore accipiant, *Ubi eſt*, ubi eſt Rex? in Luſitania? benè habet; ſi ille agit ibi, nos ſumus hîc: *Illa ſe jactet in aula.* Mandet ibi quicquid libuerit; nos hîc faciemus, quicquid bonum viſum fuerit. Hæreticis illis ſunt ſimiles, qui ad guſtum placitumque ſuum illum Davidis Verſum accommodantes, dicebant: *Cœlum cœli Domino, Terram autem dedit Filiis hominum.* Id eſt, ſuo ſit in cœlo Deus, nos hîc in noſtra agimus terra. Enim verò quid agendum terræ ſub hujuſcemodi gubernatoribus? hoc quod illi voluerint, quamvis ſit valde contrarium ſibi, & magno cum gravamine junctum. Adeſt textus: *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum eo.* Herodem intruſum turbari Regem, & Tyrannum, timentem ne legitimus Dominus ſe privet coronâ non ſuâ, ratione non carebat: ſed conturbetur Jeruſalem audito optimo & lætiſſimo, quod deſiderare poterat nuncio? nunquid Jeruſalem & tota Judæa pro Meſſiæ adventu ſuſpirabat? nunquid ſub Herodis violentia gemebat? nunquid jugum excutere, ſeque ab ejus tyrannide liberare deſiderabat? quare ergò ipſo turbato, ſimul conturbatur, ut ſaltem turbari ſe ſimulat? quia tam deſpotica miſerorum iſtorum Populorum eſt ſubjectio, ſub gubernatorum ſuorum dominio, maximè quando ſunt Tyranni. Illorum exequi debent voluntatem, & velle quod illi faciunt, quamvis cum gravamine & dolore. Dicunt, gubernatores eſſe ſpeculum Reipublicæ; non eſt ſic; ſed contrarium. Reſpublica gubernantium eſt ſpeculum. Quemadmodum enim ſpeculum propriam non habet actionem, & non niſi adiaphanum eſt vitrum, ſemper expoſitum ad recipiendum in ſe exprimendumque oppoſiti motum & figuram: pari modo populus & Reſpublica ſubjecta ſi movetur, vel quieſcit per motum, ſeu quietem gubernantis contingit. Herode non turbato, turbata non fuiſſet Jeroſolyma: turbata eſt, quia ipſe turbatus fuit: *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum eo.* Turbatus fuit unus, & turbationes fuêre duæ: una in Herode, altera

Matth. 2.v.2. Ibidem v.3. Pſalm. 113.v.16. Matt. 2.v.3.

altera in Jerusalem. In Herode fuit actio, in Jerusalem reflexio, sicut in speculo. Hinc Evangelista primam solmmodò expressit: *Turbatus est*: & sub illa intellexit ambas. Ita ut quoties Hierusalem turbatur, Herodi sit imputandum: & si fortè non totaliter, saltem primariò: *Et omnis Jerosolyma cum illo.* Vel cum illo, quia commotionis & turbationis est author; vel cum illo, quia illam mandat; vel cum illo, quia in illam consentit; vel cum illo, quia dissimulat; vel cum illo saltem, quia obligatus & potens eam non impedit; sed semper, & quocunque modo, cum illo: *Cum illo.* Denique ut in electione istorum *Illorum*, pax, tranquillitas, bonumque conquisitionum regimen consistat. Et istud primum est remedium Evangelii; vel primum Evangelium remedii.

Remedium secundum est, ut Ecclesiasticæ status illius congregationes talibus constent subjectis, quæ sciant velintque quod verum est edicere. Ut propositioni interrogationique Magorum respondere
Matth. 2. v. 4. ret Herodes, quid fecit? *Congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas Populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Propositio & quæstio erat de loco, ubi Messias nasciturus putaretur, ideóque congregationem consessumque instituit, in quem Ecclesiasticæ intrabant personæ, dignissimæ & doctissimæ, quæ Jerosolymis inveniebantur. Herodes erat Tyrannus, nihilominùs istas duas proprias Principi partes exercuit, ut consuleret & interrogaret quos oportebat: materias ecclesiasticas ab Ecclesiasticis; & illas scripturarum à Doctoribus & quidem præcipuis. Idcirco coëgit Concilium ex Sacerdotibus, & literarum Professoribus, non ex quibuscunque Sacerdotibus, literarumq; Doctoribus, verùm qui in sacerdotio & scientia, in Synagoga, & in populo, prima loca tenebant: *Congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas Populi.* Et quid ex hac tam ritè disposita personarum electione subsecutum fuit, totum quod prætendebatur.

Primus & valde notabilis effectus fuit, quod, cùm tot essent, omnes sententiis convenerint. Rara habetur congregatio, in qua non occurrat opinionum diversitas, imò contra rationem & veritatem manifestam, præsertim ubi de Regis inclinatione constiterit; prout hîc ex perturbatione Herodis constabat; nihilo secius, omnes hujus frequentis concilii, in idem responsum concordarunt; omnes eundem allegarunt textum: omnesque in eodem illum sensu intellexerunt; *At illi dixerunt ei, in Bethlehem* Ibid.
Juda, sic enim scriptum est per Prophe- v. 5.
tam: Et tu Bethlehem terra Iuda, &c. Quoniam verò omnes sine discrepantia omni concordarunt, ex hoc primo effectu subsecutus est secundus, principaliter intentus, scilicet Magos certè dirigere ad locum nativitatis Christi, ut infallibiliter illum invenirent, & adorarent, sicuti inventum adorârunt. Tanti refert, similes congregationes seu concilia ex doctis & sapientibus constare hominibus. Hîc existimatur pro illis partibus sufficere Ecclesiasticos, formam scientes Baptismatis & fidei doctrinam; nec consideratur, quod iisdem publicè prædicare incumbat ex pulpitis; & secretò absolvere peccatores in confessionalibus (ubi maximum est periculum) & quod ex legum Regiarum dispositione, earundem

rundem sint legum interpretes: à quibus horum dependet libertas, aliorum conscientiæ; salus denique omnium. Porrò si isti (prout accidit, vel accideret) literaturæ nihil ultra A. B. C. habuerint, qualia eorum erunt consilia, quales resolutiones & sententiæ? Quæro. Si Sacerdotes Doctoresque de Jerusalem in diversas abiissent sententias: si hi Christum in Bethlehem, aliqui in Nazareth, alii in Jericho nasciturum dixissent: si quidam pro Galilæa, aliqui pro Judæa, alii denique pro Samaria suffragium tulissent, quid Magis faciendum fuisset? certum est hoc casu desperabundos ad suas revertiRegiones debuisse, sicut revertuntur multi; vel perseverantes inquirere Christum, in tantæ confusionis medio ipsum nequaquam inventuros fuisse. Ex principalioribus causis, quare Christus tam parum inveniatur, seu adeò in conquisitionibus istis perdatur, una est, subjectorum Ecclesiasticorum quæ mittuntur illuc insufficientia. Christus perditus, inter Doctores fuit inventus; illis vero deficientibus quid fiet? jam perditus, inter Doctores fuit inventus: ubi hi defuerint, jam inventus perdetur. Idcirco Herodes coacto tam Doctorum hominum concilio, Magos sine dubio Christum inventuros mox supposuit: *Et cùm inveneritis, renunciate mihi.*

Et hoc, ut dixi, secundum est remedium, quod nobis suggerit Evangelium. Si verò minùs nobis satisfacit, eò quòd à tam malo authore uti Herode, practicatum innotescat (non attendendo, quod frequenter mali tam bene gubernant quàm boni, & meliùs optimis) saltem Magni conquisitoris nostri Emmanuelis felicissimæ recordationis Regis & tanti sui, æquè ac Christi Regni amplificatoris exemplum imitemur, de quo legimus, quod primus quem ad conquisitiones misit Sacerdos, suus proprius fuerit Confessarius. Non credidit ille animarum istarum salvationem alii, quàm cui suam propriam credebat conscientiam: sciebat enim obligatum se in conscientia, de iis solicitum esse, & de mediis ad earum salutem requisitis providere. Verùm quid opus est ad merè humana recurrere exempla, ubi illud ipsiusmet Regis Salvatorisque universi sub oculis habemus? tempore Nativitatis Christi mundus in duas divisus est nationes, quibus comprehendebantur omnes, Judaicam, & Gentilem. Et ut Christus ex utraque novam Christianam, erigeret Ecclesiam quã ædificaturus & propagaturus advenerat, probè novimus qualia subjecta elegerit. Ad Pastores, qui Judæi erant, Angelum ablegavit: ad Magos Gentiles, stellam direxit. Enim verò quare ex omnibus creaturis stellas & Angelos? quia stellæ sunt lumina, & Angeli sunt Spiritus. Qui caret luce non potest ducere: & qui caret Spiritu, nequit convertere. Et nos mundum convertere conamur sine Angelis, & cum tenebris. Optimè hîc advertit glossa, quod tam Angelus, quàm stella Missionarii fuerint è cœli directi: & bonum esset inde venire omnes. Ast nunc cùm illos nequeamus attrahere ex cœlo, sicut Christus, quare saltem meliores, aut minùs malos terræ non mitteremus?

Tertium ultimumque remedium, unicum multa complectens, est, quod omnia bonæ administrationi, illarumque culturæ animarum necessaria, illis non tantùm concedi, sed effectivè oportet applicari, quamvis ipsi Gentiles, vel Neo-

Christiani (nec alius pro eis) id non petierint, vel procurârint. Singulari advertentia & mysterio textus noster inquit, Magis dormientibus datum fuisse responsum, ut de manibus Herodis sese liberarent: *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem.* In verbis, *Responso accepto*, multum considero. Num in Bethlehem Magi interrogârunt aliquid? petierunt aliquid? locuti sunt aliquid? saltem in specie de Herode, super quo responsum accepêre, certum est, quod nec verbum fuerint locuti. Si igitur non sunt locuti, si nihil petierunt, si nihil proposuerunt, aut interrogârunt, quonam pacto responsum accepisse dicuntur? *Responso accepto?* Hoc mysterio admirabili Christus omnes instruit Reges, qui Gentiles ad Fidem adducunt. Magi Gentiles erant, vel recenter à Gentilitate conversi Christiani: & Gentiles, vel recentèr conversi Christiani, ubi viget ratio, Fides, & justitia, responsum habere debent, etiam non loquentes: expediendi sunt non petentes: & de remedio ipsis providendum est, & si non efflagitent. Non debet intervenire petitio, & esse debet expeditio: non debet esse postulatio, & adesse debet remedium: non præmissa propositione & interrogatione præsto esse debet responsio: *Responso accepto.*

Matth. 2. v. 12.

Sic est: verùm ipsis non petentibus aut postulantibus, quis pro eis petet aut postulabit? optimus procurator fuit, qui hoc casu interpellatorem egit. S. Hieronymus inquit, responsi authorem ipsum fuisse personaliter Christum: S. Augustinus ait, responsum fuisse virtute ministerioque Angelorum: & totum hoc fuit. Christus fuit velut Rex verus, & Angeli velut veri fuerunt ministri. Aliis in casibus, & aliis cum subditis, Reges & Ministri requiruntur & interpellantur: in hoc casu, & cum hac Gente, Reges & Ministri requirunt, & interpellant. Hi ipsis procurare debent Fidem; hi illis procurare debent libertatem; hi illis procurare debent justitiam. Denique hi illis procurare debeant commercia, & præstare efficaciter, quicquid ad conversionem, quietem, & securitatem pertinet, ipsis Gentilibus, vel ante, vel post conversionem, omni simili curâ vacuis. Quid agebant, quid cogitabant Magi accipientes responsum? Est sanè circumstantia consideratione digna, iis quibus id ex officio incumbit. *Et responso accepto in somnis.* Magi dormiebant, sui ignari discriminis, & sui incurii remedii: eodemque tempore bonus Rex, & boni Ministri advenientes disponebant media, non solùm pro animarum ipsorum salute, sed & pro vitæ ipsorum conservatione, quiete & securitate.

Porrò si quis me rationem differentiæ interrogaverit, & cur hæc obligatio tantam exigat solicitudinem circa Gentiles, & novos conquisitionum Christianos; imò circa ipsos subditos Lusitanos, & nationales seu indigenas: valde miror esse, qui eam ignoret. Ratio est: Quia Regnum Portugalliæ, quatenùs Regnum, & quatenùs Monarchia, non solùm ex charitate, sed ex justitia, conversionem & salutem Gentium efficaciter procurare tenetur, à quo multi eorum incapacitatis & invincibilis ignorantiæ suæ ergo excusantur. Obligationem illam subiit Lusitania, quà Regnum; illum enim in finem specialiter illud Christus fundavit & instituit, pro ut ex institutione ipsius constat. Et hanc obligationem con-

contraxit Monarchia, quia intentione hac & pacto, summi Pontifices jus conquirendi ipsi indulserunt, prout ex Bullis Pontificiis patet. Quoniam autem fundamentum & basis Regni Lusitaniæ utroq; titulo, Fidei propagationem Gentiliumq; animarum conversionem imponit, non solùm infallibiliter suas perdent omnes, quos obligatio illa afficit, si eam neglexerint, sed Regnum ipsum & Monarchia, subtractâ basi cui fuerat inædificata, in conquisitione istâ ruinam minatur, quam in tot aliis partibus jam est experta: & Dominus idem, qui dedit nobis, auferet ex manibus quasi colonorum: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.* Matth. 21.v.43.

Ast, ad quid verba, seu commemoratio Regni, quando de tot millium animarum tractatur remedio, quarum quælibet toto pretiosior est Regno. Ab ipso Rege, qui hodie vocavit Reges, & ab ipso Pastore qui heri vocavit Pastores, accipiamus Exemplum. Isaias de Christo velut Rege loquens, inquit, quod imperium suum in humeris portârit: *Cujus imperium super humerum ejus.* Isa.9.v.6. Et S.Lucas de eodem velut Pastore loquens, ait, quod perditam, quæsitam & inventam oviculam super humeros imposuerit: *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc.15.v.5. Ergone unum Regnum & imperium super humerum unum, & ovicula una super humeros ambos? Ita. Quia magis humeris indiget una ovicula, quàm unum imperium. Non tanti ponderis est unum imperium, quanti ovicula una. Pro imperio Rex sufficit medius: pro una ovicula necessarius est totus. Et cùm tanti sit ponderis anima tantùm una; Ecclesiasticorum, nec non sæcularium inveniantur conscientiæ, quæ suos in humeros tot millium periclitantium seu pereuntium pondus animarum recipiant? Felix Herodes, vel minus saltem infortunatus: deinceps tu non eris exemplum crudelium. Quid refert quod Herodes vitam tot sustulerit innocentibus, si eorum salvavit animas! crudeles planè, & tyranni sunt, quorum culpâ tot ad infernum vadunt animæ aliæ: & si unico momento reliquarum dilatum fuerit remedium, vadent omnes. In cœlo vidit S.Joannes Innocentes petere vindictam effusi sui sanguinis: *Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. 6.v.10. Porrò si animæ in cœlo visione Beatificâ gaudentes, Deoque fruentes expetunt ultionem: tot animæ in inferno ardentes, & in omnem arsuræ æternitatem, quos ejulatus ad Deum emittent? Animabus etiam suus est sanguis, scilicet quem Christus pro eis profudit: & quomodo ad justitiam divinam, sanguis iste clamabit divinus, si tam longè auditi fuerint, sanguinis Abelis clamores;

§. VIII.

Optarem ut in clamorum istorum echo mea suspenderetur oratio, sed non est bonum, ut in clamoribus illa finiat, dum Evangelium tam propitium nobis cœlum ostendit, ut in terra audiantur silentia. Ita magis evenit, mihiq; eventurum spero, æquè enim ut illi fuerunt, felix sum, ut itinere suo absoluto (plus quàm speraverant) invenerint. Quærebant Regem natum; *Ubi est, qui natus est Rex*: Matth. 2.v.11. & invenerunt Regem natum, & Reginam Matrem. *Invenerunt puerum, cum Maria Matre ejus.* Et quoniam supre-

ſuprema Mater, minorennis adhuc Regis Oraculum erat, Magorumq; reditus in regiones ſuas, ad ipſam ſpectabat Dominam; legatio illa, quam ipſa excepit, tam ritè fuit diſpoſita, directa, tamque glorioſum exitum ſortita, ut de eâ omnibuſque inde conſecutis, Salomon in ſuis dixerit Canticis: *Emiſſiones tua Paradiſus.* Quoniam hucuſque, Domina, Miſſiones ſub nomine Regiæque Majeſtatis tuæ protectione non ſunt factæ, cruciatus, tormenta, & pœnæ damni, quas iſtæ perpeſſæ ſunt animæ, Miſſiones inferni poterant appellari: Eædem modò, quod tuæ ſint Majeſtatis, erunt Paradiſus: *Emiſſiones tua Paradiſus.* Sic de Regia pietate, juſtitia, & Majeſtatis tuæ magnificentia ſperant, illæ tam perſecutæ & deſperatæ animæ: & ſic confidunt certóque ſibi perſuadent illi, qui à propria exulando Patria, earum amore tam indignum hodie in Patria ſua patiuntur exilium. Porrò ut finiam ſicut incepi cum ultima Evangelii clauſula; hoc quod finaliter illud dicit, eſt, quod Magi per aliam viam redierint in terram ſuam: *Per viam aliam reverſi ſunt in Regionem ſuam.* Regio fuit eadem, ſed via diverſa: Et hoc eſt quod tantùm deſiderant illi, qui non aliam habentes terram pro ſua, quàm illam Gentilitatis iſtius, cui convertendæ & docendæ, tot mediantibus laboribus & ærumnis vitam ſuam obtulerunt. Ad eaſdem reverti terras, imò? contrarium enim inconſtantia foret: ſed eo modo, & viâ tam diversâ, ut ſervitium exhibeatur Chriſto, & non Herodi. Si Magi eâdem reverſi fuiſſent viâ, triumphaſſet Herodes; periclitatus fuiſſet Chriſtus: Et Magi ſi evaſiſſent, fructum non feciſſent, quem fecerunt in illis terris, illas convertendo, uti eas converterunt ad Fidem obedientiamque Regis, quem adoratum venerunt, & à cujus pedibus non retulerunt, neque voluerunt, aliam expeditionem. Totum iſtud tunc feliciter fuit conſecutum, eâdemque felicitate conſequetur modò ſi oraculum fuerit idem. Jubeat oraculum ſupremum, ut ad eandem redeant Regionem: aliâque fieri viâ efficaciter mandet: *Per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam.*

Cant. 4. v. 13.

Matth. 2. v. 12.



INDEX

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ.

Numeri significant Paginam.

Ex Libro Genesis.

23

Ex Libro Proverbiorum.

Cap. Verf. Pag

Ex Libro Ecclesiastici.

Ex Libro Canticorum.

Ex Libro Sapientiæ.

Ex Prophetâ Isaïâ.

6.12. *Vir*

Ex Evang. D. Marci.

Ex Evang. D. Lucæ.

Ex Act. Apost.

Ex Epist. D. Pauli ad Rom.

Ex Epist. D. Pauli ad Corinth. 1.

Ad Corinthios 2.

Ex Epist. D. Pauli ad Galat.

Ex Epist. D. Pauli ad Ephes.

Ex



INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Numeri significant Paginas.

A.

G.

Quanta

L.

M.

T.


FINIS.

ADMODUM REVERENDI PATRIS

ANTONII VIEIRA

E SOCIETATE JESU,

Regii in Lusitania Prædicatoris,

SERMONES SELECTISSIMI,


Fœcunditate Materiarum, Sublimitate, Subtilitate, & acumine Conceptuum admirabiles:

Idiomate Lusitanico conscripti & typis evulgati,

Nunc in Cartusia Coloniensi latinitate donati.

Cum triplici Indice, Thematum, Locorum Sacræ Scripturæ, & rerum memorabilium.

PARS QUINTA.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus HERMANNI DEMEN, Anno M. DCCVIII.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.



AD LECTOREM BENEVOLUM.

Ecce, Lector benevolentissime, Quintum R. P. ANTONII VIEIRA Soc. Jesu Sermonum Tomum, ultimum laboris nostri communis fœtum, quem adhuc eniti licuit. Sextum Authoris ejusdem Tomum vertendo fueramus aggressi, & aliquot ejusdem Sermonibus jam translatis, eundem ex toto, cum reliquis sex sequentibus Tomis feliciter absolvere sperabamus. Sed ecce spei huic nostræ & desiderio, propositoque tam pio mors præmatura invidisse videtur, dum in medio cursu laboris nostri filum abrupit, nil tale mihi opinanti tollendo Collegam V. P. D. JOANNEM GRUTER, Cartusiæ Coloniensis professum, qui idiomatis Lusitanici gnarus Opus auspicatus ad expediendum facilius, me sibi in laboris socium assumpserat. Hoc igitur è vivis jam sublato, mihi quoque tam grati aliàs laboris continuandi spes omnis præcisa est. Unde non immeritò Tomum hunc quintum Benoni, id est, doloris mei filium indigitavero; quem tibi, Lector amice, sic recommendatum cupio, ut ex Benoni Benjaminum se factum esse lætetur. Per omnia quatuor suis fratribus, si non dignior, saltem nullatenùs rerum pondere est inferior: de quo aliud præfari nequeo, quàm quod cæteris factum constat. In quo si quid fortè non satis clarum occurrere videtur, absentiæ meæ, & præmaturæ seu inopinatæ Collegæ mei morti imputa & condona: dum perspicacioris ingenii oculo, saniorique judicio omnia libens subjicio: denique sic utere jam juris communis factis, ut major inde Dei honor & gloria nec non & tua, & aliorum salus resultet. Amen. Vale.



CENSURA A.R.P.F. ANTONII de S. THOMA, Seraphici Ordinis S. Francisci Religiosi, Qualificatoris S. Officii.

Eminentissime Domine.

Librum istum, Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA, Religiosi S. J. & suæ Majestatis Prædicatoris, partem Quintam vidi. Liber est numero & ordine Quintus, inter omnes Authoris Libros, primus quoad excellentiam jure censendus: Cùm enim quicquid suum inter se & adinvicem collatum, non videatur habere secundum: Liber iste cum reliquis in æquilibrio positus, ingenii singularis Authoris talis fœtus facile dignoscitur: in eo etenim, uti & in reliquis, spiritus & stylus est proprius, fluidus, doctus, doctrinalis, gravis, elegans, & tam clarus, etiam in eis, de quibus discurrit ut Theologus, ut omnis generis hominibus, qui illum legerint (pro cujusque capacitate) discursus ipsius intelligibilis sit futurus. Neque minore laude dignum censendum, quod non in hoc tantùm, sed in omnibus quasi scriptis suis, teste experientiâ, etiam in trivialibus scripturæ sacræ, quicquid concipit & probat velut scripturæ alumnus tantum excellat, ut magis vulgaribus etiam, magisque usitatis & tritis, judicium ipsius rarissimos eruat Conceptus, admirabilesque novas educat probationes. Hinc quorundam videtur judicio, postquàm in quolibet Libro ejus legerint (pro ut jam multis fuit usum, quando magnus hic Prædicator in pulpito fuit auditus) se quidem dicturos idem, quod dixit, sed nunquam id plenè assecuturos. Omnes illum uno ore tanquam singularem & excellentissimum in hac parte publicè prædicant (Ex quo etiam Liber hic Quintus lectionem merebitur) Gloria hæc & prærogativa, quam certatim omnes in hoc Authore venerantur, majori ipsum æmulatione venerandum ostendunt; Et sic revera esse videtur; si quidem non ab extraneis tantùm, sed à Lusitanis etiam, inter quos magis fama ejus vivit, universaliter in arte scientiave prædicandi subjectum extremi reputatur: Primò quippe illi Extraneorum voce Prædicatorem hunc agnoscunt in omnibus peregrinum, per omnia prudentem, politicum, pereruditum, & plane eloquentem, incomparabilem denique; in bono quo instruit, persuadet, convincit, ædificat spiritum, pro ut specificè in variis Libri hujus Sermonibus passim patet, qui totus hac sua veritate, ornatu, elegantiâque idiomatis Lusitanici âd delectationem conspersus doctrinam spirat sanctam, in omnibus sanctæ nostræ fidei bonisque moribus conformem. Quare commune beneficium erit, divinoque servitio non parum utile, petitam concedere licentiam, ut mediante impressione publicam lucem videat. Ulyssipone in Conventu S. Francisci in Civitate 30. Aprilis 1688.

Fr. ANTONIUS de S. THOMA.

Cen-




Censura A. R. P. Fr. Thomæ de Conceptione, sacri Ordinis de Carmelo, Qualificatoris S. Officii.

Eminentissime Domine.

QUintam hanc partem Sermonum R. P. ANTONII VIEIRA S. J. Religiosi, & Majestatis suæ Prædicatoris vidi: quibus cum attentione perlectis, nihil in correctione dignum inveniens, admirabundus nescio utrum genium, vel artem insignis hujus talenti magis deprædicare debeam. Solummodo dicere scio, Sermones ejus pretiosiore, quam illo impressionis communis prælo dignissimos esse: idemque quod jam de aliis ipsius formavi judicium, super hisce repeto. Ulysipone in Conventu de Carmelo 30. Maij 1688.

Fr. THOMAS de CONCEPTIONE.



LICENTIA R. P. PROVINCIALIS S. J.

EGo ALEXANDER de GUSMAN S. J. Provincialis Provinciæ Brasiliæ, ex speciali commissione A. R. P. Generalis Dominici Maria de Marinis, do licentiam imprimendi Tomum Quintum Sermonum P. ANTONII VIEIRA, ejusdem Societatis, Prædicatoris suæ Majestatis, per ejusdem Religiosos doctos per nos ad hoc specialiter deputatos revisum & approbatum. In cujus rei fidem dedi præsens manu mea signatas, & officii mei sigillo communitas. Bahiæ 12. Augusti 1687.

ALEXANDER de GUSMAN.



APPROBATIONES RR. PP. PRÆDICATORUM.

QUintam hanc excellentissimi Prædicatoris Admodum Reverendi Patris ANTONII VIEIRA Societatis Jesu Partem, eo quo quatuor priores studio ac diligentia perlegimus, invenimusque eam raris Conceptibus prædivitem, fidei Catholicæ, bonisque moribus nec in minimo adversantem, ideoque ut laude sic luce dignissimam existimamus. Coloniæ in Conventu S. Crucis Ord. Prædicatorum 1693. die 23. Octobris.

Fr. ADRIANUS SCHONEN Ord. Præd.
SS. Theologiæ Magister.

Fr. PETRUS DIETZINGER, Ord. Præd.
SS. Theologiæ Doctor.

VIsis supra positis Approbationibus, hic Tomus Quintus Concionum R. P. ANTONII VIEIRA Societatis Jesu imprimi potest, ita Censeo. Coloniæ 1693. 15. Decembris.

Fr. SEBASTIANUS SMIPPENBERGH, Ord. Præd.
SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius,
Inquisitor Apostolicus.

IN-


INDEX
SERMONUM ET THEMATUM,

Qui in hac Quinta Parte continentur.

X. Ser-



SER-



SERMO


PRO

Dominica prima Adventûs.

Cœlum & terra tranſibunt : Verba autem mea non tranſibunt. Luc. 21.

§. I.

Cœlum & terra tranſibunt : Verba autem mea non tranſibunt.



NOTABILI hac inuſitataque ſententia Redemptor noſter Chriſtus narrationem concludit Evangelii, cujus lectionem audivimus. Venturum ſe ad judicandum, rationemque à mundo, extremo ejuſdem die, ſeſe exacturum affirmat : & quoniam ante judicium mundus concremabitur in cineres redigendus, ipſum incendium, quo conſumetur, prima concluſionis pars tangit: *Cœlum & terra tranſibunt:*
Luc. 21. v. 33. ipſam verò rationem, quam cum univerſo hominũ genere initurum ſe dicit, pars altera concernit: *Verba autem mea non tranſibunt.* Hæc duo vel maximè portentoſa in illo univerſalis Judicii theatro Homines & Angeli videbunt. Ibi Mundi principium ſuo extremo, & extremum ſuo junctum videbitur principio: principium ſuo fini, in omnibus quæ tranſierunt; & finis ſuo principio, in omnibus quæ non tranſibunt. Difficilis quidem illa videtur unio, in tanta ſæculorum diſtantia; Verùm iſtud ex mirabilioribus diei iſtius unum erit: Omnia quippe præterita, quæ eſſe deſierunt, & cum tempore diſparuerunt, ac ſi non tranſiiſſent, & denuò eſſe reinciperent, ad reddendam rationem apparebunt. Reſpiciendo ad omnia, quæ fuerunt, ſunt, & erunt in Mundo; omnia tranſiiſſe videbuntur, *tranſibunt* : Reſpiciendo verò eadem omnia, quæ cum genere humano veluti reſuſcitata, cum eodem ad comparendum in judicio citabuntur; nihil eorum tranſiiſſe, majore cum ſtupore ſimiliter apparebit: *Non tranſibunt.* Hæ igitur duæ veritates, quibus judex ſupremus tam expreſsè fidem adſtruit & confirmat; duplex hæc fraudis deceptioniſque detectio, quam difficulter adeò

adeò mortales nobis persuademus, dum vivimus: gemina denique consideratio illius, quod transit, & illius quod non transibit: *Transibunt & non transibunt*, hodierni discursus mei gemini erunt poli & objecta, in primo videbimus, transire cuncta: in secundo transire omninò nihil. In primo, omnia transire vitæ: in secundo, nihil transire reddendæ rationi. In die tanto sermo nequit esse succinctus. Ab Auditoribus non attentionem, sed patientiam efflagito. Placeat Deo, cui dicendorum hodie rationem me non redditurum protestor; sua nobis gratia assistere in materia, quæ tantùm concernit omnes.

§. II.

TRanseunt cuncta; transitque Nihil. Transeunt omnia vitæ, transitque nihil reddendæ rationi. Veritas, fraudisque seu deceptionis detectio cunctorum transeuntium (quod primum nostrum est punctum) ex una licet parte tam sint evidentes, ut probatione nullatenus indigere videantur; ex parte tamen altera tam sunt difficiles, ut nulla easdem persuadere sufficiat evidentia. Legite Philosophos; Prophetas revolvite & Apostolos, sanctos legite Patres, & mox patebit, qua ratione omnes non semel, sed sæpius calamum applicarint, omnemque eloquentiæ vim huic declarandæ Veritati, fraudique quamvis ex se tam claræ, detegendæ impenderint.

Sapienter planè locutus est, perfectionem non in verbis, sed in adverbiis, consistere asserens: non in eo, quod opera nostra bona sint & honesta; sed quod bene facta. Proinde ut hæc tanti momenti conditio, ad res causasque extenderetur naturales & indifferentes, S. Paulus Apostolus Adverbium adinvenit notabile. Et quodnam illud? *Tanquam non. Ut, qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes. Et qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Ita, ut in omni quod est, vel haberi potest in mundo, quantumcunque illud amemus, utile censeamus, in deliciis habeamus. Huic omni S. Paulus nos addere jubet unum, *tanquam non.* Tanquam tale quid non esset, tanquam non foret nostrum, tanquam ad nos minimè pertineret. Et quare? Ecce rationem: *Præterit enim figura hujus Mundi.* Nihil enim rerum hujus Mundi permanenter subsistit, omnia transeunt. Porrò quemadmodum cuncta transeunt, & sunt, ac si non fuissent; sic bonum est, iis uti, tanquàm non uteremur: *Tanquam non utantur.* Hinc eadem tertii Cœli oraculum non res, sed apparentias appellavit: & Mundum non Mundum, sed figuram Mundi vocavit: *Præterit enim figura hujus Mundi.*

1. Cor. 7. v. 29. & 30.

Ibid. v. 31.

Agite, ex principiis ejusdem Mundum considerate, semper illum in theatro novam apparentem & disparentem, quia semper transeuntem, videbitis figuram. Prima Theatri hujus scena terrestris fuit paradisus, in quo Mundus immortalitate apparuit vestitus, deliciisque circumdatus: sed quàm diu ista duravit apparentia? Eva brachium ad fructum extendit vetitum, & brevissimo spatio, quo bolus fatalis per fauces transiit hominis, cum illo pariter & Mundus à statu innocentiæ ad statum culpæ, ab immortalitate ad mortem, à patria ad exilium à floribus ad spinas, à requie ad labores & ærumnas, à felicitate summa, ad

ad summum transiit infelicitatis & miseriæ. O infelix Mundelli sic stabiliter sisteres, in sudore vultus tui pane tuo vesci contentus, minùs miserabilis esses. Verumtamen nisi naturali tibi labilitate & inclinatione de miseria una magna, ad majorem alteram semper transires, Mundus non esses. In prima ista Mundi infantia homines cuncti vestiebantur pellibus, unicolores erant omnes, eadem omnes linguâ utentes, eandem omnes legem observantes: sed tempore haud longo fraternitates hujus naturalis harmonia perseveravit: Mox pelles cum tanta vestium varietate sunt immutatæ, ut quotidie à pedibus ad caput usque nova appareat figura. Mox variarunt labia & loquelas tanta cum dissonantia & confusione, sicut in Turris Babylonicæ fabrica. Variarunt mox colores, pro Regionum Climatumque diversitate, commiscendo sanguinem etiam toto rubricato. Immutârunt extemplo leges non cum illis Platonis, Solonis, & Lycurgi; sed illa imperiosi vel maximè violentique legislatoris, proprii videlicet arbitrii. Mutarunt omnia, seu mutata sunt omnia, quia transeunt omnia.

Ævo illo viventes ad septingentos, octingentos, nongentos, & ad mille usque annos vitam producebant: & eheu quamillo tempore optima illa desiit consuetudo! Tunc multis vivere sæculis erat natura; hodie non unum attingere, sed propiùs ad unum accedere sæculum, reputatur miraculum. Tardius transierunt usque ad Noë, & transierunt. Cum viventibus illis non anni solùm, sed & corpora crescebant; & ex filiis Dei, progenie scilicet Seth, & ex filiabus Hominum, progenie scilicet Cain, nati
Gen. 6. v. 4. sunt Gigantes, de quibus ait Scriptura: *Erant Gigantes super terram.* Nonnulla eorum, quos Scriptura viros vocat famosos, extantia adhuc ossa, juxta symetriam humanam, non minus quam viginti pluriumvè cubitorum altitudinis eos fuisse demonstrat: porro certaminum Davidicorum historia quatuor, quamvis longè minoris staturæ commemorat. Verùm expirarunt tandem præterieruntque ista Gigantum sæcula; quò enim quid majus est in hoc Mundo, eò velociùs finitur & transit.

Imminutâ hominum ætate & staturâ, & morte propiùs oculis obversante (quis mortalium tale quid crederet) in ambitione creverunt & superbia. Cùmque omnes conditione essent æquales, & liberi natura, non defecerunt, qui alios dominio suo subjicere conati violenter, hoc ipsum sunt consecuti. Primus diadematis affectator fuit Nembrod, qui etiam sub nomine Nini seu Beli, quatuor Monarchias mundi fuit auspicatus. Prima Assyriorum fuit & Chaldæorum: ubinam verò hoc tempore Imperium est Chaldaicum? Secunda fuit Persarum; ubinam verò nunc Persicum est imperium? Tertia fuit Græcorum; & ubi Græcum nunc Imperium? Quarta & omnium maxima fuit Romanorum: & ubi nunc Romanum est Imperium? Si quippiam hujus superest, nonnisi nomen habet: transiêre cuncta; quia transeunt omnia. Celebrioribus visionibus tribus, Deus Imperia eadem Regi uni, & duobus repræsentavit Prophetis. Prima visio ostensa fuit Nabuchodonosori Regi, in quatuor metallorum statua. Secunda Zachariæ, in quatuor curribus? diversorumque colorum equis ostensa: Tertia Danieli, in quatuor ventorum principalium, in medio pugnantium mari conflictu. Enim verò si visiones istæ omnes ostendebantur à Deo, eademque repræsentabant regna, ut quid Sapientia Divina adeò variavit figuras, & præter statuam luculentam adeò & claram, duas alias adeò diversas adjunxit; Quia statua metallorum, ex quibus constabat, duritie, atque ipso suo nomine stabilitatem firmitatemque repræsentâsse videtur; quia verò Regnorum horum nullum stabiliter erat perseveraturum, sed successivè omnia mutanda, & de Gente ad Gentem transitura, hinc eadem varietate curruum, inconstantia rotarum, equorumque currendi pernicitate repræsentavit. Verùm non hic repræsentationis energia, tanquam sufficienter necdum exaggerata stitit. Statua consistebat pedibus, currusque sistere valebant: Quia verò imperia illa præcipitantiùs quàm fræno soluto, eodem in passu nec momenti quidem spatio substitura erant, sed indesinenter mutanda & transitura; hinc demum illa Deus re inquietissima, inconstantissima & mutabilissima, quales sunt venti, & quidem furiosissimi, repræsentavit: *Et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Dan. 7. v. 2.

§. III.

QUatenùs quatuor ista transierunt Imperia, quod tertiâ, quartâ, quintâ, & sextâ contigit ætate Mundi, etiam septimâ inclusâ: Quis, quæso, comprehendet, quantùm in eodem transierit Mundo? Sub primi Imperii exordio, simul exorta fuit idololatria: condignâ sanè cœlesti vindictâ, ut cum homines adorari voluerunt, ad adorandum ligna & lapides ipsi devenirent. Reges verò qui ipsi Idololatræ adulationibus & assentationibus canonizati vel vivi adhuc,

vel jam mortui Idola evadebant. Sic Saturnus, sic Jupiter, sic Mercurius, sic Apollo, sic Mars, sic Venus, sic Diana; & quamvis hi omnes nomina sua impressa reliquêre Stellis; his permanentibus, illi transierunt. Transierunt Idola, similiterque siluerunt & transierunt oracula, quibus mendaciorum Pater eis respondebat: insonante enim veritate Evangelicâ obmutuerunt omnia.

Initium tunc sumpserunt bella. Et quid de innumerabilibus dicam exercitibus, pugnis campestribus & navalibus nationis hujus & populi victoriis & triumphis, alterius verò clade, ruina, & exitio, semper tam inconstanti & varia fortuna? Hoc tantum dico, quod sicut gloria vincentium & lætitia, sic dolor pariter Victorum & ignominia transierunt, quia transeunt omnia. Exercitus Xerxis, quo majorem nunquam Mundus vidit, quinque millibus constabat navibus; & quinque pugnatorum millionibus: & quia utrimque junxit Helespontum, perfossumque Athum montem reddidit navigabilem, affirmavit de eo Marcus Tullius, quod maria ambulaverit, terramque navigârit: *Tantis classibus Xerxes in Græciam transiit, ut Helesponto juncto, Athoque monte perfosso, maria ambulârit, terramque navigârit; maria pedibus peragrans, classibus montes.* Ast totus iste immensus, & formidabilis apparatus, qui visus tremore mare terramque concussit, velociter adeò transiit, profligatusque disparuit, ut solùm de eo effatum illud remanserit. Ipse quoque Themistocles qui impari valde vi & potentia illum delevit & profligavit, pariter transiit; non secus ac in Græcia, & extra eandem omnes famosi transiere Belliduces, eorumque Victoriæ. Transiit Pyrrhus, transiit Mythridates, transiit Philippus Macedo; transierunt Hector & Achilles; transierunt Hannibal & Scipio, transierunt Pompejus, & Julius Cæsar, transiit Alexander Magnus, nomine singularis & sine simili; & usque ad Herculem, sive unus fuerit, sive multi, omnes transiere, quia transeunt omnia.

Cicero lib. 2. de finibus.

Artes & scientiæ sequi solent arma, omnia quippe post se maxima trahit potentia: proinde locis diversis, Regnorum illorum tempore omnes artes & scientiæ mirificè floruerunt. Floruit Philosophia, floruit Mathesis, floruit Theologia, floruit Astrologia, floruit Medicina, floruit Musica, floruit Rethorica, floruit Poësis, floruit Historia, floruit Architectura, floruit pingendi Scientia, floruit Sculptura, seu ars statuaria; Verumtamen non secus ac marcescunt flores & arescunt, artium scientiarumque celeberrimi transierunt Authores: In arte sculptoria transiit Phidias & Lysippo: in pictoria transiit Timantes & Apelles: in Architectonica Meliagenes transiit, & Democrates: in Musica Orpheus transiit & Amphion: in Historica Tucidides & Livius, in Rhethorica Demosthenes & Tullius: in Poësi Homerus & Virgilius: in Astrologia Anaxagoras & Ptolomæus: in Medicina Esculapius & Hypocrates: in Mathesi Euclides & Archimedes: in Philosophia Plato & Aristoteles: in Theologia Mercurius Trismegistus & Apollonius Thyanæus: & in omnibus simul sumptis scientiis eodem tempore septem Græciæ transierunt Sapientes: nam sive simul, sive seorsim, transeunt omnia. Sola Ethica, moralisque scientia

tanquam

tanquam vitæ virtutique adeò necessaria transitura non videtur. Sed Platonici, Peripatetici, Epicurei, Cynici, Pythagorici, Stoici, Academici, ipsi eorumque scholæ & sectæ omnes transiêre.

Considerationi huic nihil congruentiùs, quàm ludi & spectacula publica recreationis, temporisque fallendi ergò ab hominibus adinventa, ac si tempus idem non velociùs cunctis transeuntibus transiret. Ludorum quidam illi fuêre Circenses, alii Dionysii, alii Juvenales, alii Numei, Maratonæi alii, omnes denique voluptatibus variis pleni, quibus vel prostituebatur honestas, sicut in illis Veneris; vel periclitatur judicium sicut in illis Bacchi: Nulli vero humano indigniores aspectu pietateque naturali, quam illi gladiatorii. Tota ad Amphitheatrum confluebat Roma, & quo fine? ad videndum & celebrandum quomodo sese interficerent homines: His cadentibus superveniebant alii ac alii, ut ne momento quidem temporis locus vacaret, applaudente æque ferinè ac crudeliter Mundi capite tam vulnera inferenti, quam recipienti; tam impavidè mortuis & morientibus, quàm furiosè interficientibus. Porrò ludi sæculares sic vocabantur, quod revertente tantùm sæculo celebrarentur, ad quos publicus Præco invitans ajebat: *Venite ad ludos, quos nemo vidit unquam, nec visurus est*: Et sic veraciter vitam agnoscentes præteritam, & desperantes futuram, omnes visum abibant, & vocabantur Ludi. Omnium denique celeberrimi Ludi erant Olympici, ad quos omni quinquennio ad certam quandam Civitatem totus confluebat Mundus vel ad tollendam, vel videndum, quis lauream tolleret coronam. Hisce Ludis potiùs, quàm Solis cursu numerabantur, & discernebantur anni; & quemadmodum tota concertatio in cursu solum consistebat, currendoque præcellens bravium reportabat; non poterant non Olympiades transire, sicut omnes alii temporum istorum transiêre Ludi seu insumpta Ludis istis tempora.

Unum tantùm transire nequit; quod enim nunquam fuit, esse desinere nequit. Tale quid fuisse videntur fabulæ eodem tempore inventæ seu convictæ: sed enim, si non transierunt in semetipsis, in illis saltem transierunt casibus & causis, quæ confingendis occasionem præbuerunt. In siccitate universali quæ totum exussit orbem, fabula transiit Phaëtontis: in diluvio particulari, quod magnam Mundi inundavit partem fabula transiit Deucalionis: in studio, quo Rex Athlas situm motumque contemplabatur Stellarum, pertransiit figmentum quod humeris sustentaret Cœlum: In continua nocturna speculatione, qua vicinioris terræ planetæ effectum Endymion observabat, suorum cum luna amorum fabula transivit. Et quia nostra quoque vitia, & virtus nostra infirma, nec non ipsa denique nostra vita instar fabulæ transit, complacentia propria, & nostri ipsorum amor in fabula transiit Narcisci; Divitiæ sine ratione, in fabula Mydæ: Cupiditas insatiabilis in fabula Tantali: Alieni invidentia boni, in fabula & abusu Titii: Summa fortunæ inconstantia, in fabula & Euxionis rota: Assequendi virtutis medium, & ad extrema vitiorum non declinandi periculum, in fabula Scyllæ & Charybdis. Certitudo denique mortis, & semper à filo pendentis vitæ incertitudo, jam transiit, indesinenterque transit in fabula Parcarum.

rum. Hoc pacto ſapientes illius ævi hoc, quod eſt, cum eo quod non eſt, & certum cum fabuloſo miſcuerunt: ne laus & gloria evaneſcere nos faciat, neque calumnia dejiciat, cum verum & falſum, veritas & mendacium tranſeant.

Verum enim verò juſtum non videtur in hoc rerum omnium tranſitu, quæ quatuor profanorum Mundi Regnorum tempore tranſierunt, ſilentio præterire ſacram Rempublicam, quæ durante dictorum quatuor ſtatu viguit, & quia à Deo fundata non tranſeundi jure videtur fuiſſe gaviſa. Nata & orta eſt Hebraica Reſpublica in ſervitute Ægyptiaca, & qui tunc ipſi conſtruxiſſet figuram, abſque omni negotio tres ipſi prognoſticare potuiſſet captivitates & tranſmigrationes, quibus à Patria fuit avulſa. Captiva ſemel per Salmanaſarum, exulatum abducta in Aſſyrios: altera vice captiva per Nabuchodonoſerem, pro ſcripta tranſiens ad Babylonios. Tertiò & ultimo ſubacta à Tito & Veſpaſiano, quâ captivitate ad omnes tranſiit Mundi nationes & terras. In famoſo Abrahàmi, Iſaaci, & Jacobi, toties ipſo Dei ore nominato & celebrato cœpit triumviratu, nec tamen propterea omnes tres tranſire deſierunt. His Joſeph ſucceſſit, qui ſomniando omnem ſuam futuram proſperitatem, parentumque ſuorum & fratrum adorationes præcognovit: & quamvis ſortitæ fuerint effectum, omnes nihilominus ſomnii ad inſtar tranſierunt. Populus idem triplicem habuit Regiminis ſtatum, Judicum ſcilicet, Regum, & Ducum; & quamvis aſcendendo & deſcendendo virgæ mutatæ ſint cum ſceptris, & ſceptra cum baculis & virgis, nullus ſtatuum horum fuit ſtabilis, omnes tranſierunt. In Judicibus gladius tranſiit Gedeonis, aratrum Samgar, & mandibula Samſonis. In Regibus tranſiit robur & magnanimitas Davidis, Sapientia Salomonis, pietas religioque Joſiæ. In Ducibus invincibile tranſiit brachium Judæ Machabæi tot certaminum victoris: tranſiit immortale facinus Eleazari, qui ſe ſupponens Elephanti, propriam ſuam occidit ſepulturam: tranſiit denique glorioſior cunctis venerabilis Teſtamenti Veteris zelator Matathias, æneis inſculpi laminis digni. Et ne nationis ejuſdem ſilentio prætereantur Heroinæ; Quatuor in ea memorantur fuiſſe forma & pulchritudine inſigniores, Sara, Rachel, Eſther, & Judith, omnes nihilominùs ſuo amatori fatales. Sara peregrino, periculis: Rachel paſtori, laboribus: Eſther Regi, faſtidiis, Judith Duci Exercitus, occiſione: Hic miſerabiliter finivit vitam: formæ verò pulchritudines necdum finitâ vitâ, jam tranſierant. In eodem floruere populo præter alios æquè Veraces, ſedecim canonizati Prophetæ, Majores quatuor, & duodecim Minores: Sed trium ſæculorum ſpatio Majores & Minores ab Oſee uſque ad Malachiam omnes tranſierunt. Tranſierunt miracula: tranſierunt illa ſerpentis ænei; tranſierunt illa Eliæ & Eliſæi: & quoniam reſtabat ut lex quoque Moyſis & Sacerdotium tranſiret Aaronis; Lex denique & Sacerdotium tranſiernnt, omnia enim tranſeunt.

Interrogare nunc cuperem Mundum, utrum, ſicut memoriam meam tot rerum præteritarum replet imaginibus, rem aliquam exhibere poſſit oculis, quæ non præteriiſſet? Septem illis fabricis, quibus fama Mirabilium nomen impoſuit, nonnulli octavum annumerârunt mirabile

Am-

Amphitheatrum Romanum : Sed octavum seu nonum mirabile est, quod omnia ista mirabilia, opinione hominum æterna transierint. Primum sibi in mirabilibus locum vendicârunt Pyramides Ægypti; Secundum muri Babyloniæ; Tertium, Pharus; Quartum Colossus Rhodius; Quintum Mausolæum Regis Cariæ; Sextum templum Dianæ Ephesinæ; Septimum simulachrum Jovis Olympici. Omisso Amphitheatro, cujus apparent ruinæ, pyramides collapsæ sunt, muri corruerunt, Colossus in nihilum redactus, Mausolæum sepultum, turris eversa, lucerna extincta, templum exustum, & simulachrum, velut simulachrum se ipso evanuit. Nunquid habet Mundus quod dicat & ulterius opponat, munitissimas tantùm solidéque exædificatas civitates, aulas, potentissimorumque Metropoles & Residentias Regnorum allegare potest? argumentum sanè, antequam ponderetur grande quid sonans Ninive, residentia Nini Civitatum Mundi maxima fuit, nonnisi tridui itinere de porta ibatur ad portam : tam fastuosè & splendidè ex proposito coustructa, ut similem sibi non haberet aliam, sicuti nec habuit. Ubi verò nunc ista est Ninive? Ecbatana Residentia Arphaxad, Civitasque sacri testimonio textus potentissima, septemplici mœnium ordine, ex lapidibus quadris, & singulis viginti & septem palmis undiquaque latis circumdata erat; & portæ altitudinis prodigiosæ centum cubitos continebant. Sed ubi nunc Ecbatana ista? Susæ Assueri Residentia, nec non viginti septem Provinciarum Metropolis, cujus palatium stellatum referebat Cœlum, basibus aureis, pretiosisque inædificatum lapidibus, & cujus parietes marmore constabant albo, & diversicolore Jaspide; hinc concludere conjicereve obvium est, quam munitam inexpugnabilemque fuisse oporteat, cum tam dilatatam defenderet Monarchiam, tot Regnorum Dominam, tantarumque opum thesaurariam. Sed ubi hæ Susæ? Si idem de ruinis Thebes, Mempheos, Bactræ, Carthaginis, Corinthi, Sebastes, omniumque celebratissimæ Jerusalem percontandum foret, totum terræ circulum circuire oporteret. De Troja cecinit Ovidius,

Jam seges est, ubi Troja fuit.

§ Idem omninò affirmare licet de planitiebus, vallibus & montibus, unde vastissimæ molis artificia, Muri & Turres ad nubes usque consurgebant. Quorundam locus, ubi steterint, nescitur : aliorum loca coluntur, seminantur, & conservantur arboribus, nullo alio apparente vestigio, quod unquam extiterint, nisi quæ inveniunt, qui terram aratro scindunt. Ne homines carne constantes & sanguine, de brevitate vitæ conquerantur, cum etiam saxa moriantur : & ne quis negare ausit transîsse omnia, quæ fuerunt; & transitura omnia, quæ adhuc sunt.

§. IV.

Cursus hujus præcipitiique generalis, quo transeunt omnia, non simplex sed duplex est ratio : una omni stabilitati contraria, & altera ipsi repugnans entitati. Et quænam illæ? Tempus, & ante tempus. Nihil. Quid, amabò, velocius, quid fugacius, quid denique tempore instabilius? Instabile adeò, ut potentia nulla, immò nec divina illud

sistere

ſiſtere poſſit. Hinc quatuor illa animalia, Gloriæ Dei currum in hoc Mundo trahentia frœno carebant. Poëtarum omnium facile ingenioſiſſimus in palatio Solis deſcripſit, & in ſuas illud dividens partes, ita cecinit eleganter.

A dextra lævaque dies, & menſis, & annus,
Sæculaque & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ;
Verque novum ſtabat cinctum florente corona, Meta-morph. lib. 2.
Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat,
Stabat & Autumnus calcatis ſordibus uvis,
Et glacialis Hyems canis hirſuta capillis,

Iterum dico, eleganter quidem, ſed erroneè & impropriè. Iſtud repetitum toties, *ſtabat*, omnem ingenioſæ picturæ veriſimilitudinem ademit: Nec enim ver cum ſuis floribus, nec æſtas cum ſuis ſpicis, neque cum fructibus ſuis Autumnus, neque cum glacie ſua & nivibus vel ſæviſſima Hyems, vel momento ſtare poſſunt. Tranſeunt horæ, tranſeunt dies, tranſeunt anni, tranſeunt ſæcula: porrò ſi quo Hieroglyphico depingi poſſent, ſingulas alas addi oporteret, non ut currerent ſolum & fugerent, ſed volarent, nec apparerent. Improprietatem iſtam non excuſat, Solem ſedere: *Sedebat in Solio Phœbus*; Sol etenim ſtare poteſt, ſicut tempore Joſue; & retrocedere, ſicut tempore Ezechiæ; tempus verò nullo tempore ſiſtere, eademque ſemper velocitate non progredi nequit. Hanc improprietatem ſuam idem Poëta benè corrigens poſtea ait:

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu Meta-morph. lib. 4.
Non ſecùs ac flumen: neque enim conſiſtere flumen,
Aut levis hora poteſt.

Quia verò tempus non habet, non habere poteſt conſiſtentiam ullam, & omnia à ſuo ſimul principio cum tempore nata: hinc nec illud, nec iſta vel momento ſtare poſſunt, ſed perpetuo cum motu, & revolutione inſuperabili tranſire & præterire neceſſariò & inceſſanter debent.

Secunda ratio naturalis magis, fortiorque exiſtit; illud ſcilicet Nihil. Omnia revolutione naturali, & impetu, totoque pondere in ſuam feruntur originem. Homo, quia formatus de terra, cum propriæ quamvis diſpendio vitæ, & ſumma voluntatis repugnantia, ſemper quærit terram, & nonniſi in ſepultura quieſcit. Flumina aquarum ſuarum dulcedinem oblita, quantumvis maris ſint amaræ, omnia in ipſum mare tendunt, & in eo tantum, velut centro ſuo conquieſcunt. Pari planè ratione omnia quæ Mundi hujus ſunt, quantumcunque grandia & ſtabilia videantur, cum ipſo Mundo de non eſſe ad eſſe educta ſunt: proindè ſicut Deus ea produxit ex nihilo, ad idem, ex quo creata fuerunt nihilum præcipitanter currunt omnia, nullo ea retinere & ſiſtere valente. Nonne ſubitaneâ tempeſtate formatum vidiſtis torrentem, quomodo cum impetu & ſonitu ex alto delabatur & decurrat; & ceſſante mox pluviâ exſiccatus, & abſorptus ad nihilum, quod erat ante redierit? Idem omnibus, nobiſque omnibus uſu venit, inquit David: *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Nunquid ultimo noctis quadrante, Pſ. 57. v. 8. quando confuſæ minùs phanthaſiæ repræſentatum fuit, quod amplas poſſideretis divitias, ingentibus frueremini deliciis, ad ſublimes promoti eſſetis dignitates; experrecti verò nunquid oculis apertis, omnia nihil eſſe, vidiſtis? Sic inſtar ſomnii ad nihilum tranſeunt omnes Mundi hujus apparentiæ, idem ait Propheta: *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, imaginem* Pſ. 72. v. 20.

ginem ipsorum ad nihilum rediges. Ita ut duæ hæ sint rationes, cur omnia transeunt. Transeunt, quia cum tempore volant; & transeunt, qui ad nihilum, unde exierunt, incessanter pergunt. Hinc attestante Spiritu sancto, aliquibus jam præteritis, succedere oporteat alia, similiter transitura:
Eccl.1. v.4. *Generatio præterit, & Generatio advenit: terra autem in æternum stat.*

Verum enim verò consideratâ benè hac sententiâ, cùm tam paucis constet verbis, sicut aliqua confirmant quod dicimus, sic quædam idem impugnant. Si enim terra stabilis semper & firma perseverat! *Terra autem in æternum stat*: Ipsam saltem terram non transire, & in mundo aliquid non transiturum esse sequitur. Num igitur contra assumptum nostrum aliquid concedemus, dicentes figuras transire, ut inquit S.Paulus, Terram verò, quæ est theatrum, non transire? Absit. Nec hoc dico, nec concedo. Terra non transit simul tota: sed transeunt semper, prætereuntque ejus partes. Terra constat Regnis, Regna Civitatibus, Civitates domibus & agris, & potissimum hominibus: porrò omnia ista, quæ terra sunt, (& tota terra) desinenter transeunt & prætereunt. Daniel mysterium & significatum visæ à Nabuchodonosore statuæ ipsi revelans, Deum tempora mutare & ætates, & ex eis de Gente in
Dan.2. v.21. Gentem regna transferre dixit: *Ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit.* Hoc modo ipsius Nabuchodonosoris Regnum transiit ad Persas; Persarum ad Græcos; Græcorum ad Romanos; Romanorum denique ad tot alios, quorum hodie capita coronat, quos meminisse oportet infallibilis istius sententiæ; *Regnum à*
Eccl.10. v.8. *Gente in Gentem transfertur propter injustitias.* Regnum nostrum originaliter non majoribus annumerandum, quoties ad alias transiit Gentes? transiit ad Suevos, transiit ad Alanos; transiit ad Carthaginenses, transiit ad Romanos, transiit ad Arabes & Saracenos, & in ipsam transiit Hispaniam, & denuò præteriit. Terræ motus ex aëris violentia in terræ visceribus generati rariores sunt; in superficie verò illius nati, perpetuò illam motu concutiunt.

Enim verò si Regna vasta & Imperia non sunt stabilia; quid Civitatibus particularibus fiet, ubi totam fortunæ rotam circumvolvi non opus est? Non loquor de iis, quæ subitaneâ quasi morte perierunt, eadem nocte ad ultimos usque cineres favillasque, instar Trojæ, & Lugduni redactæ. De qua sententiosè pronunciavit Seneca? *Quando una nox fuit inter orbem maximam & nullam, nihil privatim, nihil publicè stabile est: tam hominum, quàm urbium fata volvuntur.* Seneca Epist.92.
Relictis igitur illis, quæ ab esse ad non esse subitò transierunt: de illis tantummodò loquar, quæ numeratis quasi passibus de dominio ad dominium transierunt. Quoties Columbæ Babylonis, Hierosolymæ Leones, Romæ & Constantinopolis Aquilæ, in mœnibus suis alia viderunt Vexilla? Maximum Martis theatrum, hoc ævo nostro, & quo forte majus nullum aliud vidit sæculum, fuere bella Belgica; & in maxima Hollandiæ Provincia, Civitate Dorth excepta, & ex hoc Virginis nomen sortitâ, nulla fuit Civitas, quæ expugnata Dominum non mutâsset. Quid de confiniis loquar semper incertis, & tam frequenter mutatis Hispaniæ cum Gallia, Galliæ cum Germania, Germaniæ cum Turcia, & Turciæ cum Italia? Multis ab hinc annis Creta antiqua, hodie Candia, absque quod esset ex errantibus Archipelagi Insulis, Mundum reliquit dubium,

quonam tenderet, & ubinam Cruces, vel medias agnoſceret Lunas.

Porrò quantum ad ædes velut membra minora, è quibus innumerabilibus conſtituuntur Civitates; Quis, quæſo, inextricabilem comprehendet Labiryn-thum, quo velut piſces in mari ſemper moventur de Domino ad Dominum tranſeuntes? Familiarem auſcultemus evidentiam quâ ſingulare ſancti Auguſtini judicium cuidam eorum perpetuam hanc inſtabilitatem demonſtravit. Divitem introducit, qui ſe domus ſuæ Dominum glorioſè jactabat dicens: *Domum meam habeo.* Quem ſanctus Auguſtinus ſic interrogat; *Quam domum tuam? Quam Pater meus mihi dimiſit. Et unde ille habuit? Avus noſter illam reliquit. Recurre ad proavum, inde ad abavum, & jam nomina non potes dicere. Pater tuus hîc eam dimiſit, tranſivit per illam ſic & tu tranſibis.* Hoc pacto ſine omni firmitate & ſubtilitate in hoc Mundo tranſeunt domus, Villæ, Civitates, Hæreditates, & Primogenituræ. Hæ, quoniam mors eas tranſire facit; Illæ, quoniam juſtitia eas tranſire mandat: Illæ, quia ad tranſeundum eas invitat ementium opulentia; aliæ, quia vendentium compellit neceſſitas; aliæ, quia vis eas tollit & potentia, & per violentiam ſpoliat, in poteſtatem ſuam redigit & dominatur. In ſumma ut non ſit lapis, nec tegula, neque planta, aut radix, neque palmus terræ in terra, qui non indeſinenter tranſeat, quia omnia tranſeunt.

Aug. comm. in Pſal. 122.

§. V.

TRanſeuntium illorum omnium, homo non tantum principalis pars eſt, ſed veraciter totum: Et homine oculis vidente apertis, & adhuc cæcis, quomodo omnia tranſeunt; nos tantum vivimus, ac ſi non tranſiremus. Similes illis ſumus, qui proſpero navigantes vento, & Tagum ſeu Rhenum rapidiſſimo transfretantes curſu, ſi fixis terram reſpiciant oculis, Montes & Turres, & Civitates eſſe videntur, quod tranſit & tranſeuntes ſunt ipſi. Quod cecinit Poëta:

Montes urbeſque recedunt.

Verum ad eandem redeundo comparationem, majus adhuc in terra genus fallaciæ videbimus. Vel maxima Majeſtatis magnificentiæque in hoc Mundo viſa oſtentatio, eſt trium illorum, quæ S. Auguſtinus vidiſſe optabat, unum, Romanorum triumphorum pompa fuit. Per unam orbis illius tum temporis ampliſſimæ portam intrantes ordine longo ad Capitolium deducebantur: præcedente victore milite cum applauſibus, repræſentatæ ad vivum victæ ſequebantur Civitates, conſcenſi ſcalis inacceſſibiles montes; tranſita pontibus ingentia flumina: fortalitia, & hoſtium arma, nec non machinæ, quibus illa fuere expugnata: item innumera ſpoliis onuſta plauſtra, Divitiæ, & quicquid in Regionibus ſubjectis rarum fuit & admirabile: deinde numeroſa captivorum turba, & quandoque Reges ipſi manibus in tergo revinctis: Agmen claudebat aureo lapidibuſque pretioſis exornato, à cicuribus Elephantis, Tygridibus, & Leonibus tracto reſidens curru glorioſus & famoſus triumphator, inſonari ſibi longo ſpatio audiens, triſte illud & timendum: *Memento te eſſe mortalem.* Durante hac proceſſione (ſic eam vocat Seneca) plateæ, fora, feneſtræ, ſedes & præparata hunc in finem theatra infinita homi-

hominum multitudine, qui ad videndum confluxerant, repleta erant. Et si Diogenes tunc interrogâsset, quales essent, qui transirent, utrum triumphantes, vel spectantes; nemo dubitabit quin responsio risu digna videretur. Ast certum est, tam agentes processionem & triumphum, quàm spectantes & fenestris, & theatris æquè transiisse, vita quippe & tempus nunquam sistit: & seu stantes, seu euntes; ambulantes, vel sistentes, omnes semper, æqualique velocitate transimus.

Veritatem hanc tam neglectim observatam, sanctus Ambrosius similitudine quapiam propriâ valdè eleganter declaravit: *Et si non videmur ire corporaliter, progredimur; Nam sicut in navibus dormientes ventis aguntur in portus; Sic vita nostra spatio defluente, ad proprium unusquisque finem, cursu labente deducimur. Tu enim dormis, & tempus tuum ambulat.* Omnes in eadem navi, quæ est vita, versamur; eodemque omnes velificamus vento, qui est tempus: & quemadmodum quidam in navi gubernaculum seu clavum moderantur; alii vela contrahunt & extendunt; illis vigilantibus hi dormiunt; nonnulli spatiantur & deambulant, alii sedent; aliqui cantant, alii ludunt, alii comedunt, alii otiosi nihil operantes, & simul omnes ad eundem portum tendunt: sic & nos, quamvis foris non pareat, semper insensibiliter transimus, & quilibet suo fini appropinquat; *Nam tu* (concludit S. Ambrosius) *dormis & tempus tuum ambulat.* Parum dixit, inquiens, quod tempus ambulat, nam currit & volat: optimè verò advertit, nos dormire inquiens; oculos enim habentes apertos ad videndum quod omnia transeunt, ad considerandum tantum quod etiam nos transeamus, clausos illos habere videmur.

S. Amb. in ps. 1. v. 1.

Effatum fuit Heracliti insignioris Philosophi, à Socrate allegatum cum encomio; *Non posse quemquam bis in eundem fluvium descendere.* Et quare? quia, quando secunda descenderet vice, jam fluvium semper labentem & pertranseuntem esse alium. Unde ego infero idem usuventurum, si non esset fluvius, sed lacus vel stagnum, id quod homo intraret; licet enim aqua laci & stagni non currat, nec mutetur, nihilominus currit semper & mutatur homo, qui nunquam in eodem statu permanet: *Et nunquam in eodem statu permanet.* Ita Job pronunciavit, quique idem de homine omni deque seipso non pronunciaverit, semetipsum non cognoscit, admiratur sanè Philo Hebræus quod interroganti Adamum Deo, *Adam, ubi es?* ipse non responderit: sed mox ipsum excusat Adamum, & quemlibet alium sic interrogatum à Deo hominem; Quo enim pacto respondere potest ubi est, qui non est? Si diceret sum hic (prout subtiliter argumentatur S. Aug.) inter primam Syllabam & secundam, *jam sum*, non esset, *sum*; neque illud, Hîc, idem esset locus: nam sicut omnia transeunt, omnia mutata essent; Hinc idem concludit Philo, quod si Adamo veraciter propriѐque respondendum fuisset, ubinam esset, respondendum fuisset, *nusquam*: qui nusquam & nullibi est, quod nunquam est, sed semper transit: *Ad quod propriè respondere poterat, nusquàm: eò quò humana res nunquam in eodem statu maneat.*

Socrat. in Eratil.

Job. 14. v. 2.

Philo.

Considerato continuo hoc hominis tran-

transitu (nox extra se , sed ubi verè videtur quod est , & permanet , id est intra se) Græciæ Sapientes dicebant , referente Eusebio Cæsariensi , omnem hominem provectioris ætatis, senilesque assecutum annos, senis mori vicibus. Et quomodo ? Transeundo ab infantia ad pueritiam, moritur infantia : à pueritia transeundo ad adolescentiam, moritur pueritia : ab adolescentia transeundo ad juventutem, moritur adolescentia : à juventute transeundo ad ætatem virilem , moritur juventus : à virili ætate transeundo, ad senectutem, virilis moritur ætas : & deficiente tandem tam continua diversarum successione mortium vita, ultimâ, quam solummodo mortem appellamus, moritur senectus. Ita hoc ipsum largiusculè, minusque sapienter debito , illi expenderunt sapientes, quos propterea corrigit
1. Cor. 15. v. 31. S. Paulus dicens, se indies mori : *Quotidie morior.* Enimverò esse potest , quod ex communicatione mutua , quam Seneca cum sancto Paulo habuit , hanc eandem lectionem suo tradiderit discipulo, illi dicens : *Singulos dies, singulas vitas puta.* Si Sol qui semper idem est, diebus singulis, quodieque novum habet ortum & occasum, quantò magis homo, nativa sibi inconstantia tam mutabilis, ut nemo sit hodie, qui fuit heri, neque cras futurus, qualis est hodie! Agnoscamus igitur veritatem omnes, & dicat, seu sibi quilibet dicat cum Rege
Isai. 38. v. 12. Ezechia: *De mane usque ad vesperam finies me.* Ultima igitur prolixi hujus discursus conclusio esto; nos tunc definituros bene ; & cognituros quid præsens sit vita , & hic Mundus , cùm perspexerimus, nos in illo non tantum in perpetuo versari transitu, sed in perpetuo cursu & quasi volatu.

§. VI.

HOc pacto transimus omnes , & sic transeunt omnia pro vita : Veritas non solùm tristis, sed tristissima, nisi superlativum istud aliaque horribiliora magis deberentur illi , quod, postquam transierint omnia , subsequetur. Finita vita, reddenda sequitur ratio. Porrò cum ratio reddenda sit de cunctis quæ transierunt in vita ; tristitia sane & horrore plenissima consideratio est, quod transeuntibus cunctis pro vita , nihil transeat pro ratione ! Quod difficilem facit & faciet rationem , sunt vitæ , & quidem totius vitæ peccata. Qualem proinde inducet confusionem tremenda & terribilissima die illa, vitam ipsam totiusque vitæ intueri peccata, & vitam videre transiisse, & non transiisse peccata !

De hoc transire , & non transire non documenta solùm Scripturæ , sed ingentia & loculenta suppetunt exempla naturæ. Christus Redemptor noster & Judex universalis, diem Judicii missæ in mare sagenæ comparavit , *Sagenæ missæ in mare.* Mare est hic Mundus : Sagena Matth. 13. v. 47.
Scientiæ Justitiæque divinæ est comprehensio : ambulantes in ea natando jam capti , magis minusve largè sunt homines. Porrò sicut sagenam constructam & angustam non nisi aqua transire potest, reliquis manentibus conclusis ; pari ratione, per illam vita tantummodò transit , & quicquid reliquum (quæ sunt peccata) intus remanens, transire nequit. O quam constricta & angusta est illa sagena Dei, & quàm facilè illam transit , aquæ adinstar semper dilabens vita ! *Omnes morimur , & quasi aqua dilabimur.* Christus 2. Reg. 14. v. 14.
ipse transire istud , & non transire cibro compa-

Luc. 22. v. 31. comparavit, Discipulis suis dicens: *Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Quemadmodum in cribro (inquit S. Joannes Chrysostomus, in hæc verba commentando) quemadmodum in cribro sæpius concusso, transeunt grana, & paleæ tantùm remanent: Sic in mundo hoc totaliter perforato, continua dierum annorumque revolutione, transit vita cum omnibus deliciis suis, *Et in novissimo nihil remanet, nisi solum peccatum.* De alio cribro loquitur David, quod est illud nubium, quo cribratur aqua pluvialis, idem nobis documentum altius inculcans: *Cribrans aquas de nubibus cœlorum.* Descendit nubes velut spongia ad bibendum in mari, & cum aqua maris sit salsa & amara, cùm tamen per nubem transiit, quod ibi remanet amarum est, quod verò huc ascendit, dulce. Proinde transire illud, & non transire in nube, Cribro; in vita verò & ratione reddenda Nubi comparatur. Quod per illam transit, & quo hîc fruimur est dulce illud vitæ: quod ibi remanet superiùs invisibile, est amarum illud rationis.

S. Chrysost.

2. Reg. 22. v. 12.

Non potuit non assumptum hoc, tanquam experimentaliter adeò sibi notum Job illustrius reddere similitudine quapiam quæ magis illud nobis declaret, dicens Deo: *Observâsti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerâsti.* Enim verò quare Deus non gressus & passus, sed vestigia considerat? Quia passus transeunt, vestigia remanent: passus ad transeuntem pertinent vitam, vestigia ad non transituram pertinent rationem. Sed quanta differentia Deus non transit, quod nos tam facilè transimus! Nos vestigia post terga relinquimus, & Deus ea semper ante oculos habet, quibus ea notat & observat: Vestigia nobis delentur, veluti in pulvere formata; Deo non delentur velut adamanti insculpta. Hujuscemodi est peccatorum nostrorum consideratio, quæ in nostra mox memoria transit & perit; in scientia verò Dei præsens semper perseverat. Septuaginta loco vestigiorum transtulerunt, Radices: *Et radices pedum meorum considerasti.* Quemadmodum pedes vocantur plantæ, sic vestigiis bene quadrat nomen radicum. Eccur, amabo, nomen illud passuum suorum vestigiis Job imposuit? Non tantum, quia passibus transeuntibus, vestigia simpliciter remanent; sed quia radicum more, firma, profunda, semperque permanent. Vestigia manifesta sunt & apparent; radices invisibiles latent; & hoc modo Deus invisibiliter nostra peccata conservat, quæ in die judicii radicum more pullulantia, flagella & supplicia pro cujusq; natura germinabunt. Quod solicitum adeò & anxium Job reddebat.

Job. 13. v. 27.

Septuag.

Denique Apostolus S. Paulus contra abutentes patientiâ & longanimitate Dei, & loco ejus, ut ex indulto pœnitendi spatio proficerent, peccata cumulando peccatis vitam transeunt: Nonne vides (inquit) ô homo, quod divitias patientiæ longanimitatisque divinæ contemnas: & è diverso secundùm cordis tui duritiam, tibi iram vindictamque thesaurizans, quæ in judicii die te expectat? *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? secundum autem duritiam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi judicii Dei?* Ita ut peccatis peccata cumulare, S. Paulus vocet, thesaurizare, *thesaurizas tibi*: licet enim vita, diesque in quibus peccamus transeant; peccata quæ in eis committimus

Rom. 2. v. 4. & 5.

Dent. 32. v. 34. & 35. non transeunt, sed in thesauris iræ divinæ deposita manent. Apostolus ipsius ore Dei loquitur, qui in Deuteronomio ait: *Nonne hæc condita sunt apud me, & firmata in thesauris meis? Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Hi igitur thesauri nunc clausi, suo aperientur & discooperientur tempore ad reddendam rationem in die judicii; Hoc quippe insinuat: *In die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Agite, Hominem considerate divitem, & qui annuè superfluis sustentationi suæ reditibus gaudet. Quid homo iste facit? aliquam partem ejus absumit, reliquum in thesauris recondens. Idem facimus omnes, omnes consumimus; & omnes thesaurum acquirimus: quod transit consumimus omnes, quod non transit in thesaurum reponimus: quod consumimus est illud vitæ: & quod in thesaurum reponimus, est illud rationis.

Infinita se nobis hic offerret materia, si nunc ad praxin alterutram demonstrationis hujus partem reducere, & utramque in theatrum producere vellemus. Propterea verò primo discursus nostri puncto tam diu immorati sumus. Nunquid in eo vidimus, quomodo ab origine Mundi omnia transieruut? Nunquid vidimus, quomodo omnes, qui tot vixerant sæculis, prætererunt? Istud igitur quod nunc transiit pro vita, est nihilum illud quod non transiit pro reddenda ratione: porrò omnes tunc mortui, & jam sepulti sunt, qui hoc eodem die resuscitati, vivi ante Tribunal Dei apparebunt, ad strictissimam omnium factorum suorum reddendam rationem. In hoc Tribunali S. Joannes supremum sedentem vidit Judicem in admirandæ Majestatis Throno, aspectu tam terribili, ut cœlum & terram ab eo fugisse affirmet: *Et Thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cœlum.* Apoc. 20. v. 11. Ulteriusque vidisse se dicit mortuos omnes, magnos & parvos ante eundem stantes thronum: *Et vidi mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu throni. Tandemque concludit sic: Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Ibid. 12. Ibid. Ex distinctione hac quam facit Evangelista de libro ad libros, clarè datur intelligi, quod *liber* erat vitæ, *liber, qui est vitæ*: & quod *libri* erant rationum; ex libris enim mortui fuerunt judicati: *Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Hoc modo ad literam intelligunt hos textus Beda & alii Patres. Verum enim verò, quare liber vitæ erat liber, & libri rationis, libri? quia liber vitæ, ipsius vitæ complectitur dies, qui sunt pauci, & libri rationis commissa eisdem diebus continent peccata, quæ sunt multa. Ita ut in tremendo judicio, in oculis Tribunalis posito libro, & illic libris, conspirare & concurrere videantur ambæ illæ assumpti nostri combinationes. In libro, quomodo omnia transeunt pro vita; in libris, quomodo nihil transit pro reddenda ratione.

§. VII.

Nihil istud, de quo asserimus, quod nihil pro ratione transeat, nunc à nobis excutiendum est. Interrogo: si nihil transit pro ratione, videturne etiam nihil vocari posse ad judicium? Et, casu quo vocetur, evadetne rationem & judicium eò quod nihil sit; Omnes dicturos credo, quod sic, sed certum est & de fide etiam nihil, quomodocunque qua-

qualificatum, etiam vocandum ad judicium: & quia nihil transit pro ratione, etiam ipsum Nihil sine illa, & quidem rigida valde non transire oportet. In lege naturæ nemo dispositus meliùs Jobo: in lege verò Gratiæ nemo meliùs dispositus S. Paulo: Quid vero de se ipso uterque confitebatur? Job in nullo se Deum operando offendisse protestatur: *Quia nihil impium fecerim.* S. Paulus, pro se conscientiæ suæ testimonium allegans ait: *Nihil mihi conscius sum.* Ast, nunquid *Nihil* illud Job, & S. Pauli rationem judiciumque effugerunt? Contrarium ipsimet confitentur. Job, Deum nihil illud in quæstionem vocasse inquit per modum scrutinii, ad probandum, & confirmandum, utrum verò nihil esset, quod pro nihilo ab ipso habebatur: *Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris, & scias, quia nihil impium fecerim.* Et S. Paulus, justificatum se non putabat ex eo quod nihil conscientiam suam gravaret, quia nihili hujus non ipse, sed Deus judex esset futurus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Ecce quàm luculenter & veraciter probatum, quod nihil pro ratione transeat, cum ad ipsum usque nihil, illam, & quidem strictissimam Deus exacturus sit.

Job. 10. v. 7.

1. Cor. 4. v. 4.

Job. 10. v. 6.

1. Cor. 4. v. 4.

Verum, amabò, quænam est, aut esse potest ratio, cur duobus tantis, tam omnibus suis numeris absolutis, tanta sanctitate præfulgentibus, Jobo scilicet & Paulo nullius sibi culpæ consciis hominibus, eam quasi imputabit, & rationem ab eis exiget? Prima hujus rei ratio ex parte Dei (quæ solum ignorari potest ab eo, qui eum minus cognoscit) est, quia in iis, quæ nobis magis intima sunt, Deus nos cognoscit melius, quàm ipsi nos. Christo in ultima Cœna Apostolis revelante, sese ab uno eorum tradendum: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est:* omnes ex significatione tali valde fuisse cōtristatos, inquit Evangelista, & interrogare cœpisse singulos: *Nunquid ego sum Domine;* Petrus, Andreas, Joannes, & reliqui, Judâ excepto. Quilibet se non traditurum sciebat, nec tale quid sibi venisse in mentem, ut quid igitur conscientiæ suæ dictamini non acquiescunt, sed in dubium vocantes, de quo non dubitabant, interrogant singuli num traditores futuri sint? *Nunquid ego sum?* Quia, etiam propria non arguente conscientia, noverant Christum de ipsis, & singulis eorum plus scire, quàm quilibet sciret de se ipso. Ipsi se noverant velut homines: Christus eos noverat velut Deus. Hic fuit error S. Petri, eidem in cœna mensæ assidentis! Petrus se vitam, si sic necesse foret, pro Christo profusurum protestatus fuit: Christus è contrario, quod tribus se vicibus illa nocte negaturus esset affirmavit. Enim verò undenam hoc verificatum? Quia Petrus de se asseruit, quod ignorabat: Christus verò affirmavit quod de eo noverat. *Hoc illi Christus prænunciabat, quod in se ipse ignorabat,* inquit Augustinus. Quoniam verò diei illius Judex plus novit de nobis, quàm nos ipsi: Quid mirum quod ipse nos condemnet ob incognita nobis, & quod in judicio ipsius reputetur culpa, quod in nostro videtur innocentia.

Matth. 26 v. 21.

ibid. v. 22.

August.

Secunda ratio, & ex parte nostra, est, quia quemadmodum Deus tantùm scit de nobis, nos similiter tam modicum novimus de nobis; hinc rationes nostræ, rationes ipsius assequi non possunt. Die quadam Christus Jerusalem triumphans ingressurus, è Bethania veniens ei-

dem

Marc. 11. dem urbi appropinquans *esuriit*; vidensque eminùs ficulneam virentem & foliis gravem, ad eam gressus direxit, si fortè Ibid. v. 13. fructum inveniret in ea: *Si quid fortè inveniret in ea*: sed quia non nisi folia invenit, maledixit illi, ne in æternum fructum Matth. 21 v. 19. deinceps proferret: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*: eodemque mox momento à foliis usque ad radices arbor exaruit. Quo in casu singulariter venit advertendum, prout S. Marcus advertit, Marc. 11. v. 13. quod non erat ficorum tempus: *Non enim erat tempus ficorum.* Si igitur non erat tempus, quo fructum haberet arbor; quare Christus maledicendo, non pro illo tantum anno, sed in sempiternum exarescere fecit? Quid magis, naturæque conformius excusare poterat fructuum carentiam, quàm non esse fructus proferendi tempus? de arbore, cui comparatur justus, asserit David, quod dabit fructum Ps. 1. v. 3. suum in tempore suo: *Et fructum suum dabit in tempore suo.* Si igitur in optimis arboribus laudandum quod fructum suum dent in tempore suo, quo pacto reprehensibile fuit in hac arbore, inventum non fuisse in ea fructum, quando tempus non erat? Idem S. Marcus Evangelista sententiam hanc Christi responsum fuisse inquit arbori datum: *Et respondens dixit* Marc. 11. v. 14. ei; *Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Si Christi sententia fuit arbori data responsio, argumento est quod ipsam primo audierit, & illa suam allegaverit justitiam. Considerent hîc judices, seu condemnatores, quod nec truncum quidem, irrationabilem & insensitivum nisi prius auditum Deus condemnet. Quid verò allegavit arbor? eundem utique Evangelistæ textum, quasi tacitè dicens Christo: Ego quidem gravidam me maturis sapidisque fructibus optarem, quos Conditori meo præsentarem; causa verò impedimentumque naturale, quod illis destituar, est quod tempus illorum nondum advênit: *Non erat tempus ficorum.* Et non obstante hac, specie tenus, adeò justa replica, Christus illam condemnârit æternùm, *in sempiternum!* Ita factum est. Sed quo fundamento, quave justitia? Inter doctissimos quosque excellentissimique ingenii Scripturæ sacræ Expositores hucusque non fuit inventus, qui respondendo dubio huic plenè satisfaceret. Porrò quare non inveniatur hujus ratio, est, quia rationes hominum, Dei rationes non assequuntur: & ubi culpam retegere judicium nescit humanum, ibi reperire eam valet divinum. Quare homo non comprehendit Deum? Quia Deus incomprehensibilis existit. Proinde judicia humana non comprehendunt divina, quia hæc sunt incomprehensibilia; *Quàm incomprehensibilia judicia ejus!* Rom. 11 v. 33.

Ex duobus hisce tam luculentis principiis, altero scientiæ Dei quoad nos; alterò ignorantiæ nostræ quo ad Deum, omnis cessat admiratio, quod Deus judicaturus sit etiam illud, quod pro nihilo reputamus, eodemque in nihilo repertus sit, quod arguat, & ad reddendam de eo rationem in judicium adducat. Unus tantum superest scrupulus quiescere non sinens, scilicet, contra justitiam, quâ Deus ob ignorata nos puniet. Certum est Deum de nobis scire quod nos latet; sed eadem hæc ignorantia nostra, non solum nos excusare, sed & securos nos reddere videtur, pro peccato non fore imputandum, quod scientiam, seu cognitionem nostram quà tale effugit. Sine voluntate non datur culpa, sine cognitione non est voluntas.

Quo-

Quonam igitur pacto, peccatum esse potest, & peccati subire pœnam, quod ignoro? optimè & breviter Theologiam hanc nostri proverbii Author notavit: Qui ignoranter peccat, ignoranter ad infernum pergit. Una tantùm ignorantia, scilicet invincibilis à peccato excusat: sed hæc rarò invenitur. Alii non solùm peccant peccato, sed & ignorantia, qua illud non cognoscunt. Enim verò, nunquid gravissimè peccârunt Judæi in morte Christi? & nihilominus S. Petrus ipsos eorumque principes ignorantes hoc fecisse affirmat:
Act. 3. v. 17. *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Et ipse Christus dicens:
Luc. 23. v. 34. *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, allegando pro eis ignorantiam, eis petiit veniam. Si ignorantia eos liberâsset à culpa, non indigerent venia: Christus verò eis petiit veniam, eorundem protestatus ignorantiam; tantùm enim abfuit ut à peccato eximerentur per ignorantiam, qua illud perpetrarunt, ut ipsa potiùs ignorantia peccatum illorum peccato accumulârit. Peccatum unum, quia è medio sustulerunt non agnitum; & alterum, quia ipsum non cognoverunt, tanta obligatione constricti, quanta ad cognoscendum eum evidentia convicti.

Idem istud hodie videtur in illis, qui Christum adorant & agnoscunt; & non ex raro contingenti, sed communiter; neque in vita solùm, sed etiam in morte. Quot & quanta, quamque enormia videmus peccata, nec in vita emendata, nec in morte confessa, non Deo tantùm sed toti propatula Mundo, & committentibus ipsis solùm incognita! non cognoscunt illa, quia vivendi laxitas, & dissolutio conscientiæ obscuritatem, animæque cœcitatem inducit; non agnoscunt, quia amor proprius semper excusat, & extenuat quod damnationi nos addicit. Non cognoscunt ea, quia Mundi hujus prospera, lucra & commoda, alterius oblivionem secum trahunt. Non illa cognoscunt, quia ea discutere, nec, quem deberent, desuper consulere volunt. Denique ea non cognoscunt, quia ignorantia affectata ea novisse nolunt, ut emendent: *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Ecce Psal. 35. v. 4.
nunc, utrum Deus in die judicii ignorata peccata justè puniet, dum, quà commissa, unam, & quà ignorata, alteram majorem merentur pœnam? Et quamvis ad illam usque diem incognita, tenebrisque malitiosæ hujus & ignorantis hujus ignorantiæ fuerint sepulta, tunc resuscitata prodibunt in lucem: ipse quippe universalis Judex, teste S. Paulo præsentiæ suæ splendore omnium hominum conscientias revelabit, & unicuique quicquid in eis latuerat deteget, & manifestum oculis singulorum apponet:
Quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Hac mediante luce, eædem conscientiæ agnita veritate obstupescent super illo Multo, quod sub quasi Nihilo prodire cernent, quod non viderant, aut videre noluerant. Nullius omnium conscientia reprehendet, aut opponere quicquam audebit sententia, quamvis damnationis fuerit æternæ, sed omnes convictæ dicent: *justus es Domine, & rectum judicium tuum.*
1. Cor. 4. v. 5. Psal. 118. v. 137.

§. VIII.

O Quantam nobis Deus exhiberet gratiam, si, dum hodie eundem judicii diem ob oculos ponimus, supremus ille judex vel unicum nobis lucis illius communi-

municaret radium, ut modò videremus, quod tunc vibebimus, & cum peccatis agnitis nos prius sisteremus ante Tribunal suæ misericordiæ, quàm postmodum ante tribunal suæ justitiæ! sed benedicta sit ejusdem Domini bonitas, qui non unum tantum, in doctrina sua lucis istius communicavit radium, sed omninò tres, nisi oculos nostros illis clauserimus. Cum materia omnium, quæ transierunt pro vita, & non transibant pro ratione, capacitati humanæ tam sit immensa, sola Sapientia divina eam comprehendere valebit: proinde Christus Dominus hoc modo ad tres eam parabolas reducendo divisit, quibus summatim nos docuit quam à nobis, & de quo rationem exacturus sit. Parabola prima est de officiis; secunda de talentis: tertia de debitis. Eundem hunc modum pro distinctione & charitate majore sequemur.

Et quidem quoad officia, prima parabola (quæ est de Villico) divitem fuisse dicit hominem, qui administrandis bonis suis famulorum quempiam præfecerat: quem cùm malè administrare intelligeret, vocatum ad se rationem reddere compulit dicens: *Redde rationem villicationis*
Luc.16. v.2. *tuæ; jam enim non poteris villicare*, q. d. redde rationem administrationis tuæ; ab hac enim hora ea privaberis. Circumstantia hæc, rationem fore ultimam, & non emendari posse, ex potissimis diei judicii rigoribus unus est. Agedùm ut Parabolæ sensum enucleemus. Homo dives, est Deus: bona ipsius & hæreditates Ecclesiæ sunt & Provinciæ: Dispensator in Spiritualibus summus est Pontifex: in temporalibus, Rex & supremis hisce duobus omnes alii subordinati, tum ecclesiastici, tum sæculares Ministri, qui partitò inferiorem super subditos eósdem habent jurisdictionem. Ab his igitur omnibus Deus strictam exiget rationem, non solum quoad personas, sed etiam, immò multò magis, quantùm ad officia. Quantùm ad personam, cuilibet pro se ratio reddenda incumbit; quantùm ad officia, rationem reddere oportet pro omnibus, gubernationi suæ commissis & subditis. Ita ut Papæ, de tota Christianitate; Regi de tota Monarchia; Episcopo de tota Diœcesi; Gubernatori de tota Provincia; Parocho de tota parochia, Magistratui de tota Civitate, Patri-seu Matrifamilias de tota domo ratio sit reddenda. O si homines scirent pondus, quod sibi, seu ecclesiastica, seu sæcularia tam anxiè, tantisque negotiationibus prætendendo & procurando officia imponunt, certius nihil quàm quod longissimè ab eis fugerent! Verum, non illa propter onus, sed propter dignitatem, potestatem, respectum, authoritatem & existimationem, & hodiedùm & & plurimùm, propter lucrum commodumque procurant. Veruntamen in die judicii rationem postulati juxta pondus, videbunt quonam eos deducet statera.

Enim verò si tam difficile est rationem reddere bonam de anima propria, quæ una est, quàm difficile, immò impossibile erit, de tot millenis rationem reddere bonam? sicut fidem nos non habere certò constat, neque scimus ad quid nos obligat. Nonne videtis, quot animæ in hac sint Civitate, quot animæ in hac Provincia; quot denique animæ in toto Regno? Scitote igitur, si fortè ignoratis vel minùs advertitis, de omnibus istis rationem reddituros illos, qui Civitatem, Provinciam, Regnumve gubernant. Quemadmodum

modum enim in omnes singulosque eorum regimen potestatemque obtinent: Ita procurare tenentur, ut omnes & singuli non humanas solùm, sed divinas etiam leges observent. Quod non mea est exaggeratio, sed doctrina solida & de fide ore S. Pauli pronunciata: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* q.d. Obedite Superioribus vestris valde subjecti, ipsi enim ex zelo vitæ vestræ invigilare tenentur tanquam Deo de animabus vestris rationem reddituri. Ecce quantò major obligatio sit Superiorum, quàm subditorum. Quotquot sunt subditi Superiori subjecti, totidem sunt animæ pro quibus Superior rationem Deo reddere obligatur. Unde quanquam Oraculum istud sufficeret, quo minus hominum quispiam fide præditus hanc in se obligationem reciperet: Audite modò, quod audistis nunquam. Omnes Christi sententiæ non extant literis exaratæ: aliquæ Discipulorum ipsius traditionibus manserunt impressæ, quas inter tam notabilis, quàm terribilis legitur ista: *Omne peccatum, quod remissus & indisciplinatus admiserit frater, ad negligentem protinus revertitur Superiorem.* Ita ut juxta hanc sententiam, ipsiusque Christi revelationem omnia homicidia, omnia adulteria, omnia furta, omnia sacrilegia, reliquaque omnia peccata à subditis vivente & regnante aliquo Rege fuerint commissa: & ab ovibus & subditis in vita & regimine Superioris alicujus & Prælati patrata in libris Dei, sub nomine tituloque Regis talis, Prælati talis, & superioris scribantur, ut ab eo in die judicii ratio exigatur.

Heb. 13. v. 17.

Refertur ab Auberto Phalesio inter Collecta ab affligimensi Abbate in monasticis disquisitionibus.

Agedùm, jam Regem istum, postmodum istum quoque Prælatum & Superiorem ante divinum statuamus Tribunal, ut palam fiat, quidnam ad onera ista respondeant. Rex subditorum caput existit, & cuinam, nisi capiti de membris rationem reddere competit? Rex anima est Regni: & quis rationem reddet de corpore, nisi anima? Deus ergo à Rege quolibet, non suorum peccatorum & personæ solummodò, sed officii quoque exiget rationem: Et quid jam non Rex, sed reus respondebit? Dicere posse videtur: Ego quidem, Domine, obligatum me novi ad impedienda pro viribus subditorum meorum peccata: Verum Aula mea erat ampla, Regnum meum dilatatum, Monarchia mea per Africam, Asiam, & Americam extensa; porrò quia impossibile erat in tot tamque dissitis morari regionibus & locis, in Curia provideram de Tribunalibus, Præsidentibus, & Consiliariis; Regno de ministris justitiæ. Conquisitionibus de Vice-Regibus & Gubernatoribus, de justa numerisque omnibus absoluta regendi methodo optimè instructis, hoc totum feci, nec ultra quod facerem habui. Hisce suum annumerare poterit Palatium, & eos quibus familiariùs & in secretioribus est usus. Sed in omnes replicabitur. Quos elegisti (inquiet Deus) quare elegisti? Nonne hi ex affectu, illi per intercessionem, alii adulatione mediante, alii denique ex mala & partiali & passionata informatione? Et qui majoris meriti fuere exclusi, quare eos exclusisti? sed posito omnes ordinatè, & legitimè fuisse electos: postquam in officiorum administratione ex justi dictamine, ritè non procedere cognovisti, quare statim eos non amovisti, quare dissimulâsti, quare tolerasti & conservasti;

 imò,

imò, quod pejus eſt, novis honoribus, authoritate, dignitatibus & officiis decoraſti? Si Provinciæ unius everſorem & deſtructorem deſtructionem eandem continuare permiſiſti, & ad gubernaculum majus promoviſti, quo pacto, quæſo, injuſtitiarum ipſius & ſcelerum, quæ, loco ejus ut emendaret, ſuis ipſius culpis earumque exemplo auxit, complex non fuiſti? ſi Tyrannis ipſius tibi innotuit, quomodo per te manſit impunita, & læſorum damna non reſarcita? Quot orphanorum lachrymæ, quod viduarum gemitus, quot pauperum clamores, te regente ad cœlum pertingebant, quando ad complenda ſuperflua vana, donationesque inofficioſas, Miniſtri tui (idcirco remunerati & laudati) impietate plus quam inhumana non illos ſpoliabant, ſed exuebant, & nudabant? Iſtud obmuteſcenti, nec, quod reſpondeat, habenti miſero Regi Deus poterit replicare. Et qualem referet ſententiam? Hæc in judicii die audietur. Extra controverſiam eſt, quod David Rex ſanctus, antequam peccator, & poſt peccatum, pœnitentiæ ſpeculum, ab occultis & alienis tantùm peccatis petierit abſolvi: *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Peccata occulta in die illa erunt manifeſta: & de alienis, eò quod Rex fuerit, non minùs ſtricta, quam de propriis ratio exigetur.

Pſal. 18. *v.* 13.

Prodeat nunc Prælatus & Superior ad reddendam rationem & audiendum in ſtatua proceſſum, qui poſt reſurrectionem illi formabitur in carne. O quàm triſte erit ſpectaculum mitra privatum, pontificalibuſque ornamentis exutum ante Jeſu Chriſti Majeſtatem comparere illum, quem Chriſtus ipſe & nomine & authoritate Vicarii ſui inſignivit, cujuſque perſonam humano-divinam in hac vita repræſentavit! O *Paſtor & Idolum!* dicet illi Chriſtus. Tu, qui Paſtor ſolo ſuiſti nomine, & velut Idolum ſola contentus immeritâ adoratione externa, redde rationem. Non à te poſco rationem de culpis occultis, ſed de publicis & ſcandaloſis malè cuſtoditarum & neglectarum ovium tuarum peccatis & miſeriis. Miſeræ fuerunt in temporalibus, nec curæ tibi fuit, earum providere neceſſitatibus; laborârunt in Spiritualibus, neque ſolicitus fuiſti, quo pacto illas à peccatis ſanares, aut præſervares. Porrò ſi tam anxiè collecti, tamque avarè cuſtoditi reditus, meum erant, ſanguine meo acquiſitum patrimonium; quare illud inter creditores meos, id eſt, pauperes non diſperſiſti? Quare illud curribus, exquiſitioribus equis impendiſti, illis fame extinctis? Tu parietes tuos auro, argento & ſerico veſtiiſti, illis nudis, & præ frigore tremulis incedentibus? Si miniſtri tui zeloſè invigilantes vitæ & converſationi minorum, id egerunt ſolicitè, quo eos in commodum ſuum damnarent potiùs, quàm eorum conſcientias emendarent: Grandium & Magnatûm tam ſcandaloſè & ſuperbè vidente Mundo viventium monſtruoſa peccata quare ſemper impunita diſſimulâſti, tanquam Eccleſiæ meæ legibus Superiores eſſent?

Zach. 11. *v.* 17.

Equidem confiteor, Domine, reſpondebit Prælatus & Superior, in utroque me partibus meis defuiſſe: ſed non ſine cauſa. Quod enim familiæ meæ & perſonæ impendi, ut hominum & plebis ſatisfacerem oculis, factum eſt, qui exteriora tantum attendunt, utque ſimul authoritatem officio, & dignitati venerationem conſervarem. Porrò ſi quid contra

Gran-

Grandium Magnatumque delicta nihil attentare fui ausus, id factum est, quia potestas ipsorum videtur insuperabilis, tutiusque putavi cum eis in arenam non descendere, quàm cum injuria, ipsarumque Ecclesiæ legum præjudico in fine pugnæ succumbere. Denique, Domine in utraque omissione universale secutus sum exemplum, & quo, hoc in officio potioribus armis; amplioreque, quam mea est, jurisdictione instructi utentes faciunt idem. O rudis! ô incurie! replicabit Christus: stupide adeò & laxè, ac si Scripturas, aut canones, ejusdem Ecclesiæ nec exempla legisses! Num fortassis Petrus & Paulus, aliique imitatores mei Apostoli, seu vestigiis ipsorum veraciter inhærentes, hisce mediis personæ suæ, aut officio authoritatem inter ipsos adeò usque gentiles conciliârunt? An ignoras, quod idem ipse populus, cujus te oculis excusas, si omnia donando pauperibus, te sine comitatu frequenti, solum te & peditem in plateis, & quidem nudipedem incedere vidisset, flexis te genibus adorasset? Quoad negligentiam verò, quod contra Grandes & Magnates, etiam Petri gladio accinctus, nihil attentare fueris ausus; contra quem ausus non fuit David, pastorum meorum Exemplar? Inter feras congrediebatur cum leonibus, inter homines, cum Gigantibus. Quænam quæso efferata magis fera, quam Eudoxia? Et tamen vide quomodo illam nullatenus extimuerit Chrysost. Quis leo corona insignior, quàm Theodos. Imperator? & ecce quomodo eum pedibus suis prostraverit Ambr. Denique si non illorum æmulatus magnanimitatem, sed aliorum, uti vocas, secutus consuetudinem, nunc experieris in te, & in illis videbis, quod si illi consueverint facere sic, ego quoque similiter sic facientes mittere consueverim in infernum. Ad rationem officiorum quod attinet illud sufficiat, sumantque exemplum à ratione Regis Ministri sæculares, ecclesiastici verò à ratione Prælati & Superioris.

§. IX.

QUantam ad rationem Talentorum, illam nobis parabola servorum insinuat, quibus Rex diversa distribuit talenta, quibus negotiarentur usque dum ab itinere rediret: *Negotiamini dum venio.* *Luc. 19. v. 13.* Rex est Christus, iter fuit ascensio in cœlum, reditus erit in die judicii, in quo rationem exiget à singulis, quomodo traditis sibi talentis negotiati, quidque iisdem fuerint lucrati visurus: *Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.* *Matth. 25. v. 19.* Talenta sunt media tam universalia, quàm particularia, quibus Providentia divina hominibus assistit, & cuique ad salutem perfectionemque assequendam succurrit: Porrò profectus & lucra augmenta sunt virtutum, meritorum & gratiæ, quæ exercitio & industria quâ media illa applicant diligentiores obtinent. Quam verò exacta postmodum & rigida malè usis futura sit ratio ex eadem parabola patet. Servi quibus Rex talenta credidit, numero fuere tres: Primo dedit quinque, qui lucratus est alia quinque; Secundo tradidit duo, qui lucratus est alia duo, & ambo fuere laudati: Tertio unicum tantùm tradidit talentum, quod ille terræ infodit. Quod quamvis positâ ratione obtulit, integrumque & illibatum restituit, eo quod illo neque negotiatus, neque lucratus fuisset, Dominus non solum talento pri-

vatum è domo sua ejecit, sed insuper servum malum & nequam appellavit: *Serve nequam:* quâ sententia fuit condemnatus. Enim verò si quis rationem postulatus creditum sibi à Deo talentum redhibet integrum & inviolatum sine fraude & dolo, condemnatur; Quid fiet illis, qui illud dissipant & perdunt, & quandoque idipsum contra se, & quod gravius est, contra ipsum Deum convertuut.

Luc. 19. v. 22.

Pro gravissimæ & periculosissimæ materiæ hujus intelligentia supponendum est, quod minùs putatur; & est talentorum nomine non solum venire censenda dotes naturæ, bona fortunæ, & specialia Gratiæ dona; sed etiam his contraria, & omnium horum privationes. Non tantùm dos est naturæ formositas, sed etiam deformitas; non tantum grande robur, sed etiam debilitas: non tantum ingenii acumen & subtilitas, sed etiam ruditas & stupiditas: non tantùm visus perspicacitas, sed etiam oculorum cæcitas: non tantùm sanitas, sed etiam infirmitas: non tantùm vita longa, sed etiam brevis in bonis ut vocant, fortunæ par est ratio. Non tantùm illustris prosapia & nativitas, sed & conditionis abjectio & vilitas: non sublimes solum dignitates, sed & loca humilia: non opulentia tantum, sed & paupertas: non quies tantùm, sed & labores: non prosperi solùm rerum successus sed etiam inversi: Non solùm regere & imperare, sed & subesse & parere: neque victoriæ solùm & triumphi, sed & victum subjacere. In Gratiis denique seu Gratiæ donis, non solùm est Gratia donum linguarum, sed & nescire loqui, & mutum esse: non solùm literæ & scientia, sed etiam ruditas & inscitiæ: non solum est donum consilii, sed etiam suffragium non habere, aut dare non posse: non solùm ostentationis donum, miraculorumque beatus, sed etiam in nulla re esse miraculosum sed incognitum planè & despectum.

Veritatis hujus intrinsecæ, vereque divinæ Providentiæ ratio est; quia hæc omnia quamvis sibi contraria, media esse queunt, quæ æqualiter nos ad salutem deducant, & ad veritatem promoveant; præsertim cum à Deo sint distributa & dispensata, & cujusque genio & indoli attemperata. Unde & textus talenta distributa asserit, *unicuique secundùm propriam virtutem.* Ita ut Rachel tantundem lucrari & perficere potuerit sua venustate, quàm Lia sua lippitudine: tantum Achitophel judicii sui sagacitate, quantùm Nabal sua stupiditate: tantûm nongentis suis annis Mathusalem, quantùm adolescens de Naim suis annis viginti: tantum Cræsus thesauris suis & opulentia, quantùm Irus paupertate sua & inopia: tantùm Julius Cæsar sua prosperitate & fortuna, quantùm Pompejus infelicitate sua, & quam incurrit offensa: tantùm Alexander Magnus suis victoriis, quantùm Darius & Porus acceptis ab eo cladibus: tantùm Aaron linguæ suæ facundia, quantùm Moyses linguæ suæ impedimento & tarditate: tantum subtilissimus Scotus scientiâ suâ & doctrinâ, quantùm frater Juniperus sua simplicitate: tantùm S. Petrus suis miraculis, quantùm S. Joannes Baptista, qui nunquam miracula patravit. Hinc sequitur quod Deus eandem à Divite de divitiis, quàm à paupere de inopia exiget rationem: tantam à sano de sua sanitate, quantam ab infirmo de sua infirmitate: tantam

Matth. 25 v. 15.

tam à celebri & in dignitate constituto de sua existimatione, quantam ab humilitate & abjectione; tantam denique ab omnibus quibus aliqua contulit, quantam ab aliis quibus aliqua negavit: Si enim dives suo lucrari potest talento mediante eleemosynâ, pauper similiter mediante sua lucrari potest patientiâ. Et sic de reliquis: immò verò nihil certius, quàm quod inter illa, quæ prospera vocantur seu adversa, ad merendum efficaciora existant, quæ naturam mortificant, quam quæ sensualitati blandiuntur: & pro salute tutiora sunt illa quæ gravant & premunt per humilitatem, quàm quæ elevant & evanescere faciunt per superbiam. Utraque media tractare, sibique utilia reddere æqualiter noverunt S. Paulus dicens: *Scio abundare, & scio esurire*: & Jobus, qui in eadem fortunæ volubilitate, à prima, ad secundam ajebat: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Verum homines isti quadrati rari nascuntur in mundo. Aleæ non minus firmæ paucis, quam multis incubant punctis: & æqualiter sortibus favent felicibus, quàm infortunatis.

Ad Philip. 4. v. 12.
Job. 2. v. 10.

Hoc pacto (quæ unica & saluberrima sit nota) hoc inquam pacto acceptare nos oportet velut de manu Dei, & contentos esse talento seu talentis, quæ juxta beneplacitum suum nobis dispertierit, sive quinque sint, sive duo, sive tantum unum: & si dari posset etiam nullum, magis foret tutum, Rege distribuente inter servos talenta nullum eorum, in partitione legimus minus fuisse contentum. Si aliis majora quàm vobis fuerint collata, ipsi de pluribus, quam vos rationem reddere cogentur ipsi Deo. Sed nos similes sumus illis, qui dispensant se, conducunt reditus Regum, qui ad recepta tantum attendentes in præsenti, negligunt id de quo rationem redditurі sunt in futuro. In hac parte, admirabili sanè fortunæ varietate & à partitione Jacob, [sic loquendo] filiis suis vaticinatus in hora mortis benedixit. Diversorum nominibus animalium est usus, & Judam Leonem compellavit, *Catulus Leonis Juda*: Dan Serpentem, *fiat Dan coluber in via*: Benjamin Lupum, *Benjamin Lupus rapax*: Nepthali Cervum, *Nepthali Cervus emissus*: Issachar Asinum seu jumentum, *Issachar Asinus fortis*. Omnia animalia suas habent inclinationes, instinctus & proprietates, & singula suas quasi virtutes & vitia à natura sibi insita: Leo magnanimus, serpens astutus, lupus vorax, cervus velox, asinus seu jumentum oneribus assuetum. Proinde hisce sub metaphoris Jacob singulis filiis, sua talenta, usum eorum & actiones, nec non vitam, descendentiumque eventus significabat. Porrò cùm illi ipsi fratres tàm ægrè tulerint, quod pater uni eorum tunicam fecisset polymitam, & proprio illam tingere voluerint sanguine: quo pacto nunc nullus eorum conqueritur, quod pater tam diversis eos pellibus vestiat & pilis, tam differentia imponat nomina, nec non tam diversimoda nobilitate discernat, qualis est inter lupum & cervum, inter serpentem & leonem, inter leonem, & asinum? Quia in tunica operabatur Jacob velut pater nomine suo: in differentia & talentorum divisione, loquebatur velut Propheta nomine Dei: sicut distributio erat à Deo facta, & talenta ab ipso distributa; quamvis discreparent æstimatione & fama, quantum dis-

Gen. 49. v. 9.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 27.
Ibid. v. 21.
Ibid. v. 14

differt Imperium à servitute, Leo ab Asino, demisso singuli capite sua fuere sorte contenti, illi sese conformantes; nec fuit qui aut quærelæ os aperiret; aut oculorum motu displicentiam demonstraret. Quid, quæso, ad hocce dicent, qui toties religionem, & ipsam deseruere fidem, humilitatis patientiæque defectu sibi anteponi non ferentes, quos talento non poterant adæquare?

Omne talentum perditionis periculo est expositum, vel ut præsumptione humana, quis de eo bonam non reddat rationem. Majora per superbiam; minora per individiam; minima per desperationem & pusillanimitatem. De ultimorum horum genere fuit ille, qui talentum fodit in terram, cum melior celebriorque evadere potuisset omnibus, si terræ non infodisset. Theologorum quibusdam in quæstionem & dubium vocare placuit, quis servorum se magis industrium probâsset, utrum ille qui duobus talentis lucratus est alia duo, an qui quinque talentis alia quinque lucratus est: quæ cùm inter illos non decideretur, ad Academiam quandam mercatoriam devoluta est, qui uniformiter resolverunt omnes, magis industrium fuisse illum, qui duobus alia duo fuerat lucratus, quàm illum, qui quinque lucratus fuerat alia quinque; difficilius quippe est modico lucrari modicum, quàm multò multum. Huic maximæ primæ in negotiatoribus, experientia usuq; probatæ addiderunt, quod qui unum tantum habuit talentum, si lucratus fuisset alterum, comparatione ad invicem facta; & illum qui duo, & qui quinque talenta habuerat, industriâ longè superâsset. Magna sanè & vera consolatio, si acceptare illam vellent mediocria. Sed eheu, quisnam curare poterit cæcitatem, & pacare invidiam excedi & superari sese videntium? Saul auditis aggratulationibus & applausibus Davidi factis, tot vicibus modisque eum è medio tollere tentavit, hinc coronam perdidit. Celebris ille artifex Dædalus, in turri quadam captivus adinvenit sibique formavit alas, quibus ex ea volando aufugeret, videns perdicem discipulum suum & sororis filium invenisse circinum, & imitando spinam serram, ne se talento superaret timens, ipsum prius ex eadem turre in imum præcipitavit.

Verùm enim verò majoribus adhuc periculis exposita sunt talenta omnibus supereminentia. Quid futurum fuisse putamus Saulo, nisi Christus ipse è cœlo descendens ad refrænandam audaciam ipsius & superbiam; ex equo ipsum in terram prostravisset; Quid factum fuisset de Augustino, de quo in scholis recitabatur catholicis: *A Logica Augustini libera nos Domine:* Nisi lachrymis S. Monicæ matris (velut lilium, quod à lachrymis generatur alterius) emollitus fuisset regeneratus? evenisset illis, quod profundissimo Tertulliani, & immenso Origenis ingenio, qui velut ævi sui oracula venerati, primique Ecclesiæ Magistri, & illud & se perdiderunt. Sed quid mirum cadere & frangi lutum, si intellectus ingeniumque omnium, quæ creavit Deus, maximum Luciferi, solo ipsius Dei intellectu inferius, potiùs elegerit cadere à cœlo, quàm alium ibidem, imò ipsum Deum sibi videre prælatum! æqualem ipsi rationem habent talenta minora, & propterea solùm rationem poterunt reddere bonam.

§. X.

§. X.

DEbitorum tantùm ratio postrema, maxima omniumque difficillima nobis pertractanda restat. Hæc in alterius Regis parabola continetur, qui contra morem multorum, cum Domus suæ famulis rationem inire voluit: *Qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Quid hinc sequatur, in principio rationum clarè innotescit, quod nimirùm sic dictus Rex omnium mundi Monarcharum potentissimus & ditissimus esset; primus quippe servus convictus fuit, ærario Regio debere centum viginti Milliones auri. Eam enim summam attingit, quod textus vocat, *decem millia talenta*: Christo enim linguâ Hebraicâ cum Hebræis loquente, computus similiter & summa debiti non de talentis Græcis & Hebraicis debet intelligi. Quomodò verò possibile est, servum Regi suo centum & viginti Milliones debuisse? Respondeo, quando parabola decies millenis vicibus totidem alios dixisset, multò adhuc minùs diceret, quam significare vellet. Quoniam Rex iste est Deus, debitum verò istud conficiunt beneficia homini collata: porro quia minimum beneficium divinum ex se, & intuitu Authoris infiniti est valoris, in tota Arithmetica non datur numerus, neque pretium in omnibus creaturis, cui comparari, nedum æquiparari possit.

Matth. 18. v. 23.

S. Augustinus ad luculentiùs & evidentiùs rationem hanc demonstrandam, ipsum introducit Christum personaliter à nobis debita nostra exigentem, quemadmodum in judicii die facturus est: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* q.d. Quid est quod tibi facere deberem ô homo, vel pro te facere debuissem quod non feci? Nihil tibi debebam, & tanquam debitor quicquid habeo, sum, & possum tibi impendi. Creavi te, quando non eras ex abysso nihili, & non esse te educendo ad esse: corpus tibi dedi manibus meis formatum & perfectissimum: animam tibi contuli ex visceribus meis extractam, & ad imaginem & similitudinem meam factam: utrumque excellentissimis potentiis, sensibus ornavi & instruxi, ut iis tanquàm instrumentis ex amore mihi servires: & tu ingrate, quid fecisti? de curis, cogitationibus, intellectusque tui machinis rationem redde: de memoriæ tuæ officio in recordando, & obliviscendo: de voluntatis tuæ desideriis & affectibus, redde rationem de omnibus pedum tuorum gressibus, manuum tuarum operibus, oculorum tuorum visionibus, aurium tuarum auditibus, omnium linguæ verbis, & reliquis omnibus, quorum tibi conscius es, & diei fas non est. Postquam creatus es, quid te factum fuisset, nisi ego eadem te potentia & providentia conservassem? Mox perdito esse, ad nihilum, unde existi, redactus fuisses. Ad conservationem tui non necessaria tantùm, sed superabundantia suppeditavi, tàntamque creaturarum in cœlo & in terra immensitatem tibi subjeci, tuoque obsequio deputavi. Associavi tibi Angelum, qui noctu diuque vigilantem seu dormientem individuus custodiret, sicut semper assistens custodivit. Nunc occulta & secreta, à quibus illius beneficio liber fuisti tibi revelo: Tu verò publicorum & manifestorum, quæ expertus es & vidisti recordare. Quot in aliis longè minoribus perierunt? Quot minores te ætate morte

S. Aug.

infausta & subitanea, sine pœnitentiæ & emendationis tempore aut loco obierunt, quam tibi semper indulsi? rationem igitur redde de vita, salute, annis, diebus, horis, cum paucæ valde, numeratuque sint faciles illæ, quas non ad offensam meam impendisti.

Usque huc exteriora tibi recensui debita potestatis: jam nunc ad interna & personalia respondebis amoris, & quicquid pro te aut feci, aut sustinui. Postquam ad imaginem similitudinemque te condidi, pro te factus homo, imaginem similitudinem tuam assumpsi: pro te natus, in præsepium reclinatus fui: pro te exulavi in Ægypto: pro te opifici triginta tribus annis subditus, laborem ipsius manibus meis promovens: vultusque ipsius sudori sudorem meum consociavi. Pro te, & propter te Regni cœlestis Evangelium prædicatum exivi in Mundum: pro te, & propter te totam Judæam & Galilæam pedes, & non infrequenter nudipes perambulavi: sitim, famem, paupertatem, nec locum habens ubi requiescerem seu caput reclinarem, fui perpessus: pro te, & propter te pro beneficiis ingratitudines, pro amore odium, pro operibus bonis persecutiones recepi: pro te sanguinem sudavi; pro te captus, injuriis contumeliisque affectus, pro te colaphis cæsus, flagellatus, spinis coronatus: pro te denique inter latrones crucifixus, in quatuor fontes sanguineos transfossus, angustiis, agoniisque mortualibus tortus & afflictus, & meum mortui cor lancea transfixum & confossum. Pro omnibus istis veniam tibi Deo petii, nec aliam à te mercedem retuli, quàm quod iteratò me crucifigere non omiseris, quoties graviter peccâsti, quemadmodum per meum declaravi Apostolum: *Rursum crucifigentes Filium Dei.* Si effusæ à me sanguinis guttæ numerum haberent, nec de una quidem bonam mihi reddere posset rationem, quamvis mille pro me mortes subires: sed millies millenis & ultra vicibus, sanguinem meum conculcâsti, infinitum ejusdem pretium & meritum, appetituum tuorum Idolis sacrificando. *Hebr. 6. v. 6.*

Certò adhuc modò aggravatur debitum, de quo nunc rationem à te petam, quod est vocationis. Reservari te ne prodires in lucem hujus mundi, nisi tempore legis Gratiæ: Vocavi te ad fidem, antequam de ea posses audire: amor meus rationis tuæ usum prævenit, teque mediante baptismo, in amicitiam meam recepi: lacte doctrinaque Ecclesiæ ad cognitionem meam te contrivi, & adduxi, beneficium sanè quod justissimis meis judiciis, quod quatuor seu quinque millium annorum spatio tot non contuli, & quo adhuc diebus tuis caruerunt multi. Judicium tibi defuit & prudentia ad considerandum, quod sicut justitia mea rationes habeat ad damnandum ignorantiâ mei laborantem Gentilem, easdem misericordia mea habeat ad ignoscendum Christiano, toties tamque enormiter me offendenti. Perditâ primæ vocationis gratiâ lapsus corruisti; & ego te revocavi, manumque ad resurgendum porrexi: erectus recidivâsti, toties, & ego licet toties iteratis vicibus offensus, continuamque propositorum tuorum instabilitatem, & promissorum fallaciam expertus, auxiliatricem offerre manum, brachiisque extensis te semper recipere non cessavi: donec tandem infidelis, rebellis, & obstinatus, aures tuas vocibus meis tota-

liter obturando, in profundum impœnitentiæ finalis lethargum te præcipitâsti: Redde nunc rationem de tot internis meis inspirationibus, de tot Confessorum & amicorum consiliis, de tot prædicatorum vocibus & minis, quas vel invitus, vel nonnisi ex curiositate auscultabas: quam & ego similiter à te exigere possem, te non vocando efficaciter in hora mortis, quia illud non meruisti in vita,

Septem Gratiæ fontes reliqui in Ecclesia mea (quod est justificationis) quibus animæ â suis levarentur peccatis, & irrigarentur ad proficiendum in virtutibus. In quibus tam facile tibi pro culpis & peccatis exhibui remedium, ut illa tantùm confitenti veniam promiserim, quam tu Sacramenti illius facilitatem, ac si rigidum foret, fugiens recipere detrectâsti, ipsa potiùs peccata amans, quam indulgentiam æstimans. In altero manducandam tibi præbui meam carnem, & bibendum meum sanguinem, & insuper infinitos totius Divinitatis meæ thesauros, in pignus Gloriæ & Beatitudinis æternæ, qui unicus & sublimissimus fuit finis, ad quem te condidi. Despexisti finem, neglexisti media, & quia elegisti potius sine me semper agere in inferno, quam mecum esse in cœlo; non mea, sed tua est sententia, quam cum cæteris maledictis & damnandis mox audies: *Ite maledicti in ignem æternum.*


§. XI.

Hic debitorum stetit Ratio, novissima pars & maxima, quæ tantùm de reddendis rationibus pertractanda restabat. Et hîc subsistent omnes, quotquot de illa ritè reddenda in illo die tam incurii vivunt. O Dies iræ! ô dies furoris! ô dies vindictæ! ô dies calamitatis! ô dies amaritudinis! ô dies miseriæ! ô dies stupendus! ô dies tremendus! ô dies incomprehensibiliter terribilis! sic illum cum exclamatione horribili Prophetæ compellant, propter strictissimam à nobis exigendam in illo rationem Porrò cum omnia transeant pro vita, & nihil pro reddenda transeat ratione, qualis, quæso cæcitas & insania eorum est, qui omnes suas curas transituris consecrant, sine memoria non transituri! Nunquid in rationalem intellectum humanum major cadere potest insania, quam quod homo diu noctuque laboret, vigilet seque fatiget pro eo, quod cum vita transit, & in morte deserit, omnemque curam, laborem, solicitudinemque dimittet de eo, quod solum secum feret, & de quo tantùm ab eo ratio exigetur? Audiant stolidi illi & insani S. Augustinum. *Peccas propter pecuniam? hîc dimittenda est? Peccas propter villam? hîc dimittenda est. Peccas propter mulierem? hîc dimittenda est. Et quicquid est, propter quod peccas, hîc dimittis, & ipsum peccatum quod committis tecum portas.* Omnis materia peccatorum hîc manebit, nam cum vita transiit; & peccatum solum nos comitabitur, quia non transiit pro reddenda ratione. S. Aug. hom. 42.

Ad demonstrandam veritatem habenti fidem, sufficere mihi videtur duorum punctorum horum evidentia, sed tantum à Deo obtinere, & ab Auditoribus meis efflagitare cuperem, ut veritatem hanc agnoscant & amplectantur in hoc mundo adhuc degentes, neque reservent pro inferno. In Sapientiæ libro Spiritus sanctus colloquium quoddam in inferno inter constitutos ibidē describit, postquā vitā in omnibus, quæ cū vita transeunt consumpserant; & quod loquebantur hujusmodi erat: *Ergo erravimus à via veritatis, & Sol intelligentia non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia? Divitiarum jactantia quid* Sap. 5. v. 6.

Ibid.8. contulit nobis? *Transierunt omnia illa tanquam*
Ibid.9. *umbra: tanquam nuncius percurrens: & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam,*
Ibid.10. *cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire: aut tanquam avis quæ transvolat in aere ver-*
Ibid.11. *berans levem ventum, & nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa*
Ibid.12. *in locum destinatum, divisus aër in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius.* Ecce modò in inferno constituti benè agnoscentes, comparationem non inveniunt, quâ sufficienter summam transeundi velocitatem, qua cuncta transeunt, declarare pos-
Ibid.13. sint: & subdunt: *Sic & nos nati continuò desivimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

Illud secum in lamentabili ista, sed veraciter seriùs detecta societate infelices damnati conferebant; qui præ cruciatuum & dolorum vehementia oculos levantes in cœlum gloriosos ibidem & triumphantes videbant illos, quibus major in hoc mundo cura & solicitudo fuit, de rationis
Sap.5.v.3. rigore, quàm de vitæ laxitate: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes.* Qui gemitus jam non proderant, intra se,
Ibid. & secum dicebant, at quid dicebant? *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & similitudinem improperii.* Id est, Hi sunt quos tanquam scrupulosæ conscientiæ risui habuimus, ob pœnitentias & austeritates, quibus sua mortificabant corpora, quando nos de indulgendo tantùm & satisfaciendo appetitibus nostris & desideriis soliciti eramus; & nunc prudentes illos, nos verò insipienter egisse videmus; illi enim finem præmiumque respicientes, quæ nos flocci fecimus, nunc communi cum Sanctis gloria perfruuntur, quemadmodum nos eadem cum damnatis tormenta & supplicia sustinemus: *Nos insensati vitam illorum æsti-* Ibid.4.
mabamus insaniam, & finem illorum sine hono-
re; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, Ibid.14.
& inter Sanctos sors illorum est. Concludensque Spiritus sanctus inquit: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt.* Agedùm charissimi, quibus misericordia Dei tempus adhuc vitamque prærogat, attendite & benè expendite, utrum meliùs sit veritatem hanc in hoc mundo fructuosam sibi reddere, quàm pro inferno illam reservare; & utrum in die judicii & rationis gaudere malimus nos prudentes fuisse imitatos, qui æternùm Dei visione fruentur in cœlo; vel insensatos fuisse comitatos, qui per omnem æternitatem tormenta patientur in inferno



SERMO


SERMO

PRO

Dominica ſecunda Adventûs.

Joannes in vinculis, Matth. 11.

§. I.


Liud fore judicium, aliumque mundum, præcedenti Dominica nos docuit Eccleſia Catholica fide: eundem (ni fallor) articulum eadem Eccleſia nobis hodie probat ratione. S. Matthæus cap. 11. inquit: *Joannes in vinculis.* Joannes in vinculis? ergo reſtat aliud judicium, aliuſque mundus, probo conſequentiam. Si eſt Deus, utique juſtus eſt: Si eſt juſtus; juſtis tribuet præmium, malis irrogabit pœnam: in mundi hujus judicio malos videmus inſtar Herodis exaltatos: bonos verò inſtar Joannis Baptiſtæ humiliatos & oppreſſos, ſequitur ergo aliud fore judicium, aliumque mundum: aliud judicium, in quo emendentur hæ injuſtitiæ: alius mundus, in quo boni ſuorum meritorum præmium, & mali ſuorum delictorum recipiant pœnam. O altitudo & profunditas divinæ Providentiæ! propria noſtra vitia fidei efficiunt teſtimonia. Ex principalioribus fidei noſtræ fundamentis, eſt animarum immortalitas, quam noſtra iniquitas optimè probat. Niſi homines eſſent impii, de immortalitate ipſorum dubitari poſſet; Deus verò in mundo tolerat injuſtitias, ut innocentia coronam, & immortalitas habeat probationem. Ecquis de immortalitate alterius vitæ dubitabit, ſi in hac Baptiſtæ innocentiam in vinculis, & malitiam Herodis in throno exaltatam conſideret? *Joannes in vinculis!* Sed ſicut vincula Baptiſtæ iſtam doctrinæ partem, quam in præcedenti ſermone prædicavi, confirmant: pari planè pacto alteram ejuſpem doctrinæ partem retractare me compellunt. Futurum prædicavi judicium extremum, in quo Deus nos omnes judicaturus foret, idem hic repeto. Dixi ulterius judicium illud futurum rigidiſſimum & terribiliſſimum, quod nunc retracto, quod nunc revoco. Scitote Chriſtiani aliud adhuc eſſe judicium rigidius, ſtrictius terribiliuſque divino. Et quale hoc? Eſt hoc quod Joannem conjecit in vincula: judicium inquam hominum. *Joannes in vinculis.* Joannes Baptiſta in vinculis? ergo judicium hominum magis timendum eſt, quam judicium Dei. In judicio Dei ad latronem uſque aliquis ſalvatur: in judicio hominum adipſum uſq; S. Joannem Baptiſtam omnes condemnantur. Eſt judicium ex quo Joannis Baptiſtæ innocentia exit condemnata, iſtud eſt judicium timendum, formidandum & tremendum. Hæc erit ſermonis præſentis materia, quod judicium hominum magis ſit timendum quàm judicium Dei.

 §. II.

§. II.

PRopositam veritatem vel novitatem omnium optimè intellexit Regius Propheta David: *Ne intres in judicium cum*
Ps. 142. v. 2. *servo tuo Domine.* Idem Psal. 42. ait: *Judica me Deus, & discerne causam meam.* Nota-
Ps. 42. v. 1. bilis affectuum contrarietas. Si priùs citato Psalmo dicit, ne intres in judicium, quomodo in posterius citato inquit, *Judica me Deus?* nunc: judica me: & antea ne judices me? quænam ista est varietas? Ex eo, quod adjunxit, patebit differentia ejusque ratio. *Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eripe me.* Ecce differentiam. In primo casu David absolutè considerabat judicium Dei, & hinc petebat à Deo, ne secum in judicium intraret: verè enim timendum est judicium Dei. In secundo casu considerabat David judicium Dei, comparativè ad judicium hominum, & hinc volebat à Deo judicari. In primo casu David sibi ob oculos ponebat judicii divini timorem: in secundo casu, ex una parte proponebat sibi terrorem judicii Divini, & ex altera parte terrorem judicii humani, & positus inter utrumque terribilius invenit esse judicium hominum, quàm judicium Dei. Jam nunc intelligetis verborum illorum mysterium,
Matth. 20 v. 30. quæ in præcedenti Evangelio non observavimus, scilicet: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Christus & homo est, & Deus: quare ergo non dicit veniet Filius Dei, sed veniet Filius Hominis? quia scopus & intentio Christi erat suo nos terrere judicio, quod plus terroris formidinisque incutit sub specie humani, quam divini judicii. Tantò terribilius tantòque magis extimescendum existit judicium hominum, quàm Dei, ut cùm Deus timorem incutere, nosque horrore & terrore percellere, iratum se nobis horribilemque ostendere intendit, judicium vocetur hominis. Non reperit nomen atrocius magisque horribile, quàm: *Tunc videbunt Filium hominis.* Probavimus assumptum in genere: recenseamus nunc specificè ejusdem rationes, quæ sunt valdè variæ, solidæ & uberis doctrinæ, potest contingere, ut gravitate, & novitate ipsi assumpto nihil cædere vobis videantur.

§. III.

PRimò judicium hominum magis timendum est quàm judicium Dei, quia Deus cum intellectu, homines judicat cum voluntate. Quod si inter intellectum Dei, hominumque voluntatem infinita ista non intercederet distantia, sola illa, quæ est inter intellectum & voluntatem sufficeret ad inæqualitatem horum judiciorum statuendam. Qui judicat cum intellectu benè & malè judicare potest, qui judicat cum voluntate, nunquam bene judicare potest. Patet ratio; quia qui judicat cum intellectu, si intelligit malè, judicat malè, si intelligit benè, judicat benè: qui verò judicat cum voluntate, sive benè velit sive malè, semper judicat malè: si velit malè, judicat tanquam passionatus, & si velit benè, judicat velut cæcus: proinde vel cæcitas adest, vel passio. Ecce quomodo judicabit voluntas cum talibus assistentibus: in judicio divino non fit ita, solus ibi judicat intellectus, & intellectus talis.

Ipse Christus declarans suam supre- Joann. 5.
mam potestatem universalis mundi judi- v. 22.
cis

cis dicit: *Pater omne judicium dedit Filio.* Quæro, quare hoc non dedit Spiritui sancto? Ad perfectum judicium requiruntur tria: scientia ad examinandum, justitia ad judicandum, potestas ad exequendum. Proindè si persona Filii & Spiritus sancti eandem habent sapientiam, justitiam & omnipotentiam, quare officium judicandi Pater æternus committit Filio, & non Spiritui sancto? Ratio moralis & altissima est ista, quia Spiritus sanctus procedit ab actu voluntatis: Filius est genitus per actum intellectus: & judicare (licet Deus sit qui judicet) ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem: Spiritui sancto, qui procedit per voluntatem commisit Pater munerum largitionem: *Dator munerum.* Filio qui producitur per intellectum contulit culparum & offensarum judicium: *Omne judicium dedit Filio:* Dare enim, ut sit gratiarum actio, procedere debet à voluntate: & condemnare ut non erretur, oportet judicium regi ab intellectu. Necdum totum dictum est; auscultate rem grandem. Quando Pater ab æterno generat Filium, per purum illum generat actum intellectus, non interveniente voluntate: quando Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, producunt illum per actum voluntatis, sed jam cum suppositione intellectus: Dare igitur tribuitur tertiæ personæ, & condemnare secundæ: dare enim procedere debet à voluntate, sed cum suppositione intellectus: judicare verò debet procedere tantum ab intellectu non interveniente ulla voluntate. Ecce hic perfectum justitiæ punitivæ & distributivæ dictamen: condemnare fit per intellectum solum sine voluntate, & dare fit per bonam voluntatem, sed cum intellectu. Essetne consultum, ut dare fieret tantum per intellectum, & ut in condemnare etiam intraret voluntas? Neutiquam: hinc oriretur, quod quandoque accidit, quod nec gratiæ obligent, nec pœnæ corrigant. Condemnare cum voluntate, est à justo recedere: dare sine voluntate, est manere illiberalem: in primo justitia incedit cum scrupulo: in secundo liberalitas manet sine gratia: ita ut in Deo voluntas & intellectus habeant officia repartita, intellectus judicat, voluntas dat. Non ita in hominibus res agitur, intellectus suo est officio deturbatus, voluntas servit ambobus; voluntas dat, voluntas judicat. Quærelam, quod voluntas sit quæ dat, ambitiosis & prætendentibus relinquamus: Injuria autem, quod voluntas sit quæ judicat, hæc est, quæ judicium humanum formidabilius reddit divino.

Intravit quandoque lux, ut humano judicaretur judicio, confidenterque est ingressa; jam enim olim judicio assistit divino, indeque cum encomiis est egressa: *Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Hac securitate freta lux subiit judicium hominum: & qualiter vobis videtur egressa? Planè hoc dixit Christus, ipsumque dicere erat necessarium ut fidem inveniret: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Vah cæcitatem! vah malitiam! Ecquis tam barbaram à judicibus ratione utentibus suspicaretur sententiam velut istam? nisi Christus ipse eandem affirmaret? num quid pulchrius, quid utilius, quidve necessarium magis luce in mundo dari potest? Et vice versâ, quid fœdius, quid horribilius, quid inutilius & absurdius tenebris? Nunquid non tenebræ latrociniorũ sunt operimentum, ad-

Gen. 1. v. 3. & 4.

Joan. 3. v. 19.

adulteriorum iteratio promiscua, insolentissimorum & atrocissimorum quorumcunque casuum, qui dantur in mundo, concausæ & complices? quomodo igitur possibile, quod oculis & intellectu præditi homines tenebras anteponant luci? Ipsa Christi verba rationem ponunt: *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: dilexerunt*: Judicarunt cum voluntate, & non cum intellectu: & ut ubi Judex est voluntas, similes isti pronuntiantur sententiæ. Quid aliud faceret cœca voluntas quam condemnare lucem? *Dilexerunt magis.* Ecce hic totum judicium hominum. Dilexerint plus vel minus; si dilexerunt, quamvis sint tenebræ, meliores judicabuntur luce. Et si non dilexerint, licet sit lux, lux tenebris pejor censebitur. Eheu quoties mundus illam iterat sententiam! quoties venientibus in judicium tenebris & luce, hæc condemnatur! Ecce quid fiduciæ sperandum merito, quidve immunitatis innocentiæ in tali judicio. Summum meritum, summaque innocentia illud confiteantur.

Christo præsentato ante Præsidem Pilatum, hic auditis testimoniis eorundem examinavit pondus, Christumque innocentem proclamavit. *Ego nullam causam in eo invenio.* Non ita multum post eductum Christum in montem Calvariæ Cruci acclavarunt, *Et imposuerunt super caput ejus causam ejus scriptam* dicit textus, Enim verò, si Pilatus nullam in Christo invenit causam: ego nullam causam invenio, quomodo causam ejus imposuerunt Cruci? Posuerunt causam ejus scriptam? Hic nunc clarè patebit discrimen inter judicatum esse cum intellectu, & inter judicatum cum voluntate. Pilatus innocentiâ Christi deprehensâ & declaratâ, omnes accusationes ad arbitrium & judicium voluntatis Principum Sacerdotum remisit: *Tradidit eum voluntati eorum.* Et quomodo judicatus in judicio voluntatis? quia Christus fuit judicatus in judicio voluntatis, statim invenerunt illam crucifigendi causam. In judicio intellectus (quamvis esset intellectus Pilati) contra Christum non fuit inventa causa. In judicio voluntatis (licet accusatus esset Christus) causa fuit inventa. Et quare voluntas plus invenit, quæ cœca est, quàm intellectus qui est argus? Ratio est, quia intellectus invenit quod est, & voluntas quod vult, voluntas invenit pro ut vult. Voluntas in favorem inclinans inveniet merita in Juda; voluntas aversa inveniet culpas in Christo. Quamnam culpam Herodes deprehendebat in Joanne, ut eum vinculis compediret? sed habebat contra se voluntatem suam, quæ culparum erat maxima. Intelligebat Herodes Baptistam esse innocentem (sed nolo hinc recedere) Herodes Baptistam innocentem vel intelligebat, vel non intelligebat. Si intelligebat, ecce mox voluntatis tyrannidem facientem illum operari contra intellectum: si non intelligebat, ecce voluntatis cæcitatem, quæ intelligere eum faciebat contra rationem, sit ut sit: Joanni semper certa manent vincula, Joannes in vinculis.

Luc. 23. v. 14. *Matth. 27. v. 37.* *Luca 23. v. 25.*

§. IV.

SEcunda ratio, quare judicium hominum magis sit terribile, quàm judicium Dei, est, quia in judicio Dei sufficit tantum testimonium conscientiæ propriæ: in judicio hominum conscientia propria pro nullo valet testimonio. Ecce judicii divini excellentiam! compareti ante

ante tribunal Dei, accuſent vos homines, accuſent vos Angeli, accuſent vos Dæmones, accuſent vos opera veſtra, accuſet vos denique cœlum & terra, munduſque totus, non accuſante vos propria conſcientia, ridebitis omnia. In judicio hominum aliter res agitur: eritis Abele innocentiores, Joſepho incontaminatiores, Baptiſtaque juſtiores: ſi inſurgat contra vos unus invidus Cain, unus malè informatus Putifar, unus injuſtus Herodes, contra innocentiam invidia, contra veritatem calumnia, contra juſtitiam Tyrannis prævalebit: & quantumcunque exiliat clametque intus in pectore conſcientia, clamores illius nihil proficient. Jam rigorem illum cum rigore divini judicii penſate.

Comprimis mihi placent Prædicatores iſti, qui ad divinum repræſentandum judicium, ejuſque terrorem, illam Samuelis allegant authoritatem: *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*: Sed ex hoc ipſo magis timendum eſt judicium hominum: ſi enim homines cognoſcerent corda, ſi corda inſpicere poſſent, non adeò formidanda forent eorum judicia. Quænam major eſt tranquillitas, quæ major ſecuritas, quam in corde ſuo ſecum ſuam circumferre defenſionem? accuſate me, condemnate me, infamate, vultis mille teſtes? ecce hic cor monſtrare, *bona conſcientia mille teſtes*. Scitis quibus non expediret corda patere hominum? proditoribus, hypocritis, adulatoribus, mendacibus, ejuſdemque farinæ aliis: ſed fidelibus, ſinceris, veracibus, honeſtis & ingenuis, quam optanda foret conditio! qualis & quanta felicitas! Sed cum conſcientia in judicio humano pro nullo valeat teſtimonio, patienti calumniam in opere, quid prodeſt defenſio in corde?

1. Reg. 16. v. 7.

Maxima Chriſti defenſio, & innocentiæ ipſius aſſertio, fuit ipſius Pilati proteſtatio, quando aquâ lavando manus dixit: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Hanc aquam & hunc ſanguinem S. Cyrillus Hieroſolimitanus conſideravit, ſingulari emphaſi aſſerens, aquam & ſanguinem, quæ de latere Chriſti in Cruce exiverunt, ad aquam iſtam & ſanguinem alluſiſſe: erant hæc duo de latere, judicanti aqua, clamantibus verò ſanguis; aqua ſignabat aquam, quâ Pilatus manus lavit, & ſanguis ſignabat ſanguinem, quem Pilatus juſtum pronunciavit, & accuſatores petierunt ſuper te: *Sanguis ejus ſuper nos.* Ita ut ſicut in hoc mundo accuſatus quiſpiam calumniam paſſus, in ſinu ſuo ſecum defert defenſionis ſuæ chartam & literas, ita Chriſtus in corde ſuo poſuerit aquam illam & ſanguinem, in quibus authentica innocentiæ ſuæ teſtimonia conſiſtebant. Videte jam Chriſtum è prætorio Pilati prodeuntem cum numeroſa juſtitiarum ſuarum caterva, videbitiſque, in totius repræſentatione tragœdiæ illud, quod quotidiè in mundo accidit. Innocens ibat ad ſupplicium, præco proclamabat culpas, cor habebat defenſiones: præconis culpæ erant falſæ, defenſiones cordis erant veræ: ſed quia cor in mundo non valet pro teſtimonio, innocentia mortua eſt crucifixa. Heu quot exemplaria hujus proceſſus quotidiè in humano judicio formantur! propterea patiuntur innoxii, & triumphant rei. Quis Joſepho innocentior? quis Ægyptia culpabilior? ſed culpabilis indicia monſtrabat in pallio, innocens defenſionem habebat in corde, propterea hic patitur,

Matth. 27 v. 24.
Cyrillus Hieroſ.
Matt. 27. v. 25.

titur, & illa triumphat. Moritur tandem Christus in Cruce, lanceâque aperiente pectus cor patefcit, exeuntque in publicum ejus defenfiones : *Exivit fanguis & aqua.* Sed quomodo Christo mortuo? Imo verò : hæc eft judicii diftinctio alterius ab altero. In judicio poft mortem, quod Dei eft, proficiunt confcientiæ defenfiones : in judicio hujus vitæ, quod hominum eft, nullum valorem habent. O infaufta humani cordis conditio! Judicari ab hominibus ad culpam quod videri non poteft ab hominibus ad defenfionem. Si fic fe res habet, quid refert quod fumma innocentia fe non defendat? *Joannes in vinculis.*

Joan. 19. v. 34.

§. V.

TErtia ratio, quare magis timendum fit judicium hominum, quàm Dei eft, quia in judicio Dei nos noftra opera bona defendunt: in judicio hominum eadem maximus nofter funt inimicus quem habemus. Contemplemur quofdam humani judicii proceffus, & ab hac veritate confternabitur. Primus humano judicio condemnatus fuit Abel, & quam ob culpam? quia facrificium ejus magis placuit Deo quàm Caini. Darinè poteft hujufcemodi fcelus? fi Abel fuiffet adinftar Cain, meliorem fortitus fuiffet conditionem. In mundo maximum delictum eft, effe optimum. Ego potius amico meo optarem magnum delictum, quàm magnum meritum. Magnum delictum fæpiùs invenit mifericordiam: magno merito nunquam defuit invidia. Delicta hodiedùm falvo gaudere conductu, merita verò condemnata videntur. Ad alium tranfeamus proceffum. Saul toties Davidem morti devovit, & accidit, ut ipfemet lancea illum confodere niteretur: & qualem ob reatum? quia per plateas Jerufalem fortitudo ejus publico cantu celebrabatur Saulis fortitudini prælata : *Percuffit Saul mille; David autem decem millia.* Id præmii de proftrato fundâ Goliath David reportavit: felicior ipfi utique fuiffet fundæ jactus, fi tantum fonitum non dediffet. Gigantem ftravit lapis, Davidem fonus. Ecce quare petierit David judicari à Deo & non ab hominibus. In judicio Dei condemnantur peccata tanquam fragilitates; in judicio hominum merita inftar peccatorum caftigantur & puniuntur. Ad tertium progrediamur proceffum, fed quid necefsè eft evagari longiùs, cùm omnium exemplorum maximum in præfenti habeamus Evangelio.

1. Reg. 18. v. 7.

Mifit S. Joannes Baptifta è carcere duos Difcipulos, qui interrogarent Chriftum, utrum Meffias effet. *Tu es qui venturus es, an alium exfpectamus?* Refponfum nonnihil fufpendit Chriftus, quia magna infirmorum multitudo aderat, quibus omnibus miraculosè Sanctis, reverfus ad Baptiftæ legatos dixit illis: *Ite & renuntiate Joanni quæ audiftis & vidiftis: cæci vident, claudi ambulant, mortui refurgunt: & beatus qui non fuerit fcandalizatus in me.* Hic confidero, & beatus qui non fuerit fcandalizatus. Quid quæfo egerat Chriftus, unde homines in ipfo fcandalizarentur? fi eruendo oculos feciffet cæcos, abfcindendo pedes feciffet claudos, vitam auferendo peremiffet, fcandali materiam & occafionem homines in ipfo habuiffent: fed quia fanat, quia medetur, quia refufcitat, quod poterat oriri fcandalum? Imo verò, de nullo enim magis fcandalizantur homines, quàm quod fit qui miracula patret. Olim fcandali-

Matth. 11. v. 3.

Ibid. v. 4. & 6.

dalizabant peccata, & virtutes ædificant: hodie vice versâ virtutes scandalizant, & utinam peccata non ædificent. Deus liberet vos à bonis vestris operibus, & maximè à majoribus: peccata facilè sufferimus: miracula non possumus sustinere. Et quare? quia peccata sunt offensæ Dei, & miracula sunt offensæ nostræ. Creditote mihi, innumeros fuisse infirmos in Jerusalem nolentes curari, solùm ne Christus miraculorum patrator videretur. Non vibrasset Saul hastam contra David ab infirmitate ipsum liberantem, nisi magis offensus fuisset miraculo, quàm gauderet sanitate.

Heî quantò securius est ad judicium Dei pergere cum peccatis, quàm ad judicium hominum cum miraculis! In Deo est misericordia: in invidia non est venia. Quid Magdalenam ad judicium Christi
Luc. 7. pertraxit? peccata: & qualis inde exi-
v. 47. vit? absoluta: *Remittuntur ei peccata multa.* Quid Christum ad judicium homi-
Joan. 11. num traxit? miracula. Et qualis exivit?
v. 47. condemnatus. *Quia hic homo multa signa facit.* In quonam quis hominum evadet judicium hominum, si Deus ipse cum miraculis non evadit? Enimverò quid
Ioan. 12. amplius adhuc Christi processus refere-
v. 19. bat: *Ecce totus mundus post eum vadit.* Si dicerent quod ille post mundum iret, condemnent illum; benè est. Sed quia mundus vadit post illum, ecce qualia crimina in judicio hominum agitantur. Euntes vos post mundum nullus damnabit: si mundus eat post vos, nec ipsa vos sanctitas vestra à condemnatione li-
Matth. 11. berabit. Christus hodie de Joanne ad
v. 7. 8. 9. populum dixit: *Quid existis in desertum*
v. 10. *videre; arundinem vento agitatam? hominem mollibus vestitum? Prophetam? dico plusquam Prophetam.* Concludendo dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Eheu Præcursor sancte, & tu quinque istiusmodi habes crimina tam solida probata? Malam habes causam in judicio hominum; proindeque ex oculis auribusque hominum te sublatum in carcerem conjicient. *Joannes in vinculis.*

§. VI.

QUarta ratio, quare màgis timendum judicium hominum quàm Dei, est: quia Deus judicat quod cognoscit: homines verò quod ignorant. Inter tremenda magis diei judicii censendum est, quod ipsi Dæmones ibidem nostri erunt accusatores: ast ego mallem accusari à Dæmonibus, quàm judicari ab hominibus. In extremo judicio Diabolus nos accusabit de omnibus nostris verbis & operibus; sed cùm perventum fuerit ad cogitationes, obmutescet, quia cogitationum peccata soli Deo sunt reservata. Ecce quousque Diabolus accusando pertingat. Homo judicans opera vestra, vestra verba judicat, & ad intimam usque cogitationem vos judicat & condemnat. Potestnè similis dari judicandi temeritas? judicet homo opera quæ videt, judicet verba quæ audit: transeat; sed judicare cogitationes, quo non pertingit homo ullo sensu corporis, nec ulla potentia animæ, hæc est una ex gravissimis rationibus quare judicium hominum timendum magis, quàm divinum. Deus cogitationes vestas judicat, sed sibi notas. Homo cogitationes vestras cognoscere nequit, & de illis vos judicare præsumit.

Sed dicetis mihi: Homines judicare cogitationes per opera, & per opera

visa benè judicari de cogitationibus non visis. Hoc si ita esset, non tantopere pertimescendum foret humanum judicium: sed attendite ac videte quomodo ipsis operibus contrariè ipsis cogitationibus judicent etiam summi & eminentissimi homines. Anna Samuelis mater consuetis & usitatis afflictorum affectibus orabat in templo. Et quale putatis Sacerdotem Heli super hac oratione formasse judicium? ebrietatem esse judicavit, motusque oris in Anna non ex amaro corde,
1. Reg. 1. sed ex ore tantum prodire, *æstimavit illam*
v. 13. & *temulentam, & ait: usquequo vino mades?*
14. Venit Naaman Syrus in terram Israel, ut curaretur à lepra sua. Sed quale de adventu Naaman Rex Joram formavit judicium? judicavit ipsum à Rege suo missum callidè, ut salute, quam quærebat, non obtenta, expostulandi, ruptoque fœdere bellum inferendi occasionem arripe-
4. Reg. 5. ret: *Animadvertite & videte quod occasiones*
v. 7. *quærat adversum me.* Aman pedibus Reginæ Esther provolutus, contra offensi sibi Regis indignationem tutelam deprecabatur. Et quale Rex Assuerus hac super actione Aman formavit judicium; ab omni sanè ratione alienum, decoreque regio ex omni parte contrarium, ita ut nec cogitatio similem opinionem admittere fas
Ester. 7. haberet: *Etiam Reginam vult opprimere me*
v. 8. *præsente in domo mea.* Ecce quomodo homines interpretentur actiones, & ex illis judicent cogitationes. Anna orabat Dominum, & oratio ipsius temulentia judicatur: Naaman quærebat salutem, & confidentia ipsius hostilium insidiarum censurâ notatur: Amani supplex veniæ deprecatio pro intentato adulterio ipsi imputatur. Nec amarè plorans, nec infirmus salutem quærens, nec opis indigus sinistrum hominum judicium evadit. Anna remedium sterilitatis à Deo: Naaman remedium infirmitatis ab Elisæo; Aman infelicitatis suæ remedium à Regina Esthere supplex petebat, & neque Esther, quamvis Regina, neque Elisæus, quamvis sanctus Propheta, neque ipse Deus, quamvis Deus, miseris istis profuit ad humanum evadendum judicium. Neque cum Regibus, neque cum Deo tractari potest, sine sinistro hominum judicio: tam iniquum est judicium hominum in interpretandis intentionibus, tam audax & temerarium in judicandis cogitationibus, per opera eas judicando. Opus bonum judicare malè, magna est malitia: sed judicare vel benè vel malè cogitationem quæ cognosci non potest, major adhuc Tyrannis est. Si non cognoscis, nec cognoscere potes cogitationem, quâ fronte illam judicare præsumis homo? judicium cogitationum eousque sibi Deus reservavit, ut nec totius Ecclesiæ judicio cogitationem aliquam commiserit: *Ecclesia non judicat de occultis.* Et quod Deus non credidit Pontificibus, quod non credidit Conciliis, quod demum toti non credidit Ecclesiæ, scilicet cogitationes judicare, cujuslibet hominis sibi arrogat judicium. Videturne vobis hoc mirum? videturne vobis grave, quod homines judicent cogitationes, & propter has solas condemnent? expectate paulisper, nihil enim adhuc dixi. Quoties vos judicarunt & condemnarunt homines de eo, quod vobis nunquam in mentem venit? ecce hic majus adhuc illorum duorum judiciorum discrimen.

Deus judicat damnans per cogitationes: homines judicant & condemnant per hoc quod nunquam in cogitationem aut

aut mentem venit. Domini sui violare thorum num Joseph unquam cogitavit? Regno Assyriorum insidias num Daniel unquam meditatus? Regnum temporale, quod toties declinavit, (in quo & exemplo nobis præluxit) num Christus unquam vel cogitatione ambire visus? Nihilominus propter adulterii seu stupri attentati delationem Joseph in carcere: propter machinatum Imperio Assyriorum malum Daniel in leonum lacu: & propter Regni affectationem Christus positus est in Cruce. Cum tali rigore nullam comparationem habet judicium Dei. Ut Deus damnet propter cogitationes, necesse est ut sint cogitationes malæ, & quibus consentiatur: ut condemnet homo, non requiritur consensus, nec ut sint malæ, & ne quidem ut sint cogitationes. Num rigor major, iniquitas major, & temeritas, imò atrocitas major imaginabilis esse potest? mea quidem opinione neutiquam. Latiùs nihilominus se explicat & longiùs progreditur humani judicii subtilitas & crudelitas. Non solùm vos condemnant propter hoc, quod vobis nequidem, sed quod nec ipsis quidem in mentem venit. Dicam clarius: non solùm vos condemnant homines de hoc, quod vobis imaginati non estis; sed de hoc, quod nec ipsi imaginati sunt de vobis.

Venerunt Fratres Joseph in Ægyptum, quos coram se undè & quare venerint candidè confessos, composito ad severitatem vultu intuitus mox carceri mancepari mandavit. Cui illi. Domine, in carcerem ibimus? quare? Et Jo-
n. 42. seph: *Exploratores estis.* Regnum Pharao-
9. nis Domini mei exploratum venistis. Finitis vix verbis, decem Fratres compedibus & ferreis manicis innexi erant. Quæro igitur, num homines isti terram & Regnum Ægypti unquam explorare cogitaverunt, ut Regni Pharaonis exploratores dici mererentur? luce meridiana clarius est, quod nunquam tale quid in animum admiserint. Erant pauperes, rudes, laboribus assueti, solandæ fami, sustentandæque vitæ, & sementi faciendæ necessaria empturi venerant. Interrogo ulterius num & Joseph talem suspicionem de ipsis habuerit quod exploratores essent? Clarius adhuc certiusque est, quod tale quid Joseph de ipsis cogitaverit nunquam: noverat enim quod omnes Jacob parentis sui filii essent. Quod si ergo nec isti, nec Joseph simile quid nunquam cogitaverint, quare in vincula conjici jussit? Estne possibile innocuos compeditos in carcerem trudi propter hoc quod nec ipsi, nec is qui incarcerari mandat, unquam cogitavere? Ita agitur. In historia Josephi assumpta tantùm in speciem erat austeritas; Sed quod & quantæ tragœdiæ repræsentantur in mundo in quibus severitates & injustitiæ verè & realiter exercentur! Testatur hoc ipsum historia Naboth in Samaria, & Susannæ in Babylonia. Forsitan imaginabatur sibi Jezabel Naboth blasphemasse nomen Dei & Regis? minime: & nihilominùs Jezabel condemnari fecit Naboth per hoc, quod nec ipse sibi de seipso, nec illa de Naboth sibi unquam imaginata fuerat. An fortè Judices Babylonii sibi persuaserant Susannam violasse thorum crimine pessimo, de quo illam accusabant? minimè, & tamen condemnata fuit & ducta ad supplicium propter hoc, quod nec illi in mentem venerat de seipsa? nec de illa

horum menti occurrerat, qui illam condemnarunt.

§. VII.

Quinta differentia ratio inter judicium Dei & hominum est, quod in judicio Dei unus judicat omnes: in judicio hominum unum judicant omnes. In judicio Dei totus mundus judicatur: in judicio hominum totus mundus judicem agit. David dicebat Deo: *Tibi soli peccavi.* David in peccato, de quo loquebatur, peccavit contra multos: peccavit contra Bethsabee solicitatione: contra Uriam injustitiâ: contra Regnum scandalo: in Deum offensa? in semetipsum reatu: Si igitur David peccavit contra tam multos, quomodo contra solum Deum se peccasse afferit? non hoc dicit David: non dicit quod contra solum Deum peccaverit; sed quod soli Deo peccavit. *Tibi soli peccavi.* Et quid vult dicere quod soli Deo peccavit? Ego dicam: David hoc loco ad literam loquebatur de die judicii. Sic locum istum intelligunt optimi Interpretes, & clarè patet ex textus ipsius verbis: *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Et nostra peccata respectu diei judicii, vel respectu mundi valdè differunt. Respectu hujus mundi, peccamus contra omnes: siquidem omnes nos judicat: respectu diei judicii, soli peccamus Deo: quia ille solus nos ibi judicabit. Tibi soli peccavi; dicendo *peccavi*, David confitebatur delictum, dicendo, *tibi soli*: excitabat se ad judicium, in quo misericordiam sperabat: quod unus solus sit Rex Deus ille qui me judicabit, alterius mundi judicium levius reddit.

Ps. 50. v. 6.

Psal. 50. v. 6.

Ita expendebat David judicium extremum; de judicio verò hominum hujus mundi qualem idem ipse formabat conceptum? *Ego autem constitutus sum Rex: prædicans præceptum ejus.* Quasi diceret: Deus constituendo me Regem fecit simul prædicatorem: Affectum notabile. Ecquænam comparatio Regiæ dignitatis cum officio prædicatoris? ut David hoc ipso quod constitutus esset Rex, se diceret factum prædicatorem? quia Rex & prædicator ad præbendum bonum exemplum obligantur. Quia Rex & prædicator ad veritatem dicendam semper tenentur. Quia Rex & prædicator sublimius loquuntur, & nemo replicare audet. Hæ rationes sicut quidem veræ; sed adhuc alia magis propria restat, & est; quia Regem esse & prædicatorem bina sunt officia totius mundi judicio exposita; in aliis officiis unus tantum judex est. In officio Regis (nam Regem esse, officium est) & in officio prædicatoris quotquot sunt, omnes judices sunt: Opera & verba Regis, verba & conceptus prædicatoris nullus non judicat. Sed quod judicetur Rex ab omnibus, à Deo judex omnium constitutus, sit hoc majestatis ejus & magnificentiæ pensum: sed quod ab omnibus judicetur prædicator, neminem judicans, nihilque judicare potens? consentio quia ita vobis placet: prædicator ex suis hoc, noverit sermonibus; ita ut vobis liceat judicare nos in eo quod studio acquisivimus, & nobis non liceat judicare vos in eo, quod non studuistis.

Psal. 2. v. 6.

Ecce quale judicium est mundi, cui subjecti sunt Reges, quorum actiones dijudicant, qui nec sciunt nec scire possunt etiam rationes; si intima nescitis, resolutionumque vos latent rationes, quomodo judicando condemnatis? reverà in ju-

judicii materia magnâ inter Regem & Vasallos ejus quo ad modum procedendi intercedit inæqualitas. In causis Vasallorum etiam post judicatum Rex illis permittit revisionem. Vasalli in causis Regis judicant revisione negata. Si Regibus concederetur revisio, multa in illis laude & approbatione digna deprehenderentur, quæ modo damnamus: sed judicatum esse ab omni populo qui revisionem denegat, esse judicatum ab omni populo qui nec habet nec dat revisionem, esse judicatum prius quam auditum, crudele est hominum judicium. Hanc solummodo Reges inter & prædicatores invenio differentiam, quod nos prædicatores non judicant nisi auditos, Reges judicati sunt antequam auditi. Certum est ad rite formandum judicium, non sufficere sensum auditus tantum, sed necessarium esse audire & videre simul quod ipse Christus in responsione sua
Marc. 11. supposuit dicens: *Ite renunciate quæ audi-*
4.5.6. *stis & vidistis*: & hinc judicabitis utrum Messias sim an non.

Istud quidem patiuntur reges præ cæteris hominibus ob sublimitatem, ad quam eos fortuna evexit: sed nullus est, qui idem non patiatur in conditione sua. Omnes ab omnibus judicati sumus. Quod si trium, quinque aut septem judicum sententia nunquam sine formidine fuit exspectata, quanquam legum essent gnari, causamque debitè examinassent; quid exspectandum de judicio unius populi, unius regni, & totius mundi, qui quasi omnes sine examine judicant? In multis criminibus executionem pœnæ Deus commisit populo: *Lapidabit eum populus*: Sed nulli populo commisit Deus judicium criminis, foret enim injustitia. Nihilominus hoc supremum est tribunal, in quo graviores & gravissimæ hominum causæ, quales sunt honoris & famæ, judicantur. Videte num major severitas dari possit; respectu illius parum passus est S. Joannes Baptista: nam si illum condemnavit Herodes, condemnavit illum tantum unus. *Ioannes in Vinculis.*

§. VIII.

SExta ratio & differentia, quam inter judicium Dei & hominum invenio, est illa, quæ judicium Dei formidabilius reddere videtur, quod sit judicium finale. Judicium finale! ô quam tremendum verbum! sed ex hoc ipso ego deduco quantò magis formidandum sit judicium hominum, quàm Dei. Deus non judicat nisi in fine; homines ad judicandum non exspectant finem. Grandis rigor.

Inimicus homo sementi patrisfamilias superseminavit zizania. Et quid accidit? ecce discrimen inter Dominum & servos. Famuli dicunt, *Vis imus & colligimus ea*? lo- Matt. 13.
quebantur servi præfervidè, & Paterfa- v. 28.
milias respondebat mansuetè: Sinite utra- Ibid. v. 30.
que crescere usq; ad messem, ut triticum à zizaniis dignoscatur. Animadvertite qualis in judicando sit Deus, & qualis homo. Deus non condemnat nisi in fine: homines ad condemnandum finem non exspectant. Ad colligendum Deus exspectat Augustum: homines metunt & resecant in Januario. Qui timoratiùs procedunt in judicando ante finem, sunt illi. Qui fines moderantur ex principiis; sed quia mundi vitæque successus, multaque magis illa, quæ dependent ab arbitrio, nullam servant proportionem, hinc totum illud judicium incertum est & injustum.

In

In die passionis Christi quatuor mortuæ sunt personæ notabiles, quorum S. Evangelium meminit. Mortuus est Christus, mortui sunt duo latrones, mortuus est Judas. Notate jam singulorum principiorum & finium differentiam. Christus cœpit bene, finivit bene: malus latro cœpit malè & finivit malè: bonus latro cœpit malè finivit benè: Judas cœpit bene finivit male. Ecce hic successum rerum mundanarum, & modicam proportionem, quam fines servant cum suis principiis. Ex bonis principiis sequuntur boni fines, sicut in Christo, & ex malis principiis etiam mali fines, ut in malo latrone; ut viceversâ ex malis principiis sequuntur sæpius boni fines, sicut in bono latrone, & à bonis principiis mali fines, sicut in Juda. Exspectet ergo finem, qui rectè statuit judicare.

In Regnis idem usu venit, quod in hominibus. Judicaturus finem Regni Saulis ex principiis illud feliciſſimum & fortunatiſſimum undequaque fuisse diceret, cum fuerit infautiſſimum. Judicaturus similiter Regnum Davidis, miserrimum illud fuisse assereret, cum fuerit auspicatiſſimum. Ante finem non est formandum judicium Petrus sequebatur Christum *ut videret finem*, quem si exspectasset, Christum non negasset. Si quis ante finem judicare posset, esset Deus, quia futurorum præscius: & tamen Deus nunquam condemnavit aliquam nisi post factum. In judicio hominum non fit ita. Homo parum novit de præsenti, minus de præterito, & nihil de futuro; & causæ, antequam habent esse, jam sunt judicatæ. Eodem die electionis jam vaticinatus est successus, damnatus actus, & infamata est persona. Deus bone! necdum

Matth. 26 v. 58.

sum bene vel malè operatus, & jam condemnor? nec tantillum habetur patientiæ usque dum videatur finis? *Nolite ante tempus judicare*: inquit Apostolus. Cum prædestinatos & præscitos habere velitis ad instar Dei, etiam adinstar Dei in fine operum judicate: quod verò prædestinato vaticinetur meritum, & mox detur præmium, & præscito prophetizetur culpa, & ante tempus irrogetur pœna, judicium est terribile.

1. Cor. 4. v. 5.

Extenditur adhuc ratio, quare Deus judicet in fine, & homines secus: quia in judicio Dei non sufficit certitudo futuri pro pœna, & sufficit emendatio præteriti pro venia: In judicio hominum, nec pro futuro valet incertitudo, nec pro præterito emendatio S. Marcus asserit Christum Dominum pransurum venisse in domum Simonis Leprosi, sic dicti quod Leprosus quondam à Christo fuerat curatus; Nescio num advertatis dubium. Si actualiter leprà adhuc fuisset infectus rectè leprosus vocaretur; sed quare à lepra jam sanatum adhuc leprosum vocant? quia istud est judicium hominum: fuistis quandoque leprosi? licet à Deo miraculosè sanati sitis, leprosi eritis & manebitis cunctis vitæ vestræ diebus: Deus donare vobis potest sanitatem, sed infirmitatis nomen vobis homines non condonabunt. In judicio Dei cum mutatione morum mutantur nomina: aliquando eratis Sauli, hodie estis Pauli: In judicio hominum, quantumcunque etiam conversatio vestra & mores mutentur, nomina mutantur nunquam: si fuistis leprosi semel, leprosos vos vocabunt quoad vixeritis. *Simonis Leprosi*: proderit miraculum ad Simonem curandum & sanandum: sed non proderit miraculum ad Leprosi nomen tollendum.

Marci 14 v. 3.

Si-

Simonis Leprosi. Prô horrendam humani judicii injuriam & injustitiam! ab infirmitate vobis nomen imponunt: *Simonis Leprosi.* Et sequitur quod nomen pejus sit ipsa infirmitate: infirmitas enim ut multum ad mortem usque pertingit, sed nomen ad descendentes transit. Quot sunt malè notati in judicio hominum non ex culpis suis, sed ex suorum aut Majorum lepra? In domo Simonis leprosi: Ecce lepram domui injustam. Ecce judicium, in quo lepra etiam abolita, adhuc est lepra. O Judicium terribile! Judicium Dei est terribile, sed emendando me, possum illud evadere: sed à judicio hominum, in quo nihil valet emendatio, liberet nos Deus. Et si in judicio hominum non valet emendatio actualiter præsens, quid remedii illi supererit, in quo esse non potest? *Ioannes in Vinculis.*

§. IX.

ANtequam progrediar, occurrit mihi celebris illa Salvatoris nostri sententia, quæ huic doctrinæ nostræ objici posset. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et quinam sunt illi, & qualis iste? Illi sunt homines, iste est Deus. Videtur ergo hinc inferri contra assertionem nostram hactenus probatam variis mediis, magis timendum & tremendum esse judicium Dei, quam hominum; sicuti magis timendus est infernus & mors animæ quam corporis. Sed propterea malè infertur hæc objectio, quia plurimi sequentes suas apprehensiones seu affectus, non respiciunt casum de quo loquuntur Textus, & intentionem qua dictati fuerunt & scripti; hinc multæ formantur sententiæ valde erroneæ. Intentio divini Præceptoris fuit, hac occasione animare primitivos Christianos ad fidem viriliter propugnandam, Tyrannorumque tormenta & Martyria constanter toleranda: & ut positi inter duos timores, utrumque inevitabilem majori vincerent minorem, id est timorem inferni timorem mortis. Hæc est vera horum verborum à sanctis Patribus, Pontificibus & Commentatoribus relicta interpretatio, quorum diligentem, solidum & literalem abbreviatorem omnium solum adducam Doctissimum Cornelium à Lapide dicentem. *Nolite metu mortis, quam vobis intentabunt persecutores, negare meam fidem, aut cessare ab ejus prædicatione vobis à me imperatâ, vel aliquid eâ indignum committere; quia si id feceritis, incurretis mortem tum corporis, tum animæ longè atrociorem & diuturniorem, scilicet æternum in gehenna, ubi damnati moriuntur morte immortali, & vita moribunda vivunt & perdurant.* Ita ut comparatio hîc non fiat inter judicium & judicium, sed inter periculum & periculum, & inter pœnam & pœnam; nam comparatâ pœnâ inferni cum pœnâ mortis, clarum est, magis timendam esse pœnam inferni. E contra si comparatio fiat inter judicium & judicium, id est inter judicium Dei, & judicium hominum; quamvis homines tantum possint condemnare ad mortem, & Deus ad Infernum; eadem evidentiâ sequitur, etiam in hoc casu magis timendum esse judicium hominum, quam judicium Dei: quia judicium hominum condemnando me ad mortem potest esse injustum, & illud Dei condemnando me ad infernum non potest non esse justissimum. *Iustus es Domine & rectum judicium tuum.* Et si judicio Dei tantùm subjecta est culpa;

Matth. 10 v. 28.

Psal. 118. v. 137.

& in judicio hominum non est secura innocentia, ecce quodnam magis timendum? Dei magis timenda sunt supplicia, & hominum magis timenda sunt judicia: & hæc sunt de quibus loquimur.

Similiter locutus est de iisdem judiciis ipse Christus, & non in alio, sed in ipso textu citato cum admirabili comparatione sermonis mei. Calumniabantur Scribæ & Pharisæi discipulos Christi nominibus tam injuriosis & blasphemis, sicut & ipsum Christum eorum Magistrum, in tantum, ut dicerent, quod miracula ab utrisque operata, facta essent in virtute Beelzebub principe Dæmoniorum: & ne innocentia & constantia Apostolorum adhuc novitia videns se tam indiguè calumniatam & condemnatam judicio hominum (non quorumcunque, sed insigni authoritate pollentium, & eorum, qui præ reliquis magis profitebantur Religionem & doctrinam) deficeret; quibus rationibus animaret illos & consolaretur Divinus Magister, ut horum judicum temeritatem despicerent? Ratio solùm fuit unica, sed authore suo dig-
Matth.10 v. 25. & 26. nissima. *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? ne ergo timueritis eos; nihil enim est opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non scietur.* Non debetis admirari, quod vos sitis discipuli, & ego Magister, vos servi & ego Dominus, quod vos tractent & judicent homines, sicut me tractant & judicant; sed ut non timeatis, flocci faciatis eorum judicia & injurias, quas vobis inferunt. Scitote quod Deus manifestaturus sit vestram veritatem & eorum calumnias vel in die judicii, vel ante diem judicii. *Nolite tamen eorum probra, irrisiones & sannas timere, quia tandem Deus vestram fidem & veram Religionem patefaciet, non tantùm in die judicii, sed etiam in hac vita.* Ita commentatur Author supra citatus cum S. Chrysostomo, Theophilacto & Euthymio, O argumentum verè Divinum & iterum dignum sapientia sui Authoris! ita ut consolatio & appellatio, quam habet judicium hominum, sit ista consolatio & appellatio ad judicium Dei. Nonne ergo sub hac spe certa docet Christus discipulos suos, *ne timueritis eos*? omninò. Ergo si judicium Dei est securum, quod nobis dat ipse Deus in ordine ad non timendum judicia hominum, benè concluditur, judicium hominum esse formidabile & timendum, & non judicium Dei in his circumstantiis. Judicium hominum debet timeri, nam ad minus potest esse falsum & injustum: & judicium Dei præstolandum sine timore, quia semper justum est & rectum.

§. X.

TOtum istud jam tum evictum fuit rationibus, quas antè ponderavimus, quàm hanc objectionem refutare cœperamus. Supersunt adhuc plures aliæ rationes, quibus probari posset & ampliari hæc veritas; sed quia nec temporis angustiæ patiuntur, nec me earundem omninò omnium vobis debitorem esse reor; laborem dividamus. Ego rationum istarũ quasdam adducam, vos desuper discurrite.

Judicium hominum tantò magis est timendum, quam judicium Dei, quia judicium Dei est tantum unius diei; judicium hominum per totam continuatur vitam. Cuncti dies quibus vivunt, sunt illis judicii dies. Judicium Dei, in uno tantùm erit loco, judicium hominum in omnibus est locis, judicant vos in domo, judicant

in

in platea; judicant vos in foro, judicant in Ecclesia: judicant vos in aula, judicant vos in monte: judicant vos in mundo, judicant vos in Religione: judicant vos in omnibus locis in quibus estis, etiam in quibus non estis judicamini.

Denique pro judicio Dei totus mundus veniet ad vallem Josaphat: pro judicio hominum totus mundus est Vallis Josaphat. Judicium Dei exorditur abusu rationis: judicium hominum ipsum usum rationis prævenit & condemnat. Attestantur huic lachrymæ Rachaelis & sanguis Innocentum Bathlemiticorum: deerant ipsis adhuc quinque anni ad liberum arbitrium: & sufficiebant duo anni & infra ad
Matt. 2. gladium: *ab imatu & infra.* Post usum ra-
v. 16. tionis Deus non judicat nisi duas vitæ partes: tertiam tollit mors quotidiani, quam vocamus somnum: quia sicut nec meriti, nec peccati est capax, sic nec Deus illam judicat. In judicio hominum aliter accidit, nec dormientes quidem ab illo liberi sumus. Dormiebat Joseph quando somniabat, & quia somniaverat, à fratribus suis condemnatus fuit ad mortem: *Ecce*
Gen. 37. *somniator venit: venite, occidamus eum.*
v. 19.

Deus veniet in suo judicio judicaturus vivos & mortuos: homines in suo judicio judicant vivos, mortuos, & nascituros. Nunquid meministis historiæ de cœco nato, cui Christus visum donavit? necdum fuerat natus, & jam tum peccator judicatus: *Domine, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ecce quomodo peccare poterat, antequam nasceretur. Deus judicat tantum factum, homines etiam impossibile.

Diem judicii graves præcedent minæ: minabitur Sol, minabitur Luna, minabitur Stellæ, cœlum, mare, terra, totus minabitur mundus. Nihil horum in hominum judicio fiet: sed ex hoc magis timendum. Deus minatur ad judicandum homines judicant non minando. Extremi judicii diem præcedent signa multa, *Erunt signa in Sole & Luna:* sed notate differentiam. In judicio Dei signa concordant cum judicio: in judicio hominum secus. In judicio Dei signa conveniunt judicio, quia signa sunt terribilia: quia terribile est judicium. In judicio hominum, judicium non concordat signis, signa enim signa sunt amicitiæ, & judicium est odii. Exemplum hujus videte in Juda; singna erant amplexus, & judicium erant vincula: *Traditor autem dedit eis signum.* Ecce signum! *quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum:* Ecce judicium! Marci. 14.
Verum est quod Deus in judicio suo quos- v. 44.
dam præcipitabit in infernum distinctè & clarè addendo: *Ite maledicti in ignem* Matt. 25.
æternum. Secus faciunt homines. In suo v. 41.
judicio dicent: *Venite benedicti*, eodem tem- ibid. v. 24.
poris momento profundum inferni imprecando. Deus judicat ut judex: homines ut conjectores. Inter judicem & conjectorem ista est differentia, quod judex casum supponit, Conjector divinat, quot hodie per divinationem judicatos videmus & condemnatos: non propter hoc quod fecerunt, sed quod faciendum non fuisse divinatur Iudicium Dei (licet ipse naturâ suâ sit immutabilis) si convertimur & mutamur, mutatur. Iudicium hominũ (licet ipsâ sint mutabilitate mutabiliores) quantumcunq; mutamur, non mutatur. Mutata est Magdalena, & ex judicio Dei egressa sancta: sed in judicio Pharisæi tanta ut ante misit peccatrix. *Quoniam* Luc. 7.
peccatrix est. Deus judicabit juxta præcep- v. 39.
ta & mandata, quæ qui observavit, securus esse potest: In judicio hominum observare

mandata nihil prodeſt. Perfeciſtis quæ præcepta ſunt vobis, & exactius quam præceptum fuit, nihilominus condemnabimini. Deus judicat quemque per hoc, quod eſt. Homines quemque judicant per hoc quod ſunt. Dicam clarius. Deus judicat nos per nos: ſed homines nos judicant per ſe. Unde ſequitur: ut bene judicemini à Deo, ſufficit quod ſitis boni: ſed ut benè judicamini ab hominibus, neceſſe eſt, ut nemo ſit malus. Terribile judicium, in quo, ne condemner ego, requiritur ut totus mundus ſit bonus! In judicio Dei erit juſtitia ſine miſericordia: in judicio hominum, nec juſtitia erit, nec miſericordia. In judicio Dei, ſufficit bonum eſſe in ultimo vitæ inſtanti, ut quis æternum eſt bonus: in judicio hominum, ſufficit fuiſſe malum quocunque vitæ tempore, ut quis æternum ſit malus. Si fuiſti bonus, & es malus, judicant te malum ex eo quod es: Si fuiſti malus, & es bonus, judicant te malum ex eo quod fuiſti: Si es, & fuiſti bonus ſemper, malum te judicant ex eo, quod eſſe poteris. Num ſimilis atrocitas judicii eſſe poterit? Culpæ in Prophetia, & Propheta in vinculis? Joannes in Vinculis!

§. XI.


Abſolvi ſermonem; accidiſſe mihi videtur, quod malis accidit Medicis, & malis Conſiliariis. Malus medicus gravem & periculoſam aſſerit eſſe infirmitatem, nec applicat remedium. Malus Conſiliarius inconvenientias exaggerat, nec emendandis remedium ſuggerit. Etiam prædicatoris officium eſt curare conſiliumque ſuggerere. Exaggeravi infirmitatem, expendi inconvenientias, oſtendi cæcitatem, injuriam, injuſtitiam, tyrannidemque humani judicii: ſed quid remedii, quo nos ab hoc liberemus judicio? Si non detur remedium, magis adhuc timenda eſt hæc ultima circumſtantia, quàm omnes reliquæ hactenus conſideratæ. Et reverè difficile imò impoſſibile videtur invenire remedium, ad evadendum hominum judicium, cum ſit tam frequens, tam liberum & temerarium. Sed audiamus, quid in hac materia reſolvat Omnipotens per ſapientiam infinitam. *Nolite judicare, ut non judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Si nolitis ut vos judicent, non judicetis; nam eodem judicio, quo judicaveritis, judicabimini. Hæc ſententia Chriſti, vel poteſt intelligi de judicio hominum de hominibus, vel de judicio Dei de illis: Si intelligitur de judicio Dei de hominibus, eſt abſolutè & univerſaliter vera; ſed ſi intelligitur de judicio hominum de hominibus, neutiquam. Unde rursùs confirmatur millies, rigidius & magis timendum eſſe judicium hominum, quàm Dei. In Judicio Dei de hominibus eſt ſemper vera, nam ſicut doctè dixit ſanctus Chryſoſtomus: judicium quo nos judicamus nos invicem, eſt lex, quam ponimus Deo quatenus ille per eam etiam judicet nos. *Legem prius ipſe poſuiſti ſeveriùs de his, quæ proximus peccaverit judicando*: Nam ſi nos judicaverimus cum benignitate noſtros proximos, etiam Deus non benignè iudicabit: ſi nos illos judicaverimus ſeverè, ille pariter judicabit nos cum ſeveritate: ita ut in judicio Dei de hominibus hæc regula ſit generalis ſine exceptione: verùm in judicio hominum de hominibus exiguam habet certitudinem & probabilitatem, ut & ipſum Chriſtum, qui tam benignus eſt in judicando & condonando omni-

Matth. 7. v. 1. & 2.

S. Chryſoſt.

omnibus, hanc incertitudinem, injustè judicat ut & condemnatus experiri oportuerit. Si Christus summa innocentia habuit Annam, Caipham, Pilatum, & Herodem, qui illum judicarunt & condemnarunt; quis erit homo tam innocens & justus, qui per istos quatuor judices non habeat quadringentos, qui illum judicent & condemnent. Nihilominus hæc eadem sententia, quamvis universaliter non est certa in judicio hominum de hominibus; attamen per dictamen naturale rationis, & per providentiam particularem Dei sæpius in illis verificatur illud Christi:
Luc. 6. v. 37. *Nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* Scitisne, quare toties tam injustè simus judicati? quia toties sumus judices, & judices injustissimi: quia vos aliena judicatis opera, hinc alii judicant vestra: quia vos judicatis verba aliena, hinc vestra verba judicant alii: quia vos alienas judicatis cogitationes, hinc alii judicant vos & condemnant, usque ad id quod ne in mentem quidem vobis venit. Ecce remedium. Non vultis esse judicati? ne sitis judices, Judicium hominum duo includit, quæ in nobis sunt: nos sumus judices, & nos sumus qui judicamur: si judicari nolumus, non judicamus. S. Jacobus in sua Canonica dicit, quod Angelus non ausus fuerit judicare Dæmonem; si unus Seraphim non audebat judicare unum Dæmonem; qua fronte unus homo audet judicare alium hominem? Si judicare volumus, introrsum convertamus oculos, ibi tantùm ad judicandum, examinandum & condemnandum inveniemus, sepositâ passione dijudicantes nos ipsos: ut ibi tantùm habeamus agere & admirari, ut nec mora, nec animus nobis sit remansurus alium quemquam judicandi. Itaque Christiani rogo vos per timorem Dei, per hoc quod debemus Christo & animabus nostris, ut sermonis hujus fructus sit, valde pertimescere & cavere temerarium judicium, non illud in quo judicamur, quia hoc culpa nostra vacat: Ad Rom. 2. v. 1. sed illud in quo judicamus alium, quod est nostri condemnatio. S. Paulus ait: *In eo quod alterum judicas, te ipsum condemnas.* Quot damnati hodie sunt in inferno propter unum judicium temerarium! Deus per suam nos misericordiam liberet ab isto peccato tam facili & usitato, in quo toties impingit charitas; in quo tam graviter intricantur conscientiæ; in quo tam periculosè perditur gratia simul & gloria: quam mihi & vobis &c.





SERMO
PRO
Dominica tertia Adventûs.

Tu quis es? & quid dicis de te ipso? Joann. 1.

§. I.



Tiam hodie habemus judicium; & hoc eſt tertium. In ſermone primo, vidimus judicium Dei erga homines: in ſecundo vidimus hominum adinvicem: Hodie in ſermone tertio, videbimus judicium uniuſcujuſque erga ſeipſum: *Tu quis es? Quid dicis de te ipſo?* Verba iſta propoſitionem quandam, ſeu legationem, Sacerdotum & Levitarum à Conſilio Eccleſiaſtico Hieroſolymitano ad Baptiſtam deſtinatorum complectuntur. Propoſitio erat iſta. *Tu quis es? Quid dicis de te ipſo?* Quæſtionem hanc reſolvere ſtatui. Quia licet materia hæc graviſſima ſit, maximique ponderis ubivis terrarum: huic tamen loco propria magis, convenientiorque videtur: *Tu quis es? & quid dicis de te ipſo?*

§. II.

PRimum quod conſidero, eſt, quod legati hi ex interrogatione una quæſtiones fecêre duas. Una erat interrogare Joannem Baptiſtam quiſnam eſſet, & huic ſufficiſſe videtur: *Tu quis es?* Aſt illi dixêre: *Tu quis es, & quid dicis de te ipſo.* Præterea Legati iſti non erant Aulici, ſed Eccleſiaſtici, Sacerdotes & Levitæ: intrim perprudenter ſunt locuti, penetrantes negotium, & velut ſtyli mundialis apprimè gnari. Egreſſi interrogatum Baptiſtam quis eſſet, dixerunt: *Tu quis es, & quid dicis de te ipſo?* Homines enim confitentes de ſe ipſis, aliud de ſe dicunt, & aliud ſunt; nullus definiendo ſe deſcribit, omnes ſe decipiunt in genere, & differentiis. Enim verò, quantùm inter ſe differt hoc, quod de vobis dicitis, & quod eſtis! porrò peſſimum eſt, quod hæc ſæpe non differant: quia quod eſtis, nihil eſt: & quod dicitis, infinitum eſt. In materia hac: *Tu quis es,* quilibet homo bis mentitur: ſimul enim mentitur ſibi, quia plus cogitat, quam eſt: & ſemel vobis; quia ſemper plus dicit, quàm cogitet, & opinetur. Optimè igitur Legati hi inter, *Tu quis es,* & inter, *Quid dicis de te ipſo,* diſtinxerunt. Et interrogatum profecti, Quis eſſet, & quid diceret, ſunt ſuſcitati: nemo etenim tam æquus ſui ipſius eſt Judex, qui dicat hoc, quod eſt; aut hoc ſit, quod dicit. Raphael Angelus peregrini habitu aſſumpto ad Tobiam locuturus intravit; porrò antequam filium ſuum, ad aggrediendum, notum ex Scriptura ſacra iter illi crederet, dixit; *Rogo te,* *Tob. 5. v. 16.*
in-

indica mihi, de qua domo, & de qua Tribu es tu? Quæstio hæc suffecit sanè ad Angelum quendam intricandum; Responsio
Ibid. 18. verò fuit notabilis: *Ego sum Etzarias Ananiæ magni Filius.* Sicut more nostro Caroli Magni, Pompei Magni, Alexandri Magni. Siccine respondet aliquis Angelus! In Deo est Pater & Filius; in hominibus & animantibus sunt patres & filii: in plantis suo modo est generatio: solis in Angelis, ex omnibus Mundi viventibus (creatum cum increato combinando) solis in Angelis non datur generatio, nec pater nec filius. Si igitur in Angelis non est generatio; si in Angelis non datur, nec dari potest pater & filius, quo pacto dicit Raphael Angelus, quod Ananiæ magni sit filius? Certare ausim, quod præsentium quidam, dum hæc loquor, dicturum me putabant ad exaggerandum assumptum meum, quod in materia; *Tu quis es*, etiam Angeli mentiantur. Absit à me hujusmodi proferre commenta; in loco hoc nonnisi solidas veritates pronunciare oportet: Angeli nec mentiri, nec errare queunt (loquor de bonis) verùm hinc difficultas augetur. Si enim Angeli nec errare, nec veritati dissonum quicquam asserere possunt, quonam pacto Angelus Raphael Ananiæ Magni se filium asseverat? Doctores huic dubio respondent variè, ego respondebo comparativè. Prodit in theatrum quispiam repræsentans Luciferum Comœdus, tridentemque vibrans, in Deum fulminare incipit blasphemias: prodit alius Neronem agens, gladium evaginans capita rescindi, sanguinisque rivos per Romam de Christianis manare præcipit. Tertius in medium prodit Gentilem referens, Jovisque statuâ offensâ, prostratus in terram pectus tundit, & incensum offert. Hic interrogo. Primus iste estne blasphemus? Secundus iste personatus estne Tyrannus? Tertius iste Comœdus, estne Idololatra? Clarum est, quod non. Primus blasphemus non est, quamvis blasphemias dicat; Lucifer quippe non est, licet personam ipsius agat: Secundus Tyrannus non est, quamvis Christianos occidi mandet; quia Nero non est, quamvis personam ipsius gerat: Tertius idololatra non est, licet ante statuam Jovis genu flectat: Gentilis enim non est, tametsi Gentilis personam repræsentet. Idem ego in nostro assero casu. Angelus mentitus non est, nec mentiri potest, quantumvis alienum quid à veritate pronunciet: Homo enim non erat, hominis tantùm ostentans figuram. Alium proinde Angelum hujus assertionis meæ fidejussorem adduco. Apparuerunt Abrahamo in valle Mambre tres Angeli: unus maximæ authoritatis, quem adoravit, & alii duo minoris, qui illum comitabantur: & quoniam Sara Uxor Abrahæ esset sterilis, promisit illi Angelus principalior, se post annum eodem tempore reversurum vitâ comite; tuncque Saram habituram Filium. *Revertens veniam ad te tempore isto vitâ comite, & habebit Filium Sara Uxor tua.* Quis est, qui non consideret illud, *Vitâ comite* dictum per Angelum? & non locutus est tantùm Angelus unâ vice in his terminis, sed duabus: nam cum Sara dubitaret de promissione, ille reversus ad confirmandum sermonem suum dixit: *Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore vitâ comite.* Si igitur Angeli per naturam sunt immortales, & eorum vita nullo casu potest deesse; quare promittit iste An-

Angelus, non absolutè, sed conditionaliter, quod reversurus sit, si supervixerit; *Vita comite.* Ratio non solùm humana, sed & Angelica fuit: quia iste Angelus & alii duo (prout textus declarat) apparuerunt Abrahamo in figura hominum: *Apparuerunt ei tres Viri.* Et hos ille tractavit, illique sciverunt se tractari in omnibus velut homines, acceptantes mensam, & alia hospitalitatis fercula: & quoniam homines prudentes in consideratione incertitudinis & contingentiæ mortis, quando aliquid promittunt de futuro, addunt, si Deus mihi vitam dederit: hinc Angelus addidit eandem conditionem. *Vita comite.* Non enim loquebatur ut Angelus, qui erat; sed velut homo, cujus figuram tantùm repræsentabat. Eodem modo, & eâdem, imò majori proprietate loquutus fuit Angelus Raphaël in responso, quod dedit Tobiæ; & ut hominis figuram competenter exhiberet interrogatus quisnam esset, *Tu quis es?* Respondere debebat non quod erat, sed dicere quod non erat: ita fecit. Nihil quippe magis proprium est hominibus, quam interrogatos, quinam sint; unum dicere, & aliud esse. Et notate, quod Angelo, viatoris ad instar ad iter præcincto naturæ conformius fuisset ruricolæ cujusdam, aut pastoris se filium nuncupare; nihilominus non aliud, quam Ananiæ magni sese filium nominavit: quia non est homo conditionis tam vilis & abjectæ, viatorque pedestris, quin interrogatus unde veniat; ab Anania magno, respondeat: *Ego*
Tob. *sum Ananiæ magni filius.*

Quemadmodum Tobias Angelum, ita hodie Baptistam Sacerdotes & Levitæ interrogant: *Tu quis es?* Et ille vir tantus
Joan. 21. v. 20. quid responderet? *Et confessus est, & non negavit: & confessus est, quia non sum ego Christus.* In tota Scriptura sacra non est similis huic loquendi modus. Evangelista idem assertum tertiò repetiit, tanta enim res ipsi visa est, quod Baptista se Messiam negaret; ut nisi hoc toties dixisset, nec ille pro merito istud explicaret: nec nos, fidem illi habituri essemus. Ast mihi nunquam tantus visus fuit ille Baptistæ actus, quanti æstimatur. Enim verò, quidnam Baptistæ faciendum erat? Nunquid Messiam se esse dicendum erat? Hoc ipsum nec in mentem quidem Baptistæ venire poterat, neque conscientia dicere permittebat: rationabiliter hoc cogitare non poterat, siquidem ipse ex Tribu Levi originem trahebat, & Messias regia ex Tribu Juda oriundus erat. Neque conscientia id asserere permittebat: siquidem circa gravissimam totius mundi materiam versabatur. Quorsum igitur hunc Baptistæ actum toties Evangelistæ repetunt, & SS. Ecclesiæ Doctores tantùm exaggerant & deprædicant? Quia tam à natura insitum est hominibus, ut ultra quod sunt, se æstiment, & plus de se dicant, quam cogitent: ita, ut, quod ratio hoc casu Baptistam non excæcârit, neque conscientia offenderit, omnium humanorum actuum maximus habeatur mirum profectò videtur. Quod interrogatus homo, *Tu quis es?* qui liberè se Messiam pronunciare potuisset, & hoc non fecerit. Evangelista tertiò hoc ipsum repetat, ut fides hoc credat: *Et confessus est, & non negavit.*

§. III.

LEgati tandem non invento, qui Messiam ipsius indicaret, è deserto sunt reversi: ast ego locum, Gentemque scio, ubi

ubi legationes suæ spe frustrati non fuissent. Si Sacerdotes & Levitæ alias ad oras appellerent, nobilioresque ædes adirent interrogantes, *Tu quis es?* Certò certius Messiam invenirent. Et ubi? Milliari uno seu leucâ a Bethlehem quamvis non in palæstina. Unus Messiam se diceret, eò quod humeris ipsius totum Monarchiæ pondus incumbat, *cujus imperium super humerum ejus.* Alius consilium suum, nostrum custodem Angelum diceret: *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Tertius Messiam se venditaret, quod ex calamo suo nostra salus dependeat: *Et sanitas in pennis ejus.* Alius Messiam se ex eo adstrueret, quod pax, quâ hisce annis fruiti sumus, fuerit fructus virgæ suæ justitiæ: *Erit in diebus ejus justitia & abundantia pacis:* Aliàs Messiam se affirmaret, eò quòd Deus quidam armorum, seu Mars esset, suoque nos robore, & viribus defenderet: *Vocabitur nomen ejus, Deus fortis.* Desuturus tantummodò esset, qui Messiam se nuncuparet, quod alacer expeditusque esset, ad vincendum, velociterque spoliandum: *Voca nomen ejus accelera, festina, spolia, detrahe.* Quamvis enim ad bellum magno accingimur animo, ad victorias tamen lentâ progredimur gravitate.

NB. Bethlehem est Conventus Regius Ordinis. S. Hieronymi & distat una leuca à Lisbona.
Isaiæ 9. v. 6.
Malach 4. v. 2.
Psal. 71. v. 7.
Isai. 8. v. 3.

Omnibus hisce modis, singulisque rationibus adductis, major hodie in aula nostra, circa quæstionem, *quisnam Messias esset*, major foret contentio, quàm olim inter Discipulos agitata fuit; *Quis eorum major esset.* Et reverà hodie nulla videntur eorum, quæ olim Prophetæ tanquam veri Messiæ præcones futura prædixerunt. Prophetæ vaticinati sunt, Messiam oculos daturum cæcis, gressum claudis, munditiam leprosis, vitam mortuis: *Tunc sallet sicut cervus claudus: & aperta erat lingua mutorum*, &c. Omnia miracula diebus hisce nostris videmus. Quot hodie videmus cœcos cum oculis! Quot claudos & paraliticos, stantes & erectos! Quot mutilos & mancos manibus nunc verò extentâ manu! Quot leprosos mundos! Quot denique mortuos, seu quos esse mortuos oportebat & sepultos resuscitatos & viventes! Quonam igitur pacto potestas, cujus virtute hæc miracula fiunt, negari potest, quin sit potestas Messiæ? ulterius, Prophetæ dicunt, tempore Messiæ lanceas & gladios convertendos in falces: *Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces.* Et tempore, quo præsentis beneficio pacis, vel futuri oblivione belli, arma facta ad feriendum, impenduntur ad metendum: Et quo tempore tympana pulsanda ad movendum, copiæ movent ad colligendum: Et quo tempore spoliis trophæisque ornanda essent templa, & instruenda granaria publica, implentur granaria & solaria privata, quo pacto non erit, qui se Messiam jactet? ulterius dicunt Prophetæ, humiliandos Messiæ tempore, montes, vallesque implendas: *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur.* O quot montes præteritis temporibus culmine suo Stellas contingere visi, hodie videntur vel quasi non videntur humiliati & depressi! & è contrario, quot valles paulò antè tam humiles, hodie sunt adeò impletæ! *Omnis vallis implebitur*, & fortuna hanc faciens mutationem, non sit inæqualitas & non vocetur justitia; quomodo non fortunæ loco habendum, ut quis sit Messias? Amplius quid asseverant Prophetæ, scilicet, quod Messiæ tempore lupi consociati vivent cum agnis? item, quod leo & bos eâdem pascentur escâ: *Habitabit lupus cum agno*,

Isai. 35. v. 6.
Isai. 2. v. 4.
Isai. 40. v. 4.
Isai. 11. v. 6. 7.

agno, & leo quasi bos comedet paleas. Nisi lupi tam sagaces essent negando suam pellem, oculis hodiedum probari posset impletio hujus Prophetiæ. Attamen magis adhuc quàm à lupis, timerem à leonibus ore præferentibus paleas; sed qui feras istas stabulis insuetas jumentorum adinstar cicuraverit, nonne hujus industriæ suæ, velut miraculorum authores, se Messiam esse non præsumerent.

§. IV.

NUllus dubitabit, quin sæculum nostrum, cum sæculo Messiæ magnam habeat conformitatem, nostrorumque miracula temporum cum suorum felicitatibus (non dico vitiis) temporum certare possint. Verùm hoc ipso, quod sibi sic assimilantur, ipsam tamen similitudinem, tentationis vobis causam, non optarem. Verum enim verò quare Baptistæ inesse vobis modestiam diffido? persuasum vobis habetote pro certo quantò magis miraculosos vos in conceptibus vestris imaginabimini, tantò magis principalem vobis deesse Messiæ conditionem. Et quænam ista principalis est conditio Messiæ? Est illa, quâ definivit & signavit illum Deus Abrahamo eundem promittendo: *In semine tuo benedicentur omnes.* Gen. 22. v. 18. Agedum, si benedictionem habetis pro omnibus, liberrimè Messiam vos esse vobis imaginamini: Sin verò pro quibusdam tantùm, & non pro cæteris benedictionem habetis cogitationes similes & conceptus missos facite.

Gabriel Angelus beatissimæ Virgini Mariæ, quod Messiæ mater futura esset annuncians, verba hæc addidit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Luc. 1. v. 32. Ultimam hanc clausulam meritò omnes considerant Interpretes. Quare in domo Jacob, & non in domo Abrahæ, vel Isaac Messiam regnaturum Angelus affirmet: si Abraham & Isaac non fuêre Reges, nec Jacob sceptro, regiâve corona fuit insignis; imò Abrahām quinque Regum fuit victor insignis quod modo suo regiam excedit dignitatem: itemque Abraham & Isaac, Jacobum ætate præcesserunt. Enim verò si promissio facta fuit Abrahæ, quando, evaginato gladio Isaac immolare parabat; quare igitur Messiam non in domo Abraham, seu Isaac, sed in domo Jacob regnaturum Angelus asserit? En motivum ratioque altissima. Domus Abrahæ duos habebat filios Isaac & Ismael, sed pro Isaac tantùm, & non pro Ismaël benedictio erat. In domo Isaac duo paritèr continebantur filii; nimirum Esau & & Jacob: sed pro Jacob tantummodò, & non pro Esau fuit benedictio. E contrario domus Jacob duodecim habebat filios tanta benedictione abundans, ut pro omnibus & singulis filiis suppeteret benedictio. Hanc igitur ob causam, Messiam in domo Jacob, & non in domo Isaac, aut Abraham regnaturum Angelus edixit; quia Messias non est instar Abrahæ, neque instar Isaac, qui benedictionem tantùm habent pro quibusdam, & non pro reliquis; est instar Jacob, Filii unius & nepotis alterius, in quo fuit impleta Prophetia & benedictio pro omnibus, *In semine tuo*, &c. Solùm benedictionem pro omnibus habens hominibus mundi, verus est Messias; & pro Regni cujusdam hominibus tantùm benedictionem habens, verus ejusdem Regni Messias erit.

Quod Liberatâ Lusitaniâ omnes omninò de benedictione sibi gratulati sint *NB. Lusitania* pro-

per 60. annos sub jugo fuit Hispanico & per 40 annos continuũ cum illis gessit bellum. probare non præsumo: Verùm quod benedictionem habeant multi eandemque, quam Jacob (quod sibi imaginantur non pauci) hoc nec probabunt unquam, nec probare volebunt. Vocavit ad se Jacob filios suos, ut benediceret singulis, priùsquam moreretur: Porrò notanda est differens verborum formula,& comparationes,quibus ultimas hasce cæremonias celebravit. Accessit Judas, cui Leonis be-
Gen.49. v. 9. nedictionem impertivit; *Accubuisti ut Leo.* Acceßit Nephtali, & cervi benedictio-
Ibid.v.21 nem accepit: *Nephtali Cervus emissus.* Accessit Dan, benedictionemque serpentis
Ibid. 17. reportavit! *Fiat Dan coluber in via.* Accedens Issachar asini benedictionem rece-
Ibid. 14. pit: *Issachar asinus fortis.* Accessit Benjamin,
Ibid. 27. & dixit illi: *Benjamin Lupus rapax*, Deus bone. Quanta est benedictionum istarum inæqualitas? Quibusdam datæ sunt tantæ tamquæ grandes, aliis tam exiguæ & viles? uni benedictio serpentis, alteri Cervi; alii benedictio Asini,& alteri Leonis? Ita planè; siquidem impertinens illas erat Pater,& recipientes illas erant filii: ut intelligatur benedictionum disparitatem non arguere inæqualitatem amoris in dante, sed meritorum differentiam in recipiente. Judæ tanquam magnanimo & generoso benndictio datur Leonis: Nephtali tanquam veloci minusque generoso datur benedictio cervi: Dan prudentiori quidem, sed virulento benedictio impertitur serpentis: Issachar robusto,sed prudentiæ tenuioris asini obvenit benedictio. Benjamin audaci, sed simul voraci datur benedictio Lupi. Nunquid benedictiones competenter sunt distributæ? Ecquis id negabit? verum scitisne quare nemo suâ sit benedictione contentus? quia omnibus deest cognitio sui ipsius, *Tu quis es*? cognoscant singuli se ipsos, & omnes utique erunt contenti. Leonem se noverit Leo,cervum se secat cervus,colubrum se agnoscat coluber, Asinum sese Asinus, & Lupus Lupum se cognoscat; & mox contenti erunt. Sed cum omnes sui ipsius æstimatione & judicio excæcentur, incompetentem speciei suæ appetunt benedictionem: destitutus prudentiâ asinus, colubri benedictionem affectat; & cervus nec robore præditus nec generositate,benedictionem appetit Leonis.

In mundi exordio benedictionem suam Deus omnibus impertivit animalibus & plantis: *Benedixit eis*: ut crescerent omni- Gen. 1.
bus dixit:*Crescite & multiplicamini.* S.Scri- v. 22.
ptura verò hoc factum notat,*secundùm species suas.* Ibid. 24.
Proinde quilibet intra speciem suam crescere sit contentus: Quilibet intra collati sibi à Deo talenti sphœram crescere sit contentus,& mox cognoscent omnes, quod benedictionem quilibet in suo habeat Elemento. In aëre Hirundinem se esse acquiescat Hirundo; & quæ major benedictio, quam in regiis habitare posse palatiis? In mari Remora se Remoram esse sit contenta,& quæ major fortuna,quam, licet sit pusilla, sistere posse navem, & quidem talem ac tantam, qualis & quanta in Indiam tendit? In terra formica se gaudeat esse formicam, & quænam benedictio felicitasque major, quam granarium pro æstate simul & hyeme habere instructum? Ex omnibus vero Elementis morbi nascuntur melancholici, quia nemini juxta speciẽ suã sufficit crescere:Hirundo magnitudinẽ ambit aquilæ; Remora corpus affectat Balœnæ; formica usque ad Elephantẽ appetit accrescere.Et quia formicæ Elephantes se faciunt,pro uno formicarũ nido, tota non sufficit terra.

Deceptionis hujusce simul & veritatis, æqualia in plantis exempla habemus. Arbor *Maisamam* major est flore Heliotropio: nihilominus ex omnibus, quæ suo calore Sol vegetat, nihil adeo gratum se Soli exhibet, sicut Heliotropium; ab ortu Solis usque ad occasum ejus, semper illum comitatur in terra, se illi inclinando, tamque reverenter venerando uti videmus. Eja Flos Campi! quid sibi volunt istæ erga Solem gratiarum actiones? Nonne vides tot arbores & plantas, quæ plus à Sole, quàm tu recipiunt? Ut quid igitur te omnibus gratiorem esse oportet? Quare? quia intra meam me colloco sphœram, Florem me cognosco, neminem plus Soli obligatum invenio quàm me, quia Florum Gigantem me fecit. Si quilibet suæ se sphœræ circulo circumscriberet, ah quot invenirentur Gigantes! Quare vestra non floretis benedictione contenti? Quare Soli essetis ingrati, si Florum vos Gigantes (non dico benè) si ex Floribus Gigantes vos fecit? O quot Gigantes sunt ingrati! singulariter notanda venit altitudo Cypressi tam proceræ. Si Cypressus vulgus plantarum, seque inferiorum nobilitatem arborum è sublimi prospiceret, non contenta tantùm foret, sed superbiret: ast Cypressus ex alto Montis Libani Cedros contemplans, easque turres à natura conditas videns, non æquè contenta vivit, eò quod pyramidem se videat. Quicunque suâ se non metitur & circumscribit sphœrâ, quantumvis sit Cypressus, toties truncos suos in altaribus videns, quiescere nequit. Non duo, ut quilibet crescere curet, sed quod est, cognoscat: *Tu quis es?* & postmodum crescat, *secundùm speciem suam.*

Enim verò extra suam crescere sphœram, non augmentum, sed monstrum facit; saltem benedictio non est. Ex nobilioribus Benedictionibus Jacob ad filios suos, fuit illa Ruben, & Joseph. Jacob dedit benedictionis loco Joseph, ut cresceret: *Filius accrescens Joseph*, filius *accrescens*: Gen. 49. v. 22.
Ruben verò, ne cresceret: *Non crescas.* Ibid. v. 34.
Estne possibile benedictionis loco impertiri, non crescere, *Non crescas*? Estne possibile benedictionem esse posse, non crescere? Id ipsum luna asserat, non potuisset lunæ melior dari benedictio, quàm non crescere; nisi enim cresceret, non utique decresceret. Nimium crescere, quot, quæso, hominibus non benedictio sed maledictio fuit? Verùm enim verò qua de causa in Joseph, *crescere*, & in Ruben, *non crescere*, est benedictio? Merita Josephi, & demerita Ruben in propatulo sunt. *Crescere*, in merente seu digno, est incrementum; in non merente, est crescentia; incrementum verò est magnificentia: crescentia est turpitudo. Si crescere potestis cum incremento, crescite cum benedictione Domini: *Filius accrescens*: si nonnisi per crescentiam crescere conceditur; *Non crescere*, benedictionem reputate; *Non crescas.* Quilibet suam noverit sphœram: *Tu quis es?* & omnes vel quasi omnes suam benedictionem invenient, *in semine suo*; Cessabuntque Messiam quærere in deserto, ubi non invenitur: *Et confessus est, & non negavit.* Hac cognitione intelligent, quod habent in medio sui Messiam, sicut dixit Baptista, *medius vestrum stetit.* Joann. 1. v. 26.

§. V.

Legati jam certiores facti, quod Baptista Messias non esset quæstionem suam ursere, *Tu quis es?* interrogantes

num

num Elias ſaltem eſſet? *Elias es tu?* Tentationes quandoque minores, in hominibus præſertim ſcrupuloſis, difficilius vincuntur, quàm graviores; Conſtantia verò Baptiſtæ omnibus modis invincibilis erat; ſicut ad primam interrogationem ſeſe Meſſiam eſſe negavit, *Non ſum ergo Chriſtus.* Secundam, Eliam ſeſe eſſe, negavit. *Non ſum.* Quid prodeſt quippiam quærere, ubi non invenitur? Textus, hæc trans Jordanem facta, aſſerit: *Hæc facta ſunt trans Jordanem.* Veniant legati *trans Tagum,* & certò certiùs invenient, Eliam: *Tu quis es? Elias es tu?* quis dubitat? Ergò quis Elias, niſi Ego? Zelus meus bonum auget commune; En zelum meum pro fide & Chriſtianitate; Zelum in Regio ſervitio, zelum meum pro conſervatione & patriæ profecti; ſi hoc eſt Eliam eſſe, præter me non eſt Elias. Veſtræ ſaltem præſumptioni condeſcendendo, tantùm mihi videmini habere de Elia, quod non alium præter quam vos ipſos Eliam eſſe vobis imaginemini. Elias quondam dicebat: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo Exercituum, & relictus ſum Ego ſolus.* q. d. Ego ſolus honorem cultumque veri Dei quæro, & promovere conor, reliqui omnes ſunt Idololatræ, nec Deus quenquam, præter me habet in mundo. Eodem verò die, quo dicebat hæc Elias oſtendit ipſi Deus, quod eadem in terra ſeptem millia haberet virorum, qui non curvaſſent genu ante Baal. *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal.* Eliá putante non eſſe ſibi ſimilem in mundo vel unum, tunc ad minus ſeptem millia virorum dantur ipſi ſimilium. Et veſtrum quilibet ſe ſolum eſſe autumat? Non ſolũ eſtis homo de mille, ſed de millenis millibus; dantur ſeptem, imò ſeptuaginta millia virorum ſimiliũ vobis, & fortè meliorum.

[Margin: Ibid. 28.]

[Margin: NB. Tagus eſt fluvius Civitatem Ulißiponenſem præterfluens, & in mare influens.]

[Margin: 3. Reg. 19. v. 14.]

[Margin: 3. Reg. 19. v. 18.]

Non ægrè feret Elias pallio ſuo metiri ſpiritum ſuum. Agite, pallium Eliæ, cum Prophetæ, ejuſdem quaſi nominis Ahiæ pallio conferamus, videbitque Elias quidnam illud, *unicum* ſit reputandum, quantùm differat inter pallium & pallium, inter ſpiritum & ſpiritum, zelum inter & zelum. Obviabat vice quâdam Ahias Jeroboamo Miniſtro Salomonis & non Regi, veſtitus eâ vice pallio novo, *opertus pallio novo,* inquit textus. Ne malum putetis palliorum conſiderare novitatem: Ipſemet S. Scripturæ Author Spiritus ſanctus novitatem hanc conſiderat. Denique Ahias vates ſublatum ab humeris pallium forfice arreptâ, ſemel iterumque, & undecies ſcindit, & ſic pallium fuit diviſum in partes duodecim: & dixit, eodem modo dividendum Regnum Salomonis in duodecim Tribus; quarum decem ſpectarent ad Jeroboam. *Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.* Ita Propheta dixit, & ſic factum eſt, converſuſque ad Regem inquit, *ſic dividetur Regnum tuum:* Sicque diviſum fuit duodecim Tribuum Regnum, in Regnum Iſrael & Juda. Sed procedamus ad pallium. Regnis nondum diviſis pallio opertus novo & integro, diviſione jam facta pallio incederet lacero. O quod videmus hodie cum Ahiæ pallio inverſo! ante Regni diviſionem pallium geſtabant lacerum, & quidem oppidò laceratum, regni verò diviſo, pallio ſplendent planè novo & integro. Iſta profectò occaſione pallia ſcindi dividique oporteret, ad operiendum particulâ unâ militem nudum; ad veſtiendum alia particula pupillum cujus parens obiit in prælio;

[Margin: 3. Reg. 11. v. 30.]

[Margin: 3. Reg. 11. v. 31.]

alia ad velandam viduam, quæ ut solveret decimas patriæ, zelo mota, pallio se nudavit. Quid ad hæc iste Elias? *Quid dicis de te ipso*? abscidistine quandoque particulam de pallio tuo, aut filum? altum silentium. Ecce vestrum zelum! Verùm ad nostros progrediamur zelos. Me quidem quod attinet acquiescerem facilè, si zeli zelatoresque nostri Eliæ similes forent omnes dicunt, pallia dabimus; sed minus avarus est, qui pallium suum benè custodit. In alium migraturus mundum Elias, de quo testaretur, non habuit, nisi pallium, quod Elisæo reliquit. Enim verò si Deus hodie generosos aliquot Carmeli nostri in paradisum terrestrem translaturus esset Elias, ad pugnandum postmodum contra Antichristum: affirmare ausim non paucos de medietate palliorum civitatis hujus testaturos, & ita comesti & à zelo devorati, *Zelus domus tuæ comedit me!* eritis à zelo

Psal. 68. v. 10. comesti, sed valde benè estis comesti. Sunt aliqui, quos comedit zelus, sunt alii qui zelum comedunt: Quoniam verò pacto hi ab invicem discernentur? hoc fiet sumptâ per cingulum mensurâ. Comedente vos zelo, substantia vestra convertetur in zelum: è contrario vobis comedentibus zelum, vester zelus in substantiam convertetur. O quot dantur zelosi, quorum totus in substantiam convertitur zelus! accipiatur mensura, quàm olim insinuavit Roboam, & invenietur in minimo vos digito grossiores esse hodie, quam olim cum cingulo. Proficiat vobis tam prosperè cedens zelus: argumento id est, quod comedatis zelum, non comesti ab ipso. Verùm enim verò utrum zelus vester comedat, seu jejunet, mea non interest: ad aliquam saltem resolutionem deveniamus. Si non comedendum est zelo, jejunent omnes: & si comedendum est, cemedant omnes. Sic ardeat zelus vester circa vos, & vestros, ac reliquos, nec erit, qui de zelo vestro conqueretur.

Elias in populi peccata zelo correptus, ad extremum illud devenit, ut diceret: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, non erit ros aut pluvia super terram.* Sic Juravit Elias, & ita factum est; triennio 3. Reg. 17. v. 1.
integro cœlum fuit quasi æneum, ita ut nec clamoribus emolliretur hominum, nec mugitibus vel rugitibus insentium animalium, quæ ruri pascentia siti tabescebant. Exsiccabantur fontes, rivuli & torrentes, lacrymæ exarescebant: quæ cuncta admirationem movent, cum tam atrocis sit circumstantia calamitatis, ut ipsam deplorare non sufficiant qui patebantur. Totum hoc videbat Elias, qui facile emendare poterat, siquidem nubium claves Deus ipsi in manum tradiderat: verùm rigor invalescebat, exaruerant omnia, cunctis tamen aridiora erant Eliæ viscera. Quod tam rigidus fuerit hic Propheta, non miror; nam gravitatem penetranti peccatorum, omnis non æterna, levis videtur pœna. Verùm, quod homines tolerent Eliam, hoc equidem miror & obstupesco. Estne possibile, quod pereundum sit mundo, Eliâ remedium habente in manu? consumamur omnes, & homines tolerent Eliam? immò verò, tolerant. Scitisne quare? Quia Elias quamvis claves teneret manu, tam sibi quam aliis fontes obserabat: alii indigebant, Elias mendicabat: alii in mortis agebant articulo, Elias vivebat non sine miraculo: alii exarescebant siti, Elias semetipsum con-

consumebat: istudque verus est zelus. Sed quod in domo vestra fontes decurrant, in aliis sint sicci, quod super sementem vestram nubes depluant imbres, aliorum verò sementem Sol radiis suis exurat, id zeli nomen non meretur: Si tempus Solem desiderat, siccentur omnes; *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos*: si tempus pluviam petat, irrigentur, omnes: *Qui pluit super justos & injustos.* Et si zelus ipse dictet, ut inter bonos & malos, inter justos & injustos conveniens servetur differentia, malum impendeat malis, sed omnibus malis; Bonumque incliuet ad bonos, & ad bonos omnes. Hæc veri sanique zeli est conditio. *Dura sicut infernus æmulatio.* Zælum inferno oportere esse similem, inquit spiritus Sanctus: Notabilis comparatio zeli. Virtus adeò cœlestis comparatur inferno? Sic. Inferni virtutes non novistis. Scitis, quare zelus comparetur inferno? Ratio est, quia infernus est ignis nullum hominem bonum offendens, & nulli homini malo parcens: ast alia ignis zeli vestri est qualitas, inter malos suos habet prædestinatos, quos non tangit, inter bonos suos habet præscitos, quos consumit. Tandem Elias vectus in cœlum, pallium suum Elisæo reliquit: zelus recessit, pallium zeli remansit. Sub honorabili isto pallio quot non committuntur malitiæ!

Matt. 5. v. 45.

Cant. 8. v. 6.

Die quâdam Deus Ezechielem in Spiritu transtulit in Jerusalem, primumque quod vidit Propheta, fuit locus, in quo erat Idolum zeli: Scriptura enim ait: *Et ecce Idolum zeli in ipso introitu.* Tunc putas Ezechiel, inquit Deus, non esse hîc aliud quàm quod videtur; age, parietem perfode; & mirabilia videbis. Perforato pariete Ezechiel ingressus vidit in parietibus domus, depictos colubros, lacertas, basiliscos, serpentes, aliaque horribilissima monstra, in eorumque medio Septuaginta Senes Thuribulis incensum offerentes. *Et septuaginta viri de Senioribus domus Israel, stantium ante picturas, & unusquisque habebat thurribulum in manu sua.* Progredere (inquit Deus) & transito altero pariete, quid vidit Ezechiel? *Et ecce sedebant mulieres plangentes Adonidem.* Nota est fabula, vel historia Adonidis, gentilesque cæremoniæ & ritus ab hoc gentilismo natæ: progressus ulterius (jubente Deo) Ezechiel tertium transiit parietem, & quid vidit? *Et ecce quasi viginti quinque viri dorsum habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum Solis.* Ecce quid ostenderet Deus Ezechieli! Ecce quod, licet non visum, transeat in mundo, si homines ad primos videritis parietes, non plusquam Idolum zeli videbitis; facit homines tam zelosos, tantosque zelatores, ut Idololatræ videantur zeli: sed retro hunc parietem zeli, quid fit? aliqui plorant adonidem, alii Solem adorant orientem, alii incensum offerunt altaribus prohibitis, & plurimi prô dolor! templo Dei terga obvertunt: foris nihil apparet nisi zelus: sed intus non nisi colubri, lacerta, basilisci & serpentes videntur, monstra sunt & monstrosa, quæ tribus parietibus clauduntur; Elias extrinsecus; interius Idololatriæ: si esset qui parietes dirumperet, prô qualia & quanta videret mundus! talis est zelus, tales sunt zelotes, tales & Eliæ, *Elias es tu?*

Ezech. 8. v. 5.

Ezech. 8. v. 11. 14.

Ibid. 16.

§. VI,

§. VI.

AUdito Baptistæ responso, quod Elias non esset, legati tertiò interrogationem ursere. *Propheta es tu*? Huic quæstioni sivè magis breviusque Baptista respondit, *Non*. Jam scitis, quæstionem eandem in terra nostra proponendam, *Propheta es tu*? *Quid dicis de te ipso*? Tunc, qui talia & tanta de te jactas, es etiam Propheta, *Propheta es tu*? *Plusquàm Propheta*. Discursus vestri sunt vaticinia: Propositiones vestræ sunt revelationes: dictamina vestra sunt Prophetiæ: futura vestra contingentiam non habent: Quidquid sequitur, jam totum antè prædixistis; secretorum Spiritus sancti, consilii estis, nihil ibi decernitur, quod non ante vobiscum conferatur. Nunquid hoc sufficit? sed plus, adhuc habetis. In materia status, estis quasi alter Daniel Propheta: in materia Belli vicem obitis Isaiæ: in materia maris, Jonam Prophetam agitis: ubi de Ecclesiasticis agitur rebus, Ezechielis officio fungimini: in castigandis corripiendisque regibus, Nathan Prophetam æmulamini: in deplorandis populi calamitatibus & ærumnis, Prophetam Jeremiam imitamini: in auxilio è cœlo postulando, Baruch Prophetam refertis: ubi de interesse & lucro proprio agitur Balaam Prophetam esse videmini. Infinitæ sanè & immensæ Deo debentur grates qui nostris nobis temporibus tot concessis Prophetas. Non otiosè tot prospera regno nostro sunt prædicta, non poterit profectò non esse gloriosum, cum tot, talibusque gaudeat Prophetis.

Joan. 1. v. 21.

Christus Dominus inter duo animalia fuit natus, inter duos latrones mortuus: & inter duos Prophetas transfiguratus. Inter duo animalia fuit pauper; inter duos latrones fuit crucifixus: inter duos Prophetas fuit gloriosus. Habeant Reges a latere Prophetas, & erunt securæ eorum gloriæ. Sed quales? Moysen & Eliam, mortuum unum, vivum alterum, sed alterius sæculi ambos. Porrò cum Regi nostro adeò necessarii sint Prophetæ, discutiamus paulisper illud: *Propheta es tu*? ut pateścat unde verus Prophetiæ Spiritus veniat, dignoscendus.

Primò adverto, Prophetas non cognoscendos nec æstimari ex numero; nam etsi sint plures, qui idem dicunt, Prophetæ non sunt habendi. Ex libro Regum tertio memorabilem hác super re audite historiam. Rex Achab triennio jam cum vicinis circumquaque nationibus summa pace gavisus, deliberavit, num bello Regem Syriæ impeteret, qui Civitatem partemque Regionis Ramoth Galaad ipsi abripuerat: quem in finem Prophetarum suorum concilium coegit: porrò Textus sacer quadringentos eos numero fuisse asserit: *Congregavit Rex Israel Prophetas quadringentos circiter viros*. Propositio fuit ista, *ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere*? Propositionis motivum erat illud, *Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu Regis Syriæ*? auditâ propositione ejusque motivo seu ratione, Prophetæ omnes unâ voce bellum inferendum esse responderunt, Deumque Majestati regiæ victoriam concessurum: *Ascende, & dabit eum Dominus in manu Regis*. Sub hoc tam auspicato omine, Rex Achab bellum parat: verùm ut eò majore id gloria & apparatu aggrederetur, confœderatum sibi Regem Josaphat, de assistentia & auxiliis interpellat,

3.Reg. 22. v. 6. Ibid. 3. Ibid. 6.

Ibid. 8. pellat, qui annuens petito, dixit: *Non est hic Propheta Domini quisquam ut interrogemus per eum?* Respondit Rex Achab, Josaphato Regi, *Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, qui non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla.* Vocatus igitur Michæas statim venire est jussus; aitque textus, Nuncium, qui vocatum ierat Michæam, dixisse illi, quadringentos Regis Prophetas bellum suadere quibus ipse consentiendo placentia Regi loqueretur:
Ibid. 13. *Sit sermo tuus similis eorum, & loquere bona.*
14. Quid hic responderet Michæas? Hoc, quod simili in casu cuilibet bono respondendum foret homini: *Vivit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Id est, non loquar aliud, quàm quod Deus mihi inspiraverit, & conscientia mea dictaverit. Adest tandem Michæas, & præsentibus Regibus proponitur, illi casus: bellum non auspicandum, aliàs Regem cum exercitu suo periturum esse respondet. Notabilis sanè est ista Prohetarum contradictio! Quidnam hoc casu Regi Achab faciendum fuisse videtur? Ex una parte Prophetæ quadringenti bellum suadebant, ex parte altera Propheta unus abstinendum esse dicebat. Porrò Rex Achab illud consilii est amplexus, quod etiam ego præsentibus circumstantiis suggererem, quamvis contra Michææ mentem mandavit urgeri bellum, ob tres rationes. Prima est, quia pacem multis jam annis habuerat cum Principibus vicinis; & arma otiosa convenit ausibus occupare gloriosis. Secunda ratio est, quia Regio Ramoth Galaad, ad coronam pertinebat Regis Achabi: & pro terris Regni & Coronæ, possibilia & impossibilia attentanda sunt Regibus, ne in manus deveniant hostium. Quælibet terrarum acquisitarum turris seu fortalitium, ubi exprimendum esset, plurimum sanè subditorum vasallorumque sanguinem emitteret, quodque tanto constitit pretio, pro nullo dandum est pretio. Tertia principalisque est ratio; quia tametsi Michææ rationes fuerint bonæ, ex altera parte quadringentis Prophetis contrarium videbatur: in materiis autem negotiisque publicis, quantùm fieri potest, operæ pretium est, opinioni deferre, & se conformare communi. Propter rationem hanc ultimam solam deficientibus aliis, Achabo consulerem, præsentibus concurrentibus circumstantiis bellum inferre non obstante, quod opinionem approbaret Michææ; cujus opinione non erat periculum: quia dictamina practica toties veniunt immutanda, quoties immutantur circumstantiæ. Medicus juxta artis suæ præscripta, infectum Gongrænâ brachium abscindi & auferri mandat, ut reliquum corpus hoc modo & medio salvetur; siu verò infirmus repugnans non se accommodat, scientia medica aliud habet dictamen practicum, quò alia minus violenta, quamvis minus etiam profutura remedia adhiberi mundato juxta hoc dictamen Rex Achab quadringentorum Prophetarum opinionem amplexus, bellum decernit; sonant tubæ progreditur exercitus, initur conflictus in Ramoth; at paucis elapsis horis Rex Achab suo devicto exercitu vulneratus occumbit. Casus notabilis! Ecce quàm diversa sint humana accidentia & judicia, ecce discrimen inter Prophetas. Ex una parte quadringenti erant Prophetæ; ex altera unus tantùm Propheta: Rex inclinavit parti quadringentorum, successus verò partis

partis quam tenebat unus. Idcircò Prophetias non ex numero dijudicandas affero. Prophetiæ in Scriptura sacra ubique vocantur onus. *Onus Ninive*, *onus Assyriæ*, *onus Ægypti*. Onus Ninive, idem est, quod Prophetia Ninive: Onus Assyriæ, idem est quod Prophetia Assyriæ: Onus Ægypti, idem est, quod Prophetia Ægypti. Prophetas ponderare, non numerare oportet. Numero excellebant Michæam Prophetæ quadringenti; è contrariò Michæas pondere excedebat quadringentos.

§. VIII.

SUpposito quod Prophetæ dignoscendi non sint ex numero, unde igitur cognosci debent? Ex tribus; ex oculis, ex corde, & ex eventu. Prophetæ cognoscuntur ex oculis, quia videre, est vaticinii fundamentum: in Scriptura sacra Prophetæ vocantur *Videntes*; Solùm qui vident, (iterum dico) solum, qui vident sunt Prophetæ: nam sicut nobilissima Prophetia supernaturalis in visione subsistit; ita certissima Prophetia naturalis consistit in visu. Solùm qui vidit, naturaliter prophetizare potest cum certitudine. Ratio valdè evidens est. Prophetia humana consistit in vero discursu; verus discursus formari non potest, nisi cum omnibus notitiis; & omnes notitias solùm habere potest, qui vidit oculis. Nihil ita antiquorum opinione receptum fuit, quàm zonam torridam inhabitabilem esse: & rationes, quibus Philosophi hoc probabant, videbantur tam evidentes, ut nullus hoc negaret. Detexerunt tandem Lusitani Navarchæ ora Africæ & Americæ, plus scientes, meliusque Philosophati ex unius diei visa, quàm omnes Sapientes, totiusque mundi Philosophi, ex quinque millium annorum speculatione. Discursus ejus, qui non vidit, sunt discursus: dictamina ejus, qui vidit, sunt Prophetiæ.

Alterum Prophetiæ signum est cor; quilibet enim juxta cordis sui sensum vaticinatur. Veteres futura prognosticaturi, sacrificantes animalia, exta consulebant, & juxta id quod videbant in illis, divinabant. Non caput, intellectus sedem, sed viscera seu interiora, ubi locus est amori, consulebant; neque enim, qui melius intelligit, sed qui plus amat & diligit, melius divinat. Hic mos, ante Christi adventum, in tota universaliter invaluerat Europa, & Lusitani cæteros inter Gentiles erant singulariores. Alii intestina consulebant animalium; Lusitani intestina consulebant hominum: quod Strabo libro tertio historiæ suæ affirmat: *Lusitanis vetus mos erat ex intestinis hominum futura prospicere, atque inde omnia & divinationes captare.* *Strabo lib. 3.* Superstitio erat falsa; Allegoria verò erat verissima. Non datur Prophetiæ lumen certius in mundo, quàm consulere intestina hominum. Et quorum hominum? omnium? nequaquam: sed sacrificatorum. Intestina sacrificatorum consulebant Antiqui. Primò sacrificabant, deinde intestina consulebant. Si velitis prædicere futura, hominum, & hominum quidem sacrificatorum consulite intestina: intestina consulantur sacrificatorum; consulantur intestina eorum, qui se sacrificaverunt, & sacrificant, & quod illi dixerint, Prophetia habeatur: Consulere autem intestina ejus, qui se non sacrificavit, nec se sacrificat, neque sacrificabit, illud est, non velle Prophetias veras; istud est errare in præsenti, & non attingere futurum.

Ul-

Ultimum Prophetas cognoscendi signum, est eventus. In Deut. Deus populo suo promisit Prophetas, signumque ex quo cognoscerentur adjunxit: *Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per timorem animi sui Propheta confinxit.* Id est, si dubitaveritis de aliquo, utrum Propheta sit, nec ne, regulam hanc observabitis. Si, quod prædixit, postea evenerit, verus Propheta habeatur: sin verò, Pseudo-Prophetam habetote. Facilius, certiusque signum dari nequit.

Deut. 18. *v.* 22.

Scitisne quos qualesque censere debeatis Prophetas? Scitisne quales veros ejusmodi Prophetas haberi oporteat, qui futura prædicent? illum seu illos, de quibus experimentaliter vobis constat, quod omnia, seu quasi omnia, quæ prædixerunt, postea evenerint. Dictamen istud Pharao in Josepho, Nabuchodonosor in Daniele secutus est, omnesque Principes prudentes suis in consiliariis observant. Sed quemadmodum multi dantur Prophetæ prognosticantes futura, pari pacto dantur Prophetæ referentes præterita. Multi multumque celebrati inveniuntur. Prophetæ, qui post eventa mala prophetant pœnitendo, quæ melius fuisset prophetâsse discurrendo. Istud ex tormentis Christi in Passione fuit non minimum. Velaverunt Christo oculos linteo, in faciem dederunt alapas, illudentesque dixerunt: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Prophetare, postquam in faciem quis est percussus, est Prophetia oculos habentis velatos, est illusoria Passionis Christi Prophetia. Prophetandum est, non quis alapam vobis dederit, sed quis daturus sit: quia melius est vulnera prævidere, quàm remedium adhibere; cùm quædam non curentur: Ast si eventus Prophetiam confirmaverit, qui illam enunciaverit, Prophetam habetote. *Propheta es tu?*

Matth. 26. *v.* 88.

§. VIII.

Toedio tandem affecti legati cum Messiam, etiam, & Prophetam se esse Baptista negaret; cum interrogando nihil expiscari possent, ipsummet, ut quis esset, ediceret, rogârunt. Huic instantiæ sanctus Joannes Baptista non potuit non deferre. Et quid vobis responsurus videretur? *Ego sum vox clamantis in deserto.* Ego certè responsionem hanc non intelligo. Legatis interrogantibus Baptistam quid faceret, ante respondisset voce, quæ clamabat in deserto: nam quicquid sanctus Joannes in deserto faciebat, non erat nisi vociferari, & clamare: sed supposito, quod legati interrogabant, quis esset, quomodo respondet illis, hoc quod faciebat? respondit optime, nec minus prudenter. Interrogantibus quis esset, respondit quid faceret: quilibet enim hoc est, quod facit, & nihil aliud. Causæ definiuntur per essentias; Baptista sese definivit per actiones: quia cujusque actio sua est essentia, definivit se per hoc, quod faciebat, ut declararet hoc, quod erat. Hinc magnum nobis patebit dubium, & quæstio, quam discutere omisimus. S. Joannes Baptista interrogatus num esset Elias, respondit quod non, *non sum*: Porrò Christus Matth. cap. 11. Baptistam Eliam esse asseruerat; *Joannes Baptista ipse est Elias.* Si igitur Christus Baptistam, Eliam

Joan. 1. *v.* 23.

Matt. 11 *v.* 14.

Eliam esse asserit, quo pacto ipse se Eliam esse negat? sanctus Joannes Baptista decipere nolebat; nec decipi poterat Christus; quomodo igitur loci isti conciliabuntur & verificabuntur? facillimè profectò. S. Joannes Baptista & erat Elias, & non erat Elias: non erat Elias personaliter, quia utriusque persona erat diversa: erat Elias officio, quia exercitio & actionibus concordabant. Modestia Baptistæ Eliam se esse negavit diversitate personæ: veracitas Christi Eliam eum affirmavit actionum conformitate. Erat Elias, Eliæ officium & actus exercendo. Eliam æmulans opere, Elias est: Joannem Baptistam operando imitans, Baptista erit: & faciens quod fecit Judas, erit Judas. Opera sua quemlibet connotant, nec quicquam aliud. O quàm gravis est hæc doctrina pro auditorio cui loquor! interrogati quinam sitis, Majorum vestrorum nobilium nolite revolvere Genealogiam, vestrarum tantùm actionum inspicite matriculam: vestra vobis opera, quales sitis, ob oculos ponent: Interrogatus Joannes Baptista quis esset, non se Joannem vocari, nec filium Zachariæ se esse affirmavit; neque per parentes, nomenve proprium se definivit: Ex suis tantùm operibus competentem sibi formavit definitionem, *Ego vox clamantis in deserto.*

Jam dudum dupliciter me nostra Lusitana scandalizavit Grammatica, in nobilitatis vocabulo: Nobilitas vocatur *Qualitas*, etiam *Sanguis* nuncupatur. *Qualitas* ex decem prædicamentis est unum, ad quæ Philosophi reduxerunt omnia: Sanguis ex quatuor humoribus est unus, unde componitur vel construitur corpus humanum. Nobilitatem non solùm qualitatem, nec sanguinem solum assevero: Nobilitas omnia quatuor humorum Prædicamenta, & omnes quatuor humores includit. Est Nobilitas sanguinea, ideoque tot sunt sanguinolenti; Est Nobilitas melancholica, ideoque tot sunt malè contenti: Est Nobilitas cholerica, ideoque tot dantur impatientes & intolerabiles: Est Nobilitas phlegmatica, & hinc tot ad nihil idonei; proinde si qui ex nobilitate infirmentur, infirmitas non solùm offendit sanguinem, sed omnes pariter quatuor humores. Idem usu venit in decem Prædicamentis. Est Nobilitas substantialis; quidam enim præter nobilitatem, aliam non habent substantiam. Est nobilitas quantitativa; sunt enim Nobiles, quia multum habent de suo: Est nobilitas qualitativa; quia non pauci (quod negari nequit) valdè sunt qualificati. Est nobilitas relativa; ad quam spectant nobiles certos ob respectus. Est nobilitas passionis: quo spectant ex nobilitate passionati. Est nobilitas, *Ubi*: quò spectant nobiles magna occupantes loca. Est nobilitas situs: ad quam referendi sunt Nobiles Titulares, quibus sedentibus alii stant. Est nobilitas habitus: in qua Nobiles pretiosâ & splendidâ vestiuntur togâ. Est nobilitas durationis, in qua Nobiles ex Antiquitate suum stemma deducunt. Quænam verò ex omnibus istis est vera nobilitas? non alia, quàm actiò. Ad prædicamentum actionis, vera pertinet nobilitas. Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi; vix ea nostra voco. Heroicæ actiones, & non parentes illustres efficiunt Nobiles. Quilibet est hoc quod agit, nec plus nec minus, sicut S. Joannes Baptista, *Ego vox clamantis in deserto.*

§. IX

§. IX.

Ex hac doctrina tam vera, & ex hac ultima Baptistæ conclusione, duo finaliter documenta deduco: Politicum unum, spirituale alterum. Dico politicè, in actionibus fundandas esse electiones: Dico spiritualiter, actionibus certificandas esse prædestinationes. Electiones ordinariè fundantur in generationibus, & hinc tam raro succedunt, inficias non eo, nobilitatem talentis comitata, omnibus meritò præferendum: quia verò talentorum collator est Deus, & non Parentes; idcircò non in sanguinibus sed actionibus electiones sunt fundandæ. Hoc dictamen omni & vel maximè præsenti tempore verissimum ipsa necessitas confirmat. Pacis tempore transeat, quod loca digniora conferantur Natalibus: Belli verò tempore conferenda non sunt nisi actionibus.

Ezechiel Propheta capite primo. Mysteriosum istum vidit currum, quem animalia quatuor, Homo, Leo, Bos, & Aquila trahebant. Cap. 10. eundem denuò vidit currum ab iisdem trahi animalibus, ordine verò inverso: in visione enim prima, locum primum tenebat Homo; in visione secunda primum locum Bos tenebat. Notabilis planè mutatio. Quod in visione prima, Homo anteponatur Leoni, Aquilæ & Bovi, justissimum sanè erat; quia idipsum animalium omnium Dominus, Deus fuit: sed in visione secunda creatus ad laborem, & sacrificium bos, capitibus tribus coronatis, homini videlicet mundi Imperatori, leoni animantium terrestrium Regi, aviumque Reginæ Aquilæ anteponatur! Ita sanè. Literalis expositorum optima ratio est ista. In visione prima currus stabat in templo. In visione secunda, currus egressus est ad campum; *Egressa est gloria Domini de limine templi.* Ezech. Cap. 10. v. 18.
Et quod currui, quando otiosus est, primus tribuatur locus, transeat: sed quando currum egredi seu trahi oportet in campum, melius trahenti locus primus assignandus est: Et quia bos melius trahit, quàm homo, ideo bovi primus locus datus est. Curru quiescente in templo pacis, loca potiora tribuantur digniori; curru verò existente jam in campo, prima loca assignentur melius trahenti. Et sicut politicè consultum est, ut electiones fundentur in actionibus: pari pacto spiritualiter prædestinationes actionibus certificandas & confirmandas affirmo. S. Petrus Epistola secunda inquit: *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Si 2. Pet. 1. v. 10.
quem hominum interrogem, *Tu quis es?* quantùm ad temporalia in quacunque materia respondere potest certitudinaliter: si quem interrogem hominum, *Tu quis es?* Quantùm ad spiritualia, non est in mundo, qui quæstioni huic respondere possit. Quilibet nostrûm spiritualiter est talis, qualis est futurus; qualis quisque sit futurus, nemo scit, proinde nemo ad quæstionem hanc, *Tu quis es?* Certitudinaliter respondere novit. Major miseria, perplexitas major, & afflictio spiritus in humana non datur vita, quàm quod homo æternùm se aut miserum, aut beatum futurum sciat, qualis autem ex his duobus futurus sit ignoret: Utrum præscitus sit, an prædestinatus. Huic om-

omnium anxietatum maximæ, huic perplexitatum omnium potissimæ, S. Petrus unico occurrit remedio, quod solùm ipsi suppetit, & suppetere potest: *Satagite ut per vestra bona opera vestram vocationem & electionem certam faciatis.* Si de prædestinatione vestra securi esse desideratis, major ad hoc in vita hac, sine revelatione, certitudo dari nequit, quàm opera bona facere: opera facite bona, & moraliter certi estote, prædestinatos vos esse. Iste verus est verborum S. Petri sensus, quæ sic S. Thomas, omnesque Theologi exponunt. O quanta felicitas, quod nostris in operibus, prædestinationis nostræ securitatem habeamus! in vita altera Deus opera nostra bona reali æternæ suæ gloriæ solvet possessione; in vita hac jam solvere incipit ejus securitate.

Agite igitur Christiani, cum nostris in actionibus, nostris in operibus ingens adeò thesaurus sit depositus, cavete ne perdatis: satagite; certam nostram facere vocationem, & prædestinationem pro viribus allaboremus; totos nos divinis observandis præceptis impundamus, omnes occurrentes perrumpendo difficultas & obstacula: ostendamus nos mundum novisse & fallacias ejus; resolutione magnâ confringentes laqueos & vincula qualiacunque quibus innodatos nos attinet. Ex toto corde ad DEUM conversi, totis nos viribus ad ipsius gratiam recipiendam disponentes, præmium certum gloriæ æternæ faciamus: quam mihi vobisque concedere dignetur, &c.



SERMO




SERMO

PRO

Dominica quarta Adventûs.

Factum est Verbum Domini super Joannem, & venit in omnem Regionem Jordanis, Prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3.

§. I.



ETIAM me tacente (AA. Christiani) Etiam me tacente jam dictum est, & se ipso innotuit, quod hodie judicium quartum simus habituri. In sermone primo vidimus judicium Dei cum hominibus : in secundo vidimus judicium hominum in alterutro : in tertiò vidimus judicium cujusque erga seipsum. Quale verò judicium nobis hodie videndum restat? Neque sui ipsius, neque hominum, neque Dei, sed trium horum judicium est judicium. Omnia tria jam visa judicia hodie citata veniunt ad judicium. S. Joannes Baptista supremum in hoc Evangelio pœnitentiæ erigit Tribunal: *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, & cum magna proprietate, magnoque sub mysterio ad Jordanis ripas illud collocavit; *in omnem regionem Jordanis* : quia Jordanis idem est quod, *fluvius judicii.* Ad videndum se in aquis hujus fluvii, ad sese huic sistendum Tribunali, prædicta tria veniunt judicia, & singula seorsim, suas ob causas & rationes. Judicium sui ipsius propter suspiciones venit; quia suspectum habemus: Judicium hominum, ob gravamina paret; quia ab illo gravamur :, Judicium Dei venit per appellationem; quia à Deo ad nostram appellamus pœnitentiam. Omnia hæc judicia hodie judicabuntur, rectèque & bene judicanda spero : Nam pœnitentiæ judicio sui ipsius judicium emendatur; judicium hominum despicitur : judiciumque Dei subducitur & revocatur. Judicium sui ipsius emendatum, judicium hominum despectum, judicium Dei subductum & revocatum hodie videbimus. Habemus, Christiani, ultimi sermonis hujus materiam. Porrò si quid præcedentibus sermonibus in vestris intellectibus merui (quod quàm modicum sit, sentio) optarem, ut vestra mihi hodie corda debitum solvant : Cordibus hodie, non intellectibus prædicare institui.

Christus prædicatores seminatoribus comparat : *Exiit qui seminat, seminare semen suum, quod est Verbum Dei.* Ultimum prædicatorum sermo est Augustus, si quis colligitur fructus, in hoc ultimo ser- Luc. 8. v. 5. 11.

sermone colligitur. Ast quando sanctum Joannem Baptistam clamare, iterumque clamare in deserto video, *vox clamantis in deserto*, quem fructum sperare poterit prædicator, *qui non est dignus* [sicut ille dicebat Christo] *ad solvendam corrigiam Calceamentorum ejus* ? Ita prorsus se res habet, Domine Jesu Christe, fructus, animarumque conversio non à nostris prædicationibus, sed à misericordibus tuis dependet oculis. Enormitèr peccaverat Petrus, post tres negationes, *respexit Jesus Petrum*; Conjecit Christus oculos in Petrum, statim cantavit Gallus, *& recordatus est Petrus: & exivit foras, & flevit amarè.* Casus hujusce consequentias notate. Conjecit Christus oculos in Petrum; Gallus cantavit: conversus est Petrus. Non respiciente Christo, licet voces sint Joannis Baptistæ, prædicator clamat in deserto: respiciente autem Christo, quamvis voces sint unius galli; convertitur Petrus. Enim verò, ut Christus convertat animas, necessarii non sunt Baptistæ, celebresve prædicatores, seu graves quoque rationes: bruti cujusdam animantis ad convertendum, immutandumque illum, qui trina negaverat vice vox sufficit. Sic planè se res habet, Domine Jesu Christe; sic se res habet; & licet ego tam vilis sim creatura, & instrumentum tam indignum & ineptum ad tantum opus, summæ misericordiæ tuæ oculos ad eorum, qui me audituri sunt, corda converte. *Qui respicit terram & facit eam tremere.* Respice Domine, quia licet simus de terra insensibiles, trememus ne te offendamus: *aspexit & dissolvit Gentes*, respice Domine, quia, licet corda sint dura sicut saxa, emollientur: verba mea inflamma; intellectus nostros illumina; ut rectum & perfectum de te, de nobis, & de mundo judicium formemus. De te; ut te cognoscentes competenter veneremur, de nobis; ut nos cognoscentes humiliemus: de mundo, ut cognitum despiciamus. Accedant nunc prædicta tria judicia, seque pœnitentiæ tribunali examinanda & judicanda sistant: Judicium sui ipsius, ut emendetur; judicium hominum, ut condemnatur; judicium Dei, ut retractetur & revocetur.

Luc. 3. v. 4.

Ps. 103. v. 32.

Habac. 3. v. 6.

§. II.

Agedùm, à Viciniore nobis, id est sui ipsius judicio exordiamur. In Areopagitarum Atheniensium Tribunalibus, Reis facie velatâ se sistere mos erat: pari modo ante pœnitentiæ Tribunal judicium sui ipsius comparet. Oculis se sistit velatis; quia magis cæcum judicium non datur: judicii cæcitas amorque proprius major est oculorum cæcitate. Cæcitas oculorum res non videri facit, proprii cæcitas amoris, alias à se ipsis, & diversas videri facit, quæ longè major est cæcitas.

Adduxerunt ad Christum quempiam cæcum, ut illum curaret: cui Christus imponens oculis manum, quid videret, interrogavit? qui respondit: *video homines ambulantes sicut arbores.* Hîc nunc quæro, quando homo iste magis cæcus fuerit, num in præsenti an in præterito? nullum est dubium, quin visivâ aliquâ utebatur potentiâ, viso verò ista major erat cæcitas illa, quâ laborabat anteà: nam anteà videbat nihil, nunc unum videt pro altero, arbores videlicet, loco hominum: & revera major est cæcitas unum videre pro altero, quàm videre nihil. Videre nihil est Privatio, unum videre pro altero, est error. Ecce hic, quare judicium proprium erret; Ecce hîc quare nunquam penetremus

Marc. 8. v. 24.

mus nos ipſos; quia excæcatis magis nos contuemur oculis,quàm ipſi cæci, quibus ſemper unum pro altero videntibus, res parvæ videntur magnæ. Herbas non nihil altitudine excedimus, & arbores nos proceritate æquare cenſemus: inſtabiliſſimum quiddam rerum mundialium exiſtimus, & firmiter nos radicatos putamus; Hyeme nobis aufferente folia, tempus vernum eadem nobis reſtituturum imaginamur; quod ſemper florebimus, ſemperque duraturi ſimus nobis perſuademus: iſtud ſumus, & hoc cogitamus & opinamur.

Verum enim verò quid agit pœnitentia ad emendandum hoc judicium, quod eſt ſine judicio? Quid illuminando huic cæco tam cæco pœnitentia præſtat? facit duo. Velum removet ab oculis; & ſpeculum in manum tradit. Submovet velum ab oculis, ſicut peccator petebat à

Pſal. 118. v. 18. Deo: *Revela oculos meos*; ad manum tradit ſpeculum, ſicut ad peccatorem con-

Pſal. 49. v. 21. teſtatur Deus: *ſtatuam te contra faciem tuam.* Nullius nos rei major tenet oblivio, & ignorantia, quàm noſtri ipſorum. Quid verò facit judicium pœnitentiæ? Nos ante nos ſtatuit, *ſtatuam te contra faciem tuam.* Nos nobis tanquam reos tribunali ſiſtit, ut nos judicemus; proponit nos nobis velut objectum ſpeculo, ut nos videamus. Difficillimum quid eſt, ut homines ita in exteriora effuſi, ſe ipſos interiùs,ſicut par eſt, ſe videant: idipſum verò pœnitentia efficit duobus modis utriſque mirabilibus: vel oculos ab exterioribus ad interiora convertendo, ut nos videant oculi noſtri. Vel nos ipſos, ab interioribus ad exteriora avocando, ut nos contemplemur.

Deus vaniſſimum illum ſuique immemorem Regem Nabuchodonoſorem converſurus,ut à peſſimis, ſuperbiſſimiſque cogitationibus deſiſtens, hoc quod erat cognoſceret, primâ hac viâ ad pœnitentiam illum deduxit, ut in Brutum illum transformaret. Circa transformationis hujus modum mirè variant Doctores; aliqui transformationem nonniſi imaginariam, alii veram eam fuiſſe aſſerunt: & poſito, quod modus iſte ſecundus textui videatur conformior, utrumque tamen poterat eſſe. Si transformatio fuit imaginaria,Nabuchodonoſor oculos convertit introrſum,talemque ſe vidit ad vivum, qualis erat, ut ab iſto momento non amplius ſe hominem ſed Brutum æſtimârit, & quà tale ſe tractaverit: ſi fuit transformatio vera, Deuſque Nabuchodonoſorem converterit in Brutum,nihil hoc fuit aliud,quam illum ab interioribus ad exteriora convertere, ut in figura monſtraret foris,quod in moribus erat intùs. O quàm longè alium ſe ſibi imaginabatur Nabuchodonoſor,antequam talem ſe eſſe videbat! ante non contentus eſſe homo, Deum ſe eſſe ſibi imaginabatur: nunc multò minorem homine ſe cognoſcebat, quia brutum ſe inter bruta videbat. Si oculos converteremus ad interna, vel ſi Deus nos ipſos internis ad externa verteret,prô quàm diverſum ab eo,quem nunc format, de ſe quilibet formaret conceptum! Verùm greſſus legentes Nabuchodonoſoris,& illum & nos videbimus.Brutum illud rationale; primo transformationis ſuæ die inter Bruta paſtum carpſit; ſitibundum ſub veſperum, quadrupes ad fluminis ripam perrexit, & in flumine iſto figuræ ſuæ deformitatem contemplatus,Deus bone! quàm neceſſario attonitum de ſe ipſo exhorruerit! maluiſſet

utique fugere à se ipso, & nisi Deus illud præservâsset (qui per illos Babyloniæ campos, ad perpetuum superborum Exemplum, ipsum ducere decreverat) in flumen se præcipitâsset ibique in sua primò confusione, in fluminis verò undis secundò sepultum fuisset. Quis verò iste est fluvius, nisi Jordanis, fluvius judicii? Et quis est Nabuchodonosor iste transformatus, nisi peccator, brutum cum ratione, & sine judicio ejus, qui in campis hujus mundi & pascuis inter bruta, magis ipse brutus oberrat? unico tantum discrimine nos & Nabuchodonosor distamus, quod ipse à se fugere volens non possit, nos adhuc valentes nolimus. Accedit tandem peccator in fluvii hujus sese contemplaturus aquis, in speculis inquam istis naturalibus, fucatis, & non videt de repente, quod viderat nunquam; videt se ipsum, ô stuporem & admirationem! est ne possibile, quod iste sim ego? talis ne fœditas, talis horror, brutalitas talis, talesne deformitates in me dantur? imò tales multoque adhuc majores; talis omninò es, & non quod te esse cogitas & putas: considera num effigies illa mentis tuæ conceptui & ideæ respondeat. Inspice, diligenterque in speculo isto considera faciem, inferioresque animæ tuæ operationes, examina benè istos tuos oculos qui tuæ sunt intentiones; istos capillos, quæ sunt tuæ cogitationes, istud tuum os, tua videlicet verba, illas tuas manus, quæ actiones tuæ sunt & opera: attende solicitè, utrum imago hæc ideam tuam referat; vide utrum hoc quod conspicis, imaginationem tuam exprimat; vide utrum te noveris, utrum iste sis, an alius, *Tu quis es?*

§. III.

Scitisne, Christiani, quare simus tam vani, & à nobis ipsis tam alieni? quia oculos extrorsum, & nos introrsum habemus, idcircò nos non videmus si nos interiùs intueremur sicut sumus, si ritè peccatorum nostrorum fœditatem penetraremus, ô quàm alium de nobis formaremus conceptum! tam diversi ab illustribus, tam alieni à Dominis, tam distantes à potentibus, tam remoti à prudentibus, tam rudes in civilibus, tam parùm habentes de doctis & sapientibus, tam nihil de viris strenuis & Heroicis: denique alii & alieni ab omnibus! Quare? quia vos non videtis interiùs. Enim verò si vel semel mentis vestræ oculos in vestra defigeretis peccata; quomodò omnia ista emendaretis Epithetà! in mundo nullus hominum unquam gloriari potuit instar Davidis; quia in ipso natura, fortuna & gratia conjunxit, quicquid magnates inter & potentes distribuit, ac divisit: nihilominus humiliorem nullum, seu modestiorem, minusve gloriabundum, majoremque sui ipsius contemptorem invenietis, quam Davidem. Et unde hoc ipsi evenisse putatis? *Peccatum meum contra me est semper.* *Psal. 50. v. 5.* David sua semper intuebatur peccata, illaque & se in illis intuendo, sua contemplatur peccata, quasi actuum & operum suorum imagines consideràsset: *Quasi peccatorum imagines contemplando*, dicit sanctus Chrysostomus. *Chrysost. Ibidem.* Nullus dubitabit, quin in palatio Davidis parietes multi tempore æstivo picturis, hyemali verò famosissimis actionum suarum hystoriis, seu figuris depictis seu intertextis tapetibus fuerint exornati. Non Hercules tantam artibus præbuit materiam suis laboribus, quantam

tam David suis victoriis: Harum nihilominus visione gloriosus ille Rex non occupabatur; neque istud ambulacrum quod nec ambulabat: sed, *Peccatum meum contra me est semper: quasi peccatorum imagines contemplando.* Ex harum apposito picturarum (sancti Chrysostomi considerationi inhaerendo) David aliud fragilitatum suarum ambulacrum exstrui mandavit, in eoque diversis in locis, non famosas, sed miserandas peccatorum suorum historias depingi jussit: hîc Rex pius suis vacabat meditationibus, & maximam victoriarum suarum animum victoriam obtinebat, quae fuit, cognitio sui ipsius.

Quasi peccatorum imagines contemplando. Procedamus cum Davide considerando peccata, & Epitheta corrigendo. Dirigebat David oculos ad locum unum, vidensque historiam Bethsabae, sibi ipsi dicebat: Estne possibile, quod totus me mundus habeat veneraturque Prophetam, & non praeviderim ego, quod visionem sequeretur cogitatio, cogitationem desiderium, desideriumque exciperet tam indigna & statui & personae meae executio: non me Prophetam deinceps, sed caecum vocitent. Estne possibile, quod totus me mundus generosum, magnanimumque celebret, & una mulier ad praevalendum contra me suffecerit, ne ad bellandum in
Paral. 20. v. 1. campum exirem, *eo tempore quo solent Reges ad bella procedere*? Nemo me magnanimum fortemque nominet; impotentem me valdè compellent. David uno alterove passu progressus, historiam videbat Uriae, quomodo literas ipsi traderet ad Joabum deferendas, quomodò in prima mox occumberet velitatione, & assultu hostilem expugnando civitatem: Quo pacto gloriosum me reputabo principem, qui tam enorme, mande homicidium propriae manus subscriptione? & Vasallum tam fidum, honore ipsius praeviè violato, ipsum etiam vitâ dolosè privavi? non veracem me amplius, sed dolosum & perjurum reputabo. Estne possibile, quod Deus me populi sui Regem ad defendendum conservandumque constituerit, nunciumque exercitus profligati, propter novum Uriae occisi nuncium me non conturbet, plurisque faciam liberè appetitui indulgere, quàm civitatem perdere & tot generosos milites? Non me Regem vocent, Tyrannum me nuncupent. David promovendo gressum in aliam incidebat picturam, casum videbat Nabal carmeli, occurrebat memoriae, quomodò necem decreverit omni quod in ejus spirabat domo, Abigail verò uxoris ejus precibus flexus animi mutaverit sententiam. Quomodò possibile, quod ab omnibus celebrer misericors & benignus, cùm tamen hominē occidere decernam, qui bona sua militibus meis fugitivis, qui me sequuntur, elargiri recusat? Ego ille Ursorum Leonumque domitor in deserto, nec irae quidem motum domare potui in meipso? Non me humanum amplius, sed ferocem appellent. Quâ me fronte justum rectumque jactem, cum causa Nabal fuerit tam justa (saltem nullâ poenâ digna) ad placandam iram meam non suffecerit justitiâ causae suomet patrocinio adjutae: sed postmodùm ab Abigail praesentatâ, plus valuerit unum memoriale seu supplica, in qua species ejus & vultus potius, quàm juris ratio attendebatur? Non me justum & rectum, sed Respectivum compelletis. Progrediendi Davidi alia in oculos incurrebat pictura, historica scilicet Sibae, quomo-

dò calumniosè Dominum ſuum Miphiboſeth accuſaſſet, quomodo facultatum ipſius cepiſſet poſſeſſionem, quomodoque probatâ poſtea calumniâ medietatem tantùm reſtitui juſſerit. Qua ratione prudentis circumſpectique viri nomen uſurpare mihi poſſim, qui ad famuli tantùm unius dictum, ſine informatione alia, vel judicii forma, Mephiboſeth læſæ Majeſtatis reum pronuncio, facultates ipſius confiſcando ejuſdemque delatori aſſignando? non me prudentem amplius, ſed temerarium arbitrabor. Quomodo poſſibile eſt, quod in ore vulgi nomen habeam recti, & poſt demonſtratam calumniam, probatamque innocentiam medietatem bonorum infido relinquo proditori, neque omnia innocenti reſtitui mando? non me æquum deinceps, ſed iniquum dicam. Ecce quomodo David per ſpecies figuraſque peccatorum ſuorum ſua mutaverit Epitheta, judiciumque ſui ipſius emendaverit, & cùm tantam in ſe haberet materiam vanitatis, tantam invenerit veritatis. Agite Chriſtiani, quilibet ſibi peccatorum ſuorum imagines proponat, *Peccatorum imagines contemplando.* Parumper de iis cogitet & contempletur, videbit quomodo ideæ veteres phantaſiæ paulatim obliterentur, erroneumque de ſe judicium emendet. Omnes vos putatis honorabiles, omnes vos cenſetis potentes & magnanimos, omnes vos ſapientes jactatis & doctos, omnes vos prudentes venditatis & circumſpectos; placetne epitheta variare? introrſum oculos ad peccata convertite. Dicite, nunquit honorati mihi nomen vendicare meritò poſſum, qui tantum flagitium commiſi, eò quòd Domino Deo meo, qui me creavit, & ſanguine ſuo redemit ingratus & infidelis extiti? nullo prorſus honore, ſed vilis omnique abjectione ſum digniſſimus. Ego me fortem & magnanimum puto, & toties tam fragilem me oſtendo, ut cuilibet tentationi ſuccumbam, tergumque obvertam Chriſto, ut ne cogitationi quidem, amore ipſius, reſiſtam? non ſum fortis, nec generoſus; vecors ſum & infirmus. Ego ſapientiam mihi tribuo, & tam fœdam commiſi ignorantiam, qualis eſt, Creatori anteponere creaturam, ſummam miſeriam, ſummo & infinito bono? non ſapiens, ſed ſtultus ſum & inſipiens. Ego doctum me & circumſpectum conſidero, & tam extremam commiſi ſtultitiam, ſicuti eſt, pro leviori quodam deſiderio, pro delectatione momentanea in diſcrimen vocare æternitatem gloriæ & inferni? non ſum doctus & prudens, fatuus omninò ſum. Hoc modo pœnitentiæ judicium, judicii noſtri errores & cæcitatem emendat. Loco ſapientis ponit ſtultum, loco prudentis collocat ignorantem, loco fortis & generoſi ignavum & debilem, & loco honorabilis vilem collocat & abjectum: illud nos eſſe putabamus, & hoc ſumus, nemo nobis melius, quid ſimus, quàm peccata noſtra dicens.

§. IV.

Enim verò peccata noſtra oculis oppoſita, adhuc alium efficaciorem & potentiorem convincendi & emendandi habent modum, ſcilicet nos convincendi ex nobis ipſis, judiciumque noſtrum proprio noſtro judicio emendandi. Quilibet in ſui ipſius judicio ſuo ſe valere & dignitate metiri & æſtimare debet. Et qualem ſe quilibet noſtrum æſtimat? iſtud non in noſtris cogitationibus, ſed in noſtris peccatis apparet. Quotieſcunque homo pec-

3. Reg. 21. v. 25. peccat, per peccatum se vendit: *Venundatus est ut faceret malum*, ait S. Scriptura. Quilibet igitur pretium pro quo se venùm exponit, consideret, & inde quid sit judicabit. Vultis scire quid sitis ex vestra æstimatione? pretium attendite, pro quo vos venundatis; peccata vestra inspicite: pro concupiscentia, pro cogitatione, pro vanitate denique aliqui vos venditis: per modicum sane pro tantillo datur: porrò si nos vendimus pro tantillo, quomodo æstimamus nos tanti? Ah filii Adam! Qui Adamum cum tot tantisque divinitatis præsumptionibus vidisset in Paradiso, non putasset in toto mundo dari pretium, quo se venderet. Et quid accidit? & se, & omnem posteritatem suam pro uno dedit pomo. Si nos vendimus pro uno pomo, quomodò, quæso, tanti nos æstimamus? si vos æstimatis tanti, nolite vos venundare pro tantillo: & cùm vos jam detis pro tantillo, nolite vos majoris æstimare: nulla subest ratio, cur se quispiam in animo tanti æstimet, qui tam vili se pretio in peccato suo vendit. Nunc demùm spiritum prudentiamque advertetis Davidis, peccatorum suorum imagines ob oculos sibi ponentis, *Peccatorum imagines contemplando*, quando ad contritionem, suæque miseriæ cognitionem sese excitare disponebat. Videtur David velut Propheta aliam magisq; moventem imaginem sibi proponere potuisse: nonne magis movisset Davidem imago Christi crucifixi, cùm non ignoraret Deum propter eadem peccata in Cruce moriturum? dico, quod non: & ecce dicti mei rationem. Multò melius me cognosco ante imaginem alicujus peccati, quàm ante imaginem Christi crucifixi: ante Christi crucifixi imaginem consistens, superbire posse optima ratione mihi videor: pretium enim video quo me Deus comparavit; verùm ante peccati cujusdam imaginem positus non nisi humiliandi me causam invenio, quia pretium video, quo me vendidi: toto Christi sanguine comparari me cernens, non possum non pretiosum me reputare: sed quod pro re nihili hujus mundi me vendidisse videam, non possum non vilem, nulliusque me pretii æstimare. Ecce ad quid sui ipsius reducatur judicium; quando homo se contemplatur in speculo, in suorum se peccatorum videt imagine: pari planè modo illum immutat, & illum corrigit pœnitentiæ judicium: *Prædicans Baptismum Pœnitentiæ.*

§. V.

Emendato in judicio Pœnitentiæ sui ipsius judicio; secundo loco sequitur judicium hominum, quod, ut dixi, ex eo contemptum & despectum exibit.

Adest igitur judicium hominum, ut Pœnitentiæ tribunali se sistat, nec oculis venit velatis, sicut sui ipsius judicium; sed cum omnibus sensibus, cum omnibus potentiis liberis, & valdè liberis, omnibus enim judicat omnes homines, liberos habet oculos, quia quicquid videt judicat; liberas habet aures, quia quicquid audit judicat; liberam habet linguam, quia quicquid judicat propalat; & præ cæteris liberam habet imaginationem, quia quicquid sibi imaginatur, judicat & condemnat.

Verùm enim verò quid facit pœnitentia ad destruendum & contemnendum hoc tantopore adoratum & veneratum in mundo Idolum? Quid facit aut facere potest Pœnitentia, ut non curemus (cùm ho-

homines ſimus (judicium hominum? vel unum tantùm aperiendo, ſeu claudendo ſenſum Pœnitentia facit hæc omnia. Ad judicium ſui ipſius Pœnitentia vobis aperit oculos: ad judicium hominum vobis occludit auditum.

In die Paſſionis pluviæ adinſtar blaſphemiæ & teſtimonia falſa impetebant Chriſtum, Chriſtus Dominus verò quaſi ſurdus & nihil audiens erat. Hinc Pilatus admirans dixit Chriſto: *Non audis quanta adverſum te dicant teſtimonia?* Non audiebat Chriſtus, quia quaſi non audiviſſet audiebat. Chriſtus Dominus illa die pro peccatis mortis, quæ ſua fecerat, ſatisfacturus erat; & qui Deo pro peccatis ſatisfacere, non habet aures audiendi quid contra ſe loquantur homines, *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Dicant homines, judicent homines, condemnent homines, quantumcunque & quodcunque velint: qui de ſatisfaciendo pro peccatis ſuis ſeriò tractat, qui verò id tantùm agit, ut à Deo judicetur benè, hominum judicium flocci facit. Scitiſne cur tanti faciamus judicium hominum? quia non ſumus veri pœnitentes: ſi pœnitentia noſtra, ſi contritio noſtra eſſet vera, quàm parvi faceremus omnes opiniones mundi!

Matt. 27. v. 13.
Pſal. 37. v. 14.

Peccatum commiſerat David cum Bethſabee, & Uria, aliquanto poſt tempore venit Nathan Propheta, patrata reprehenſurus flagitia. Agnoſcens culpam David, dixit: *Peccavi*: Eodemque momento vice Dei Propheta illum abſolvit, dicens: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.*

2. Reg. 12. v. 13.
Ibid.

Peccavit item Saul inobedientiâ, ex ſpoliis Amalecitarum reſervans meliora pro ſacrificio, quem ſimiliter correptu-rus Samuel Propheta venit, gravitatem ſimul offenſæ, & iræ divinæ ob oculos poſiturus: Saul quoque culpam ſuam agnoſcens dixit: *Peccavi*? Propheta verò condonatum eſſe peccatum non reſpondit; neque Deum ignoviſſe & peccatum tranſtuliſſe dixit. Caſus iſte ex notabilioribus S. Scripturæ caſibus unus eſt, conſideratis omnibus circumſtantiis ejus & ſimilitudinibus. Rex erat David, Rex quoque erat Saul: Peccavit David, peccavit quoque Saul: Propheta venit correptum Davidem, alius ſimiliter Propheta reprehendit Saulem: David dixit, *peccavi*; *peccavi* itidem dixit Saul. Si igitur caſus per omnia fuerunt ſimiles; quonam pacto Deus Davidi, & non Sauli condonavit? ſi unum, *Peccavi* ſufficit Davidi, quare unum, *peccavi* non ſufficit Davidi, quare unum, *peccavi* non ſufficit Sauli? Ratio literalis, quam omnes dant Doctores, eſt, quod ly *peccavi* Davidis, ex toto proceſſerit corde: & *peccavi* Saulis ore tantùm & non corde fuit depromptum. Pœnitentia Davidis fuit pœnitentia vera; pœnitentia Saulis fuit pœnitentia falſa. Optimè quidem dictum, ſed unde probatur? unde probatur, quod pœnitentia Saulis fuerit falſa, quod ejus ly *peccavi* ex ore tantùm, & non ex corde fuerit prolatum? Doctores hoc non dicunt, ſed ego dicam, vel textus hoc dicet. David dicendo, *peccavi*, nil adjunxit: Saul dicendo; *peccavi*, hæc verba addidit; *Sed honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.* q. d. Ego quidem peccavi, ſed tu Samuel, curam habe reſpectus mei, & coram Principibus populi & regni mei me honora. Ah mi Saul, poſtquam dixiſti *Peccavi*, inchoato jam Pœnitentiæ ſtatu, adhuc reputatio-

1. Reg. 15. v. 30.

nis

nis memor, quid de te dicant vel non dicant homines cogitas? argumento id est, quod pœnitentia tua non sit vera, & istud *peccavi*, ex ore tantùm & non ex corde processerit: Quicunque verè contritus esse curat, uti David, non nisi solorum peccatorum recordatur, *Peccavi*, qualiter judicent, quidve dicant homines parvi pendit.

§. VI.

ENim verò veritatis hujus rationes & momenta multa sunt & gravia, à me exiguo ea audire libeat: cui natura felicius ingenium indulserit, ei utique plura, solidiora, & graviora occurrent. Verus pœnitens semetipsum accusat ac condemnat, quid ergo curet alios de se dicere, quod ipse confitetur? Quid refert alios esse præcones, si pœnam exequor ipse? confitentem se reum testimonia non gravant. Si homo verè compungitur, si verè & intimè suas agnoscit culpas, nullus unquam tam malè loquetur, quin multò se adhuc pejorem judicet: & qui benignus se, quàm peccata sua merentur judicatum videt, gratias agendi potiùs, quàm conquerendi causam habet. Veri proinde pœnitentes de illatis non conqueruntur injuriis, judicet dicatque mundus qualiter quidve velit, nunquam tantum mihi malum poterit appingere, quantùm certus sum, quod in me sit. Pœnitens verus nihil magis desiderat, quàm ut illatas Deo injurias in se vindicare possit; & quemadmodum judicium hominum ad hoc concurrit, potiùs adjuvat, quàm nos offendat. *Qui non abnegat se ipsum, non potest* [ait Christus] *me sequi*, nec mihi servire: Pœnitentia est janua, per quam ad serviendum Deo intramus. O quomodo se abnegat, & abhorret verus pœnitens! & quid mea interest sive benè, sive malè judicetur, quem ego abhorreo? si delictorum meorum deformitatem & horribilitatem verè cognosco, numquid magis me abhorrere oportet illum, qui commisit, quàm qui ea refert & dicit? Verus pœnitens unum tantùm in hac vita æstimat, & unum tantùm timet: solùm æstimat quod gratiam Dei conferre, & solùm timet quod eandem auferre potest; cùm autem judicium hominum gratiam Dei nec conferre, nec auferre possit, quare pœnitens judicium hominum curet? judicium hominum, si multùm illi tribuamus, nobis quidem malè facere potest, nos verò malos reddere nequit: si sim bonus, quantumcunque malè me judicent homines, malum reddere non possunt: si sim malus, quantumcunque me benè judicent homines, me bonum facere nequeunt: at si judicium hominum nec bonos facere potest nec malos, quid curandùm est? verus pœnitens est, qui unum tantum desiderat, ut sit bonus: & malum se fuisse dolet.

Omnes hasce rationes unica Christi omnibus major ratio concludat: *Nolite timere eos qui animam non possunt occidere: timete eum, qui animam potest perdere in Gehennam.* Qui nec infernum dare, neque Paradisum tollere potest, non est timendus. Agite seorsim nunc ponite omnia judicia hominum, & seorsim peccata vestra, & utra eorum plus timenda sint vos ipsos interrogate. Judicia hominum, quāvis faciant omne malum possibile infernum tamen irrogare, & Paradiso privare non possunt: Peccata, quamvis inveniatis in illis omnia bona, falsa quæ vobis promittunt, sola Paradisum tollunt,

lunt, & infernum tribuunt. Perspiciens igitur pœnitens verus, sola peccata sua ipsum Paradiso excludere, & inferno addicere posse, quare judicium curet hominum, qui nec inferno addicere, neque à Paradiso excludere possunt? Qui timet ne condemnetur à Deo, flocci facit ab hominibus condemnari.

§. VII.

SUppositâ doctrinâ hujus veritate, quàm pauci utique seu paucæ, erunt hodie verè pœnitentes in mundo, ubi tantum agitur ut hominibus satisfiat & placeatur! in Davide hoc videant viri, in Magdalena idem intueantur fœminæ. David quàm parvi fecit improperia Michol! quàm nihili fecit Semei injurias! Semei in faciem ea exprobrabat Davidi Regi, quæ nec vilissimo cuique fas esset improperare; porrò comites & laterones Davidis contumeliosum & maledicum & linguâ, & vitâ privare parabant: sed quid fecit David? punituros repressit, & Semei maledicta liberè evomere permisit: injuriæ & improperia pœnitentibus sunt musica. Talis David nudipes in suo obambulabat palatio, & sua peccata deplorans. Agnoscens se offendisse Deum, nullâ re offenditur: hoc modo David hominum judicia despiciebat. Idem de Magdalena quis condignâ ponderatione poterit explicare? Nobilissimarum Jerosolymæ domicellarum una, adeò celebris, & famosa, vanitatibus & levitatibus sic dedita; eodem die volante hinc inde capitis peplo; veste incomposita, comitante nullo, festinat per plateas, per Pharisæi ædes, tota inconsiderata, tota extra se (vel potius intra se, quia illa hora totum corpus ipsius non nisi cor erat) defluentibus sparsisque capillis, alabastro confracto, ambobus oculis in totidem rivulos resolutis, prostrata Christi pedibus advolvitur illis amplectendis & exosculandis occupatur, Deus bone, Magdalena, quænam mutatio est ista? non consideras quænam sis? non attendis quid facis? non vides quid homines dicturi sint? Nullatenus; nihil video: sua enim intuenti peccata non remanent oculi ad aliud videndum. Non intueor quod sum, quia quod fui hoc vidi: non video quod facio, quia vidi, quod feci: jam omnia in hac vita videnda vidi, & utinam tantùm non vidissem! non jam respicio homines, neque eorundem moror judicium, quicquid quantumque velint dicant & judicent. Tribus vicibus Magdalena judicata & condemnata fuit ab hominibus. Judicavit & condemnavit illam Pharisæus, peccatricem appellando; *Quia peccatrix est*: Judicârunt & condemnârunt illam Apostoli, prodigam sugillando, *Ut quid perditio hæc*? judicavit & condemnavit illam germana soror rei domesticæ injuriam vocando, *Reliquit me solam ministrare*. Omnia ista semper audivit Magdalena, nec unquam vel verbum replicavit, acsi suo responderet silentio: condemnent me Pharisæi, condemnent me Apostoli, condemnent me, de quibus minus timeri potest, fratres & sorores: in Pharisæis condemnet me malitia, in Apostolis condemnet me virtus, in sorore condemnet me natura; graviora sentiens delicta ista non curat. Quando dolores sunt æquales, sentiuntur omnes, intensiore uno, tantisper suspenduntur reliqui: dolor peccatorum verus omnes excedit alios, quia majoribus intenditur motivis: & de peccatis suis verè dolens, omni alio dolore, & sensu caret: sagitta quæ

Luc. 7. v. 39. Matt. 26. v. 8. Luc. 10. v. 40.

quæ vulneravit cor, reliquarum sagittarum vim inanem reddit; nam licet corpus feriant, sensum tamen non inveniunt: Judicium hominum qualiacunque immittat jacula, corde à Deo tacto & vulnerato, hoc vel non offendunt, vel non lædunt. Amor est sensus homines faciens insensibiles; ideò comparatur morti, *Fortis est ut mors dilectio*: Mors insensibilem facit, quem occidit, amor insensibilem facit, quem diligit: solum diligere & amare satagens Deum solùm sentit, quod illum offenderit, ad reliqua omnia insensibilis. Exemplum in semetipsa habebat Magdalena, secumque argumentari & ratiocinari hoc poterat modo. Quid refert, si hominibus videar mala, dummodò Deo videar bona? quid refert, si ab hominibus habear mala, si à dilecto meo tantùm videar bona? Eheu quoties in vanitatibus & vesaniis meis dictamen hoc neglexi! Eritne consultum, ut modò minùs generosus & minùs animosus sit meus amor? si ego non consideravi, quid dicerent homines, quando offendebam Deum, quid nunc eorum dicteria considero, cùm Deum toto corde inquiro? nihil feci illa, quæ dicebant, quod essem peccatrix, & nunc quid morabor, quod dicant pœnitentem? nunc verò cùm sustinui dicentes, me peccatricem esse, liberè calumnientur meam emendationem.

Istud silentium respondit Magdalenæ tribus vicibus ab hominibus condemnatæ: & notatu dignissimum, quod iisdem tribus vicibus Magdalena ad pedes erat prostrata Christi. O quanta excellentia remedii sunt pedes Christi, ad hominum spernenda judicia! porrò si hoc faciebant pedes Christi vivi, quantò magis id agent, pedes Christi mortui, & crucifixi? Quonam pacto in hac Cruce suspensum te, judicatum, & condemnatum intueri possum, & non sustinere; judicari & condemnari, cùm peccator sim & reus? Si te judicant & condemnant propter peccata mea, ut quid ego propter eadem judicari & condemnari ægrè feram? in te adorem & venerer injurias & contumelias, easdemque pati respuerem? Te offendendo, meq; perdendo non attendo quid dicant homines; teque amando, & me salvando, attendam, qui dicent? Simile quid in hac Cruce me non doces. Grande quid auscultate in quo Deus suam mutâsse videtur conditionem.

Deo punituro populum in deserto, Moyses obtendit, quidnam Ægyptii essent dicturi: *Ne quæso dicant Ægyptii* &c. *Exod.* 32.
Et Deus à punitione abstinuit. *v.* 12.

Josue primâ in terra promissionis acceptâ clade dixit Deo, quidnam dicturi essent Chananæi? *Quid facies magno nomini tuo* &c. Et Deus illi assistere perrexit. *Josue* 7. *v.* 9.

Regno Israël vel maximè afflicto, David opposuit Deo, quidnam dicturæ essent gentes? *Ne forte dicant in Gentibus* &c. Et *Psal.* 78.
afflictio cessavit: ita ut obtinendo à Deo *v.* 10.
desiderio suo, Patriarchæ medium non haberent aliud, quàm allegare, *ne dicant vel quid dicent*?

Deus ad redimendum mundum venire decrevit in terram, & si Moyses, Josue vel David invenirentur ibidem cum spiritu Prophetico quo gaudebant, videtur idem replicari potuisse Deo, dicendo, Domine, quomodo venire decrevisti in mundum? Apparere & conversari vis inter homines, & non consideras aut attendis, quid de te dicent? Samaritanum te & Dœmoniacum dicent: *Samaritanus es tu, & Joan.* 8.
Dœmonium habes: Blasphemum te pronun- *v.* 48.

Matt. 26. v. 65. ciabunt, *Blasphemavit* : seductorem te vocabunt, *seductor ille* : Reipublicæ te perturbatorem criminabuntur, *subvertens gentem nostram.* Confœderatum te Dœmoni convitiabuntur, *in Beelzebub Principe Dœmoniorum ejicit Dœmonia* : Quod te ipsum salvare nequeas clamabunt, *seipsum non potest salvum facere* : Infinita demique in te evoment opprobria, *saturabitur opprobriis.* Ad hæc unus exurget Arrius, qui consubstantialem te patri negabit; hominem te negabit Manichæus : Deum te denegabit Nestorius : non realiter te in sanctissimo Sacramento præsentem afferet Calvinus: Infiniti se tibi opponent Hæresiarchæ, infinitas contra divinitatem & humanitatem tuam dicturi blasphemias. Cùm igitur hæc omnia Deus prævideret, & apud eundem olim tantum valeret illud, *quid dicent homines*, quare modo ita vilipendit hominum dicteria? Ratio est, quia olim ly, *quid dicent homines*, cum nostra concurrebat culpa; nunc autem idem cum nostro concurrit remedio. Et quando, (*quid dicent homines*, cum nostra concurrit culpa) Deus punire definit propter id quod dicent : quando verò, *Quid dicent homines*, cum nostro concurrit remedio, propter id, *quid dicent homines*, salvare non cessat; salvatio continuatur & succedit, quicquid demum homines dicant.

Matt. 27. v. 63. Luc. 23. v. 2. Luc. 11. v. 15. Matt. 27. v. 42. Thren. 3. v. 30.

Verum, Christiani, quidam nostrûm adeò pusillo sunt animo, ut timore ejus, *quid dicent homines*, multa omittamus quæ nostram promovent salutem. Deus à simili nos liberet ignavia. Pro salute nostra Deum æmulemur : Deus ut meam operaretur salutem, nihili fecit judicia hominum, & dignum est ut ego ea curem? omnia ad salutem requisita peragantur, & homines quodcunque libet loquantur. Quid juvat ab hominibus bene judicari; salute non consequente? & salutem obtinentibus, quid nocet, ab hominibus esse malè judicatos? Ecce quomodò judicium hominum, pœnitentiæ judicio despicitur: *Prædicans Baptismum pœnitentiæ.*

§. VIII.

EMendato nunc in Pœnitentiæ Tribunali, sui ipsius judicio, & hominum judicio exploso, solum Dei judicium restat, quod, ut dixi, in hoc tribunali revocabitur. Prætacta duo judicia ingressa sunt ut judicarentur, & ante Pœnitentiæ tribunal comparuerunt: quo pacto idem de judicio Dei affirmare ausim, non video. Nonne judicium Dei judicium est supremum, non tantùm superius non agnoscens, sed nec in cœlo nec in terra æquale habere valens? Nonne judicium, Dei, de quo nobis sermo est, ultimum illud & universale est, in quo omni præciso gravamine, seu appellatione absolventur vel condemnabuntur omnes in eo judicati homines? Quomodo igitur aliud tribunal dari potest, in quo memorati judicii sententia revocatus? seu quo modo revocari potest? Istud, *quomodo*, mox patebit.

Agedùm, videamus nunc adesse judicium Dei, omnique illa Magnificentia & Majestate, quæ in ultimo mundi die illud horrendum & terribile reddent, comitatum, tribunali pœnitentiæ se sistere contemplemur : nox fasces præ se fert Romanorum, & supremæ justitiæ & authoritatis insignia, sed gladium illum ostendit bicipitem, *Gladium utrâque parte acutum* : duplicis istius pœnæ, *damni* scilicet & *sensus* indicem, ad quam solum judicium Dei, & nullum judicium humanum, non corpora tantùm sed & spiritus condemnare potest. Apoc. 1. v. 16.

potest. O quàm rigida authoritas! ô quàm horrenda jurisdictio! ô quàm firmidabilia instrumenta! si sic judicium Dei tremere facit, quando comparet, & judicandum se sistit, quid fiet ubi venerit judicaturum? Quid autem facit pœnitentia, aut facere potest, ad hocce tam absolutum independentesque judicium revocandum? idem ferme, quod cum reliquis fecit. Ad corrigendum sui ipsius judicium aperit nobis oculos; ad contemnendum judicium hominum obturat nobis aures: ad revocandum judicium Dei cor nobis vertit: corde converso revocatum est Dei judicium.

Propheta Joël de extremo judicio ad literam loquens, solem, lunam, & stellas obscurandas, Cœlum terramque ad conspectum Dei, tremore concussa describit: *à facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli,* Joel. 2. v. 10. *Sol & Luna contenebrata sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum.* Innumerabiles insuper Angelorum describit exercitus, qui supremum judicem, tanquam justitiæ & vindictæ suæ executores comitaturi
Ibid. 11. sunt; *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia & facientia verbum ejus:* Denique magnitudinem & terribilitatem diei
Ibid. 12. illius describit: *Magnus enim dies Domini, & terribilis valdè.* Interrogandoque *quis sustinebit eum?* Sequentibus concludit verbis: *Nunc ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro.* Cernitis omnem, istum apparatum, omnes istas iræ, justitiæ, & pœnæ comminationes? corde tantùm verso omnia in ventum abibunt: cor tantùm ad me convertite, *convertimini ad me in toto corde vestro*, & omnis in judicio hoc contra vos fulminata sententia jam erit revocata. *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro.* Notate bene ista verba, *Nunc ergo*: ita ut pœnitentiam oporteat esse nunc in præsenti, & judicium posteà. Hæc quippe inter judicium Dei, & hominum judicium est differentia: in judicio hominum appellatur posteà, in judicio Dei appellatur anteà, *Nunc ergo*: jam jam Christiani, quia jam tempus est. Enim verò, quare jam & non posteà? quia posteà nec locus, nec tempus est pœnitentiæ. Si post judicii diem spatium concederetur pœnitentiæ, judicii divini revocari posset sententia: sed quare sententia ista non possit revocari *Tunc*? ratio est, quia non datur pœnitentiæ tribunal, nisi nunc, *Nunc ergo*, &c. Sed exemplo, tribunalis hujus potestas innotescat, & Exemplo quidem mundi hujus maximo. Attendite.

§. IX.

PRopheta Jonas Civitatem Ninive ingressus prædicabat ubique: *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Sententia hæc in justitiæ divinæ tribunali Jon. 3. v. 4. ob civitatis hujus peccata erat decreta, nec Propheta Jonas aliud quam præconis agebat officium illam promulgando & ita publicando totam perambulavit Civitatem tam amplam, ut non nisi tertio finiente die, ad Palatii locum perveniret. Auribus tandem Regiis insonuit sententia, & quod vobis faciendum ipsi fuisse videtur? è regio descendens throno, in quo Reges temporis istius residere consueverant, scissâ purpurâ, cilicio indutus aspero, ablatâ à capite coronâ, abjecto manibus sceptro, conspersus cinere caput, vestigia Jonæ alium mandat insequi præconem, proclamantem, ut Civitas tota Regis imitetur exemplum. Præeuntem Dei prædicatorem, præco sequebatur

Regis: Præco Dei sententiam evolutis quadraginta diebus executioni dandam clamabat; Præco regius decretum & mandatum Regis è vestigio exequendum urget. Et ita factum est, Regina induit cilicium, idem totum induit Gynecæum: cilicium induunt Aulici, eodem se induit omnis populus (&, quod fidem non inveniret nisi scripturâ attestante) ad stuporem & horrorem hominum sacco & cilicio ipsa operta sunt animalia. Hoc modo Jonas, totis quadraginta diebus jejunus, orationi tantum cum lacrymis & clamoribus in cœlum intentus Civitatem perambulavit. Ultimo jam expirante die Jonas in montem quendam perrexit, ex quo Ninive subversionem intueretur. Supponamus putasse Jonam, Civitatem horâ nonâ matutinâ subvertendam, quid illâ die hora octava sonante eum cogitâsse censemus? Ah misera Civitas! unica tibi tantùm hora durationis restat! jam jam apparet quàm suspensus Propheta totam istam transigeret horam. Adest hora nona, & ecce nunc Civitas subvertitur. Id sibi ita, oculorum & Prophetiæ lumine quasi illuminatus Jonas imaginabatur: sed Ninive adhuc subsistebat, Turres adhuc in altum surrigebantur, & mœnia adhuc firma consistebant. Et domus ruinam minari visæ, immotæ perseverabant. Pari modo prima, & secunda hora, totusque transiit dies, & Jonas stupore attonitus hærebat. Quid rei hoc est, Domine? Nunquid in divinæ justitiæ tuæ tribunali ex ore tuo decretum erat, verisque Prophetæ tui verbis publicatum, quod Ninive ob enormia sua peccata foret subvertenda? Nonne hunc in finem quadraginta tantum dierum tempus pro executione erat designatum? quonam igitur pacto omnia ista in irritum reciderunt? Quonam pacto Ninive adhuc integra & incolumis perstat? Nonne Prophetia mea suo fraudatur eventu, verbumque tuum in contemptum & vilipensionem abibit? Si hoc dixisti, utique ex mentis tuæ decreto es locutus; & si decrevisti; quare non subsequitur executio? Ratio est, quia Rex populusque Civitatis Ninive eâ usi fuere prudentiâ, ut, quamvis intimata ipsis foret judicii divini sententia, ad tribunal nihilominùs appellarint pœnitentiæ; & in tantum tribunalis pœnitentiæ *Superior* est jurisdictio, ut, quod in Dei judicio decernitur & pronunciatur, in pœnitentiæ tribunali revocetur. Dixi, *Superior*: nam si duo ista judicia forent æqualia, sicut in judicio pœnitentiæ absolvitur, quod in judicio Dei condemnatur, in judicio Dei condemnari posset, quod in judicio pœnitentiæ absolveretur. At eatenùs judicium pœnitentiæ supereminet ipsi judicio Dei per misericordiarum suarum excessum, ut, quod in Dei judicio condemnatur, in judicio pœnitentiæ possit absolvi: & quod in pœnitentiæ judicio absolvitur, in judicio Dei condemnari non possit. *Benedictus ille, qui dedit potestatem talem hominibus.* *Matth. 9. v. 8.*

Enim vero quod dixi, totum est literale, sed pro confirmatione majore S. Paulinum audiamus: *Ninivitæ meruerunt denunciatum evadere excidium, quia se spontaneis luctibus cruciando, divinam sententiam prævenerunt suâ.* *S. Paulin.* Ita ut pœnitentiæ beneficio plus valuerit Ninivitarum in se ipsos lata sententia, quàm divina in ipsos pronunciata, nam sententiam divinam prævenerunt sua. O dignitatem magnam! O supereminentem pœnitentiæ excellentiam! in extremo Dei judicio (magnas mecum

notate differentias judicii pœnitentiæ & excellentias, præ judicio Dei) in judicio Dei extremo, ab uno attributo appellare non licet ad aliud attributum; à justitia Dei appellare non licet ad misericordiam ejus : in pœnitentiæ judicio appellare licet à justitia Dei ad justitiam meam : in judicio finali Dei, appellari non potest à Filio ad Patrem, nec à Patre ad Filium, neque à Patre & Filio ad Spiritum sanctum; in summa, in judicio Dei appellare non datur à Deo ad Deum : in pœnitentiæ judicio à Deo appellare licet ad me. In judicio finali Dei, peccatores condemnantur ad non videndum Deum : in judicio pœnitentiæ condemnantur peccatores, ad illum non offendendum. O suavem condemnationem! in judicio finali Dei nihil prosunt lachrymæ & planctus : in judicio pœnitentiæ una tantùm sufficit lachryma, pro omnibus peccatis mundi. In judicio finali Dei nihil prosunt intercessores & patroni : in judicio pœnitentiæ, nequidem sunt necessarii. In judicio Dei finali, peccatores damnantur ob peccata: in judicio pœnitentiæ condemnatis peccatis salvantur peccatores. In judicio finali Dei alii absolvuntur, alii damnantur : in judicio pœnitentiæ, nullo condemnato absolvuntur omnes. In judicio finali Dei peccata cunctis manifestantur hominibus : in judicio pœnitentiæ uni manifestantur soli. Denique in judicio finali Dei Christus aget judicem : in judicio pœnitentiæ Christus agit Advocatum : *si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Joan. 2. v. 1. Ecce, tali Advocato in pœnitentiæ tribunali, qualis erit differentia inter advocationem & revocationem! quonam pacto non revocabitur judicium, ubi Advocatum judex agit? Sic sic est : in judicio pœnitentiæ, Dei judicium revocatur. Habemus, Christiani, judicium Dei revocatum, judicium hominum vituperatum, & sui ipsius judicium emendatum.

§. X.

SUpposito igitur, Christiani, quod mala omnia & pericula, quæ in illis judiciis vidimus remedium habeant in pœnitentia; supposito quod tanta, tamque enormia sint, ut omnibus æternæ vitæ bonis nos privent : quid superest spem fidemque habenti, nisi ut de pœnitentia agenda serio tractet? *agite pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Matt. 3. v. 2. Jam mille sexcenti, totque insuper anni abierunt, à quo S. Joannes Baptista hæc verba dixit, & nos dicimus quotidie : *adveniat Regnum tuum.* Sed si Regnum cœlorum tum temporis jam appropinquaverat, quomodò petimus & oramus, ut adhuc adveniat? Regnum cœlorum tres omni tempore status complectitur: unum in quo appropinquavit, alterum in quo appropinquat, & tertium in quo venit appropinquando. Mortuis jam appropinquavit; morientibus appropinquat; viventibus venit appropinquando, quibusdam citius, aliis serius & tardiùs : omnibus tamen temporis modici spatio. Hæc nos consideratio vel maximè ad pœnitentiam exstimulare deberet; Pœnitentiam agamus Christiani, ne impœnitentes nos mors inveniat. Christianorum nullus se pœnitentiam acturum negat, sed nullus eam statim agere disponit, ad finem usque vitæ eam omnes differunt. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

S. Joannes Baptista prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: si peccatorum remissionem desideramus, pœnitentiam velut Baptismum accipiamus. Omnes pœnitentiam, velut extremam unctionem in vitæ fine volumus, sed non aliter ac Baptismus suscipienda est, quem differre fidelis prohibetur. Si creditis, quare pœnitentiam non agitis? si propositum illam agendi, & vos ad Deum convertendi habetis, usquequo differtis? *si aliquando, cur non modo?* inquiebat Augustinus. Quæstio ista responsione caret, nec ipse S. Augustinus, nec Plato vel Aristoteles, neque Angeli cœlestes illam invenere; neque ipsi Dæmones infernales ad nos decipiendum illam unquàm invenire potuerunt.

August.

Auditores Christiani, quos toto corde, & ex anima tota diligo, justum est, ut tot cum judicis rationem ineamus: si quis me audit & convertere se renuit, huic non loquor: sed si convertendi vos pœnitendique Propositum habetis, *si aliquando, cur non modo?* si tali cum proposito conversuros vos posteà dicitis, quare hoc modò non facitis? Quænam habetis motiva hoc faciendi pòsteà, quæ non habeatis modò? si posteà verè contriti pœnitentiam egeritis quæ non potest esse vera sine vera contritione; Deum vos offendisse dolebitis, qui semper idem est: Ergò, non est Deus *hodie*, idem, qui erit *posteà*? nonne eadem est majestas, eadem magnitudo, & eadem omnipotentia? nonne tam bonus, æquè amabilis est *modò*, sicut erit *tunc*? si itaque amabitis *tunc*, quare illum non amabitis *modò*? Ergone, peccator, cum Deus omni amore sit dignissimus, judicabitur *tunc*? & in omnibus offendi meretur, *modò*? *si aliquando, cur non modo*? Instò, si *posteà* pœnitebitis verè & verè, ex toto doleatis corde opus est, quod vos non pœnituerit, nec pœnitentiam egeritis *modo*. Qualis igitur dementia est liberè & pro arbitrio id facere, de quo ut præsupponitis hac horâ, dolebitis quod feceritis, si dolebitis *posteà de præsenti*, quare vos non pœnitet *modò de præterito*? Instò magis, si vestri motiva doloris non erunt contritio perfecta, neque amor Dei super omnia, sed timor pœnarum infernalium tantùm; *si aliquando cur non modò*? si propter infernum dolebitis *tunc*, quare timore inferni non doletis modò? forsan jam fuistis in inferno, tempusque & ætatem jam ardentium ibi explorastis? si in inferno non nisi septuaginta aut octoginta annorum homines ardent, ad eam usque ætatem vestram differre conversionem: sed si ad infernum pergitur cum annis septem, quare pœnitentia differetur ad annos septuaginta? si itaque eadem motiva quæ habebimus *posteà*, adsunt *modò*: si *tunc* nihil ampliùs habebimus, quàm *modò* [excepto, quod plura peccata ad deplorandum, & plures culpas, de quibus dolendum) *si aliquando, cur non modo*?

Hucusque argumentati sumus in supposito, quod vobis deinceps concedere nolo: quia ipsam vobis veritatem planè detegere, & nudam ob oculos ponere intendo. Qui dicit, *si aliquando, cur non modo*, supponit, quod, si non convertitis vos *modo*, quod vos convertetis posteà: hujuscemodi suppositum non admitto, quia contrarium demonstrare conabor. Christiani, si non convertatis vos *modo* (ordinarie loquendo) nec vos convertetis *aliquando*. Pace S. Augustini, quæstionem ipsius inverto. S. Augustinus inquit, *si aliquando*,

quando cur non modo? Ego dico, *si non modo, cur aliquando*? Quæ motiva habetis convertendi vos *aliquando*, omnia ista, & multò majora habetis *modò*: Si igitur ista non sufficiant, ut vos convertatis *modò*, quo pacto, humano sufficient modo, ut nos convertamus *aliquando*? rationis hujus vis Judam ad laqueum impulit. Judas hunc in modum secum ratiocinabatur. Efficaciora ad conversionem nequeunt esse motiva, quam ego ad me convertendum habui, siquidem Christum pedibus meis advolutum habui: sed si Christum pedibus meis advolutum habere, non suffecit ut me converterem, nihil mihi exspectandum restat: veniat laqueus. Eja Christiani, neminem desperare volo; & salutem omni tempore obtineri posse negare nolo! Hoc tantùm persuasum vobis cupio, quod S. Scriptura omnesque sancti Patres concorditer asserunt, scilicet illos, qui usque ad mortis horam vitæque finem pœnitentiam differunt, salutem suam discrimini exponere quia raro salvantur *si non modo, cur aliquando*? Si non convertimini *modò* favente adhuc vitâ, quomodo convertetis vos *postea*, quando vos mortuos esse contingere potest? Dicitis, quod non convertitis vos *modò*, sed convertetis *posteà* si istud *posteà* esset *modò*? Si in statu moreremini præsenti, illud *aliquando* non attingentes, quid vobis futurum censetis? Quot mane è lecto surgunt, vesperi non iterum incubituri! & quot incumbunt vesperi non surrecturi manè! quot mensæ accumbentes bolus unus suffocavit! quot obambulantes per plateas ruina sepelevit! quot globus non prævisus sustulit! quot derepente in maniam & phrenesin inciderunt! quot & quibus febris cum dilirio supervenit! quot quantisque turbatio aliqua, apoplexia aliqua, aut accidentia alia infinita vitam, seu rationis usum adimunt! omnes isti (sicut & vos putatis) ordinaria se morte morituros opinabantur. Et quis vobis idem non eventurum promittere præsumeret? *Si non modò, cur aliquando*? Si jam ratione, & sensibus, potentiisque adhuc plenè utentes, non vos convertitis, quo pacto vobis in hora mortis, tot circumdati angustiis & impedimentis, quorum quodlibet animam perturbare, suaque libertate rationis usu privare sufficit, conversionem promittere præsumitis? jam loco suo motis potentiis, quomodò vos conversuros putatis?

Verùm enim verò, ego liberè vobis vitam, salutem, sensuum, potentiarumque vigorem indulgeo: plus adhuc, quam istud requiritur. Ut homo convertatur, non sola vita, sanitas, rationisque usus sufficit, sed principaliter gratia Dei opus est: Ergo, *si non modò, cur aliquando*? *Si modò*, quando minus Deum offendistis, hic suam vobis ad conversionem denegat gratiam, quid magis offensum facturum putatis? Scio, nec dubio locus est, quin *postea*, multò pejores eritis quàm *modò*: Ergo si jam meliores, seu minus mali vos non convertitis, quonam pacto pejores jam facti, hoc facietis? peccata quantò magis continuantur, tantò magis indurant & obstinatū faciunt peccatorem. Ergo, *si non modò, cur aliquando*? Si *modo* corde vestro necdū adeò indurato & obstinato, nec sermones, nec inspirationes, nō exempla, nec infaustæ mortes vos emolliunt, quid fiet, ubi marmore & adamante evaseritis duriores? peccata continuatione habituata, majores sibi vires roburque acquirunt: anima è contrario debilitatur; consue-

Ps. 136. v. 9. S. Eucharius. suetudo robustior prævalet. Ergo, *Si non modò, cur aliquando*? Sacra Scriptura inquit: *Beatus qui occidit parvulos suos ad petram* (loquens de peccatis) & tu (inquit sanctus Eucharius) *expectas donec inimicus tuus Gigas efficiatur*? Si *modò* peccata adhuc infirmiora, necdum adeò convaluerunt & anima adhuc vigorem aliquem & robur habet, vix vinci possint, quid fiet cum Gigantes jam evaserint & in illis anima tristis senio confecta, & debilitata se movere non possit?

Denique ne longiùs abeamus, Christiani, si hac horâ vos Deus excitat, si aures cordis vestri clamore suo pulsat, nec ipsi aperire, aut auscultare vultis, quomodo vos vocaturum *postea*, vel clamantes vos auditurum, vel ipsum vos competenter invocaturos speratis, *Si non modò, cur aliquando*? Utinam ipse vobis Deus hanc veritatem inculcet, ita ut videatis vos cum spe hac, qua nitimini, ruituros in infernum! Deum loquentem attendite. Prov. cap. primo. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret: despexistis omne consilium meum.* Et quid hinc sequitur? *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*: Et sicut modò clamantem me non auditis, ita & ego vos tunc non exaudiam, licet ad me clametis: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.*

Prov. 1. v. 24. Ibid. v. 25. Ibid. 26.

Agite Christiani, promissioni huic Dei, fidem habemus, quod quoties peccator illum ex toto corde invocaverit, ipsum exauditurus sit. Promissio illa erroneè & malè intellecta agitatur inter homines; proindè attendere oportet, quid Deus in illa promiserit, & quid non promiserit. Deus promisit quotiescunque peccator ex toto corde ipsum invocaverit, se exauditurum: non tamen promisit, quod quotiescunque peccator voluerit, ipsum ex toto corde invocabit: utrumque valdè discrepat. Si ex toto corde clamaveritis ad Deum, ipse vos exaudiet: sed si modo Deum ex toto corde non audieritis, postea Deum ex toto corde non invocabitis. Clamare ad Deum ex toto corde, à solo nostro non dependet arbitrio, sed à nostro arbitrio & simul à Dei dependet gratia; porrò Deus secundùm altissima justitiæ suæ judicia decrevit, quod eundem invocare nequeat in morte, qui cor illi præbere recusavit in vita. Quid amplius à vobis Deus exigit in vita tota quàm cor vestrum? *Fili, præbe mihi cor tuum*: Et sicut modò Deo petenti cor negatis, ita *tunc* justissimè vobis negabit Deus, ut illum ex toto corde invocetis & petatis. Deus *modò* vos quærens non invenit: *Tunc* nos quærentes Deum non inveniemus. Deus ipse hoc comminatus est, dicens: *Quæretis me & non invenietis: & in peccato vestro moriemini.* Istud tantùm dicit.

Prov. 23. v. 26. Joan. 8.

O Christiani, per Vulnera Christi, & ea, quæ animabus vestris debetis vos rogo, tantam infelicitatem præcavete. Veritatem attendite, & hoc verissimum habetote, nisi ab hoc vos instanti converteritis, sed eandem viam & conversationem continuare perrexeritis sine ullo remedio, vos interitum & damnationem incursuros. Remedium est Baptismus Pœnitentiæ, Contritio vera & ex corde, Confessio integra & sincera, firmaque non ampliùs offendendi Deum resolutio: Facite *modò*, quod facturos vos dicitis *aliquando*. Si conversionem distulistis in vitæ finem, istum jam adesse vobis imaginamini, quod reverà non est imaginatio. Sed quid

quid prodest, Domine Jesu Christe, me illa dicere nisi gratia tua meorum mancitati seu imbecillitati verborum robur & efficaciam addat? efficaci piissimorum & benignissimorum oculorum tuorum auxilio succurre, intellectus istos illumina, voluntates istas & affectus accende & inflamma, indurata ista corda exure & emolli, ne tibi existant ingrata: & quò illis infinita incarnationis tuæ merita proficiant, *Per Adventum tuum,* Domine, per amorem, quo salvandis animabus venisti in mundum, salva hodie animas nostras, saltem vel unam. *Per Nativitatem tuam*, Domine, per amorem & misericordiam, qua natus in stabulo, reclinatus es in præsepio, per desolationes istas, per frigus illud, per paleas istas, & lachrymas, per paupertatem istam extremam, affectumque ardentissimum quo hæc omnia amore nostri pertulisti.

Sanctissima Virgo Maria, hodie intensissima expectationis tuæ desideria recolimus, istos tuos nobiscum partire affectus, ut etiam in cordibus nostris nascatur Christus; suspiria in inspirationes converte: à Sponso tuo Spiritu sancto postula, ut efficaci lucis suæ radio pectora nostra penetret & transfigat, ut illum amemus, illi serviamus, gratiaque ipsius digni effecti, hac opitulante, cœlestem & æternam gloriam promereamur, quam mihi vobisque concedere dignetur.



SERMO
DE
Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ.

De qua natus est Jesus. Matth. 1.

§. I.



Uemadmodum in materiis omnibus controversis dicere jam dicta, otiosum est: pari modo in hac, de qua mihi hodie loqui incumbit, non dictum dicere, difficile est. Inter omnia suprema Mariæ Matris Dei Mysteria, illud quod hodie celebrat Ecclesia, quodque omnes novitate aliqua solida stabilitatum audire desiderant, est illud immaculatæ ejusdem Conceptionis. Sed omnes semitæ quæ securè ducunt vel ad templum hoc venerandum, vel ad Castellum hoc propugnandum, sic tritæ sunt & calcatæ, ut juxta quod pluribus abhinc annis præcipuorum Hispaniæ Oratorum quidam asseruit, nemo pedem, nisi super alterius vestigium figere possit. Optima quidem satisfactio pro excusatione, infirma tamen valdè & insufficiens pro desiderio. Hac ipsa quondam usus est celebris comicus Terentius, copiam sibi petens repræsentandi idem, quod illud illustre jam audierat Auditorium, in justificationem sui allegans, quod idem fecissent olim veteres, & nunc practicarēt moderni.

Terent. in Eunucho.

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius;
Quare æquum est vos cognoscere, & ignoscere:
Quod veteres factitarunt, sic faciunt novi.

Porrò si illud usitatum jam erat in capite, ante mille, & plures annos, quid fiet inter nos hodie, ubi difficilius nova inveniuntur argumenta, quàm novi habitus & indumenta?

Sed esto. Ego nihilominus huic mi dictamini nullatenus prosterno: licet enim veteres primi biberint ex fontibus, non tamen propterea eos exhauserunt: *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt*, inquit Seneca. Facere, & perficere grandi distant intervallo: *Multum restat operis, multumque restabit.* Quemadmodum illis assertis aliquid addiderunt veterum; sic & nos addere possumus, & de novo detegere, quod illi non invenerunt: quod etiam facere poterunt, qui nos sequentur. Quod animosè & audacter scripsit maximus stoicorum spiritus. Neque timere me facit oraculum illud Salomonicum: *Nihil sub Sole novum.* Materia enim, de quo tractaturus sum hodie, non est sub Sole, sed de ipso Sole, & supra illum.

Senec. epist. 64.

Ibid.

Eccles. 1. v. 10.

Dubius igitur inter hoc, quod sententiarum istarum una, proponit verum, & altera opponit difficile: illud tanquam medium assumere intendo quod Magister divinus docuit, in quo ambæ conciliantur & conspirant: *Ideo omnis Scriba doctus similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Idem faciam hodie, licet paupertatis meæ non ignarus: *Ego vir videns paupertatem meam.* E Theologiæ & S. Scripturæ thesauris in præsenti materiam supponam antiquam, visurus utrum dicere possim novum. Beatissima virgo immaculata, cujus gratia semper fuit antiqua, & semper nova, suâ mihi assistere dignetur.

Matt. 13. v. 52.

Thren. 3. v. 1.

Ave Maria.

§. II.

Maria, de qua natus est JESUS. Matth. 1. v. 16.

VEtus & antiquum me suppositurum promisi, ut dicam novum. Et cum propositionem hanc in materia immaculatæ conceptionis facilius sit promittere, quàm inde se expedire, à suppositionibus initium capiamus. Tria velut certa, & quà talia recepta universaliter, quodlibet tamen intra suum certitudinis gradum suppono. Primùm scientificè notorium; secundùm plus quàm probabile; tertium de fide expressè. Primùm ex scientia notum est, duos esse redimendi seu redemptionis modos; unus qui tardando succurrit captivitati; alter qui præveniendo ab ea præservat. Suppositum secundum, tamque probabile ut jam publicè affirmare non liceat contrarium, est, quod Christus, per redemptionem quæ succurrit, totum genus humanum redemerit; per prævenientem verò & præservantem sanctissimam suam redemerit Matrem. Tertium & de fide suppositum expressum, est utriusque redemptionis pretium, meritum & valorem fuisse infinitum sanguinis Filii Dei oblati, & pro omnibus profusi. Iste igitur sanguis, & modus quo Christus illum singulariter pro sua Matre profudit, cum multis non ponderatis hucusque excellentiis, novitas erit, quàm pro majore Matris & Filii gloria probare intendo. Porrò ad omnia fundamentum mihi suppeditant Evangelii verba the-

thematis loco allegata: *Maria, de qua natus est Jesus.* In Maria redemptam habemus & præservatam in nomine JESU, quod interpretatur Salvator & Redemptor, habemus redemptionem: & in duobus verbis, *de qua natus est* habemus pretium, quod fuit sanguis: incarnatus enim & natus de Maria JESUS, ab ea illum accepit, ut illum universaliter pro nobis, & particulariter pro ipsa Matre daret.

§. III.

AGgrediendo igitur considerationes modosque particulares, quibus benedictus Virginis Mariæ Filius, quatenùs JESUS, & quatenùs Redemptor, in obsequium beneficiumque singulare sanguinem profudit, quem ex purissimis ejus acceperat visceribus: *De qua natus* est: Primus sit generalior, & velut fundamentum omnium, eandem scilicet beatissimam Virginem, sanguinis ejusdem virtute & merito, à captivitate peccati Adami fuisse præservatam.

Deo mandante Moysi, ut è desertis Madian ubi commorabatur, abiret in Ægyptum, ad redimendum populum suum ibidem captivitate & servitute gravi oppressum, Moyses Sephoram Sponsam suam in comitatu duxit. Porrò actus hic legati sui vehementer adeò Deo displicuit, tamque reprehensibilis fuit visus, ut antequam Ægyptum intraret, ipsi occurrerit cum indignatione vitam ablaturus: *Cumque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Agite, sistamus hic gressum cum S. Augustino Theodoreto, Eusebio Cæsariensi, Emisseno & aliis considerantes, qui eodem ex

Exod. 4. v. 24.

textu colligunt hanc solam, & non aliam fuisse memorabilis adeò apparitionis causam. Itane, Domine, Moysen quem populi tui ex captivitate Redemptorem destinasti, non officio tantùm sed etiam vita derepente privare decrevisti? Nunquid tanti reatus, tamque graviter accepta fuit culpa, secum ducere velle sponsam suam? Ita planè. Cum enim ego Moysen mittam ad liberandum eos qui captivi tenentur in Ægypto, in eandem captivitatem ipse inducere velit suam Sponsam, quæ ab eadem tam libera & remota erat, quantùm Ægyptus distat à Madian, cæcitatem talem & errorem in homine, quem universalem populi mei Redemptorem & hinc filii mei typum constitui dissimulare impunè non possum. In hoc judicio considerent illi, qui sese hodiernæ Concioni conformare recusant, num fortè similis quisquam adhuc inveniretur. Si Deus occidere voluit Moysen, quia sponsam suam Ægyptiacæ captivitati cum aliis subjicere parabat, quæ erat Moysis: si ipsius Dei Sponsa fuisset, quomodo ipsum toleraturum fuisse putamus? Vera igitur ipsius Sponsa existente Maria, quo pacto, quæso, sustinebit eos qui eam captivam cum reliquis, in eandem captivitatem inducere volunt? sed hoc obiter notato, ad finem punctumque nostrum cum historia progrediamur.

Moyse & Sephorâ in articulis adeò periculosis & arctis constitutis: illo sub gladio Dei ad mortem condemnato, hac verò ut Ægyptum ingrederetur ubi omnes detinebantur captivi; quid accidit? ducebat uterque secum filiolum parvum, quem stantibus sic rebus confestim mater circumcîdit, ad patrem dicens;

Exod.4. v.25. ipsum profusi sanguinis esse causam. *Sponsus sanguinem tu mihi es* : eodemque momento Deus placatus, Moysi remissa culpa, & Sephora ab ingressu Ægypti liberata, ab ipso discessit, *Et dimisit eum.* Ibid.v.26. Id est Sephora Moysen ; ita Lyranus. Quis hoc in casu non admiraretur modum tam expeditum, quo duo tam forti sibi vinculo illigati se dissolverunt ; & duo tantis periculis expositi eadem evaserunt ? ita ut, dum Filii effunderetur sanguis, Pater absolutus fuerit à culpa, & Mater captivitati subtracta ? Non sine ratione asseruit sanctus Paulus, omnia quæ isto contigerant, tempore fuisse figuras, & quasi futurorum præludia : *Omnia in figura contingebat illis.* 1.Cor.10. v.11. Insons Filiolus præfigurabat Christum ; Pater Adamum, cujus assumpsit naturam : Mater beatissimam Virginem Mariam, de qua natus est. Porrò filii sanguine fuso mox pater liber evasit à culpa, ob quam condemnatus fuerat ad mortem : & Mater à captivitate præservata, ad quam deducta fuerat à Patre. Nunquid aptior ad propositum, per omnes suas circumstantias figura & repræsentatio dari potest ? Verum duæ adhuc ad majorem Mysterii decorem advertendæ desunt. Prima, Matrem à captivitate fuisse immunem non post Ægypti ingressum ut captivitati subjiceretur ; sed antea, & ne captiva detineretur præservatam fuisse. Secunda, quod eadem ipsa Ægyptiaca captivitas tunc & occasione tali non nisi modico tempore amplius foret duratura : sed sicut filius Sephoræ Filium præfigurabat Mariæ, sanguis ipsius non permisit, ut vel unico temporis momento mater sua captiva teneretur.

Præter figuram talem videtur realem dari non posse probationem, quæ illam adæquet : tantò verò major erit & melior, quantùm lux ab umbra distat. Ipsemet Christus pretiosissimum sanguinem suum in ultima Cœna in Calice consecrans, his usus est verbis. *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Terribile est verbum illud ultimum ! Est de fide, Christi sanguinem profusum esse pro omnibus ; nam pro omnibus mortuus est, de quo contra modernum hæreticum, expressum habemus S. Pauli textum : *Pro omnibus mortuus est* 2. Cor. 5. *Christus.* Si igitur Christus profundere de- v. 15. bebat, & profudit sanguinem pro omnibus ; quare non dicit, hic est Calix mei sanguinis, qui pro vobis, & omnibus effundetur : *Sed pro vobis & pro multis* ? Legite verba sequentia, & patebit quàm admirabiliter dubium solvant. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Effundetur, inquit Christus, sanguis meus pro vobis, & pro multis, & quo fine ? *In remissionem peccatorum.* Hic differentia consistit. Sanguis Christi absolutè non pro multis, sed pro omnibus est effusus : sed in remissionem peccatorum non est effusus pro omnibus, sed pro multis ; de numero quippe omnium exempta fuit Mater, quæ eundem sanguinem illi dedit. Pro reliquis omnibus sanguis Christi fuit effusus, & quidem in remissionem peccatorum : pro Matre etiam sua fuit effusus, sic est, sed non in peccatorum remissionem ; quia peccato caruit. O benedicte Fili Mariæ, quàm benè te simul ostendisti Filium Dei, cum sublimiter adeò Matris tuæ honori consuluisti ! sancto Paulo dicendum fuisse videtur ; quod omnes in Adam peccarint ; & pro omnibus Christi sanguis fuerit effusus. Ne autem mundus deci-

pe-

peretur, & sciret, quod in contrahendo peccato fuit exemptio, & in effundendo sanguine differentia; hinc Christus duabus tam expressis limitationibus declaravit, sanguinem suum pro multis, & in remissionem peccatorum fore effundendum. Pro multis, & non pro omnibus, ad Matrem suam excludendam: & in remissionem peccatorum, & non alio fine & modo, ad illam ab omni eximendam culpa, à qua absoluta non fuit, per remissionem, sed prævie præservata per gratiam. Hoc ita hora illa, talique actu Calicem manu tenens sanguinis quem effusurus erat, protestatus est dicens velut Filius Dei, Redemptorque Matris, à qua eundem sanguinem acceperat. *De qua natus est Jesus.*

§. IV.

GEnerali isto confirmato fundamento, in quo (utrum novitate aliqua nescio) istius quod vetus & antiquum vocavi, suppositiones tam solidè probatæ videntur: ut aggrediamus id quod propriè magis novum censetur, & potissimum quoad sanguinem, quem Christus ad redimendam, & à peccato singulariter præservandam Matrem suam, effudit; novisse oportet quando, ubi, & quomodo benedictus Filius tantùm, tamque arcanum, & nunquam hucusque distinctè & clarè examinatum operatus fuerit mysterium.

S. Bernardin. Senen. serm. de Concept. Cant. 4. v. 9. S. Bernardinus Senensis Christum suam redemisse Matrem asserit primo effuso in Cruce sanguine, grandi cum prærogativa inter omnes eadem Cruce redemptos. Super illa Canticorum verba se fundat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*: In quibus duplicia, primâ scilicet & secunda vulnera agnoscit; primaque Christum pro Matris suæ redemptione obtulisse in cruce affirmat: ut eadem Domina præ cæteris redempta, redemptoris primogenita esset. Porro devotissimi doctissimique Patris verba sunt ista: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum: pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum; nam primogenita Redemptoris Filii sui Jesu est Virgo Beata.* Sublimis sanè conceptus & sensus, & authore suo condignus! ita, ut quemadmodum filius fuit primogenitus Matris quâ homo, *peperit filium suum primogenitum*: ita Mater fuerit primogenita filii, quâ Redemptoris, *Primogenita Redemptoris filii sui.* *Luc. 2. v. 7.* Et prima fuit excellentia, seu excellens correspondentia, qua Filius Jesus, quâ Jesus & Redemptor Matris, de qua natus est, beneficium illi solvit istius esse, non quod jam ab illa accepisset, sed accepturus esset. Filius primogenitus Matris, & Mater primogenita filii: filius primogenitus Matris in sua nativitate, Mater primogenita Filii in Conceptione.

Hucusque S. Bernardinus, declaratâ sententiâ ipsius, quoad illa permittit. Et revera dicendo, *vulneribus primis*, nisi addidisset, *in cruce*, nihil mihi ultra desiderandum putarem conceptui meo applausurus quod cum tam illuminato sublimique spiritu concordaret. Verum quia aliæ clariores suppetunt scripturæ, quas allegabo, conformando me opinioni, quod sanguis, quem Redemptor pro sua Matre fudit, fuerit primus, dico non fuisse illum quem effudit in cruce, sed in horto. Probandæ huic novitati viam pandat insignis Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius, qui mille jam ante florens annis scri-

ptum reliquit, quod Filius Dei universalis Redemptionis opus auspicaturus initium fecit à Matre. *Nec mirum, si Dominus Redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Eleganter & disertè more suo Ambrosius, vult dicere, nemini mirum videri debere, quod mundi Redemptor opus suum exorsurus à Matre sua inciperet, ut quam cooperatricem in redemptionem sibi adsciverat, prima in ipsa redemptione, de ventris sui fructu colligeret fructum.

S. Amb.

Hoc supposito, si cui fors eundem filium, eandemque Matrem interrogare libêret, ubi nam primos istos redemptionis fructus collegerint, nullus dubito, quin responderent ambo, in horto: quod expressè Mater & filius affirmant. Est locus, quo nec desiderari, nec inveniri poterat melior: & fuit sponsi, qui est Christus, & sponsæ, quæ est Virgo Maria, dialogus, in eodem Canticorum libro. *Veniat dilectus meus in hortum suum* (inquit Beatissima Virgo ibidem) *& comedat fructum pomorum suorum*: Id est fructus primos, & primitias eorum. Sic locuta est sponsa: & mox ut Filius Matris satisfecit desiderio, ita ait: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui Myrrham meam*: id est, veni in hortum meum soror & sponsa mea, & quod collegi, Myrrha mea est. Myrrha propriè non fructus, sed liquor est, ex sic dictis distillans & exsudatus arboribus. Si igitur sponsa ad hortum suum invitaverat sponsum, ut veniens fructus colligeret primos, *veniat in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum*: Quoniam pacto sponsus ad eundem veniens hortum, fructuum loco Myrrham collegit: *Veni in hortum meum, & messui Myrrham meam?* Sic dixit, nam ita factum est, neque melius potuit declarari. Quemadmodum Myrrha exsudatus est ab arboribus aromaticus liquor; Collectus à Christo fructus in horto Matris suæ desiderio satis faciendo, sanguis fuit eodem in horto orando profusus. Quod concorditer & expressè sentiunt, Cyrillus Hierosolymitanus, Philo Carpatius & Rupertus: *Christus enim in horto orans, Myrrham messuit, cum sanguinem sudavit.* Num clarius, brevius, exactiusque quippiam dari potest; in quo pro voto desiderioque nostro, ubi, quomodo, & quando exprimatur? Ubi, *in horto*; quomodo, *orans*: quando, *cum sanguinem sudavit?*

Cant. 5. v. 1.

Cyrill. Philo Carp. Rupert. ibid.

Primam hanc novam adeo, & probatam conclusionem contemplando quid dicemus? Dicemus fortasse Redemptorem supremum, suam redimendo Matrem tam excellenti processisse modo, ut non solum Immaculatam voluerit esse redemptam, sed Immaculatam ipsam etiam redemptionem? Et quia redemptio quam operatus est in Calvario, peccati, & peccatorum erat redemptio: ne illa Matris suæ ullatenus cum ea involveretur & permisceretur, eam loco, tempore, sanguine, & illum profundendi modo discrevit, & segregavit; in horto faciendo novum Calvarium sine monte, & in sudore crucem novam sine clavis? Sic illud eleganter *Hildebertus Turonensis decantavit*: *Sanguineus sudor Crux fuit ante crucem.* Sed Divum Paulum auscultemus. S. Paulus inter utrumque distinguere videtur sanguinem, universalem Redemptionem sanguini Crucis solum attribuendo! *Pacificans per sanguinem*

Hildebert. Turonens.

Ad Coloss. cap. 1. v. 20. nem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis. Porro hisce terminis generalibus communiter loquuntur SS. PP. Ex quo sequitur, quod si sanguis Crucis solus fuit pretium Redemptionis universalis, hoc casu omnis sanguis in horto fusus, à Filio applicatus fuit Redemptioni Matris, proinde propriè non tantùm primogenita, ut sanctus volebat Bernardinus, sed unigenita censetur: primogenita enim habet secundarios seu subsequentes, unigenita verò singularis est & unica. Verum enim vero excellentia hæc nullatenus debet, nec intelligi potest, cum exclusione sanguinis Crucis. Dubio etenim vacat, filium Virginis etiam pro Matre mortem optiisse de qua natus est; quod nova fuit recognitionis gratitudinisque correspondentia, qua morte nativitatem compensavit. Quid igitur coram ambobus hisce theatris seu amphitheatris, sanguineis utrisque in horto uno, in Calvario altero constitutis dicemus? Dico, in utroque Filium Mariæ, tanquam Jesum fuisse operatum, & redemptionem ejus velut Redemptorem: sed in Calvario velut generaliter redemptam; in horto velut singulariter præservatam, & in utroque velut Purissimam & Immaculatam. In omnibus quæ dico, ejusdem Matris; ejusdemque Filii ore loquor: & in hoc puncto, consonantia admirabili cum textu, pro illo facto.

Unus è notabilioribus S. Scripturæ textibus, in quæ hoc dicit, & ordine & consequentiâ quâ hoc dicit, sunt illa sponsi divini, secum primo, & deinde cum sponsa loquentis verba: *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris; tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Otiosum est repetere, sponsam esse Virginem Mariam, & sponsum Christum ejus Filium. Quomodo autem huic respondet, quod Filius ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris iturum se dicat: moxque inferendo Matrem totam esse pulchram ab omnique macula puram concludat? *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris:* & derepente nullo alio allegato motivo adjungat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te?* Pro notabilis adeò consequentiæ intelligentia, qua tam clarè & expresè Beatissimæ Virginis Immaculata puritas infertur, scire necesse est, quis mons, & quis collis; quæ nam Myrrha sit ista, & quod thus. Myrrha mortem, thus significat orationem: porro communi hoc omniumSS. Patrum sensu mons Myrrhæ est Calvarius, in quo Christus est mortuus; Collis thuris est Hortus Gethsemani, ubi oravit: Gethsemane enim situm erat in rupe seu colle valli, Cedron imminente. Proinde Christus moriens in cruce, & orans in Horto, hinc consequentiam deducit concludens ipse, Matrem suam totam pulchram, & ab omni macula puram: ratione & consequentia, repeto, iterumque dico, admirabili; nam ut Christus genus redimeret humanum, sufficiebat sanguis effusus in crue; ad redimendam verò & præservandam matrem suam à labe peccati, per excellentiam sanguini crucis superaddere voluit sanguinem, quem orans profudit in Horto. Hoc est ire ad montem Myrrhæ: vadam ad montem Myrrhæ; simulque ad collem incensi, *& ad collem thuris.* Et mox unitis sibi gemini hujus itineris effectibus, sanguineque uno alteri consociato,

Cant. 4. v. 6. & 7.

exclamans voce alta Filius Matrem suam totam puram & Immaculatam pronunciavit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* Generalis enim sanguinis in Cruce fusi effectus fuit redimere; effectus verò particularis sanguinis in Horto fusi, fuit redimere præservando.

Agite, sanguinem cum sanguine, illum crucis cum isto horti conferamus, & mox ad oculum differentia hæc patebit. Percusso in cruce Christi latere,
Joann.19 v. 13. mox inde sanguis & aqua profluxit: *Exivit sanguis & aqua:* Christo vero in horto sudante nonnisi sanguis exivit: *Factus est*
Luc. 22. v.44. *sudor ejus sicut guttæ sanguinis.* Non ita fieri debuisse videtur. Sanguini horti consonum magis erat, quam sanguini crucis, cum eo simul aquam exire. Exhausto enim sudore naturali, qui est humor aqueus, subsequebatur præter naturale & mysteriosum quod est sanguis. Quonam igitur mysterio sanguis in cruce simul exivit cum aqua, & non ille fusus in horto? Omnes PP. uniformiter asserunt sanguinem crucis significasse Redemptionem, aquam autem Baptismum, ad abluendum peccatum originale pri-
Athanas. serm. de Pass. Ambros. lib. de sacrament. cap. 1. mariè institutum. S. Athanasius: *Exivit sanguis & aqua ut ita redemptio, & immundatio prioris Adæ dimanaret.* Et S. Ambrosius: *Exivit aqua & sanguis: aqua ut mundaret; sanguis, ut redimeret.* Sic reliqui: Et sicut sanguis Christi serviebat ad redimendum, & aqua ad abluendas peccati Adami maculas, propterea in cruce cum sanguine simul exivit & aqua: *Exivit sanguis & aqua.* Veruntamen in horto, sicut sanguis serviebat ad redimendum, non abluendo, sed à macula ipsa præservando; quia redimere tantum debebat, nec, quod lavaret, habebat; hinc sudor non fuit sanguineus aqua mixtus, sed sanguineus tantum: *sicut gutta sanguinis.* Hac ratione propriè Christus iturum se ad Calvariam dicens, *vadam ad montem Myrrhæ*, nullam de Matris puritate mentionem vel verbolo fecit; sed mox ad hortum quoque se iturum adjiciens, *& ad collem thuris*, statim illam publicavit, & velut Immaculatam canonizavit, *Et macula non est in te.* Potuisset utique sanguis Crucis, utpote virtutis infinitæ idem operari; sed quia redemptio Matris tantò erat nobilior, tantò sublimior, tantòque pretiosior illis omnibus, valor æstimatioque redemptionis ejusdem exigebat, ut majus sublimiusque pretium daretur pro ea. Hinc filii studium & industria magis magisque in excellentia semper proficiens, minori, quam solutionis duplicationi non acquiescens, pretio pretium, & sanguini sanguinem associat, velut Redemptor, & Jesus Matris, de qua illum sumpsit, & natus est: *De qua natus est Jesus.*

§. V.

PRobavimus prærogativam sanguinis, quem Christus sudavit in horto, respectu ejus quem effudit in cruce, & quo pacto specialiter ab ipso Filio Immaculatæ Matris suæ redemptioni fuerit applicatus: sed nondum dedimus, nec inquisivimus rationem. In sanguine Christi tantum una valet gutta, quantum totus: & si in toto speculativè considerandus videretur aliquis excessus, totus fuit ille crucis, & guttæ ille horti: *sicut gutta sanguinis.* Qua igitur de causa, sanguis ille horti præferri meruit, in hoc mysterio sanguini Crucis? Respondeo, rationem, congruentiam, & excellentiam præsentiæ hujus fuisse; ut non tantum Redemptor

ptor & Redemptio , sed etiam pretium ejus, qui fuit sanguis, in eodem singulari & extraordinario redimendi unirentur modo, quo Filius Matrem redemit, & ipsa redempta fuit. Enim verò quomodo Beatissima Virgo Maria fuit redempta ? non post, sed anticipativè, id enim est, præservatione fuisse redemptam. Hæc igitur fuit ratio & excellentia, cur non Redemptor solum & redemptio , sed ejusdem etiam pretium fuit anticipatum. Redemptor acceleravit & prævenit redemptionem : Redemptio accelerando prævenit peccatum : porro ut pretium quoque , quod erat sanguis , similiter accelerando præveniret, sanguis horti anticipando prævenit sanguinem crucis.

Parentibus Samsonis per desertam sylvisque circumceptam oberrantibus viam, comes viæ filius, præcurrens obvium sibi leonem non aspectu minùs, quam rugitu terribilem animosè aggressus sine armis , propriis tantum manibus suffocando interfecit, interfectumque in sylvam projecit. Heroicus sane & plusquam humanus actus, quod ita notat scriptura, dicens, divini spiritus id eum fecisse impulsu. Primus verò motus, quo præcucurrit, parentes suos post se relinquens, nec, necessarius, nec conveniens fuisse videtur. Non necessarius; robur enim erat idem, & tam parentum stipando latus, quam præcurrendo occidere poterat leonem : similiter, imò multò minùs conveniens; parentes enim comitando ab illius , alteriusve feræ sylvestris securiores reddebat incursu. Quoniam igitur fine factum putamus? (non enim poterat non esse magnus & mysteriosus) Finis magnus & mysteriosus fuit, pro ut jam nonnulli moderni scriptores notarunt ; quia in historia hac de Samsone admirabiliter , & cum omnibus circumstantiis suis Immaculatæ conceptionis præfigurabatur mysterium. Via per quam ambulabant Pater & Mater figurabat illam , quâ ab Adamo descendimus omnes, quotquot mediante generatione naturali esse accipimus : Leo ferox & superbus peccatum denotat originale, quod in transitu illo omnes expectat homines, & nōdum natis nec parcit, nec intactos dimittit sed perimit : leonem istum occidens Samson est Christus Dominus per naturam à peccato immunis , solus potens vincere & destruere non solum peccatum originale, sed & omnia alia. Quemadmodum igitur Samson præcucurrit ad liberandum à leone Patrem & Matrem, antequam ipsis occurreret ; Ita Christus prævenit anticipando ad præservandam à peccato originali suam Matrem , antequam illud incurreret.

Hucusque Doctores allegati , quorum nemo considerat, nec circumstantiæ cuidam & improprietati succurrit, quæ, cum hæc mysterii figura tam naturalis existat, non solum eam deformat, sed negat vel in dubium vocat. Samson Patrem & Matrem à faucibus Leonis liberavit : Christus a peccato originali nullum præservavit virum, sed unam tantùm mulierē, quæ fuit Virgo Immaculata. Ergò historia non convenit cum mysterio, neque figura cum suo figurato; immò omnem dissolvit & destruit Conceptionis Gloriam & prærogativam, quæ in eo consistit, quod Beatissima Virgo unicè fuerit præservata. Sed quid, si ego in eo quod in historia videtur improprium, energiam maximam mysterii elegantiamque constitisse asseram ? Sic dico. Quoniam Samson ab illa liberavit fera, quæ peccatum originale refert, non solum

solum suam Matrem, sed etiam liberavit patrem; hinc perfectissimè in Conceptionis Mysterio Christum figuravit. Sed quomodo? Eandem ob rationem. Nam Christus fuit Mariæ Filius; & Mater Virgo, non tantum est Mater; sed Mater & Pater sui Filii, non enim alium habet patrem. Ergò ut Samson in Conceptionis mysterio perfectissimè præfiguraret Christum, non Matrem tantummodo, sed & Patrem à leone liberare debebat. Hoc fundamento graves Theologi sensêre, Beatissimam Virginem Mariam respectu *Filii* sui, debere vel posse vocari non solum *Matrem*, sed Matri-patrem, id est Matrem & Patrem. Unde eamdem ob rationem in multis SS. PP. legimus, amorem Beatissimæ Virginis erga Christum fuisse geminatum; aliorum enim naturaliter genitorum filiorum inter Patrem & Matrem dividitur; sed in Matre Virgine, veluti in Matre & Patre totus erat unitus.

Enim vero adhuc aliam insuper, hæc eadem Samsonis historia in mysterii ejusdem conformationem admirabilem continet proprietatem. Vidimus jam quomodo occisum Samson Leonem projecerit in sylvam & absconderit. Et sacra declarante scriptura, nec Patri, nec Matri, nec cuiquam alii factum hoc revelavit, cum ipsi tantum honorem famamque conciliare potuisset. Mansit itaque mysterium silentio & secreto tectum, donec multos post dies, detegeretur, intentionem propositumque fuisse Samsonis de eadem historia & facto formare, sicut formavit famosum illud ænigma, quod sub problematis nomine hominum proposuit & exposuit judicio: *proponam vobis problema.* Agedum, nullius nunc tam rude puto ingenium, quod in singulari hac circumstantia clarius faciliusque non agnoscat Historiam Beatissimæ Virginis *Mariæ* Conceptionis, quam illam ejusdem Samsonis. Præcessit & præcucurrit Christus ad vincendum & perimendum peccatum originale, ante *Matris* suæ Conceptionem: & cum multo tempore secretus & occultus fuisset singularis iste filii actus, quid idem filius fecit? eodem ex actu occulto eodemque ex secreto sibi soli manifesto, celeberrimum, & intricatissimum formavit problema, quod unquam fuit in mundo. Doctissimæ Theologicæ Scholæ desuper disputârunt, utrum, *Maria* in peccato originali fuerit concepta, nec ne. Quænam scripturæ non fuere desuper investigatæ & explicatæ? Quot libri non impressi? Quot discursus & argumenta non inventa? Quot disputationibus punctum istud non fuit eventilatum, Doctorum quibusdam affirmativam, aliis majore cum applausu negativam partem tenentibus? Verum omnes hucusque problematicè; sic enim pro majore mysterii ejusdem celebritate & gloria ipse supremus problematis ipsius author disposuit: *Proponam vobis problema:* Ast, nunquid semper erit problema? Nulla ratione. Ex eadem enim constat Historia, Samsonem ænigma revelâsse sponsæ. Et quemadmodum Samson illud suæ revelavit sponsæ, & illa mediante illud intellexêre omnes: sic Christus illud tandem suæ revelavit sponsæ, id est, Ecclesiæ, pro ut jam cœpit; & si per illam veritas fuerit definita, cessabit controversia, & cognoscetur celebraturque ab omnibus.

Judic. 14. v. 12.

Discursus nostri filium repetendo, quemadmodum Filius præcedendo, & præ-

præeundo anticipavit redemptionem: sic Redemptio eadem nova & admirabili correspondentia prævenit peccatum. Peccati originalis tam stupenda fuit celeritas, qua præveniendo & anticipando occidit homines; ut cum omnes Adami forent filii, prius à patre fuerint occisi, quam nascerentur. Porro ut videatur Beatissimæ Virginis Mariæ redemptionem non minus fuisse acceleratam, neque Filium magis tardâsse præveniendo anticipare præservationem Matris, quàm Adam præveniendo anticiparat filiorum occisionem: Interrogo; Quodnam fuit prius, Nativitasue Filii, an Conceptio Matris? Nullum est dubium quin Conceptio Matris diu præcesserit Nativitatem Filii. Si igitur Filius nondum erat natus, quo pacto præservavit à peccato Matrem antequam nasceretur? Respondeo iterum interrogando. Quando Adam peccavit, num nati erant ipsius Filii? Nequaquam; nihilominus Adam eos occidere potest peccato antequam nascantur. Ergone justum videtur, quod filios Adami peccato occidat eorum pater antequam nascantur: Et Filius Mariæ ab eodem non præservaret peccato Matrem, antequam nascatur? Est verò verius hanc anticipatam adeò Redemptionem effectum fuisse sanguinis Matris, quem ille nondum acceperat. Sed hæc est virtus Christi, uti mox videbimus.

Jam jam nascituris ex Thamar duobus geminis Zaram & Phares: Zaram protendit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, illum primoginitum futurum autumans; ast decepta; Si quidem Phares præveniendo primus natus est. Omnes SS. PP. in hoc casu magnum agnoscunt mysterium, concorditerque sentiunt vitam illam coccineam Sanguinis Christi fuisse signum. S. Cyrillus in verba textus commentando, *Unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum*, inquit, *coccinum sanctissimum Christi sanguinem signat.* Idemque dicunt S. Ambrosius & Bernardus; ac alii Patres. Casus igitur fuit, quod Gemellorum duorum Zaram & Phares, uterque prius egrediendo primogenitus esse contendebat, ut è sanguine suo Messias nasceretur, quod unum tempore illo desiderabatur, & ambiebatur. Et quid idem fecit Messias, Phares concessit, ut sanguinem ab eo acciperet; & Zaram ut eodem se sanguine honoraret: ut sic factum est. At Zaram mox purpuram sanguinisque signum dedit: & de Phares signum illud nonnisi longo post tempore accepit. Et quare? quia propria sanguini Christi virtus est ante dare se posse, quam accipiatur. Sanguinem Phares Christus non accepit, nisi natus: & signum sanguinis sui & effectum accepit Zaram, antequam ipse Zaram nasceretur: & istud, nec plus, nec minus, in Beatissimæ Mariæ Conceptione, & Filii ejus Nativitate verificatum fuit. Filius sanguinem accepit à Matre de illa natus, in die scilicet Nativitatis suæ: & Mater sanguinis accepit effectum, quem eidem impertiit Filius, antequam nasceretur, scilicet in die suæ Conceptionis. Ita ut Filius Redemptor fuerit Matris mediante sanguine quem ab ea accepit, antequam illum acciperet: Et Mater redempta fuerit & præservata mediante sanguine, quem Filio dedit, antequam illum ipsi daret. Fundatam & declaratam habemus rationem: iste enim sanguis fuit ille Horti.

Gen. 38. v. 27.
Cyrill. apud Lippom.
Ambros.
Bern.

Quemadmodum Redemptor fuit anticipans, quia præveniendo anticipavit

Redemptionem: & quemadmodum Redemptio fuit anticipata, quia anticipando prævenit peccatum: sic pro majore mysterii splendore & gloria conveniens fuit, ut ejusdem Redemptionis pretium, quod erat sanguis, similiter anticiparetur; & idcircò sanguis horti anticipando prævenit illum sanguinem Crucis. Ita hoc notavit, admirabilibusque celebravit proprietatibus eadem excellenter adeò ac singulariter redempta Virgo. Postquam benedictus ipsius Filius, collectum in horto fructum Myrrham suam esse dixerat: *Veni in*
Cant. 5. v. 1. *hortum meum, messui Myrrham meam*: quæ Myrrha, ut vidimus, est sudatus in horto sanguis; Beatissima Virgo cum Filio loquens, Myrrham illam, quam vocat primam, ex sacro ipsius ore stillasse affirmat:
Ibid. v. 13. *Labia ejus distillantia Myrrham primam*. Verùm enim verò, si sanguis ille quem sudavit Christus, per omnes corporis sacri exiit seu erupit poros: quo pacto Beatissima Virgo illum ex ore ejus stillâsse affirmat? Ecce nunc apparebit quanta proprietate & convenientia, de horto, & de oratione in eodem fusa, nomen, *Collis thuris*, accipiamus & interpretemur. Sanguis Christi in horto ex ore Christi dicitur stillatus; nam vis & efficacia orationis ejusdem in horto velut tam fervida & ardens, in venis sanguinem accendit, & subtilem reddidit, & sudori permixtum emanare fecit. Eadem illud consequentia S. Lucas Evan-
Luc. 22. v. 43. & 44. gelista affirmat: *Prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis*. Et Elias Cretensis in eundem commentando tex-
Elias Cret. ibid. tum, ait? *Ardenter orat, ac sudor guttarum sanguinearum ab ipso fluit*. Et sicut ex ore exibat oratio, sic ex venis erumpens currebat sanguis: hac proprietate Beatissima Virgo dicit, quod eodem ex ore Myrrha prima stillaret: *Labia ejus distillantia Myrrham primam*.

Verbum *distillans*, juxta textum Arabicum, sudorem in horto significat: *Et factus est sudor ejus velut sanguis distillans*. Sed quæ ratio, cur Beatissima Virgo verbis eisdem sanguineum sudorem in horto, non Myrrham simpliciter, sed Myrrham primam appellat, *Myrrham primam*, quod nomen tam est singulare, ut in tota Scriptura sacra, nonnisi in hoc textu inveniatur? Nonne Myrrha omnis est ille liquor, seu pretiosus & aromaticus humor ex arbore stillans, in qua nascitur? Ita planè. Ut quid igitur sanguis & sudor in horto, non quocunque modo, sed specificè, & particulariter Myrrha prima nuncupatur: *Distillantia Myrrham primam*? Nec propriè magis, & eruditè declarari potuisset sanguinis anticipati mysterium. Myrrha, secundùm Plinium, ex arbore in qua nascitur, duobus modis colligitur. Primus est, quo arbor se ipsa, nulla exteriùs admota violentia, liquorem subtilissimum naturaliter distillat: & hæc vocatur Myrrha prima. Secundus modus est, quo arbor vulnerata grossiorem emittit liquorem: & hæc vocatur Myrrha secunda. Et quis non videt talem proprietate admirabili fuisse Myrrham & sanguinem in horto, collatam cum Myrrha & sanguine Crucis? sanguis in Cruce nonnisi ex percusso & aperto lancea & clavis Redemptoris corpore exivit: ille verò in Horto, omnia violentiæ præveniendo instrumenta, à semetipso & spontaneè è venis in sudore exivit & distillavit. Sanguis Crucis vi ferri, velut Myrrha secunda fuit eductus: sanguis horti non alia quàm amoris violentiâ, velut Myrrha prima fuit sudatus; *Myrrham primam*. Porrò Virgo purissima tanti facit hanc

hanc circumſtantiam,& ob eam in tantum Filium ſuum deprædicat. Quia dum non præcipua tantùm prærogativa, ſed ipſa præſervationis eſſentia, in Redemptione anticipata conſiſtit; quænam, quæſo, major amoris excellentia aut ſperari, aut concipi ab ipſo Redemptore poterat, quàm amor ejus velit, & ſapientia inveniat, ut quemadmodum Matris ſuæ Redemptio fuit anticipata, ſic Redemptionis pretium,& ſanguis quo illam redemit, ſimiliter anticiparetur; ſic denique probavit ſanguinem eſſe illius Jeſu, & illius Redemptoris: Redemptoris illius, qui fuit. Ille ſuæ Matris antequam homo eſſet: Et illius Jeſu, qui fuit ille Mariæ, antequam eſſet Filius: *de qua natus eſt Jeſus.*

§. VI.

OBligationibus Redemptoris, ſimul cum illis Filii, toties repetitis prærogativis & excellentiis, quibus puriſſimæ Matris ſingularem adeò reddiderunt Redemptionem, jam ſatisfactum eſſe cenſendum videtur: ſed adhuc ſupereſt omnium eminentiſſima. Quorundam Patruum antiquorum fuit ſententia, ſicut hodie communis eſt inter Theologos, ſanguinem quem Verbum Incarnatum de beatiſſima Virgine ſumpſit, ſemper Divinitati conſervâſſe unitum, non permittendo calori naturali, ut illum alteraret, immutaret, vel imminueret; Eandem hodie glorioſus conſervat in cœlo, ſicut dicit Auguſtinus; eundemque accipimus in Sacramento, ſicut dicit S. Petrus Damianus. Hoc ſuppoſito Chriſtiana pietas temeritatis me non arguet dicentem, ſanguinem, quem Chriſtus ſudavit in horto, eundem fuiſſe, quem à ſanctiſſima Matre ſua in Incarnatione acceperat.

S. Aug. ſerm. de Aſſumpt. S. Pet. Dam. ſerm. 45.

Prima naturaliſque ratio, in qua me fundo, ex ejuſdem incarnati Verbi pectore, nec non intellectus & voluntatis ipſius archivio eſt deducta, & non ex alterius, ſed ejuſdem Incarnationis Myſterii congruentia. Duo à nobis accepit Verbum idem in illo Myſterio, carnem videlicet & ſanguinem. Et quid de eis fecit,& quam ob cauſam? ex ambobus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ; Porrò cauſa fuit, inquit S. Thomas, ut totum quod ab hominibus acceperat, hominum eorundem ſaluti impenderet. *Totum quod de noſtro accepit, totum nobis contulit ad ſalutem.* Ad memoriam nunc redeat, quod è Cœnaculo, ubi Chriſtus Sacramentum inſtituerat, immediatè ad hortum perrexerit, ubi eadem Caro, quam in Sacramentum converterat, non alterius, ſed ejuſdem omninò ſanguinis partem ſudaverit. Et erit qui ſibi perſuadeat, in tam exiguo temporis & loci ſpatio, mentem mutâſſe, & affectum, idem ingenium, eandemque Chriſti voluntatem; oblitumque fuiſſe, quid aut ſua pietas dictaret, aut amori ſuo congrueret? Clarum eſt, tale quid ſibi imaginari, tam Filio, quàm Matri injurioſum fore. Si igitur bonitati amorique Chriſti viſum fuerit, totum ſaluti hominum eſſe impendendum, quod ab hominibus acceperat: ſi quam ſui ſanguinis partem, anticipandæ Matris ſuæ Redemptioni impenſurus erat; quid obſtat, quin fuiſſet aut eſſet eadem pars, quam de viſceribus ejus acceperat? qui tam integrum illum conſervaverat triginta tribus annis, utique non alio hoc fine fecit, quàm ut tam competenti & excellente illum expenderet occaſione.

D. Tho. opuſc. 57.

Iſtud ego, nec ſolus, aut ſine Authore

affirmo. Eusebius Emissenus (quem nonnulli Eucherium esse volunt, ambo antiqui, nec authoritatis modicæ Ecclesiæ PP.) vel ambo, vel alteruter eorum notabilia hæc refert verba. *De carne Mariæ coagulatus, de ejus formatus visceribus, de ejus substantia consummatus, sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Id est, Christus de Mariæ carne generatus, de visceribus Mariæ formatus, & de substantia Mariæ homo perfectus sanguinem non alium, pro Matris suæ Redemptione obtulit, quâm quem de sanguine Matris accepit: *Sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Notentur benè admiranda illa verba, *Sanguinem de sanguine Matris*: Et illud, *Etiam.* Ita ut sanguis de quo loquimur, non sit totus sanguis Christi, sed pars ejus; & hæc pars non alia, quàm illa eadem, quam de sanguine suæ Matris accepit: *Sanguinem quem de Matris sanguine accepit*; Et illud, *Etiam, etiam pro Matre obtulit*, denotat solutionem pretiumque particulare fuisse pro Redemptione tantummodò Matris, præter & ultra pretium generale pro omnibus, quod non fuit tantùm pars sanguinis Christi, & non solùm, pars in Incarnatione à Matre accepta, sed totus vitæ totius tempore acquisitus. Sanguis iste totus, universalis generis humani Redemptionis pretium fuit: illa verò pars de Matris sanguine accepta, quamvis etiam fuerit pars totius, etiam quà pars separata, *etiam*; simul, specialique modo, & præter pretium generale, etiam; specialiter, prout diximus, ejusdem Matris Redemptioni fuit impensa: *Quem etiam pro Matre obtulit.*

Euseb. Emissen. Hom. de Nativ. Domin.

Porrò ut idem sanguis eandem nobis considerationem solidè confirmet, ad ipsum hortum, locumque & modum quo effusus est, procedamus. Quando Christus Dominus noster hortum ingressus in repetita toties oratione perseveravit, anxietates & angustiæ ejusdem, ex naturali mortis, tormentorumque timore & apprehensione nascebantur, postquam sensitivæ sacræ humanitatis suæ parti (tam ad probandam passibilis naturæ veritatem, quàm ad plura pro nobis patiendum) subjiciendi sese naturæ affectibus copiam fecerat, & hoc non sine pavoris infirmitatisque argumentis. Hoc sensu dixit S. Marcus: *Cœpit pavere, & tædere.* Quod omnes PP. intelligunt de timore proprio, vero, & naturali. Sed idem ipse timor sanguinis sudorem difficilem reddere videtur; non enim Philosophia tantùm, sed etiam experientia nos docet, timore sanguinem retrahi & cordi succurrere, hinc qui timent, vultu pallent. Christo igitur verè timente, cum tam timor quàm sudor sanguinis, licet extraordinarius, fuerit naturalis, quomodo loco ejus ut sanguis retrocederet intra, exivit & prosiliit foras? Ratio similiter naturalis est: Eidem enim sanguini duo inerant impulsus, & differentium effectuum horum causæ, pro diversitate affectuum eodem tempore cor Domini impugnantium. Pars una sanguinis timoris sequens affectum, timida erat; pars altera contrarium sequens affectum erat animosa: sanguis timidus succurrit cordi, animosa exivit prorupitque foras: & hæc pars sanguinis animosi exeuntis & prosilientis foras, fuit sanguis, quem Verbum Incarnatum conservabat de Matris suæ sanguine acceptum. Probo. Quando Ange-

gelus missus est ad Mariam, humillimus modestissimusque Beatissimæ Virginis animus talibus auditis sermonibus velut inassuetus nonnihil turbatus fuit: *Turbata est in sermone ejus*, Idem verò Angelus anxietate sedata, timorem ipsi abstulit, dicens: *Ne timeas Maria.* Sedata itaque anxietate, & timore amoto Beatissima Virgo legationem animosè suscepit, dicens: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* Et sic Verbum in visceribus suis incarnavit. Quoniam verò sanguis, quem Verbum de Matris suæ sanguine assumpsit, actualiter erat animosus, *ne timeas Maria*, iste idem fuit, qui in horto cordi non succurrit velut timidus, sed velut animosus exiens è venis prosiliit foras: *factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis.* Hoc modo generosum & impavidum sese præstitit sanguis horti, quasi memor non solum cujus esset, sed cujus fuisset, ad succurrendum in causa originali, honori suæ propriæ originis: *Sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.*

Luc. 1. v. 29. Ibid. 30. Ibid. 38.

Denique, & in summa, quod Jesus de Maria natus, ut perfectum & perfectissimum ostenderet Jesum, nec non perfectum & perfectissimum Matris suæ Redemptorem, non tantùm illam sine macula præservavit in purissima Conceptione, qui est perfectissimus redimendi modus; sed ut inter redemptos omnes esset prima, & primogenita, vel unigenita Redemptionis ipsius Filii: antequam ille pro omnibus totum effunderet sanguinem in Cruce, illum effundere cœpit in horto singulariter pro ea, Redemptionis ejus pretium anticipando, quemadmodum ipsa Redemptio fuit anticipata; sed etiam ex supremo amoris, gratitudinis, principalisque correspondentiæ excessu ut pars sanguinis anticipata, quam specialiter applicavit, ejusque præservationi dicarit, esset eadem, quam de purissimis visceribus ejus acceptam custodierit. Ego extremum illud excellentiæ pro dignitate ponderare & admirari nescio: sed altioris ordinis pro me substituam admiratores, quàm omnes homines sint.

Quando Christus velut universalis noster, & particularis Matris suæ Redemptor triumphans ascendit in cœlum, omnes spiritus Angelici admirati, interrogabant: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus*? Id est, Quis est iste qui venit de terra Edom vestibus sanguine tinctis? *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ*; Id est, veniens comitatus multitudine eorum, quos brachii sui fortitudine liberavit; & quàm formosus ille, & quam illustris vestitu suo! nullus erit qui non singulariter notet & consideret hæc ultima verba: Enim verò si triumphantis amictus primarium erat Angelis admirationis motivum, & ex eodem formositatem exaggerarent: *Iste formosus in stola sua*! Si erat propter sanguinis tincturam, *tinctis vestibus*, eodem in triumpho Christus Vulnera detecta non præferebat; cur silentio pressis corporis vulneribus, amictus tantùm sanguinem admirantur? Quia Vulnera, pro universali omnium Redemptione in Cruce fuerant accepta; sanguis verò vestimenti erat ille sudatus in horto, pro particulari Matris suæ Redemptione & præservatione. Benè notatâ totâ Passionis historiâ invenietis, sanguinem, quo propria Christi vestis fuit tincta, fuisse

Isai. 63. v. 1.

tan-

tantum horti. In flagellatione Christus totus erat nudus, & decurrens flagellis eductus sanguis prætorii pavimento inhæsit. In spinea coronatione, expressum è sacro vertice cruorem purpura, seu potius ludicra & illusoria, quâ irrisoriè, militum insolentia eum induerat chlamys exceperat. In Cruce totus pendebat nudus, & dimanantem, ex quinque Vulneribus sanguinem totum Calvarii humus imbibebat. Proinde sanguis quo Tunica, & propria Christi tincta fuêre vestimenta, fuerit ille ex omnibus poris in horto sudatus. Quoniam verò sanguis iste tot extremis, & admirandis, ut vidimus, modis in præservatione suæ Matris singulariter fuit operatus; hinc supremus Redemptor, pro splendidissimo & ditissimo triumphi sui ornamento, amictum suum eo tinxit: ex quo etiam Angeli, eum velut talem sunt admirati, & ad exaggerandam Redemptoris formositatem deprædicarunt: *Iste formosus in stola sua.*

Quicquid prætereà in eodem contigit triumpho, confirmat sanguinem istum ex hoc tantùm auxisse admirationem, quia specialiter Immaculatæ Beatissimæ Virginis Conceptioni fuisset impensus. Interrogârunt Angeli, qualisnam supremus iste Triumphator esset, *Quis est iste?* Quibus ipsemet respondit: *Ego, qui loquor* *Isai. 63. v. 1.* *justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Christus salvavit omnes, sed solam Matrem suam velut *propugnator* seu defensor; alios enim salvavit à peccando ipsos liberando: Matrem verò suam, ne illud incurreret defendendo. Et hæc est justitiæ distinctio, de qua loquitur: *Ego qui loquor justitiam*: Nam alios salvavit post peccatum, læsæ Patris Majestati ex justitia satisfaciendo: Beatissimam Virginem salvavit, ipsam præservando & defendendo, obligationibus suis satisfaciens, quibus velut Filius Matri obstrictus erat. Ulterius institerunt Angeli: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua* *Ibid. v. 2.* *sicut calcantium in torculari?* Eadem comparatione superiùs jam dixerant, *tinctis vestibus de Bosra*, Nam *Bosra* idem est quod *Vindemia*. Respondit Christus: *Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum.* q. d. Torcular in quo tincta sunt vestimenta mea calcavi solus, absque quod ullus fuerit mecum. Ex quo differentia patet sanguinis in Cruce fusi (ad quam ipsa Mater velut corredemptrix fuit comitata, & tanta hominum, tam suorum popularium, quàm externorum turbâ ipse circumdatus) ad sanguinem sudatum in horto, in quo solus & solitarius fuit, ipsis quoque, quos socios assumpserat, dormientibus. Et quia iste sanguis in metaphora torcularis Redemptioni Beatissimæ Virginis particulariter fuit applicatus, verba Jeremiæ sono tenus saltem ipsi quadrant: *Torcular calcavit* *Thren. 1. v. 15.* *Dominus Virgini filiæ Juda.* Concludit tandem verbis quibusdam Triumphator divinus, quæ omnia hucusque dicta annihilare videntur; dicit enim, sanguinem quo tincta erant vestimenta sua, eorum esse quos in conflictu prostraverat: *Aspersus est sanguis eorum super* *Isai. 63. v. 3.* *vestimenta mea*: Si sanguis erat devictorum, non erat suus, uti supponimus. Imò verò suus, quia victorum. Deus non habebat sanguinem, quem ut haberet

ad

ad redimendos homines, ab ipsis illum accepit hominibus; & hinc dicit profusum à se sanguinem fuisse ipsorum, *sanguis eorum.* Sed si Christus redemit homines sanguine ab ipsis accepto, multò magis stabiliuntur quæ diximus, scilicet sanguinem, quo Matrem suam redemit, eundem fuisse quem ab ipsa acceperat. Porro ut primis verbis rem absolvamus: *Quis est iste qui venit de Edom,* Edom & Adam idem est, utrumque enim nomen idem significat: Et Angelorum admiratio in figura de Edom innuit, triumphatorem supremum venisse de Adam: Triumphi enim illius gloria, vel gloriosior illius pars ad Immaculatam Virginem pertinebat. Reliquum generis humani Christus non solũ à peccato redemit Adami, quod est originale, sed à peccatis actualibus omnium & singulorum: Virginem verò Mariam ab omni peccato actuali semper puram, ab originali tantummodo Adami peccato præservavit; & quia inde triumphus cœpit, inde triumphus venit: *Quis est iste, qui venit de Edom.*

§. VII.

HIc celeberrimus fuit Jesu triumphus, quatenùs Redemptor fuit, priùs suæ Matris, & posteà mundi, admirabilior visus Angelis propter decorem & ornatum amictus, quàm propriam personam: & speciosior propter guttas sanguinis in horto, quibus veniebat obumbratus, quàm propter sanguinis rivos, quos effudit in cruce, quique Calvarium rigârunt. Pro devotis erga Conceptionẽ Immaculatã nihil superest aliud, quàm desiderare; nec quod faciamus nisi affect⁹, voces, cordisq; jubilos angelicis consociare admirationibus & applausibus: nec non tali Filio, & tali Matri cõgratulari millies. Et quãvis omnes Baptismi virtute & beneficio à peccato originali simus liberi; pro ut corruptioni & infirmitati cum illo hæreditatæ, nec non tentationibus, actualiumque peccatorum periculis obnoxii; nobis verò vel maximè utile & necessarium est, ut mediante potentissima Matris ejusdem intercessione, sanguinis Filii ipsius efficacia utamur & fruamur. Interpellemus ambos; pretiosissimi enim sanguinis illius virtus est, non tantum redimere & liberare à peccatis jam commissis, sed præveniendo præservare à committendis: Et misericordissimo dicamus Redemptori, quod toties repetit Ecclesia: *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ*: ut infinita ejus misericordia non tantum nos liberet à peccatis, quibus ipsum jàm offendimus, sed anticipet ad nos præservandos à futuris, ne ipsũ unquã amplius offendam⁹. In fatali illa nocte, qua Deus Ægypti primogenita interficere decreverat, anticipatè mandavit Filiis Israel immolare agnum, ejusque sanguine domorum superliminaria tingi & rubricari, ut Angelus divini executor decreti percutiens, viso sanguine transeundo, intus morantes relinqueret illæsos; & ubi illum non videret, introgressus omne primogenitũ occideret. Probabilius est, hunc Angelum non fuisse bonum, sed Diabolum, hinc dicit Ecclesia, præ horrore istius sanguinis, non ausum fuisse vel domos aspicere, quas sanguis iste defendebat: *Sparsum cruorem postibus, vastator horret Angelus.* Si exteriores animæ nostræ portas, quæ sunt sensus; & interiores, quæ sunt noster intellectus, memoria & voluntas, charactere illo forent consignatæ, & anticipati sanguinis illius peccatum destruentis protectione præmuniti: eatenùs Diabo-

Ecclesf. (margin)

Ecclesf. (margin)

bolus desperaret nos vincere, ut etiam formidaret tentare. Denique ne quis dubitaret, quin sanguis ipse anticipatus figura fuerit sanguinis horti, & non crucis: Ille crucis duodecim horis posteà effusus est in meridie; & horti sanguis effusus fuerat duodecim horis anteà media nocte? & hæc fuit hora, quo triumphans sanguis, prodigiosos illos operatus est effectus: *Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Hoc modo Deus Filios Israel liberavit à captivitate Ægypti mediante sanguine agni; & pari modo nos liberabit à captivitate peccati, virtute sanguinis sui Agnus, qui tollit peccata mundi, nos anticipatè præservando ab actualibus, sicut anticipatè præservavit ab originali Matrem, de qua natus est; *De qua natus est.*



SERMO

PRO

Dominica decima sexta post Pentecosten.

Recumbe in novissimo loco. Luc. 14.

§. I.



Uoties Dei Filius mensæ accubuit hominum, doctrina ipsius optimum semper fuit ferculum. Comedebat ex præscripto temperantiæ, & docebat ex dictamine prudentiæ. Materiam suggerebat occasio; & super occasionem deducebat, explicabat & definiebat materiam. Omnia documenta divina erant oracula, nec moralia solum, sed & politica dictamina: talis quippe Evangelii præsentis extitit doctrina. Illi qui tunc temporis nomine honorifico, hodiedum verò significato odioso vocantur Pharisæi, temporis illius erant Religiosi. Ait igitur S. Lucas Evangelista, quod invitante quodam Pharisæorum principe, id est, Religiosorum istorum Prælato Christum Redemptorem nostrum, ut personali sua præsentia, festo quodam die, scilicet Sabbatho mensam suam honorare dignaretur, piissimus Dominus non refutaverit convivium. Acceptavit; quamvis non deesset, qui acceptatum sugillaret. Hujusmodi convivia obtrectantibus, venientis è cœlo Magistri austeriori vivendi methodo, dignitati, nec non professioni minus videbantur consona. Rationem vero non aversandi invitationem in Christo, diversissimi postmodum prodidere effectus, prout etiam in casu præsenti patuit.

Pharisæorum intentio erat Pharisaica; insidias enim struebant Christo in Hydropico, ut viderent, num die isto illum curaret,

ret, quo tanquam legis violatorem Christum calumniari possent: *Sabbatho manducare panem ; & ipsi observabant eum.* Luc. 14. v. 1. Non ipsos ad hoc instigavit observantia, sed observatio: non observantia diei, sed observatio invitati. Porrò cordium ipsorum cognitor Christus quid fecit? Mensam acceptavit ut homo; malitiam dissimulavit, ut Deus: & in quo operatus est velut Deus, & quod reprehendit & docuit sicut Magister, se Deum, hominemque ostendit. Hydropico sanato, illos sanare est conatus. Hydropicum, manu tangendo: & illos, manus bene dispositas ipsis imponendo. Nullum vitium superbiâ est absurdius, & ambitione incivilius: quemadmodum intus caret modestiâ; sic exterius ipsi deest urbanitas. Non refert Evangelistæ assignatum Christo in convivio locum; sed invitatos certatim, non sine contentione, prima sategisse occupare loca. Hæc est occasio, & istud doctrinæ punctum; Hinc morale, simul & politicum.

Deus mundum hunc formâ circulari, velut mensam, rotundam condidit, ne quis de loco contenderet; cum justo non videatur consentaneum, ut locus illos redderet inæquales, quos natura fecerat æquales. Verum cum superbia & ambitio, ordinis hujus æqualitatem ordine alio inordinato, à primis, secundis, usque ad loca ultima perverteret; vitium istud in observatoribus suis Christus observavit. *Intendens quomodo primos accubitus eligerent.* Observabat Christus (inquit Evangelista) attentione singulari, quod invitati faciebant, modumque faciendi: Quod faciebant, erat, authoritate & electione propria prima occupare loca, *primos accubitus*; faciendi modus, erat, nulla modestiæ, respectus, urbanitatisque habita ratione ea invadere. In locorum electione à Christo exigui notabantur esse judicii; & in modo, quo quilibet, alii se præferebat permodicæ, seu nullius potius esse urbanitatis: hasce porrò absurditates geminas, de eodem ambitionis superbiæque prognatas vitio, Magister supremus unico tantum castigavit & emendavit, documento: *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Luc. 14. v. 10. q. d. Cum invitatus fueris ad domum mensamve alienam, non primum, sed ultimum oportet capessere locum. Et quare? Ne forte Paterfamilias, seu qui te invitavit, cujus est officii pro personarum dignitate cuilibet assignare locum, te loco cedere jusso, eundem meliori, seu honoratiori te assignet: quo casu ultimum, non sine confusione, cogeris tenere locum; quia tam incivilis & inurbanus fuisti, ut occupare præsumpseris primum: *& incipias cum rubore novissimum locum tenere.* Ibid. 9.

Hic juxta historiam diei illius casus fuit, quam ipsum Evangelium etiam parabolam vocat: *Dicebat autem ad invitatos parabolam.* Verum enim vero, si erat historia, quo pacto erat parabola? utrumque simul erat. Historia erat quantum ad casum, & parabola quantum ad moralitatem. Quantum ad eventum seu casum, privata erat historia pro præsentibus: & quantum ad doctrinæ moralitatem; universalis erat doctrina pro omnibus. Omnibus, & singulis Christus hodie prædicat: *Recumbe in novissimo loco*: num ergo in mundo hoc esse putatis qui arbitrio proprio sibi eligat & contentus sit ultimo loco? punctum sane intellectu difficile, sed persuasu difficilius. Hinc thematis loco unicam illam & admirabilem assumpsi sententiam: & hæc sola orationi meæ præsenti materiam ministrabit. *Ave Maria.*

 §. II.

§. II.

Recumbe in novissimo loco.

OMnis homo in hoc mundo, locum affectat meliorem. Nemo in quantumcunque sublimi officio & dignitate constitutus, non ad aliam majorem aspirat. Inclinatio hæc naturæ rationali adeò est propria, ac si ratio esset, & non appetitus. Inclinatio hæc primò nata est in cœlo simul cum primis rationalibus, qui sunt Angeli; posteà propagata est in terra cum secundis, qui sumus nos homines. Lucifer in cœlo primam inter Hierarchias tenendo cathedram non contentus, ipsiusmet Dei solio suum adæquare attentavit: *Exaltabo solium meum, similis ero altissimo.* Adam in terra absoluto super omnes trium elementorum creaturas gaudens imperio, tam lato non contentus territorio, residentiaque seu palatio tam delicioso, ut paradiso, locum etiam meliorem & digniorem affectavit: *Eritis sicut Dii.* Porrò quisnam, quæso, Protoplasti hujus natus, de quo progignimur omnes, ambitiosam hanc superioritatis inquietam semper passionem, non hæreditavit? Literatus, doctus, miles, nobilis, titulis ornatus, magno nomine gaudens & nomine carens, omni cura, solicitudine, & desiderio nunquam contentus, neq; pacatus, omnes meliorando loco, dilatandisq; terminis invigilant. Videntur tantū à simili subjectione vivere debere exclusi, qui mundum deseruere, & despectum ejusdem profitentur: verum ibidem eos insequitur ipse mundus, ut ipsi durum illud & voluntarium tributum solvant.

Isai. 14. v. 13. 14.

Gen. 3. v. 5.

Admiratione sanè dignum extitit, quod Discipuli Christi ante descensum spiritus Sancti super illos, nondū docti & illuminati inter se contenderent, quisnam eorum major esset: *Quis eorum videtur esse major.* Veruntamen contentionis hujus motivum & occasio longè admirabiliora extiterunt. Qualia erant? Christus jam ipsis exposuerat, se in Jerusalem ad moriendum ibidem ascendere, eodemque momento omnes de majoritate contenderunt; quilibet enim locum ipsius occupare gestiebat. De Imperatore Trajano dixit Plinius, quod nemo illum novisset, neque se ipsum, qui præsumeret ipsi succedere. *Nemo est tam tui, quàm ignarus sui, ut locum ipsum post te concupiscat.* Id est, nemo esset tam audax, ut tibi succedere concupisceret. Et ausi fuerunt duodecim piscatores affectare cathedram ipsiusmet Filii Dei, ipsoque adhuc vivente de loco illius litigare.

Luc. 22. v. 24.

Plin. in Panegyr.

§. III.

AD confutandum & confundendum universalem illum abusum non solum in militaribus officiis, sed etiam in pacificis optimi loci prætensionibus: primò tres opiniones seu deductas ex S. Scriptura suppositiones referam, quæ non solum hanc tam altè in hominum cordibus radicatam ambitionem condemnant, sed totaliter quæstioni nostræ radices amputant & evellunt. Opinio prima absolutè negat, quòd supponimus, etiam loca dari negans: Quare? quia quicquid in mundo vocatur locus, quantumcunque sublime & elevatum videatur, bene examinatum, nihil est: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus ejus: id est,* vidi ambitiosum, inquit David, super alios homines elevatum, sicut Cedros Libani super alias arbores: progressus pusillum oculis conversis nec illum amplius vidi,

Psal. 36. v. 35. 36.

vidi, nec locum ejus inveni. In hoc admirationis punctum consistit, *& non est inventus locus ejus*. Quod David tam modicum progressus non invenerit ambitiosum, quem adeò viderat elevatum, non est quod quis miretur; ad similes enim faciendas mutationes, neque mors, neque fortuna multo indiget tempore. Non illum invenit, *& non erat*, quia vel statu suo exciderat, vel vivere desierat: sed quod David non invenerit locum, in quo eum viderat, *non est inventus locus ejus?* Ita respondet Carthusianus ex Aristotele id probans: *Locus enim, & locatum sunt simul, secundum Philosophum, subtracto ergò locato, & locus non manet.* Id est, locus & quod eum occupat, juxta sanæ Philosophiæ dictamen, ita ab invicem reciproce dependent, ut deficiente locato, & ipsum locum deficere opus sit. Proinde optimè affirmavit David, quod disparente ambitioso & potente, nec ipsum, nec locum, ubi steterat, invenire amplius potuerit: *& non est inventus locus ejus.*

Dionys. Carthus.

Enim verò si consequentia ista vera est in loco, ut vocant Physico, in loco morali, de quo loquimur adhuc certior est, eodem definiente Philosopho. Aristoteles definiendo locum, ait, quod sit superficies ambiens illud, quod in ipso est. Et quando locus non ambit hominem, sed homo ambit locum, prout in nostro casu, multo sanè meliùs sequitur, quod deficiente superficie, quæ locus vocatur, nec locus ipse nec quid aliud superfit. Et si nihil ibi compareat, quo pacto David aliquid ibidem inveniret? Verum propositionem istam urgere pergamus, cum idem David eodem in Psalmo bis eam repetat, dicens semel, quod locum quærens non invenit: *Quæsivi, & non est inventus locus ejus*: & iterum, quod etiam nos eundem quæsituri non inveniemus: *Quæres locum ejus & non invenies.* Quæro. Quæsitus à Davide locus, & non inventus, nonne idem est, quem ambitiosus occupavit, antequam moreretur, vel caderet? Immò verò, idemque locus quem occupavit antequam moreretur vel caderet, nonne fuit iste, quem hæreditavit, vel prætendit antequam illum occuparet? Etiam sic. Si igitur prætensus, occupatus, & derelictus locus erat idem, quare David ipsum jam derelictum non invenit? Quia jam derelictus erat idem, qui fuerat ante; & prætensus, occupatus, & derelictus, semper fuit nihil. Eleganter & doctè Hugo Cardinalis: *Non est inventus locus ejus; quod sua dignitas nulla erat, & suum esse non esse erat.* q. d. Non est inventus locus ejus, qui erat exaltatus sicut Cedri Libani; nam esse eorum, quæ in hoc mundo loca vocantur, non est esse, sed non esse: *Suum esse non esse erat.* Proinde si ipsa loca vocata, vel prætensa, vel occupata, vel derelicta nihil sunt, bene concluditur, in hoc mundo non dari loca. Porrò idipsum quod non est, neque datur, tanta solicitudine, cura, & vigilantia affectant & quærunt ambientes vanitatem & mendacium: *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Aristot.

Ibid. 36.

Ibid. 10.

Hugo Card.

Psalm. 4. v. 3.

Suppositio secunda, vulgarem & communem sequendo sensum, admittit in mundo dari loca; sed meliorem dari locum negat. Quare? Quia melioritas non consistit in loco, sed ipsum occupantis persona. Quantumcunque sublimis, seu humilis sit locus, si fueris bonus, locus tuus erit bonus: si fueris malus, & plus quàm malus, etiam locus tuus

talis erit. Christus Dominus noster inquit Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Et quis fuit Moyses, & quinam Scribæ & Pharisæi? Moyses fuit maximus sui temporis sanctus: Scribæ & Pharisæi temporis sui erant pessimi. Si ergo eandem Moysis cathedram occupabant, quare ipsi similes non erant? Quia homines bonitatem seu melioritatem locis impertiunt, & non loca hominibus. Si fueris bonus, quamvis cathedra tua Scribarum sit & Pharisæorum, locus tuus erit bonus: & si fueris malus, quamvis cathedra tua sit Moysis, non idcirco locus tuus erit bonus. Quis, quæso, locus melior, quàm cœlum & paradisus? sed neque cœlum Luciferum, neque paradisus bonum fecit Adamum. Jeremias æquè in carcere ac in pulpito bonus erat: & Job æquè bonus in sterquilinio, ac suo in palatio. Melior utique in mari locus erat navigium, quàm venter Ceti: & Jonas melior fuit in ventre Ceti, quàm in navi. Ita ut loca per se nec bona sint, nec mala, nec meliora nec pejora. Nonne locus quem hodie tenet Matthias, idem fuit, quem tenuit Judas? idem omnino, & non alius. Si fueris sicut Judas, non te bonum faciet locus S. Matthiæ: & si fueris S. Matthias, non te malum reddet locus Judæ. Quod si meliorem affectas locum præ omnibus, meliorem te omnibus reddere contende, moxque locus tuus, qualiscunque fuerit, melior evadet. Sed omnes, prô dolor! meliorare allaborant locum, & nemo curat emendare vitam. Ambitiosis idem quod peregrinis, usu venire asserit Socrates, Peregrinus semper vadit mutando locum, nec melior evadit, quia semetipsum semper secum circumfert: *Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas?* Teipsum relinque, & cum fueris alius, melior mox erit locus tuus. Si idem fueris, ad templi licet pinnaculum ascenderis, nunquam è loco, ubi es, alius exibis: Porro si fueris alius, & valde immutatus, etiam non exeundo ex loco ubi es, ad templi usque pinnaculum exaltatum te videbis. Conclusio sit ista, non dari loca meliora, nec peiora. Ut nemo non suo & secum sit contentus.

Matt. 23. v. 2.

Socrates apud Sen. lib. 3. Epist. 38.

Suppositio tertia loca admittit meliora: sed ea in Cœlo tantummodo & non in terra dari affirmat. Quare; quia omnia terræ loca, quantumcunque sint aut videantur meliora, aliena potius sunt quàm nostra; relinquenda potius, quàm tenenda; perdenda potius, quàm eis sit fruendum. Loca terrestria sunt transitus: solus locus cœlestis est sedes: loca terrestria tantùm paucorum sunt dierum: locus cœlestis durat in æternum. Christus ex hoc mundo abiturus in Cœlum, dolentes abitum & absentiam suam Discipulos hac ratione consolatus est, dicens, quod præiret præparaturus ipsis locum: *Vado parare vobis locum.* Veruntamen cum consolationis motivum esset locus, viciniora sanè erant loca, ubi Christus eos deserebat, loco quem illis præparaturus erat: nam cum hic esset, & discessurus, absentiam absentiâ consolari videtur. Ultimâ illa horâ, qua Jacob moriens à suis filiis discessit, quorum etiam duodecim erant) hac illis consolatione lachrymas absterſit, quod terram promissionis ipsis addixerit dividendam, in qua commodè victuri essent. Enim verò si duodecim Patriarchas de absentia Patris consolari sufficiebant tam

Joan. 14. v. 2.

tam exigua terræ ſpatia, quæ ſingulis, Judæâ in duodecim partes diviſâ obventura erant: quantò magis Apoſtolos, totus mundus, quantus inter ipſos diviſus? Dicat igitur Chriſtus Petro, quod Romam ipſi aſſignet & Italiam: dicat Jacobo, quod ipſi committat Hiſpaniam: Joanni Aſiam, Andreæ Græciam; Philippo Scythiam; Bartholomæo Armeniam: Matthæo Æthiopiam: Thomæ Indiam: Simoni Ægyptum: Thaddæo Arabiam & Perſidem: nec non Jacobo alteri minori, Jeruſalem, ipſamque Judæam cujus illa caput erat. Si igitur Chriſtus tam immenſa locorum ſpatia ſuis aſſignabat Apoſtolis, & quidem ſupremam ſimul dignitatem & ſupremam in illa omnia conferebat juriſdictionem; quare locorum iſtorum præſentium conſideratione illos non fuit conſolatus, ſed loco tantùm futuro, quem præparaturus abibat? quia locus iſte erat in Cœlo, loca verò alia erant in terra. Et in ſolo hoc verbo ambæ includuntur rationes, quas notavimus in principio. Loca terræ ſunt tranſitus; ille Cœli eſt ſedes. Hinc Chriſtus interro-
Matt. 19. v. 27. gatus à Petro, *Quid ergo erit nobis?* Reſpondit, *ſedebitis ſuper ſedes duodecim, ju-*
ibid. 28. *dicantes duodecim tribus Iſrael.* Non reſpondit ad navigia & retia derelicta, dignitatibus quas obtenturi eſſent in hoc mundo: ſed cathedris, quibus ſeſſuri eſſent in die judicii; quod enim in die illa poſſideri incipiet, ſedem habet: quicquid hinc eſt, non niſi tranſitus eſt. Et quare magis? quia ſolus locus qui nobis tunc obtigerit erit noſter, & illa hujus vitæ ſunt potius aliena, quàm noſtra, quantumcunque longa fuerit eadem vita. Nemo Pontificatu fruitus eſt aut fruetur pluribus annis quàm S. Petrus, nihilominus in eundem jam ſucceſſerunt locum ducenti triginta ſeptem Pontifices, & quot adhuc ſucceſſuri ſint neſcitur, ut liquidò pateat, Pontificatum potius fuiſſe alienum, quàm ipſorum. Solus erit noſter locus, quem ſive in cœlo, ſive extra illum æternùm habituri ſumus. Hac terribili energia docuit Apoſtolorum Princeps dicens, quod Judas perdiderit Apoſtolatum: & quo fine? *Ut abiret in locum ſuum.* Id eſt, ut ad lo- *Act. 1. v. 25.* cum iret, qui ſuus erat. Quem in hoc mundo inter Apoſtolos habuit, erat alienus; erat enim Matthiæ & ſucceſſurorum: quem inter Dæmones in inferno tenet, erat ſuus; quia idem ipſe æternùm durabit. Porrò ſi iſtud accidit homini vocato à Deo, & à Chriſto electo, ubi tandem ſiſtent negotiationes, ſubornationes, adulationes, ſimoniæ, quibus procurantur & obtinentur loca paucis diebus duratura, ſine memoria æternitatis, vel timore reddendæ rationis?

§. IV.

HÆc tria ſunt fundamenta, ſeu tres illæ ſuppoſitiones, quibus non ſolùm meliorum locorum ambitio impugnatur; ſed & omnium illorum præſcinduntur & evelluntur radices, quæ ipſa requirit. Nam ſuppoſitio prima, ut vidimus, dari loca abſolutè negat: Secunda, dari quidem loca concedit, ſed meliorem dari locum negat: Tertia, dari locum, & meliorem quidem; ſed non in terra, ſed in Cœlo affirmat. Hoc ſuppoſito, non ſine ratione, nec utique ſine curioſitate ſuſpenſi expectabunt omnes, quidnam horum perſuadere intendam.

dam. Respondeo primò, nihil horum sic se habere. Contra primum enim sentio dari loca; contra secundum locum dari meliorem: & contra tertium, locum istum meliorem non esse in Cœlo (de quo nunc loquor) sed in terra. Admittendo igitur cum sensu communi, dari loca, & alia aliis meliora: quisnam locus inter omnia mundi loca sit melior, hodie declarare intendo. Non potest dari omni possibili attentione dignior materia, eoque magis, quò quisque jam resolvit, & res controversia carere videtur. In Evangelio Pharisæorum opinionem, & Christi habemus consilium. Pharisæi, meliorem & optimum mundi locum primum esse, sustinent; *Quomodo primos accubitus eligerent*: Christus è contrario, novissimum locum eligere, consulit, *Recumbe in novissimo loco*: Et licet sententiæ Christi, eò quod Christi, opponi nihil possit: & ea Pharisæorum, eò quod Pharisæorum, jam videatur convicta: illam nihilominus Christi rejiciunt, & hanc Pharisæorum amplexantur omnes. Sic illud practicari videmus hodie, & suo jam tempore, tam vicino ætati Christi idem probat experientia. De quo Tertullianus: *Ad primum locum certamen omnium contendit: secundum solamen habet, victoriam non habet*. Id est, eò desiderium, & studium tendit omnium, ut quis locum primum præoccupet, tamque contentiosè de primo tantùm certant, ut quamvis locus secundus consolationem quidem aliquam afferat, victoria tamen reputari non possit. Porrò si nullus loco secundo contentus sit, eò tantùm quòd primus non sit; posito, quod unum tantum supra se, & reliqua omnia sub se videat: Quis, quæso, est aut erit ultimo contentus? in

Tertull.

famosissimis istis usitatis in Græcia ludis Olympicis, ad quos certatim ex toto mundo confluebant homines ad decertandum, prima, secunda & tertia erant præmia destinata: nihilominùs unum tantùm præmium tulisse S. Paulus affirmat: *Omnes in stadio currunt, sed unus accipit bravium*: Præmium enim pro quo omnes contendebant, erat primum, & illi tantùm, qui currendi pernicitate alios superâsset, tanquam victori, pro laurea tribuebatur. Si S. Paulus post Christum, Christianis, quales Corinthii erant, scribens exemplum illud proponit licet inter Gentiles natus; Quis, amabò, vel ulli hominum persuadere præsumeret, locum meliorem esse ultimum? persuadere dico, & non credere; sufficit enim esse consilium Christi, ut credamus. Sed quo pacto punctum persuadebit ratio, quod non persuadet fides?

1. Cor. 9. v. 24.

Id nunc hodie peragere conabor; ut hominibus cunctis demonstrem, optimum mundi locum esse ultimum. Et non tantùm pro altera, sed pro hac etiam vita; nec pro virtute solùm, sed etiam pro commoditate: neque pro mortificatione solùm, sed pro oblectamento: non pro humilitate solùm, sed pro honore etiam & dignitate. Quæ omnia innuunt hæc verba: *Recumbe in novissimo loco.*

§. V.

PRima loci ultimi prærogativa, est, nullo illum labore consequi posse. Ad loca alia, quamvis non altissima, tardius, nec sine difficultate pertingitur: ad ultimum igitur facilius. Nunquid facilius descenditur, quàm ascenditur. Hæc ergò, quamvis naturalis, est ratio, facilitas scilicet ultimum consequendi locum. Ad alia

loca

loca lento tenditur passu,& quasi scandendo pertingitur : ad ultimum quasi sine passu, & prono velut lapsu descendendo pervenitur ; Ezechia Rege dies vitæ à Deo sibi prolongari, idemque miraculo quopiam sibi confirmari desiderante ; Isaias Propheta optionem obtulit Regi, ex duobus eligeret alterutrum, vel ut Sol lineis decem retrocederet, vel totidem ascenderet. Et quia Ezechias in lecto decumbens Solem videre non poterat, sed horologii tantùm, ad lectum usque in palatio protensam umbram, hoc modo ipsi

4. Reg. 20. v. 9. propositum fuit : *Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Id est, vultne Majestas tua, ut umbra ascendat vel descendat decem lineis? propositio eadem juxta situm, locumque Solis illa hora facilè ostendebat, non minùs miraculum esse, umbras descendere, quàm ascendere. Nihilominus sine ulteriore speculatione : in continenti respondit, se nolle ut descenderet, sed ascenderet, rationem adjungens, quod descensus facilis esset :

Ibid. 10. *Facile est umbram crescere decem lineis, nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Ita respondit Ezechias, non velut mathematicus juxta particularem casus illius observantiam, sed velut prudens Princeps, nec non tam famæ, quàm vitæ amicus, secundùm generales experientiæ regulas, optimè locutus. Intentio ipsius erat, difficiliore Solis motu magis celebrare miraculum, ideoque resolutione tanta, se nolle Solem descendere, sed ascendere dixit : quia naturaliter & experimentaliter, tam difficile est ascendere, quàm facilè descendere. Sagitta ad ascendendum vim impulsumque arcus violenter sequitur ; ad descendendum vero brachio non indiget alieno, ipsa natura sine violentia ducit ad profundum, & quantò profundiùs, tantò celeriùs. Navicula in medio fluminis jactata, velo contracto, remisque collectis, solo torrentis impetu, alienis veluti humeris ducta, tam quietè descendit, sicut impulsa. E contrario per eundem fluvium ascendendo, quamvis tam validis agatur ventis, ut vela rumpantur, remigesque tam sint robusti, ut remi frangantur, plus aquæ sudant, quàm laborando superent. Nos ipsi montem ascendendo eam difficultatem & molestiam experimur, ut præ defatigatione ipsa respiratio intercludatur : in imum verò descendentes vallis, ipsa corporis moles adjuvat, alleviat & urget ; ut acti potius, quàm ambulantes, sine omni defatigatione & lassitudine, ad imum ultimumque locum deveniamus. Tam pronum & facilè est descendere, tantæque molis & laboris ascendere.

Agedum, ipsi nunc fateantur qui ascenderunt, quantis sibi laboribus & molestiis constiterit ascensus. In aëre nobis exemplum præbuit sagitta ; in aquis navicula : & nos ipsi in terra. In Aulis verò & Palatiis, quæ residuum quartum constituunt elementum, pluribus sanè impedimentis & difficultatibus obnoxium, laboriosius est ascendere. Hoc testari poterunt illi, qui ascendendo fatigati, consultius sibi duxerunt subsistere : multoque magis illi, qui scandendi laboribus & molestiis exhausti, in vicem obtinendi locum, seriùs tandem fraudis consecuti sunt detectionem, & rei veritatem. Non ita prætendens, qui nullum prætendit, & æstimator nullum æstimans, qui ultimo contentus loco, ad descendendum cum sagitta non indiget arcu ; ad descendendum cum navigio, non indiget remo : & ad descen-

dendum cum homine, & velut homo, nec quaſi pedibus indiget, nec greſſibus aut paſſibus. Alas favoris, impulſus poteſtatis, ſolicitudinis curas & anxietates deſpectui habet & riſui: aliiſque tandem ad loca prima pervenientibus defatigatis, ubi denuò defatagari oportet; ille quietus reſidet in ultimo, in quo ſolo quies vera requieſcit.

Inclinationis hujus facilitatiſque exemplum inter homines non invenio: inſita enim ipſis à natura ambitio, magis ipſos ducit ad aſcendendum per ardua, quàm ad deſcendendum per prona. Aſt verò ſi revocarent in memoriam, qua facilitate & felicitate de monte deſcendens Danielis lapis, ſtatuam proſtraverit Nabuchodonoſoris, locumque ſimul cum illo mutaverit, omnia ipſius metalla evaneſcere
Dan. 2. faciendo: *Nulluſque locus inventus eſt eis*: In
v. 35. rudi & inſenſato ſpeculo eoſdem geminos impoliti judicii ſui deprehendent errores. Deſcendens de monte lapis non caput, nec pectus, ſed ſtatuæ percuſſit pedes, quibus inſiſtebat; ibi enim imus & ultimus erat locus, quo propriæ ſuæ inclinationis ipſum pondus trahebat. Enim verò ſingulariter notat & ponderat textus, lapidem iſtum abſciſſum deſcendiſſe de
Ibid. 34. montis vertice ſine manibus: *Abſciſſus lapis ſine manibus.* Quare? quia hæc eſt differentia & facilitas, quâ ad locum humiliorem & infimum deſcenditur, neque ad locum altum & ſublimiorem aſcendi poteſt. Lapis iſte juxta opinionem communiorem parvus non erat, ſed grandis. Tantus ſiquidem erat, ut cum ſtatuæ ſtatura ſexaginta foret cubitorum, pedeſque & ſpatium intermedium altitudini huic proportionaliter reſponderent, ambo dejecerit, & comminuerit. Nunc igitur interrogo. Quot manus machinæque neceſſariæ fuiſſent ut lapis iſte in montem, locumque unde deſcenderat, eveheretur? ſed quò, non niſi multarum manuum & machinarum adminiculo ſubvehi ſeu aſcendere poterat, inde non requiſito propriarum ſeu alienarum manuum adjutorio ſuapte natura deſcendit *ſine manibus.* O cæcitatem ambitionis humanæ! Edicite, quæſo, mihi, quot manus oſculamini, quot manus impletis; edicite, inquam, mihi, quot machinas conſtruitis, quibus alas vobis ad aſcendendum faciatis? ſimiliter, quæſo, edicite mihi, quoties eædem machinæ in vanum vos exhauriunt, & oſculatæ iſtæ, & repletæ manus, vacuis vos manibus relinquunt? Illi enim à vobis, quod ſperabant, obtinuerunt; vos verò minimè, quæ ſperaſtis ab eis. Lapis non proſtravit & dejecit ſtatuam ut ipſe aſcenderet (prout vos facitis) per ruinam alterius, ſed locum, quem ſtatua velut ſuperba pedibus ſubjectum calcabat, eò quod infimus & ultimus eſſet, ſibi ipſi occupavit, & in eo velut in cẽtro proprio quievit.

Infinitæ materiæ foret opus, primorum locorum difficultates, cum ultimi loci facilitate ad parallelum reducere. Dependentia ab arbitrio ſeu poteſtate aliena loca, vel diſtribuit juſtitia; vel indulget gratia. Pro juſtitia requiritur meritum; pro gratia neceſſarius eſt favor. Sed enim nunquid hæc bina iſta tam difficilia conjungere ſufficiunt? non ſufficiunt. Abel & merito gaudebat & favore: & hæc eadem Cainum fratrem ſuum, ut ipſum interficeret, moverunt. Si igitur cum merito & favore primum inter mortuos locum obtinuit Abel; nunquid melius eſt ultimum tenere inter vivos, ſine labore illum promerendi, aut periculo non fruendi? porrò

rò si istud contingebat tempore quo homines sese trucidabant sine ferro; & gratia favorque obtinebatur sine auro: quid erit tempore præsenti? postquam dignitates factæ sunt venales, loca elocantur potiùs, quàm obtinentur; & non conferuntur pro meritis, sed carius licitantibus. Quæ requiruntur in hominibus, olim vocabantur talenta: & quæ eodem hodie gaudent nomine, nisi eidem sint inclusa metallo, quantumcunque sint excellentia, nihili æstimantur. Solus locus ultimus, quia nullos habet emptores non venditur; ideoque solus obtineri potest sine summa capitali, & possideri sine pensione.

Considerate, & benè metimini gradus hos tam altos, alios tam humiles & demissos, quibus inclinando, genua flectendo, & sese dimittendo, vel prætensio in casum recidit, vel tandem loci prætensi possessio apprehenditur: & patebit, quod pluris constet locum illum obtinere, quàm promereri. Davidi ad promerendum, unum sufficiebat sternere Philistæum: ad obtinendum verò jam promeritum, opus erat sternere ducendos. Quis porrò minister, aut ministri officialis, non potius pro commodo suo & interesse, quàm pro integritate, Philistæus est loricatus & armatus? staturas tam extraordinarias & immensas in vanum acquiretis & subigetis mensuris, jam enim tempus transiit, quo negotia pedibus retrogradis procedebant. Habilitates personarum, integritas officiorum, fidelitas servitiorum, & justificatio securitatum, non habent tot scientias, quot sunt difficultates quibus in eis impingitur, & offenditur, & fors semper eorum est, & vestrum periculum aleæque infortunium. Minoribus dare debebitis quod minus est: majores rogare & obsecrare oportebit: spe vestra ab eorum beneplacito, & ab hora, & humore, quo audiemini suspensa manente. In consiliariis consilium, in secretariis solicitare oportebit Calamum; in Principe non solùm resolutionem, sed in resolutione effectum & executionem; ut omnia, juribus solutis, non sint folium regiis consignatum insigniis, quæ de novo erunt acquirenda, ut tandem deveniatur ad aliquid, quod jam obtentum nihil est: Hisce denique arduis difficilibusque ascendunt gradibus, nisi cadant, qui prima loca occupant. Et solus ultimo contentus, neque servit, neque requirit, nec contendit, nec adulatur, nec rogat, nec solvit, neque debet: nec dependet à ministris, nec à tribunalibus, nec ab ipso dependet Rege ille sibi consulit, ille sibi gratiam indulget; quoniam ipsemet se expedit. Et cùm ipse me expedire possim, illud ab alio petendo requiram? nonne promptius est velle, quàm petere? auscultate justam hoc in casu S. Bernardi exclamationem: *O perversitas! ô abusio filiorum Adam! quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum; ipsi & leviter ascendunt, & difficilius descendunt.* S. Bern. serm. 2. de Ascens. q. d. O perversitas & abusus filiorum Adam! cùm tam difficile sit ascendere, & facile descendere: illi rationis naturæque per-& invertendo leges, potius ascendere appetunt cum difficultate & labore, quàm descendere cum facilitate & requie. Et notate, tantam esse facilitatem, ut Christus quietis tantum, & non descensûs fecerit mentionem. Non dixit, uti Zachæo, *descende*, sed *recumbe*; descendere enim licet facilius, requirit tamen passus: & *recumbe*, more Hebræorum quo

quo ipsi in mensa recumbere consueverant, significat quietem cum oblectatione & sine labore. *Recumbe in novissimo loco.*

§. VI.

SEcunda loci ultimi prærogativa est, magis esse securum. Loca alia, quantò altiora, tantò minùs secura! ipsaque eorum altitudo certum ruinæ ipsorum & præcipitii prognosticum existit. Nolo nos exiguam hanc securitatem in alio speculari loco, quàm illo ipso, cui, quod firmissimus sit totius mundi, Deus nomen imposuit, Firmamentum. Christus judicii extremi signa præcursura prænuncians,
Matth. 24. v. 29. inquit: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum: & Stellæ de Cœlo cadent.* Super illud, *cadent de Cœlo Stellæ*, diversæ Interpretum leguntur expositiones: supponunt enim, cùm stellæ fixæ sint in Cœlo, & Cœlum incorruptibile, propriè cadere posse, fore impossibile. Sed mihi (prudēter inquit Maldonatus) quando Aristoteles negat, quod Christus affirmat, videtur credendum potius Christo quàm Aristoteli:
Maldonat. *Magis enim Christo affirmanti, quàm Aristoteli neganti fieri posse, credendum esse arbitror.* Supposito igitur, quod stellæ & propriè cadent, nec non Sol & Luna tantum obscurabuntur: quare non obscurantur & cadunt omnes? Quanam suâ culpâ Stellæ solæ cadent? non aliâ culpâ, quàm à quo tempore collocatæ fuerunt in cœlo, locus earum sit altissimus. Luna in primo, Sol in quarto consistit cœlo, Stellæ in octavo, quod est supremum, quousque visus noster pertingere potest: nec alia requiritur culpa, cur Stellæ casuræ sint. In omnibus tribus signis Christus locorum naturam est imitatus. In Eclypsi Lunæ naturam loci est secutus; nam in primo cœlo ipsam naturaliter obscurat terra: in Eclypsi Solis naturam loci est secutus; quia in quarto cœlo ipsum naturaliter obscurat Luna: in casu stellarum similiter naturam loci est secutus, in octavo quippe cœlo, quod est supremum, similiter naturale est cadere.

In hoc mundo non datur altitudo, quæ non sit præcipitium. Omnis locus altior propriam semper minatur ruinam, nullâ aliâ ad hoc requisitâ causâ vel culpâ, præterquam quod sit altior. Qua sua culpa turres & montes tonitruis & fulminibus magis sunt obnoxiæ? nulla certè alia vel causa vel culpa sua, quam altitudine propria, & quod loca sint à terra elevata. Cœlum nimia ipsorum propinquitate offendi videtur, ac si turres omnes essent similes illi Babylonicæ, & montes omnes illis Gigantum. Christus, pro exemplo nostro, congressurus cum Diabolo, primum ad provocandum locum elegit desertum: *Ductus est in desertum, ut tentaretur à Diabolo.* Matt. 4. v. 1. Secundum verò & tertium locum ipsemet elegit Diabolus, ad oportuna & congrua tentationi loca Christum deducens. Primus locus fuit Hierosolymitani templi turris: *Assumpsit eum in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Ibid. 5. Secundus locus mons fuit in toto circumjacente spatio altissimus: *Iterum assumpsit eum in montem excelsum valde.* Ibid. 8. Et quare eum in turrim & montem assumpsit? quia utroque ex loco Christum præcipitare & in terram prosternere parabat. In turri sollicitans ut se præcipitaret: *Mitte te deorsum.* Ibid. 6. In monte multa & magnifica promittens si humi cubans se adoraret: *Si cadens adoraveris me.* Ibid. 9. Similia loca ascendere ambientes,

cum

cum ducem suum videre nequeant, saltem quò ducti sint attendant. Turris locus erat Ecclesiasticus & sacer: Mons locus erat profanus & sæcularis. In turri Diabolus illi promisit angelos: in monte omnia illi obtulit mundi regna; sed cum utraque loca essent altissima, etsi promissa & oblata sive de cœlo essent, sive de terra, vel in Ecclesia, sive extra illam, utraque erant periculosissima, & lapsui peropportuna.

Jam dudum Diabolus hanc ipsam tragædiam duabus utriusque status figuris delineaverat. Daniel persona erat Ecclesiastica cultui divino devota: Aman Minister erat sæcularis, mundi negotiis occupatus. Aman primum & præcipuum in aula Regis Assueri obtinebat locum: Daniel similiter primum & præcipuum in aula Regis Darii tenebat: Quis verò in foro Metropolis Susan, quinquaginta cubitorum altitudinis patibulo affixus moritur? Aman. Et quis in famosissima civitate Babylone à Ministris justitiæ in lacum leonum est conjectus, ut eorum unguibus dilaniatus mortem oppeteret? Daniel. Ergone Daniel tam charus & pretiosus Dario Regi: & Aman adeo familiaris Regi Assuero, ambo tam repente lapsi, insuper tam vitâ, quam professione differentes? sic est. Daniel serviebat Deo, Aman serviebat mundo: Daniel justus erat & sanctus, Aman iniquus & perversus: Verum ad primorum locorum culmen evectis, nec Amano ad se conservandum in loco sua profuit industria; neque Danieli ad præservandum se à lapsu, sua quicquam contulit virtus. Admirabilior sane Danielis lapsus, Amani lapsu extitit. Aman cecidit, quia Regis gratiam perdidit: Danielem omni Regis gratiâ suffultum, hæc ipsa tota à lapsu præservare non suffecit. Sed enim, nunquid hic stitit? nulla ratione. Deus miraculosè Danielem à faucibus leonum liberavit, tamque publico & stupendo cœlesti præconio canonizatis ipsius meritis, Rex illum in pristinum locum restituit. Sed majoris utique prodigii loco habendum quod sequitur: tam callidis simul & validis inimici ipsius usi sunt insidiis & machinis, ut denuo Regem adegerint, ut Danielem iterato in locum immissum famentium ferarum voracitati objiceret.

O terque quaterque beatum & felicem, & solum doctum & prudentem illum, qui ex omnibus mundi locis eligere novit illum, ex quo nec deturbari ab alio, neque semet ipso cadere possit, verum est, non omnes ex altis cecidisse locis; nihilo secius etiam verum est, quod non lapsi labi potuerint: Et sufficit cadere posse, ne simus securi. Et quænam mari securitas esse potest, ventorum inconstantiæ semper obnoxio. Latini duo habent nomina, quibus securitatis genera duo valde diversa declarant: *Tutus, & securus. Tutus* significat securitatem ejus, qui non periclitatur; *Securus*, securitatem ejus qui nec periclitari potest. Infirmus in febri acuta tutus est se non moriturum, sed non est securus; quia non est sine periculo, sine timore, sine solicitudine & cura, hoc enim significat *securus*, id est, *sine cura*. De quo nervosè & eleganter Seneca: *Scelera tuta esse, secura non possunt.* Istud porrò securitatis genus securum reddit non solum à periculo, sed etiam à timore, solicitudine & cura, quæ securitas in altis nunquam locis esse potest, sed tantum in locis invenitur ultimis. Qui loco *Seneca.*

consistit alto, potest non cadere; sed qui in loco agit infimo, non potest cadere, & hæc sola vera securitas est. Quare? quia si ex infimo cadi posset, infimus locus non esset. De loco alto delabi quis potest ad inferiorem locum, & de inferiore ad infimum: sed de infimo, qui est ultimus, lapsus non datur, nam non est Quò.

Hoc evidente argumento Jeremias Propheta Jerusalem in transmigratione Babylonis fuit consolatus. Propheta disertè transmigrationem illam quatuor threnorum alphabetis deploravit, cuilibet literæ novum assignans doloris motivum: ad ultimum appropinquans versum, literam hac brevi sententia absolvit: *Filia Sion, non addet ultra, ut transmigret te.* Tua transmigratio, ô Jerusalem ad *non plus ultra* malorum pervenit, quæ tibi Babylonia poterat inferre. Modò verò transmigrationem hanc patiens, non aliunde illam, quam ipsa transmigratione consolari fas est. Quare? si enim illa ad *non plus ultra* & malorum ultimum & extremum pervenit, hinc transiri non potest: *Non addet ultra ut transmigret te.* Tam extremè Jeremias malum exaggeravit, quam subtiliter levamen excogitavit. Extremis malis proprium est, oppressum liberare à seipsis. Mors malorum omnium ultimum, eximit à morte, & immortales facit quos occidit: nec illa enim eos amplius occidere potest, nec illi mori queunt. Hoc privilegio fruitur in vita, qui loci ultimi bonum cognovit eodem contentus. Antequam ad fortissimum hoc asylum confugiat, sponte descendere, cadere per offensam, violenter deturbari potest; in ultimo verò loco consistens, neque spontaneè cadere, neque violentia aliena, neque omni fortunæ vi & impetu dejici potest. Fortuna gradum unum addit ultimo, & alterum infimo (quod Deus facere nequit) & hoc solo casu descendere potest, qui in loco agit infimo, & cadere qui est in ultimo.

Solus qui hanc novit in praxin redigere electionem, exarmavit fortunam. O gloriosum Trophæum! fortuna armis suis exuta, & pedibus suis substrata illius spolia calcans, hunc canit versum:

Major sum, quàm cui possit fortuna nocere.

Sic exarmatur fortuna, quæ ministratis sibi ac nobis armis tantum prævalet. Omnes fortunæ vires in quo consistunt? In exaltando solum & dejiciendo: & si ego ultimo contentus sum loco, non illa me exaltare poterit, quia nolo; neque dejicere, quia non potest. Immò verò fortunam etiam volentem, me nec evehere, nec deprimere posse: contrarios enim invicem habemus conceptus: Elevare me nequit, secundùm meum conceptum; quem enim illa meliorem locum æstimat, hunc ego despicio. Similiter nec me dejicere potest ex meo conceptu; siquidem quem illa pejorem reputat, eundem ego æstimo. Cæca tandem oculos suos aperiat fortuna, falsum erraticorum conceptuum suorum corrigens apparentiam, & hoc solum pacto fortunatos reddere poterit, non meliorem mundi hujus locum æstimans primum, & altissimum, sed infimum & ultimum. Solus ille beatus existit & fortunatus, qui cadere nequit: & solus cadere nequit, qui quò cadat, non habet. Verum enim verò ne subtilitatem quandam instantiæ alicujus dissimulare

mulare videar, quam Philosophia hæc continet: dicet fors aliquis, etiam in ipso loco ultimo, absque quod eo sit inferior alius, stantem cadere posse: *Qui existimat se se stare, videat, ne cadat.* q. d. Qui stat, videat ne cadat; quippe qui stat, in ipso loco cadere potest, absque quod ad alium cadat. Quod ingeniosè Poëta innuit: *In se magna ruunt.* Sed hæc instantia in casu nostro locum non habet: stans in eodem loco cadere potest; sed non sedens aut cubans: & id insinuare vult, *recumbe*: ascendentes & descendentes scalam Jacob cadere poterant, ad pedem verò ejusdem scalæ cubans in loco infimo, & recumbens, de lapsu erat securus & hinc somno solutus dormiebat: *Recumbe in novissimo loco.*

1. Cor. 10. v. 12.

§. VII.

Tertia ultimi loci prærogativa, præter majorem facilitatem, & securitatem, est, illum magis esse quietum, vel solum tranquillum. In hac semper volubili & agitata mundi rota, omnia moventur, omnia alterantur, omnia mutantur omnia continuò circumaguntur sine stabilitate & firmitate, nec datur locus, in quo quis quiete frui possit, nisi ultimus, nec alia ex causa, quam quia ultimus. Philosophorum non paucorum antiquata fuit opinio, non solem movendo se circuire terram, sed ipso semper immobili & fixo permanente, hanc ipsam in qua stamus terram nobis non sentientibus moveri, & nos secum circumagere, & nos à sole elongando facere noctem; & eundem iterum ostendendo efficere diem. Sed hæc opinio seu Mathematica speculatio, quemadmodum nostris temporibus fuit exorta, sic etiam velut erronea fuit condemnata, cum expreisè scripturam sacram offendat, eique contradicat. De sole sacer textus verbis ipsa luce solis clarioribus affirmat, quod circumeundo mundum universum illuminet: *Oritur Sol & occidit, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu.* E contrario de terra pronunciat, quod immobilis & fixa, nec se moveat, nec motura sit unquam: *Terra autem in æternum stat.* Si igitur Sol planetarum princeps movetur; nec non omnia astra & corpora cœlestia in perpetuo sunt motu, & sub cœlo cum eo sphæra movetur ignis, & sub igne, aër & venti; & sub aëre aqua, vel perpetuò currendo in fluminibus, & torrentibus, & fontibus, vel bis de die reciprocando ad littora maris; imò quando tempestates mare non elevant ad stellas, vel ad arenam usque deprimunt: Quid, quæso, est causæ, quare in medio omnium harum naturæ agitationum & tumultuum terra sola immobilis & firma, & quieta perpetuo consistit; *Terra autem in æternum stat.* Nunquid videtis, quomodo in immenso hoc universali globo, soli terræ veluti centro ejus, ultimus mundi competit locus? Hac igitur de causa illa sola tranquilitate gaudet sine perturbatione. *Causa stabilitatis & immobilitatis terræ est ejus gravitas, quæ exigit infimum mundi locum,* commentatur Cornelius à Lapide. In summa omnia alia, plus minusve alta loca, naturaliter sunt inquieta, & solus infimus & ultimus omnium, stabilis est sedes, & centrum immobile securæ perpetuæque quietis.

Eccles. 1. v. 5. 6.

Ibid. 4.

Corn. à Lap.

O si terra oculis prædita esset & intellectu, & hinc sursum versus cœlum respiceret,

ceret, & ad omnia, quæ inter ipsum cœlum moventur & terram, quàm contenta foret suo loco, & quas non gratias ageret? videns cursum, semperque inquietam Solis revolutionem, Lunæ, & Stellarum, continuamque elementorum, sese invicem consumentium pugnam, sine pace, sine quiete; sed quodlibet continuò in sphæræ suæ dilatatione occupatum: dum illa sola pacata, & ultimæ inferioritatis beneficio, qua ipsam Deus mundi basim fecit, & ipsi pro basi suum proprium assignavit centrum immota consistit: *Fundasti terram super stabilitatem suam.* Sed

Ps. 103. v. 5.

homo, qui est terra intellectu & oculis prædita, si Deus, eousque illum illuminârit, ut sciat non alium velle locum quam ultimum, verè fruitur tranquilla quiete, & quieta tranquillitate tam fortunati, quam incogniti sui status, nullo ipsum turbante, aut alterante. Depugnent alii, seque invicem conficiant, quisnam eorum altiora loca subeat; Ego (inquiet) quo magis illa loca respicio, eorumque de foris discrimina intueor, eo magis pace mea, quàm eorum luctis, mea abstractione & segregatione, quam eorum victoriis; & mea secura inferioritate, quàm eorum inquieta altitudine delector, & contentus ago. Ecce quam bene altitudinum omnium inquietudinem vivi & mortui intellexerint! Samuel mortuus sollicitante Saule, de fundo terræ suscitatus, inque mundo comparere, quantumvis brevissimo temporis spatio, jussus, de nullo alio cum Saule expostulavit, quam quod ipsum inquietâsset: *Quare inquietasti me, ut ascenderem?* Et Sidonius

1. Reg. 28. v. 15. Textus Heb.

Apollinaris, certi cujusdam eminentioris loci aggratulationem refutans, ad quem amicorum suorum quispiam promotus erat, hæc notatu dignissima verba conscripsit: *Sed sententiæ tali nunquam ego assentior, ut fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus & lubricis culminibus insistunt, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt inquietissimo se subjacere famulatui.* Notate Verbum superlativum, *inquietissimo*, quo vir tanti judicii sicut Sidonius, locorum sublimium possessionem, non simpliciter servitutem, sed servitutem inquietissimam appellat: *inquietissimo famulatui.*

Sidonius Apollinaris lib. 2. Epist. 13.

Naturales locorum sublimium inquietudinis causæ, vel sunt ambientium, competentiæ, vel affectantium invidiæ, vel intrinseca & propria locorum eorundem inquietudo, quæ obtenta nec quiescunt ipsa, nec se tenentem quiescere sinunt. Quoad competentias: quare Jacob & Esau in matris suæ visceribus certarunt? Et quare Phares & Zaram ipsorum successores in matris itidem utero non compugnarunt? Quia Jacob & Esau uterque primum locum prætendebant: Phares autem & Zaram tantùm ab hujuscemodi contentione aberant, ut Zaram jam manu tenens cum purpura investituram prioris, *Hic exiet prior*, manum retrahendo prioritatem cesserit Phares. ita ut in ipsis visceribus maternis quibus continebantur duo de loci primatu contendentes, omnia inquietudini & luctæ essent obnoxia: & ubi unus tantum fuit, ultimum locum præferens primo, pacatissima & quieta fuerint omnia. Quantùm verò ad invidias, gravior adhuc casus est. Filii Zebedæi duas in regno Christi prætenderunt cathedras, ad dextram scilicet & sinistram: & quâ intentione, illas petierunt? Ea intentione inquit S. Chrysostomus, ne S. Petrus, quem solum timebant,

bant, locum primum, vel regni primatum præriperet. *Primatum hujus confessûs impetrare, & præponi quidem se cæteris sciebant: Petrum verò sibi præferri formidantes dicere ausi sunt, ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat.* De aliis Discipulis, quibus duo illi fratres prælatos se videbant soliciti non erant: sed Petrum tantummodo timebant. Verùm si Joannes & Jacobus in Apostolatu erant duo excellentissimi, & singulariores S. Petri amici, quomodo hac via illum volunt excludere? ubi invidia locorumque intrat ambitio, nec virtus, nec amicitia securitatem invenit: maximus vos amicus circumducet, & virtuosissimus sese introducet. Præripiant prima loca Joannes & Jacobus: & S. Petrus quid? nullum obtineat. Certum planè est inquietudinem hujusmodi in Apostolatu non futuram, si locus ultimus esset. Ultimus locus æmulos & invidos non habet, & qui hunc meliori prælegit, quod invideat non habet: & ubi invidus & invidens non reperitur, omnia sunt quieta. Sed num sufficit istud? non sufficit. Quia licet loca sublimia à competentia non inquietentur aut invidia, adeò connaturalis ipsis est inquietudo, ut, prout dixi, loca ipsa sint inquieta; & qui ipsa occupat. Lucifer creatus fuit in cœlo, unde decidit: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Nihilominus ambitio ipsius dicebat se ascensurum in cœlum: *Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam.* Age Diabole, si jam es in cœlo, quo pacto in idem affectas ascendere cœlum? quo pacto desideras quod jam tenes? quo pacto prætendis, quod jam obtines? Quo pacto te adhuc inquietat, quo jam gaudens frueris? quomodo ascendere intendis, quò jam ascendisti, & esse ubi jam es? quia idem ipse locus in quo jam erat, taliter ipsum inquietabat, ut in eo quiescere non posset. Hinc sine competentia aut invidia alterius ipse præcipitavit & deturbavit seipsum. Adamum in terram dejecit Diabolus, Diabolus dejecit seipsum, sic enim jam possessus ipsum inquietabat locus, ac si illum habuisset.

S. Chrys. hom 66. in Matth.

[Isai. 14. v. 12. Ibid. 13.]

Solus locus ultimus ab hisce inquietudinibus & periculis est exemptus; nec alio, quam quod sit ultimus, privilegio. Erroneè vocantur gurgites & vortices loca illa, in quibus naufragium patiuntur navigantes. Non sunt gurgites & voragines, sed altissima maris loca, quæ in medio ejus ad instar rupium, & collium, seu arenosorum locorum more exurgunt. Idcirco in eis ipsum naufragatur mare, & diffringuntur & dissipantur undæ. Fælices omnino aquæ illæ, quæ nec egredi nec ascendere volentes in suo resident fundo, hæ etenim in pace remanentes perfecta quiete gaudent: ad quas si periclitantium & confractarum pervenerit Echo, aliis sonantibus, quiescunt dormiuntque securè. Porrò stabilis illius securæque quietis, aliud nobis terra exemplum ministrat, in corporibus illis magnis, quibus vitâ concessâ sensus negavit. Arbores cunctæ parte una fixæ, altera mobiles existunt. Pars firmior, quæ sunt radices, in imo se tenet: mobilis altera, quæ sunt rami, in altum exurgit, his tantum dominatur vel blandimentum viriditatis, vel sævitia & flagellum ventorum. Arbores omnes in capite leves & inquietæ, in pede tantum firmæ & securæ existunt. In cacumine seu capite diffringuntur rami, exagitantur folia, decidunt flores, & antequam maturescant perduntur fructus: & in imo tantum radices sustentant truncum, in eoque spem meliore an-

no omne perditum recuperandi. O informatum pessimè judicium humanum, quod nec insensitivæ plantæ, neque elementa sine vita te instruere, intellectumque tribuere possint! à sensitivis saltem disce creaturis, & hisce minimis utere Magistris.

Passer & turtur (ait David) conservationi suæ convenientissimum quærere &
Psal. 83. v. 4. invenire scivere locum: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Enimverò quo fine David exemplum illud adducit, & in animalculis duobus tam parvi vultûs constituit? ut confundantur & erubescant homines, toto rationis suæ usu non nosse convenientem sibi eligere locum. Porrò omnes tam incurii immemoresque hujus faciendæ electionis vivunt, ut si quis eam fecerit, speciali gratiæ divinæ auxilio adscribendum sit. Hinc David idem sequentibus verbis
Ibid. 67. admiratione dignis continuat: *Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo deposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* q. d. Beatus, Domine, homo ille, cui tu speciali gratiæ tuæ auxilio assistis; hic enim omnes consideravit ascensiones, id est, omnes ascendendi modos, quibus alii prima & altissima loca obtinere contendunt: ipse verò locum sibi elegit omnium infimum, & hunc in lachrymarum valle constituit: *In lachrymarum valle, in loco quem posuit.* Quænam verò est hæc lachrymarum vallis? vulgariter quidem lachrymarum vallis vocatur hic mundus; verùm hic nec totus est vallis, neque totus de lachrymis. Non est totus vallis; habet enim campos, colles & montes: neque totus lachrymarum, seu de lachrymis; sua enim habet gaudia, delicias, & oblectamenta. Quænam igitur est vallis, in qua sola homo divina adjutus gratia locum suum ponit, *In valle lachrymarum, in loco quem posuit*? Est vallis, quam montes faciunt ascensionis, id est, loca sublimia, quo omnes ascendere desiderant, quod ipse valdè vigilanter attendit: *Ascensiones posuit in corde suo.* Qui sublimia ista conscenderunt loca, in montibus stant lætitiæ; quia desiderii sui jam compotes sunt facti: & qui ascendere nequiverunt, in valle morantur lachrymarum, quia gemunt & deplorant ascensionis non appropinquare diem, quo ad desiderata promoveantur loca. In hac igitur valle, quæ lachrymarum est mœroris & tristitiæ reliquis, in hac ipsa, & in imo ejus & profundissimo, quod infimum & ultimum est, locum suum ponit, cui Deus assistit: non enim ad heroicam hanc resolutionem capessendam, intellectus propriumque sufficit judicium; sed gratiæ divinæ necessarium omninò est auxilium: *Cujus auxilium abs te:* Auxilium luminis ad cognoscendum illum pro meliore & optimo; auxilium magnanimitatis, ad præferendum illum omnibus: & ipsum quoque auxilium amoris proprii, ut quis in eo sine dolo & deceptione quiescat, *Recumbe in novissimo loco.*

§. VIII.

QUonam pacto locus ultimus obtentu facillimus, conservatu securissimus, & ad fruendum sit quietissimus jam vidimus; quæ sunt prærogativæ singulares, ob quas meritò veniat omnibus præferendus. Neque nomen ultimi aliquatenus æstimationem ejus imminuit; nisi enim ultimus esset, his sanè prærogativis careret. Omnis locus ultimus similis est illi, qui in mensa Josephi Benjamino obvenit.

venit. Omnibus fratribus mensæ accumbentibus juxta ordinem ætatis, Benjamino velut juniori omnium ultimus obtigit locus. Nihilo secius tamen accidit quippiam, quod ipsi fratres, Ægyptiique omnes fuerunt admirati; scilicet, quod Josepho disponente discos, & fercula distribuente, semper pars optima, non sine notabili excessu obtigerit Benjamino. Agite locum & non discos respiciamus. O utinam delibare nossemus quàm sapidæ sint puræ sinceræque deliciæ, quæ in ultimo percipiuntur loco, ab amaritudinibus defœcatæ, quæ in omnibus aliis quantumcunque sublimibus,& altissimis etiam locis, oculis quamvis clausis vix deglutiri possunt! Democritus dixit, resolventem se ad nihil desiderandum, cum ipsomet Jove de felicitate contendere posse: porrò felicitatem hanc plusquam humanam non falsus, sed verus Deus in absconditis ultimi loci thesauris deposuit. Ibi tantùm vivitur sine desiderio, sine timore, sine spe, sine dependentia, sine omni cura, imò sine levissima cogitatione quæ perturbet. Ibi solùm somnus est quies: cibus nutrimentum: respiratio vitalis: & vita, vita: nam ibi solùm est indivisa & integra,& tota secum, & in se collecta; sicuti etiam homo totus in se, & extra mundum; quia nihil eorum quæ mundi sunt concupiscit. Et nonne hæc sufficiunt, ut locus ultimus magis æstimetur, magis diligatur, & ab omnibus prætendatur? Erronea tantùm nominis illius ultimi apud ipsos prævalet apprehensio, quâ in reliquis ultimum præcellentiorem & meliorem recognoscentes, nihilominus non solùm minùs honorificum sed & injuriosum sibi reputantes eum despectui habent & fugiunt.

Hic ultimus est error atque deceptio, quæ sola nobis explodenda restat; cujus intelligentia consistit in eo, ut quis eodem in loco differentiam de ultimo ad ultimum, discernere sciat. Locus ultimus alio distribuente assignatus, injuriosus esse potest: propria verò electione acceptatus vel maximè honorificus, & gloriosissimus existit. Sua sponte, & propria electione ultimum mundi sibi eligens locum, solus eodem mundo velut Dominus utitur. Ipse nobis mundus non velut errans & vanus; sed velut civilis & prudens, illud nobis probet & demonstret. Vidistis per aream palatii currum transire nobilibus onustum: & quisnam currus illius est Dominus? qui ultimum tenet locum. Vidistis eosdem, vel alios in domo aliqua familiariter conversantes, & mutuæ visitationis ergo congregatos? & quisnam domus illius est Dominus? qui ultimam occupat sedem. Sicut igitur, qui ultimum in curru tenet locum Dominus est currus; & qui in domo ultimam occupat sedem Dominus est domus: sic qui voluntariè ultimum mundi amplectitur locum, Dominus est mundi. Non committamus decisionem voluntati hominum, quæ erronea esse potest, sed voluntati Dei, quæ omnis rationis & veritatis regula est. Sextidui spatio Deus ingentem hanc creationis mundi machinam absolvit. Sed quo ordine? postquam primo die creavit lucem; tertio creavit arbores & plantas; quarto Solem, Lunam & Stellas; quinto pisces & aves; sexto animantia & bestias, seu gradientia seu repentia super terram, & sic depositis cœlo, aëre, aqua & terra, ex hac creavit hominem, ut Creatorum omnium subiret dominium. Quod ita ipsemet Deus asseruit ipso

Gen. 1. v. 26. actu, quo formavit hominem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis universæque terræ.* Si igitur homo erat prima nobilissimaque omnium mundi hujus creatura, ut mox creatus omnium earum esset Dominus, quare Deus non primo, sed ultimo ipsum condidit loco? eodem ex capite & causa. Honor enim ultimi loci & dignitas in hoc mundo, soli Domino Dominatori ejus debebatur. Ergo videte num, & quàm honorificus ultimus sit locus. *Meritò ergò postremus, quasi finis naturæ formatus: rectè ergo novissimus, quasi totius summa operis, quasi cauda mundi, propter quem facta sunt omnia,* ait sanctus Ambrosius. S. Ambr. Sed nondum dictum est, quod omne dicibile excedit.

Deus quà Deus, eò quod infinitus est & immensus, incapax est loci: postquam verò è Cœlo descendit in hunc mundum homo factus, locum habiturus inter homines, quem acciperet? nunquid illum in Nazareth? illum in Bethlehem? illum in Ægypto? illum in Calvario? similem semper & ubique elegit. Quod Isaias Propheticè expendens non alio id nomine explicare potuit, quàm ultimum virorum ipsum appellando: *Novissimum virorum.* Et quare ultimus, cum ejus arbitrio electio subesset? non quod æqualitatem quod cum Patre suo æterno habebat, rapinam, aut alienam, & non naturalem & propriam reputaret, ut S. Paulus notavit: sed cùm esset Deus, tamque supremus Dominus universi sicuti Pater, nec alius locus magnitudinis ejus esset capax; nec alius superioritati suæ honorificentior; neque alius doctrinæ suæ conformior, quàm ille idem, idcircò illum hodie recommendavit, scilicet ultimum. In convivio quodam, ad quod Siciliæ Rex Dionysius illustriores quosque Regni sui invitaverat, in ultimo mensæ suæ loco Aristippum temporis illius oraculum collocavit, ad quod magnus ille Philosophus: *Hunc planè locum decorare, & illustriorem reddere voluisti.* Aristippus. Enim verò si locum istum ultimum sic decoravit & illustravit Aristippus in eo tantùm sedendo; quid factum dicemus, postquam Deus ipse illum pro se elegit, & amplexus est? *O novissimum & altissimum!* Bern. exclamat S. Bernardus. Antequam Deus illum ultimum locum inter homines eligeret, dubitari poterat, utrum honorificus, vel non honorificus esset ultimus locus; sed postquam Deus eum elegit, sibique vendicavit; intolerabilis blasphemia foret, ipsum locum honorificentissimum omnium denegare.

§. IX.

Coronidis loco tantùm restat parabolæ conclusioni satisfacere, qua Magister divinus dissolvisse, & destruxisse videtur, quidquid diximus. Christus Dominus rationem dat, cur loca prima appetenda non sint, sed ultimus: quia veniens, inquit, paterfamilias, sive domus convivii que Dominus, te ultimo recumbentem loco cernens, dicet tibi: *Amice, ascende superiùs:* Luc. 14. v. 10. Et è contrario si primum occupaveris locum, audies: *Da huic locum, & incipias cum rubore novissimum locum tenere.* Ibid. 9. Dominus domus, & convivii in fine parabolæ est ipse Deus, qui omnia nostra opera, intentiones & molimina pro meritis remunerabit: neque considero tantùm & expendo, quod ultimum tenentem locum vocaverit amicum, amice: neque pondero, quod primum te-

nens

nens locum, non remanserit saltem in secundo seu tertio, sed ad ultimum omninò descendere jussus sit: Hoc tantùm considero & pondero, quod ultimum amplexum locum, Deus remuneravit primo; & primi loci occupatorem puniverit ultimo. Ergo si locus ultimus assignatur pro pœna, & primus pro prœmio: melior profectò videtur primus, quàm ultimus.

Ita videtur, quia in ipsis non intuemur locis, *Ubi* & *Quando*. *Ubi* & *Quando* consideratum movit homines ad loca eligenda? protinus ita, in hoc mundo: ubi verò & quando Deus illa commutabit? in altero mundo. Ista ergò differentiæ & commutationis est ratio, in mundo altero melior est locus primus; in hoc mundo ultimus. Et quare? quia cœlum omnium electorum bonorumque est patria: terra omnium reproborum & malorum est regio. In terra quicquid est non nisi superbiam, ambitionem, invidiam, discordias, contentiones, calumnias, fraudes, fallacias, proditiones & violentias sapit & spirat, & nullus non, etiam per alterius ruinam ascendere satagit; ad quæ omnia evadenda mala, maleficia, & malitias, non alius locus securus est & quietus, nisi ultimus. E contrario nihil est in cœlo, nisi charitas, pax, concordia, amor, satisfactio, beatitudo, & quilibet fruitur & gaudet bono alterius sicuti proprio; proindeque prima loca à nemine invidentur aut prætenduntur: sed ab omnibus approbantur & honorantur, sine omni metu, qui eos inquietet intus, & periculo quod eos perturbet foris; tam stabilia sunt & perpetua sicut ipsa bona & felicitas, quâ fruuntur.

Porrò ut binas hasce differentias, à mundi principio à Deo; unam in terra inter elementa, & alteram in cœlo inter Angelos confirmatas videamus; S. Scripturam auscultemus. Creationi mundi Deus sextiduum impendit. Primo, tertio, quarto, quinto & sexto die creavit, secundo tantùm die creavit Nihil. Si igitur dies secundus planè sterilis fuit & infœcundus nullius creaturæ novæ productione, cuinam Deus totum illum impendit diem? totum illum honorando & exaltando loco ultimo pro dignitate sua dedicavit. Textus inquit, Deum secundo die divisisse elementum aquæ, partemque ipsius sublimatam collocasse supra firmamentum, quod vocavit cœlum. Hæ sunt aquæ illæ, de quibus dicit David: *Et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*: Ubi declarat, cœlum, super quod collocatæ fuerunt, omnium esse altissimum, & supremum. Verùm enim verò, unde elemento aquæ hæc provenit exaltatio, nulli alii à Deo collata? Quia cum aqua qualitate sibi naturali superior sit terra, terræ verò locus sit ultimus, illa eminentiorem, in quo creata fuit, deserendo situm, ad implendas ejusdem sponteneè cucurrit concavitates, tamque arctè ibidem terræ unita, ut unum tantum globum aqua & terra formaverint. Quod ita oculis Dei complacuit, quamvis elemento aquæ naturale, ut author naturæ locum, loco aquæ compensaturus, propter ultimum, ad quem descendit in terra, ad cœli supremum elevaverit eandem. Sed dum agimus de cœlo, videamus, quàm contrarium huic exemplo aquæ elementaris fuerit istud ignis rationalis, hoc enim significat Seraphim. Primum in cœlo locum inter Seraphinorum ordines Lucifer tenebat, nec superbia illius inferiore contenta erat loco, quàm ut

Ps. 148. v. 4.

super omnes ascenderet creaturas : hoc
Isai. 14. v. 13. & 14. mente volvebat dicens : *Super astra Dei exaltabo Solium meum : similis ero altissimo.* Quid verò similitudinis suæ æmulatori vanissimò idem facit altissimus? *Veruntamen in infernum detraheris in profundum*
Ibid. 15. *laci.* E cœlo ipsum præcipitavit in infernum, & de supremo loco, quem affectavit in Empyreo, ad infimum abyssi. Sic Deus punit, sic præmiat, & commutat loca, sublimanda usq; ad supremum, eum qui sese abjecit ad infimum; & deturbando ad infimum supremi affectatorem. Tantùm in Evangelii nostri parabola valet. Vel *amice ascende superiùs* : vel, *Incipias cum rubore novissimum locum tenere.*

Perspectâ nunc rei hujus veritate, superfluum est inferre qualiter iu hac vita resolvere se oporteat, cujus adhuc libero subest arbitrio, electio. Quid verò faciendum illis, qui jam illam consecuti, sive per natales, sive per negotiationem, sive quacunq; fortuna alia in primis sunt locis collocati? facillimum foret dare consilium, nisi difficilis esset resolutio. Sed res hæc me non concernit. Cur non facient, qui minus relinquendum habent, idem, quod Reges tot & Imperatores fecerunt? Nec cœlum, nec infernum credebant Diocletianus & Maximianus; sed sola experientia constitutionem primorum locorum docti, ambo Imperii tædio affecti, unanimi consensu & uno eodemque die (qui fuit decimus septimus mensis Februarii Anni 304.) Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani, sceptra posuerunt, regimini renunciantes. Et quis hoc casu non exclamabit : O cœcitatem humani judicii? ô deplorandam magnam fidei nostræ infirmitatem! Quod duo Gentiles, & sceleratæ vitæ homines, tam heroicam capessiverint resolutionem, velut istam; cumq; locorum mensura, qua nos super nostros elevamus æquales tam sit brevis, hæc tam laboriosa incertaque prælatio sic nobis abblandiri possit, ut illam in hac vita, vitæ temporalis, quieti, & æternæ vitæ securitati anteponamus!

Dari possunt tam urgentes rationes, tamque validæ obligationes, quæ laqueos istos perrumpere non sinant, sed casibus hujusmodi, qui nonnisi rarissimè evenire possunt, in quibus cum renunciari nequeat locis, amori saltem & affectui renunciari oportet. Christus in Pharisæis & Scribis affectuum potius & amorem, quibus locis primis inhiabant, quàm ipsa loca reprehendit : *Amant autem primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.* Cùm Matt. 23. v. 6.
sint tam periculosa, sicut videmus loca prima, sufficit esse prima licet non amentur. Sancti illa non amabant, de omnibus legitur, quod illis sese opposuerint, & ab eis fugerint : Verùm si fuerint loca prima, & simul amata, multò sanè sunt periculosiora & perniciosiora, tam eis quos inflant & decipiunt; quàm Reipublicæ, cui exitium inferunt. iidem illi Scribæ & Pharisæi primorum amatores locorum, mortem Christi ursetunt, in Crucem agentes Filium Dei: quare? tantùm ne amata perderent loca : *Venient Romani, & tollent nostrum locum.* De- Joan. 11. v. 48.
nique si prima loca non amarentur, minora certè forent damna, quæ causabunt propria & aliena. Sed, sive amata, sive non amata, si illa jam tenentes, eisdem totaliter non renunciaverint, generosèque mutaverint cum ultimo, nullatenus frui poterunt libertate, & secura quiete; quod sic prolixè demonstravi; quia privilegium istud à Deo ultimo tantùm loco est concessum : *Recumbe in novissimo loco.*

SERMO




SERMO
DE
Sanctissimo Sacramento, in die Corporis Christi.

In Ecclesia, & Conventu de Incarnatione.

Hic est Panis, qui de Cœlo descendit. Joann. 6.

§. I.



Ecclesia hæc idem hodie celebrat, quod celebrant omnes; sed nulla cum tanta obligatione, nulla tanta cum congruentia, quantâ hæc. In cæteris solemnitas est propria diei, in hac, diei simul & loci. Tam arctè sibi invicem suprema hæc duo mysteria, Incarnatio & Sacramentum, sunt innexa; ut ipsa Sapientia, & Eloquentia divina, ad deprædicandum Sacramenti magnificentias, Incarnationis usa sit excellentiis: *Hic est panis, qui de Cœlo descendit*: Hic est panis (inquit Christus) qui de Cœlo descendit. Sed quando panis iste descendit de Cœlo? non in die, quâ Sacramenti Mysterium est institutum; sed in die quâ Incarnationis Mysterium fuit peractum. Ita genibus flexis confitemur omnes: *Descendit de cœlo, & incarnatus est.* Ita ut in eodem thematis textu, duos habeamus dies, nec non Mysteria duo. Diem, & Sacramenti Mysterium: hic est panis: diem, & Incarnationis Mysterium: *Qui de cœlo descendit.* Diem, Mysteriumque Sacramenti, convenienter celebritati: diem, Mysteriumque Incarnationis, conformiter loco. Cùm ergò sermonem (pro ut etiam fas est) non de corpore Christi, vulgariter loquendo modo, sed de corpore Christi in Incarnatione tractare oporteat: cumque discursus hic meus, eidem corpori Christi, non solùm quatenùs consecratum, sed quatenus etiam incarnatum est, mihi commensurandus sit, dico, diem Incarnationis, & diem Sacramenti, ambos esse dies Corporis Christi; sed diversa valde ratione. Dies Incarnationis, dies est Corporis Christi; quia in die Incarnationis descendit Deus ad assumendas corporis conditiones & qualitates: & dies Sacramenti similiter dies est Christi; quia in die Sacramenti, idem ascendit corpus, ad assumenda attributa Dei. Istud hodie prædicare statui. Verùm quia pro Majestate materiæ mihi adhuc desunt termini condigni: & ut ego melius eam penetrem, & explicare sciam, ad præsentem gratiæ fontem recurramus. *Ave Maria.*

§. II.

§. II.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Joan. 6.

S. Apostolus Paulus, de secunda textus hujus parte loquens, id est, quando Verbum Divinum de cœlo descendit, ut carne vestiretur, hæc notabilia dicit verba: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Id est, cùm Verbum æternum esset æquale Patri per omnia, & non aliter esse posset, nihilominùs homo factus, aliis hominibus similis, sic in semetipso, Divinitatis Majestatisque suæ attributa collegit & absorbuit, ut in eo jam Incarnato protinus non viderentur, & ipse quasi illis vacuus appareret: Hoc propriè, & secundum rigorem significat. Illud, *Exinanivit semetipsum*: & ita factum est. Verbum quoad Divinitatem erat Spiritus, & per Incarnationem habuit Corpus: per Divinitatem erat immensum & per Incarnationem limitatum: quoad divinitatem infinitum, & per Incarnationem, evasit finitum. Per Divinitatem erat æternum, & per Incarnationem factum est temporale; per divinitatem erat invisibile, & per Incarnationem visibile: per Divinitatem immortale erat & impassibile, & per Incarnationem jam patiebatur, mortique erat subjectum. Nonne hæc magna Divinitatis sunt vacua? tanta sane, tamque profunda, ut nonnisi intellectus S. Pauli aliquatenus ea penetrare possit: *Exinanivit semetipsum.* Sed triginta tribus annis eadem Divinitas Incarnata expectet, & æquali vel majore miraculo altaris Sacramentum prodibit in mundum: Quare, quove fine? ut Divinitatis vacua in Incarnatione, reimplerentur in Sacramento. Attigi nunc mentem & scopum ad me declarandum & explicandum. Quemadmodum per Incarnationem Divinitas Christi se exuit attributis Dei, Corporis proprietatibus vestita: sic ipsum Christi Corpus mediante Sacramento Corporis se proprietatibus exuit, attributis divinis vestitum. Et hic plus quam admirabilis fuit modus, quo vacua Divinitatis in Incarnatione, repleta & restaurata sunt per Sacramentum. Videte nunc & attendite.

Ad Philip. 2. 6. & 7.

Per Incarnationem (ut diximus) Deus qui erat Spiritus, factus est Corporeus, partibus distinctis & extensis: per Sacramentum Christus qui erat, & est Corporeus, factus est spiritalis, totus in toto, & totus in qualibet parte, ad instar Spiritus. Per Incarnationem Deus immensus ad unum tantum reductus est locum: per Sacramentum Christus circumscriptus loco factus immensus in cunctis mundi est locis. Mediante Incarnatione, Deus æternus factus est temporalis, sicque natus, vixit, & mortuus est in tempore. Mediante Sacramento, Christus temporalis, denuò factus æternus, sine termino vel durationis limite: Mediante Incarnatione, Deus infinitus, evasit finitus, prout utraque humanitatis pars est finita: Mediante Sacramento, Christus finitus non habet finem; est enim infinitè multiplicatus: Mediante Incarnatione, Deus invisibilis, factus est visibilis, & sic illum viderunt homines: Mediante Sacramento, Christus aliàs visibilis, factus est invisibilis; quia illum nec videmus nec videre possumus. Denique per Incarnationem, Deus immortalis & impassibilis, factus est mortalis & passibilis, passus est & mor-

mortuus propter homines: Per Sacramentum, Christus mortalis & passibilis, factus est immortalis & impassibilis: In Sacramento enim præsens, nec passioni, nec morti subjacet. Sed enim, quænam, quæso, singulorum, seu potius simul sumptorum est differentia, nisi, quod hodie in Corpore Christi, mediante Sacramento, adimpleta sint vacua, quibus eodem in corpore, mediante Incarnatione, occultata fuit Divinitas; & quod Corpus Christi in Sacramento, per omnia attributa divina Corpus sit Dei?

S. Joannes Evangelista in Apocalypsi sua Capit. 5. Notabile quid vidit, & alia notatu digniora audivit. Magnificentissimum vidit thronum, a tota curia cœlesti circumdatum, & super illum agnum stantem, sed velut mortuum: *Agnum stantem tanquam occisum.* Audivit cœlestium illorum aulicorum, multorumque Angelicorum chororum voces, accinentium cum applausu, & dicentium: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem.* Agnus iste non jacens instar mortui, sed vivi adinstar stans erectus, est agnus Dei qui tollit peccata mundi, Christus Redemptor noster: sed est Christus, & idem Christus non in alio statu, vel alio quocunque modo, sed quatenùs in Sacramento. Quod ita communiter loci hujus interpretes intelligunt; ipsaque Textus Verba propriè valde declarant; non enim agnum mortuum adinstar vivi, sed vivum mortui adinstar stetisse asserunt: *Stantem tanquam occisum.* Istud proprie & distinctè credimus, idque nos fidés in Sacramenti Mysterio docet. Verbum, *stantem* repræsentationem, & non realitatem innuit: Idemque Christus in Sacramento, qui realiter æquè vivus est in Sacramento ac in cœlo, eodem in Sacramento repræsentativè tam mortuus est, ac in cruce. Hinc consecrationis Verba, in Hostia Corpus velut à sanguine separatum, & in calice sanguinem tanquam à corpore separatum collocant; omnia in mortis significationem, in qua (& nullatenùs sine illa) sacrificium perficitur & consummatur. Idcirco etiam in forma & cum nomine agni. Nam post agnum Abelis in lege naturæ, similiter in lege scripta, in agni figura idem ipse Christus immolabatur: Hoc S. Andreas ita docuit proconsulem Ægenam, dicens: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie immaculatum agnum, cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, integer perseverat & vivus.*

Apoc. 5. v. 6.

Ibid. 12.

Supposito igitur quod Agnus vivus & tanquam mortuus, quem S. Joannes vidit, erat Christus, & quidem Christus in Sacramento; accedant nunc & intreut secunda, & admirabiliora textus Verba, quibus eidem Agno applaudens, tota accinebat cælestis curia dicens, ipsum dignum accipere virtutem & Divinitatem: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem.* Porrò idem Joannes Canticum istud novum fuisse asserit: *Cantabant Canticum novum*: nec novum, sed antiquum fuisse videtur, & triginta quatuor saltem annorum, tot enim ab Incarnationis die, usque ad diem institutionis Sacramenti numerari possunt. Quandonam Filius Dei Factus est homo, & Divinitas humanitati Christi est unita? Nullum est dubium, quin in die Incarnationis. Si igitur ad Christum quà Incarnatum pertinet, eundem Christum Divinitatem accipere quà hominem: Quænam, quæso, Cantici hujus est novitas, quo tota illi congratula-

tur cœleſtis curia, quod Divinitatem non in Incarnatione, quatenùs Deus Incarnatus, ſed in Sacramento, quatenùs Agnus in Sacramento accipiat: *Dignus eſt agnus accipere Divinitatem*? Verbum *dignus*, adhuc magis in & extendit dubium: Dignus enim ſupponit meritum; unionem verò hypoſtaticam humanitas Chriſti nec meruit, nec mereri potuit: ſi igitur fuit divinitas, & divinitas promerita, quo pacto dicitur, Chriſtum dignum illam accipere, eandemque accepiſſe in Sacramento? Ratio altiſſima & nova, prout eam S. Joannes appellat, eſt ea quam dixi, & probo. Duabus vicibus, duobuſque modis diverſis Chriſtus divinitatem accepit. Primò in Incarnatione, in qua Deus modo quo poſſibile erat, Dei ſe exuit attributis, corpus induens humanum: ſecundò in Sacramento, in quo Chriſtus ſimiliter modo, quo erat poſſibile, Divinitatis in ſe vacua implens, Corpus idem Divinitatis proprietatibus reveſtivit. Ubi valde notanda verborum proprietas, *accipere Divinitatem*: In myſterio quippe Incarnationis, non Corpus propriè Divinitatem accepit, ſed Divinitas Corpus accepit, *Verbum caro factum eſt*: In Myſterio autem Sacramenti, quemadmodum in Incarnatione Divinitas propriè accepit corpus, ſic propriè Corpus accepit Divinitatem: *Dignus eſt agnus accipere Divinitatem.* *Joan. 1. v. 14.*

Idem ipſe Chriſtus quinque panibus miraculosè paſtis prædicans, ibidem Sacramenti Myſterium cæpit revelare, exhortans illos, ut meliore alio veſcerentur pane, quem eis ipſe daturus eſſet, pane ſcilicet vitæ, non temporalis, ſed æternæ: *Operamini non cibum, qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*, porrò ne de panis hujus miraculoſi virtute dubitarent, adjunxit; Deum pani huic ſuum impreſſiſſe ſigillum: *Hunc enim Pater ſignavit Deus.* Verbum, *ſignavit*, valet idem quod *ſigillavit*, & ſic in textu originali legitur. Sciamus igitur, qualiſnam figura ſigillo huic fuerit impreſſa? Omnes SS. Patres concorditer, Divinitatis figuram imaginemque fuiſſe aſſerunt: & hanc vim habet Nomen Dei, Nomini Patris adjunctum: *Hunc Pater ſignavit Deus*: Modus loquendi hac occaſione in Chriſto ſingularis. Enim vero, ſi Chriſtus de ſe loquitur quatenus homo, & quatenus eſt in Sacramento: Quatenus homo, *quem Filius hominis dabit vobis*; & quatenus eſt in Sacramento, *cibum, qui permanet in vitam æternam*; quare virtutis hujus potentiam, Divinitatis demonſtrat & probat ſigillo, quod illi Deus impreſſit? Convenientius ſanè confirmari nequit conſideratio altiſſima de qua agimus. Hoſtia illa, in qua fides noſtra Chriſti Corpus præſens eſſe credens idem adorat, eſt Hoſtia conſecrata, cui Deus ſigillum ſuum impreſſit: & quemadmodum huic ſigillo apparebat inſculpta imago & figura Divinitatis cum omnibus ſuis attributis, pari ratione eadem in Hoſtia fuit manſitque illorum omnium ſimilitudo impreſſa, & hinc omnia in Sacramento reperiuntur. Potiſſima adhuc deſideratur Metaphorica ſigilli proprietas & energia, qua uſus eſt Chriſtus, quo totum melius intelligeremus myſterium. Quod ſigillo inſculptum eſt & vacuum, idem eſt quod in materia cui imprimitur plenum extat & eminet: & ſic in Sacramento, plena fuerunt vacua Incarnationis: *Exinanivit ſemetipſum*: *Hunc Pater ſignavit Deus.* In Incarnatione omnia attributa divina vacua & in Sacramento plena; in Incarnatione omnia *Joan. 6. v. 27.* *Ibid.*

nia

mnia depressa, & in Sacramento omnia exaltata.

§. III.

Hoc pacto Corpus Christi in Sacramento attributis revestitum Divinis, magisque propriè Corpus Christi fuit. Corpus Christi, quia spirituale: Corpus Christi, quia immensum: Corpus Christi, quia æternum: Corpus Christi, quia infinitum: Corpus Christi, quia invisibile: Corpus Christi, quia immortale: Corpus Christi, quia impassibile. Istud nunc distinctè per partes, & attributa discursus noster demonstrabit. Ast cum omnia jam dicta Corporis sui mirabilia, (ut ita loquar) Deificata, ad nostrum à Christo ordinata fuere remedium & profectum: sic ea probabo in Sacramento, ut simul demonstrẽ, quonam modo ipsum Sacramentum illa omnia communicet nobis. Ipse me adjuvare, novaque gratia in materia tam sublimi & ardua assistere dignetur.

Proprietas prima tam Divinitati naturalis, quàm à Corpore aliena, est, Deum Spiritum esse; quale primum est vacuum, quo ipse Deus se in Incarnatione exinanivit, tale etiam primum est attributum, quo illud Christus restauravit & implevit in Sacramento: in quo Corpus ejus est non afficiendo locum, nec non cum omnibus Spiritus conditionibus. Quod ita docet fides, & ad probandum ex scriptura, oportet nos descendere in abyssum, qualis est sextũ S. Joannis Capitulum, quod jam ingredi cœpimus. Occasione relati jam miraculi de quinque panibus, à quo Capitulum istud incipit, Christus in majore illius parte loquitur de pane qui descendit de cœlo, sanctissimo scilicet altaris Sacramento. Semel dicit. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vi-* Joan. 6. v. 54. *tam in vobis:* Iteratque breviùs: *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Et præter hos duos ejusdem capituli locos, in eodemque aliàs repetitis vicibus, multisque modis, se manducantibus, vitam promittit æternam. Verum enim verò exprimi pro merito & exaggerari sat nequit ingens motus, perturbatio & scandalum, quod hæc doctrina excitavit, non solum in auditoribus foris, sed etiam in ipsis Discipulis in Schola Christi, quorum non pauci ex hoc solo capite & puncto illum deseruerunt: Audito à Christo, quod carnem ipsius comedere, sanguinemque ipsius bibere deberent, horrendum quid & barbarum audire putabant: porrò alia phrasi & sensu eum loqui audientes, quod se manducaturi essent, non partem Corporis Christi sed totum, impossibile illis videbatur, hominem aliquem alium intra se hominem collocare posse; & quando alio, alioque casu audiebant, quod caro illa, illudque corpus vitam ipsis collaturum esset, contra omnem naturæ rationem, hoc ipsis pugnare videbatur; quod enim vitam dat homini, non est caro, neque Corpus, sed Spiritus: uti patuit in Spiritu, quem Deus limo infudit Adami; & in vita, quam anima nostris dat corporibus, quâ deficiente vivere cessant. Hucusque murmur, dubium & scandalum audientium: ad Magistri Divini responsum nunc progrediamur.

Christus in hæc respondet Verba: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* q.d. Istud vos scandalizat? Quid foret, si me videretis ascendere in cœlum, unde descendi? Porrò ad dubia eorũ quæ à me audistis, dico Spiritum esse, qui dat vitã, carnẽ non prodesse quicquã. Si igitur Christus de sua loqueba- Ibid. 62. 63. 64.

tur carne, de eademque affirmabat, quod manducantibus se vitam esset datura; quonam pacto carnem ad nihil prodesse, & Spiritum vitam dare asseverat? Adeò difficilis est ista sententia, ut derelictis Hæreticorum deliriis, SS. Patres & Doctores in septuplicem abeant opinionem. Ultima & singularis Amonii Patris Græci, meo judicio est optima, quæ penetrando mentem Christi, omnia incredulorum dubia, salva ejusdem Sacramenti veritate, resolvit. Corpus Christi in Sacramento non adest cum naturalibus corporis conditionibus, sed cũ supernaturalibus & miraculosis Spiritus: & idcircò Christus hic propriam suam carnem Spiritum appellavit: *Spiritum hic vocat plenam vivifici Spiritus virtute carnem, manet enim caro.* Et quemadmodum caro Christi non desinens esse caro, caro est cum omnibus qualitatibus Spiritus; Caro hoc modo manducata nec causare poterat horrorem, quod dubio movebatur primo: neque corpori eodem modo obstare quicquam poterat, quin totum & integrum corpus aliud subiret, quod dubio tangebatur secundo: neque rationi naturali contrarium, sed omnino conforme erat, ut spirituale seu Spiritus existens vivificaret, & vitam daret, quod erat tertium. Dissolutis hoc modo cunctis difficultatibus, vel maximè propriè, & adæquato ad omnia objecta responso, verificatur sententia Christi: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Nam caro ibidem non operatur quatenùs caro, sed veluti Spiritus; & velut caro Spiritus effecta hoc, quod Spiritui est proprium operatur. Et hinc declarata manet magna & exacta correspondentia, qua primum Incarnationis vacuum, primo Sacramenti pleno est restauratum. Quia in Incarnatione Divinitas Verbi se corporeitate vestivit carnis; & in Sacramento caro Christi se vestivit incorporeitate Spiritus. Phrasis particularis, quâ SS. Patres in Incarnationis utuntur mysterio, est, Deum vocare incorporatum, eademque utitur Ecclesia in Festo Epiphaniæ cantans: *Ducem salutis cælitus incorporatum gignere.* Quemadmodum igitur in Incarnatione contractum est Divinitatis vacuum per incorporatum: Sic in Sacramento, Corpus Christi idem restauravit & implevit vacuum per incorporeum.

Amoninus citatus à Maldonat.

Ecclesia.

Super Verba, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,* Cajetanus Cardinalis dictum istud Evangelistæ considerat, scilicet, quod Verbum nostræ se uniens carni, habitaverit in nobis. Propriè magis dicendum fuisse videtur, quod nobiscum, seu inter nos habitaverit, siquidem Christus verè cum hominibus habitavit: ut quid igitur non dicit, quod nobiscum, seu inter nos, sed in nobis habitaverit? Acuta interrogatio, sed longè acutior responsio: *Dixit hoc, ne errares, existimando Verbum, ex quo factum est caro, impedimentum esse ad habitandum spiritualiter in animabus nostris.* Deus quà Deus habitat, & semper habitavit in nobis: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Porrò Deo necdum Carne induto, nullum erat, nec esse poterat dubium, quin Deus cum sit Spiritus, esset & habitaret in nobis: Eo verò jam corpore induto cogitare quis poterat, idem corpus impedimento esse, quo minus esset in nobis, eò quod duo corpora simul eodem in loco consistere nequeant: ad hunc igitur tollendum errorem, Evangelista dixit expressè, quod Ver-

Joan. 1. v. 14.

Card. Cajet.

Actor. 17. v. 28.

Verbum jam caro factum, non tantum habitaverit nobiscum, sed in nobis. Hucusque Cajetanus, declarans tamen, non corporaliter intelligendum hoc esse de suo corpore in corporibus nostris, sed spiritualiter de anima ipsius in nostris animabus: & hoc in Mysterio Incarnationis præcisè factum est. Postquam verò idem Verbum Incarnatum, Incarnationis Mysterio, illud addidit Sacramenti, non solum Christus in nobis habitat Spiritualiter, quoad animam, sed corporaliter quoad corpus; nam cùm idem corpus in Sacramento existat velut Spiritus, hac ratione simul corpus ejus in nostro potest esse, non obstante, quod corpus unum excludat alterum. Porrò hæc nova quædam & altissima est ratio, cur eisdem verbis non dixerit Evangelista, Verbum non hominem, sed carnem esse factum: *Verbum caro factum est*: Cùm enim caro sit propria & immediata Sacramenti materia: *Caro mea verè est cibus*: eadem mediante carne Christus in Sacramento, non solum nobiscum, sed in nobis habitaturus erat: *Et habitavit in nobis*.

Hoc modo Christus primum Divinitatis suæ vacuum in Incarnatione, implevit in Sacramento, corpus suum spiritale reddendo, & Spiritum illud efficiendo, quemadmodum Deus Spiritus, factus fuerat corpus. Hanc verò transformationem admirabilem Christus non tantum in corpore suo operatus est in Sacramento, sed etiam, uti probaturum me promisi, eodem mediante corpore suo in Sacramento, illam nobis communicavit.
Psal. 80. v. 11. *Dilata os tuum, & implebo illud*, dixit Deus ad Davidem. Quæ verba de divinissimo intelliguntur Sacramento, de quo in eodem dicitur Psalmo: *Cibavit eos ex adipe frumenti*. Et Deus inquit se ipsum eundem esse, qui os illi impleturus sit:
Et ego implebo illud solus quippe Deus ani- Ibid. 17.
mæ nostræ capacitatem implere sufficit, nec aliqua alia re quàm seipso, sicut facit Hugo ibid.
in Sacramento. *Et ego implebo illud meipso*, commentatur Hugo Cardinalis. Aperuit igitur David os à Deo invitatus, & quid accidit? *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*. q. d. Aperui os, & quod in eo, & per Ps. 118. v. 131.
illud recipi, & quo Deus illud implevit, totum fuit Spiritus. Si igitur Deus promiserat se os impleturum corpore suo in Sacramento; suppositionem istam, Doctoris maximi S. Hieronymi authoritate in eundem locum magis urgeamus: *Vis comedere ipsum Deum* S. Hier. *tuum & Salvatorem? audi quid dicat, dilata* in hunc *os tuum & implebo illud: dilatate ora vestra,* locum. *ipse est & Dominus & panis: ipse hortatur nos ut comedamus, & ipse noster est cibus*. Si igitur Deus promiserat Davidi, se os ipsius semetipso impleturum, & corpore suo in Sacramento; quonam pacto Davit os suum aperiens non corpus, sed spiritum recepit: *Os meum aperui & attraxi spiritum*? Quia Corpus Christi prout in Sacramento in se transformatum existit, ita quoque pro nobis transformatum existit: transformatum in se, in Spiritum, ut sine extensione contineri possit speciebus illud velantibus: & pro nobis transformatum in Spiritum, ut se sumentium corporibus contineri queat: in se de corpore transformatum in Spiritum, & in nobis, ut de corporeis non transformet in spirituales. Quod expresse S. Bernardus affirmat: *Transformatur manducans in naturam cibi: Corpus enim Christi manducare nihil est aliud, quàm Corpus Christi effici*. Quia verò mirabilium effectuum horum veritatem

tatem exemplis adſtruere prolixum foret; ad confirmationem idem S. Bernardus ſufficiat, qui hoc non ſolùm aſſeruit, ſed in ſe ipſo expertus, ejuſdem virtute corporis in corpore vixit, ac ſi corpus non haberet; carne veſtitus converſans, ac ſi Spiritus eſſet, cum S. Paulo dicere potens: *Spiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.*

§. IV.

SEcundum Divinitatis vacuum, Immenſitas eſt divina, quæ per Myſterium Incarnationis ad unum tantùm reducta fuit locum, quem ſcilicet Humanitas ſacra occupabat. Fuêre Hœretici qui Myſterium hoc modo intelligentes inverſo, & in contrarium, ſuſtinuerunt, virtute unionis hypoſtaticæ Humanitatem factam fuiſſe immenſam, & inſtar Dei ubique locorum præſentem eſſe, & hinc vocati fuêre Ubiquetarii. Sed non humanitas, virtute unionis cum Verbo, ad immenſitatem divinam ſe extendit; ſed immenſitas divina per Idiomatum communicationem, ſeſe ad humanitatis limites reduxit, ſi fas eſt dicere, Deum conceptum eſſe in Nazareth, in Bethlehem natum, tali & tali loco in Judæa & Galilæa prædicâſſe, & in Jeruſalem mortuum eſſe. Veruntamen immenſitate hac, qua Deus ſe exuit per Incarnationem, ſe denuò veſtivit per Sacramentum, in quo corpus Chriſti vel reproductum, vel multiplicando præſentias, cùm unum ſit & idem, eodem tempore in omnibus eſt partibus mundi.

In eodem mundo, eademque hora qua Chriſtus Sacramentum inſtituit, ad fidei noſtræ confirmationem, naturale videbatur miraculum præſentiarum ſuarum multiplicatio. Hora qua Chriſtus Sacramentum inſtituit, erat jam prima vel ſecunda noctis, *In qua nocte tradebatur*: Et quid, quæſo tunc temporis, oculi noſtri in hoc vident Hemiſphærio? vident Solem ſe nobis ſubducendo, pro una qua nos privat præſentia, in tot ſe multiplicatum relinquere præſentiis, quotus innumerabilis eſt Stellarum numerus: quælibet enim earum non eſt aliud quàm Solis ejuſdem ſpeculum, in quo ipſe unicus exiſtens & abſens ſe nobis denuò exhibet præſentem, toties & in tot multiplicatus locis, quot ab Oriente ad Occidentem, & à Septentrione ad Meridiem uſque in toto mundo videmus. Idem omninò divinus Sol noſter Chriſtus ſanctiſſimi ſui Corporis Sacramentum, inſtituendo peregit. Abſentavit ſe à nobis ſecundum præſentiam naturalem; ſed pro præſentia iſta, in tot aliis ſe nobis reliquit, quot in toto mundo ſunt Altaria, in quibus verè & realiter, cùm ſit unus & idem, multiplicatus eſt in Sacramento. Ecce quàm propriè id ipſum Propheta Malachias deſcripſerit.

Quærebatur Deus de filiis Iſraël, quod imitando Cainum non optima & pretioſiſſima, pro ut fas erat, ſed peſſima & abjectiſſima quæque ſuis in Altaribus offerrent, notabilibus hiſce verbis illos confundens: *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* q. d. Scitote quod nolim Sacrificia veſtra, neque oblationes veſtras acceptem: ne verò putetis mihi defutura; ſciatis in confuſionem veſtri, & Jeruſalem veſtræ, in qua tantum habeo templum, & ita notus ſum, venturum quandoque tempus, in quo ab Oriente uſque ad Oc-

Malach. 10. *v.* 10. 11.

Occidentem, in omnibus mundi locis, & inter omnes Gentes, non multa sacrificia, & immunda, ut vestra offerentur sacrificia, sed unum purissimum & sanctissimum. Quodnam verò illud est sacrificium? Quamvis omnes SS. PP. & Doctores dicant, illud esse sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, illorum authoritate non indigemus, nam sic illud definivit (& est de fide) sacrum Concilium Tridentinum. Tantummodo addo, verbum hebraicum, cui correspondet *oblatio munda*, oblationem significare specialem vocatam *Mincha*, quæ adinstar nostræ Hostiæ, de flore farinæ conficiebatur, & in Levitico vocatur Sacrificium. Istud igitur Sacrificium, cui specierum panis non deest proprietas, est sacrificium corporis Christi in Sacramento. Quod Immensitatis divinæ in Incarnatione collectæ & absconditæ vacuum adimplens, se immensè ab Oriente ad Occidentem, per omnes mundi partes & loca mundi extendit. *Ab ortu enim Solis usque ad Occasum in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Quemadmodum milites in Calvario in quatuor partes divisêre Christi vestimenta: sic quatuor partes mundi (ait S. Cyrillus) diviserunt inter se ejusdem carnem in Sacramento, quâ se vestierat verbum: *Quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum Verbi, hoc est, carnem ejus impartibiliter partita sunt.* Porrò S. Pater eleganter notat in hac partitione non fuisse aliquid partibile, *Impartibiliter partita sunt.* Christus enim se communicando, omnesque sanctificando, & singulos mediante carne sua, in anima & corpore, & in omnibus mundi partibus præsens, non est in eis veluti pars, sed totum, unus tantùm & idem existens; *In singulos enim partibiliter transiens, & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter & integrè in omnibus est, cùm unus ubique sit nullo modo divisus.* Hucusq; sanctus Cyrillus; cùm largiùs se nequeat extendere immensitas, quam Christus habet in Sacramento, quàm in duorum verborum illorum brevitate, *unus ubique.*

Cyril. lib. 12. in Joan. c. 32.

Porrò ut videamus quonam modo Christus immensitatem hanc hominibus in Sacramento communicet, cœnaculum Hierosolymitanum intremus. Primus actus quo Christus immensitatem hanc exercere cœpit, fuit quando panem consecratum manibus Apostolorum tradens, illum inter se dividere jussit: *Dividite inter vos.* Diviserunt panem, & sacrum corpus, quod quamdiu panis fuit in manibus Christi, in uno tantum loco erat, & mox in duodecim. Nunc interrogo. Sicut Christus modo illo immenso Apostolis suum communicavit corpus, eandem etiam illis communicavit immensitatem? Credo, & dico quod sic. Et hæc fuit ratio, quare Christus ad primam mensam in qua Sacramentum consecravit, nonnisi duodecim illos admisit, quibus mundi totius conversionem commissurus erat. Cum res sit intellectu difficilis, quod tam pauci, tamque brevis vitæ homines, tam exiguo & brevi tempore omnes possent peragrare terras, omnibusque prædicare nationibus mundi, nisi præsentias multiplicarent, sicut Christus in Sacramento, Evangelistæ tantum de Apostolis dicunt, *Prædicaverunt ubique:* sed quemadmodum Christus in Sacramento, *unus ubique*, primo in una tantum

Luc. 22. v. 17.

fuit

fuit parte, postmodum in omnibus; sic illi quandoque uni affixi erant loco, & quandoque in multis multiplicati.

Hucusque dicta, non nisi conjectura fuerunt, quæ non fuissem dicere ausus, nisi probare sufficerem. David de eisdem loquens Apostolis, juxta *S.* Paulum, quod est de fide, inquit, voces prædicationis eorum in toto mundo, ad ultimos usque fines ejus fuisse auditas: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ Verba eorum.* Porrò si eundem rogaverimus Davidem, ut similitudine quadam nobis declaret, quo pacto, cum Apostoli essent tam pauci, prædicatio eorum ad tam remota potuerit spatia extendi? respondet, non alio quam cœli prædicant, & die ac nocte gloriam Dei enarrant: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum: Dies Diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Enim verò quomodo cœli prædicant die ac nocte? de die tantum in uno prædicant loco, qui est ille solis: nocte in multis prædicant locis, qui sunt alii illi planetarum & stellarum. Simili igitur modo prædicabant Apostoli, jam quilibet velut unus in uno tantum loco; & jam quilibet velut multi in locis multis, admirabili hac similitudine confirmantes, quod immensitatem suam, & præsentiarum multiplicationem à Christo accepissent in Sacramento, qui, ut diximus, nocte qua sanctissimum instituit Sacramentum, se absentans à nobis more Solis, in eodem se multiplicatum reliquit Sacramento veluti in Stellis.

Psal. 18. v. 5.

Ibid. v. 2. 3.

Si verò nonnemo replicaverit, quare id non attestantur Historici, qui Apostolorum vitas, peregrinationes, & res gestas conscripsêre? Respondeo ipsos hoc dicere, & tantùm in suppositione dicti mei conciliari posse. Multi Authores cuilibet Apostolorum varias assignant Regiones & Gentes quibus prædicaverunt, quod nihilominus negant, temporum tantùm Chronologiæ inhærentes; undè historiæ illæ Apocryphæ judicatæ. At si supposuerimus, prout supponendum est, quod eodem tempore multiplicatis præsentiis in diversis præsentes erãt locis, omnia cum summa Evangelii gloria facilè verificantur, neque magnopere istud mirabitur miraculum, qui necessitatem hujus expenderit; nam si mundo Evangelii ministris sic impleto, novimus, Deum gratiam istam in remotissimis apparendi locis concessisse *S.* Martino, *S.* Geminiano, *S.* Frontano, *S.* Antonio Paduano, *S.* Francisco Assisiati, *S.* Francisco Xaverio, multisque aliis, ob multò minoris momenti causam, quantò magis pro universali conversione mundi, tam paucis existentibus ad hoc instrumentis? Denique si *S.* Basilio fas fuit dicere de se ipso, *Nullo loco circumscriptus sum*: Et Ennodio, *S.* Epiphanium virum immensum: *In opere vir immensus*; Immensitatis hujus participationem, quis operum illorum immensitati denegabit, quæ si illa impossibilia erant?

Nazian. orat. 20.

S. Basil. orat. 20.

Ennod. in vita S. Epiphan.

Hoc pacto Christus suas, & Apostoli suas multiplicarunt præsentias, eodem modo & nos oportet nostras multiplicare præsentias, ad assistendum divinissimo Sacramento in omni loco. Corpus quidem nostrum multiplicationis hujus seu immensitatis naturaliter est incapax, nostra verò anima & memoria, quam solam idem Dominus immensum hoc instituendo Mysterium à nobis petiit, capax illius existit, *Ubicunque fuerit corpus, illic con-*

Luc. 17. v. 37.

congregabuntur & Aquilæ: Notate verbum, *Ubicunque*. In omni loco, inquit Christus, fuerit corpus, illuc convolabunt, & confluent Aquilæ. Quodnam, quæso, illud est corpus, & quænam istæ sunt Aquilæ? Corpus, respondet S. Ambrosius, est corpus ejusdem Christi in Sacramento, porrò Aquilæ sunt sublimioris & elevatioris spiritus animæ, quæ considerationis & affectus alis illi assistunt, illud adorant & venerantur in omnibus partibus mundi: *Est* Ambr. in Luc. c. 17. *Corpus de quo dictum est, Caro mea verè est cibus: circa hoc corpus Aquilæ sunt, quæ alis circumstant spiritualibus.* Hoc modo animæ nostræ per considerationem & memoriam immensæ assistere, adorare & semper laudare debent eundem Dominum in omni loco, sicuti David ad idem faciendum, suam cohortabatur animam, dicens: Psal. 102. v. 22. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

§. V.

Tertium Divinitatis vacuum in Incarnatione, fuit illud suæ Æternitatis; temporalem se faciente, nascente, & vivente in tempore, qui erat æternus: Sed ab ipsa mox Æternitate juravit Deus, se Filio incarnato eam collaturum prærogativam, quâ mirabiliter vacuum istud implere posset, quæ prærogativa fuit Sacerdotium æternum secundùm Ordinem Psal. 109. v. 4. Melchisedech: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech.* Sacerdotium Christi vocatur Sacerdotium secundùm Ordinem Melchisedech, non quoad dignitatem, quasi Melchisedech (qui fuit Sacerdos legis naturæ) illud instituisset; sed quoad oblationis similitudinem, Sacrificiique materiam; quia non sacrificabat agnos sicut Abel; neque alia volatilia seu aves, sicut Abraham; sed panem & vinum, quæ legis Gratiæ Sacrificii, & Sacramenti Christi materia existunt. *Melchisedech proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos altissimi.* Gen. 14. v. 18. Vocatur autem Sacerdotium æternum, quia instar Sacerdotii Aaronici non desiit. In Sacerdotio Aaronico, Sacerdote deficiente finebatur Sacerdotium. Cessavit Sacerdotium, quia cessavit illa lex, quæ deficiente Sacerdote, necessariò definere debet, prout disertè decidit S. Paulus Apostolus: *Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* Hebr. 7. v. 12. Et desiit Sacerdos, moriente enim Sacerdote uno, succedebat alius, quemadmodum Aaroni filius ejus Eleazarus, & Eleazaro cæteri successivè: quod in immortali Christi persona nec factum est, nec fieri potuit, prout idem S. Paulus notavit: *Et alii quidem* Ibid. v. 23. 24. *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eò quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

Verùm enim verò, quantumvis Sacerdotium Christi sit æternum, & æternus Sacerdos ipse Christus, sequi non videtur, quod vacuum æternitatis in Incarnatione impleatur in Sacramento; Sacramentum enim nec est, nec erit æternum, nonnisi ad finem usque mundi duraturum, & cum eo pariter cessaturum. Finito mundo nonnisi Cœlum supererit & infernus: infernales illi sacrificii æquè ac Sacramenti sunt incapaces: cœlestes illi neutro indigent. Non indigent sacrificio; sunt enim justi, nec in Gratia proficere possunt: neque indigent Sacramento; præsentia enim Christi, quam velatam & invisibilem credebant & venerabantur; revelatam ibidem oculisque expositam contemplantur:

tur: si igitur Sacrificium & Sacramentum Altaris, non diutius mundo duraturum, cum illo pariter finem sortietur, sequitur non esse æternum. Idem hoc dubium movit Divus Thomas parte 3. quæstione 22. articulo 5. & respondet, in Sacrificio duo esse consideranda, oblationem scilicet & consummationem: oblationem, qua Sacrificium offertur; & consummationem in qua obtinetur finis, & acquiruntur ejus effectus. Oblatio ad hunc pertinet mundum, consummatio ad alterum. Hinc sanctus Paulus Christum bonorum futurorum Pontificem appellavit: *Pontifex futurorum bonorum*: Bona etenim futura, quibus fruimur & fruituri sumus in Cœlo sunt illa, quæ Christus nobis suo Sacrificio promeruit. Et licet oblatio in hoc mundo temporalis esset & in tempore, consummatio in Cœlo per omnem durabit æternitatem, ideoque æterna est, sicut idem

Hebr. 10. v. 14. dixit sanctus Paulus: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

In Levitico præclaram differentiæ hujus & ordinis habemus figuram in die, expiationis vocato, præceperat Deus, ne summus Sacerdos Sancta Sanctorum ingrederetur, nisi prius extra illud Sacrificium juxta legis dispositionem offerret:

Levit. 16. v. 23. 11. & 12. *Ne ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum, nisi hæc ante fecerit: vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum; his ritè celebratis, ultra velum, intrabit in Sancta.* Sed enim quam ob causam, quove Mysterio Sacrificium primò & extra Sancta Sanctorum offerendum erat, & non postea & intra illud? quia summus Sacerdos præfigurabat Christum, sanctuarium Cœlum, Sacrificium illud mortem Christi in Cruce, vel in Altari, ubi eadem mors repræsentatur: & Sacrificium hoc non postea, sed ante, neque in Sanctuario, sed extra illud offerendum erat: non postea, id est, non in æternitate, sed antea & in tempore, quousque mundus durat: neque in Sancto Sanctorum, id est, in cœlo, sed extra cœlum, & in terra. Ita factum est quoad oblationem, & ita fiet quoad consummationem, non de alio sed eodem Sacrificio. Factum est quantum ad oblationem; Nam Christus in terra obtulit Sacrificium Crucis, prout hodie offert Sacrificium Altaris, & ad finem usque mundi offeret: & ita fiet ad consummationem; nam in cœlo Christus idem consummabit Sacrificium, ejus nobis communicando effectus, qui in clara Dei visione per omnem æternitatem consistunt, ideoque Sacerdotium & Sacrificium utrumque æternum.

Omnia ista vidit S. Joannes in cœlo, sicut jam viderat Agnum viventem postquam occisus, & gloriosum postquam esset immolatus. Loquitur Evangelista prophetice de Civitate Jerusalem triumphante, quæ est cœlum, dicens claritatem ipsam illuminare, & lumen ab Agno prodire: *Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.* Apoc. 21. v. 23. Velut primus maximusque Ecclesiæ Theologus Joannes est locutus. Ut Beati clarè intueantur Deum, intellectus eorum lumine aliquo supernaturali elevatos esse necessarium est, quod Theologi lumen gloriæ appellant: & hoc vidit & attestatur Evangelista. Claritas Dei Jerusalem cœlestem illuminans est clara ejusdem visio, *Claritas Dei illuminavit eam*: Et lumen Gloriæ sine quo Deus videri nequit, prodit ab Agno: *Et lucerna ejus est Agnus.* Sed quare non exit

Glo-

Gloriæ lumen ab essentiali Gloriæ ejusdem objecto, quod est Deus & clarè visus, sed de Agno, qui est Christus, quem Joannes tanquam immolatum vidit? Quia hic fuit finis, & hi ejusdem in terra oblati, & in cœlo consummati Sacrificii sunt effectus: oblatum in tempore, & consummatum in æternitate; & hinc tam æternum, sicut Sacerdos ipse, *Tu es Sacerdos in æternũ.*

Æternitas hæc æternum reddit sanctissimum Sacramentum, quamvis oblatio Sacrificii in quo consecratur, habiturum sit finem, cum mundo cessaturum. Et posito quod æternitas illa, de qua nullus dubio locus relinquitur, ad probationem intenti mei sufficiat, idemque tradat Doctor Angelicus, eosdem Apocalypseos & Levitici citatos proximè textus allegans; Ego nihilo secius addo, Divinissimum Sacramentum non solum esse, & futurum in cœlo, per suorum æternitatem effectuum, sed etiam propriæ suæ substantiæ: finito enim jam mundo, nullis amplius residuis in terra altaribus aut Sacrariis, consecrata aliqua Hostia in æternum conservabitur in cœlo. Quod ita considerant & præsumunt non pauci Authores ascetici & contemplativi, quorum opinio, meo judicio, non probabilis minus, quam pia existit. In die judicii cum supremo judice Crux ejus apparebit in cœlo, *Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo.* Quænam autem erit ista Crux? S. Joannes Chrysostomus simul cum multis Doctoribus aliis eandem crucem fore asserit, in qua Christus in Calvario affixus pependit, quod hunc in modum Sybilla prædixit.

Sybilla lib. 6. Carm.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis:
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Supposito itaque Christi crucem hodie in partes infinitas divisam, iterum ex toto mundo recolligendam, majoreque reuniendam miraculo quàm illud resurrectionis mortuorum, ad suam integritatem, conservandamque æternum in cœlo; cur simile privilegium pani vivo & vitali qui de cœlo descendit negabitur? Si lignum aridum & durum ad tantam sublimari meruit dignitatem, & in ea æternum est perennaturum, solummodò quia contactu Corporis Christi fuit sanctificatum, ejusque sanguine tinctum: Quare Sacramentum Corpus idem sanguinemque continens totum, ad vitam dandam hominibus æternam institutum, eadem carebit æternitate? tantum honorem Verbum Incarnatum, carnis sanguinisque particulæ, quam de purissimis Matris suæ visceribus assumpsit exhibuit; ut nunquam permiserit, quod calor naturalis, more modoque naturali illam corrumperet, vel consumeret: & juxta S. Augustinum, post resurrectionem etiam illam adhuc conservat, & æternum conservabit in seipso; *Caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ sumpta est de Maria.* Quam igitur injuriam eidem irrogaremus honori & amori, si de ipso nobis imaginaremur Christo, quod permitteret tempori, ut quemadmodum consumetur finieturque mundus, sic consumeretur finemque acciperet pariter cum eo Sacramentum, in quo non solum pars aliqua carnis & sanguinis continetur; sed tota in toto, & tota in qualibet ejus parte? Dicamus igitur, & piè credamus, quod, sicut Hostia consecrata, frequenter præservata fuit ab incendiis, & universali mundi

S. August. serm. de Assumpt. B.V.

præservanda sit incendio ; ut sicut panem Angelorum, quem comederunt homines, eum in cœlo adorent æternùm homines & Angeli.

Authores citati & alii cum illis non levis momenti conjectura moti, prærogativam similem Evangeliorum libro tribuunt : non quod reliqui libri sacri Verbum Divinum non contineant ; sed quia proprio Dei Filii ore fuerit pronuntiatum : *Novissimè locutus est nobis in Filio*; Proinde quemadmodum in die judicii apparebit Crux, sic apertum apparebit Evangelium, ut juxta illud judicentur ; quidam quia non crediderunt, alii quia idem non observaverunt. In Apocalypsi sua S. Joannes vidisse se dicit volantem per medium cœli Angelum, habentem in manu Evangelium æternum, *Habentem Evangelium æternum*, altisque vocibus totum cohortatum fuisse genus humanum ut timerent Deum, eò quod judicii dies advenisset, *Quia venit hora judicii ejus* : Ita ut etiam in die judicii appariturum putetur Evangelium. Porrò si interrogaverimus, quare Evangelium vocetur æternum, respondet S. Hieronymus, rationem & Mysterium esse, quia Evangelium in hoc mundo temporaneum fuit, & temporaliter prædicatum, sed in cœlo per omnem durabit æternitatem : *Sempiternum futurum in cœlis, ad comparationem scilicet hujus nostri Evangelii, quod temporale est, & in transituro mundo, ac sæculo prædicatum.* Eodem sensu dixit David : *In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cœlo* : Ubi ly *Verbum tuum Domine*, propriè & specialiter significat Evangelium, quod toties S. Paulus vocat Evangelium Christi. Et si liber Evangeliorum, eò quòd Verbum sit Christi, justè meretur perennare in æternitate cœli ; quantò magis præstantissimum Verborum suorum opus, & sacrum ac consecratum Divinissimi Sacramenti volumen, quod similiter de manu Angeli alterius Ezechiel accepit, & in forma libri comedit ? S. Joannes qui post Evangelistas alios Evangelium suum conscripsit, in fine ejusdem protestatur, mirabilia à Dei Filio in mundo patrata tot esse numero, ut si scribenda essent, totum mundum voluminum conscriptorum non fore capacem. Si ergo in cœlo æternùm perennabit Evangelium, in quo pars tantum eorundem continetur mirabilium, potiore profectò ratione & in ejusdem supplementum Evangelii ibidem perennare fas est Sacramentum, quod omnium mirabilium est quasi compendium : *Memoriam fecit mirabilium suorum : escam dedit timentibus se.* Denique Sacramentum pignus est gloriæ, quod in hac vita cœlum nobis extradidit : & finito mundo, quando jam cœlum in possessionem nos gloriæ immittet, idem tunc cœlum pignus suum redimet & recipiet. In summa, quemadmodum Crux Christi, & Evangeliorum liber, cum finiente mundo finem non accipient, sed erunt æterna, eadem, & justiore adhuc ratione & providentia Sacramentum in Historia consecrata perennabit.

Porrò ne exemptiones hæ tres Divinæ tantum cognitioni totaliter videantur esse reservatæ, secretumque nullatenùs revelatum, in illa saltem S. Scripturæ parte, in qua figuræ futuri in Historia depinguntur præteriti ; recordemur arcæ Testamenti, in qua Deus tria temporis istius singularia conservavit : scilicet Virgam Moysis, Tabulas legis, & miraculosè urnam manna continentem adeò corruptioni obnoxiū, ut non nisi uno duraret die. Et quonam My-

Hebr. 1. *v.* 2.
Apoc. 14. *v.* 6.
Hieron. Epist. ad Auctum.
Psal. 118. *v.* 89.
Psal. 110 *v.* 4. 5.

Myſterio iſta tantùm tria, & omnia in arca? Arca Sancto Sanctorum incluſa, in qua Deus præſentialiter ſuper alas Cherubim reſidebat, illud repræſentabat, quod David cæli appellat, quod
Pſal. 113. v. 16. eſt Empyreum, *Cælum cœli Domino*: Myſteriumque proprium magis & proportionatum tota figura iſta repræſentari nequit, aut non poſſe videtur, quàm quod æternum conſervabit in cœlo Crucem figuratam per Virgam, Evangelium adumbratum per tabulas legis, & Sanctiſſimum Sacramentum in manna ſignificatum. Hinc ipſe Chriſtus ad arcam Teſtamenti alludens, ipſi Sacramento Teſtamenti, & æterni nomen impoſuit, *Novi, & æterni Teſtamenti*. Eundem in finem præparatum dicere poſſumus altare, quod S. Joannes ibidem vidit: *Vidi*
Apoc. 6. v. 9. *ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei*. Quænam, quæſo, convenientiora & digniora ad ornandum altare quoppiam paramenta, quàm Crux, Sanctiſſimum Sacramentum, & liber Evangeliorum?

Probato nunc modo uno certitudinaliter, & altero probabiliter, quo pacto Corpus Chriſti in Sacramento fruitur, & fruetur in ſempiternum æternitatis attributo; Demonſtrandum reſtat tantum, quomodo idem Corpus, amore noſtri præſens in Sacramento, eandem ſe manducantibus communicet æternitatem. Hoc ſecundariò mihi incumbit, & eſt difficillimum omnia noſtra concomitans aſſumpta: Verum ex hoc omni difficultate vacat, quod ipſe Chriſtus tam clarè & expreſsè illud aſſeverando hanc nobis veri-
Joannis 6. v. 59. tatem indubitatam reddat; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Non cogitavit Adam, quod nec ipſe, neque filii ejus tale eſſent oraculum habituri, quando viam arboris vitæ, ab uno Cherubim gladio ignito defenſam vidit, ad impediendum protinus ne de fructu hoc comedendo, viveret in æternum: *Collocavit ante pa-* Gen. 3. v. 24. & 22.
radiſum Cherubim, & flammeum gladium, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Ne fortè ſumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum. Interrogant nunc Expoſitores, utrum Cherubim iſte adhuc cuſtodiat id quod cuſtodiebat: & ſi minus, quando recondiderit & extinxerit flammeum gladium? Communiter reſpondent, aquis & inundatione Diluvii illum fuiſſe extinctum, ipſumque Paradiſum eiſdem una cum arboribus perditum: verum omnia hæc ſunt incerta: ſi Diluvium non evulſit & perdidit oleam unde Columba tulit ramum viridem; quare evulſiſſet & proſtraviſſet arbores Paradiſi, & in ſpecie illam vitæ, quàm Deus voluit cuſtodiri? Si Diluvium idem eodem in paradiſo non ſuffocavit Enoch, quomodo de ſtatione ſua deturbaret Cherubim, qui ex aëre non reſpirat, neque ſuffocatur aqua? Et ſi ille, juxta ſatos Authores, non tantum ab hominibus fructus illos cuſtodiebat, ſed etiam à Diabolo ne illis nos tentaret, quo pacto extingueretur aqua ignis ille gladii, quem ipſi Diaboli magis quam ignem inferni formidabant? Loquantur igitur, vel divinare præſumant, quomodocunque voluerint Interpretes; ego tantum dico, & velut certum affirmo, Cherubim ſuam deſeruiſſe ſtationem, ſuumque recondidiſſe & extinxiſſe flammeum gladium in feliciſſima illa hora, qua ſupremus ruinarum Adæ reparator ſanctiſſimum inſtituit Sacramentum; tunc enim prohibitionis cuſtodiæque finis ceſſavit. Cuſtodiæ prohibitioniſque finis & ſco-

pus erat, ne viveret homo in æternum: *Ne sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Et sicut Christus Sacramentum instituendo omnibus filiis Adæ facultatem dedit, ut manducando viverent in æternum: tunc Cherubim gladio extincto, suam deseruit stationem, & non solùm libera facta est arboris vitæ via, sed ipsa arbor per totum transplantata mundum, ut sicut omnes ob comestionem condemnati fueramus ad mortem, non alio modo, sed etiam comedendo, vivamus æternùm: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

§. VI.

IN implendis tribus istis Divinitatis vacuis valde excurri; & quoniam quatuor adhuc nobis restant; quantum materia patitur, ad brevitatem ea restingere necesse est. Quartum vacuum est immortalitas mortalis effecta; Quintum impassibilitas passibilis facta: de ambabus igitur illis, eandem ob rationem, & quia sibi sunt tam vicinæ & conjunctæ simul tractabimus. Dico igitur, quod si in Incarnatione immortalitas divina suo modo facta est mortalis, & impassibilitas passibilis; Corpus Christi in Sacramento taliter ista duo supplevit & implevit Divinitatis vacua, ut corpus naturaliter existens mortale, & passibile, evaserit immortale, & impassibile.

Inter tot Sanctissimi Sacramenti figuras, quæ leguntur in scriptura, & præcesserunt; primam nobis proponit Ecclesia Sacrificium Isaaci: *In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur.* Sed considerata bene historiâ de Isaaco adeò notâ, illâ Sacramentum repræsentari non posse videtur, siquidem verè sacrificium non fuit. Deus Abrahamo filium suum immolare mandavit Isaacum, quo altari jam imposito, gladioque evaginato, & inter ictum gutturque filii duorum tantum digitorum distantia suspenso, Deus Patris manum continuit. Ergo tam ictus, quàm Sacrificium in aërem simul evibrata. Quod etiam Deus comprobavit; siquidem eodem loco & instanti aries apparuit vepribus inhærens cornibus, in quo Abraham ictum executus, & hic mortuus & sacrificatus fuit. Si igitur ariete mortuo, Isaac supervixit: quonam pacto Isaac Sacrificium Christi præfiguravit? Hanc ipsam ob causam, & proprietate non imaginabili. Christus non una tantum, sed bina vice fuit immolatus. Semel in Cruce, & alterâ vice in Sacramento: & prius quidem in Sacramento, & posteà in Cruce: Quemadmodum prius immolatus fuit Isaac, & posteà agnus. Agnus passus est mortuus, quia Sacrificium Crucis præfiguravit, in qua naturale Corpus Christi velut mortale & passibile, passum est & mortuum: Isaac verò Sacrificii altaris figura fuit, idcirco Sacrificatus, nec mortuus est, nec passus, Corpus quippe Christi in Sacramento immortale & impassibile existit. Præclarè hoc Rupertus asseruit: *Christus immolatur, & tamen impaßibilis permanet & vivus, quemadmodum illic Isaac immolatus, & tamen gladio non est attactus.* Si in Isaac ictus executioni fuisset datus, & ipse mortuus Crucis Sacrificium figurasset, in quo naturale Christi Corpus mortuum est & passum: sed quia super impositus altari nec passus est nec mortuus; hinc Sacrificium altaris præfiguravit, in quo Corpus immortale & im-

Ecclesia.

Rupertus ibid. 6. in Gen. cap. 32.

impaſſibile conſervatur : *impaſſibilis permanet & vivus.*

Omnipotentia Verba, quibus Chriſtus miraculoſum adeò myſterium inſtituit & operatus eſt, fuerunt iſta : *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Enim verò quare Chriſtus non dixit, quod pro vobis morietur, vel crucifigetur, ſed *tradetur*? Verbum *tradetur* ſignificat traditionem mediante proditione, & talis fuit illa Judæ, quâ idem Corpus tradidit Judæis, ſemel in quantum Corpus naturale, & iterum in quantum Corpus in Sacramento. Multi graveſque Doctores, quos inter D. Thomas, autumant, quod, Chriſto omnibus dicente Apoſtolis, *Accipite & manducate*, Panem conſecratum Judas in manus ſumpſerit, ſed non comederit; porrò ut ſciamus quid illo egerit, addit Theophilactus, quod illum abſconderit, & ad Principes Sacerdotum detulerit, cum ipſis de venditione negotians: *Panem accepit, & non comedit, ſed occultavit, ut manifeſtaret Judæis, quod corpus ſuum vocaret.* Poſt primam proditionem & traditionem à Juda factam, ipſe ſecundam eſt executus, quæ fuit captivitas in horto. Quo ſuppoſito, interrogo: quanam ratione, quove myſterio Chriſtus Corpus ſuum binâ vice Judæis tradi voluit, ſemel in ſtatu naturali, & ſemel in Sacramento? omni procul dubio; ut utroque modo in inimicorum ſuorum verſaretur manibus, donec ipſimet, rabies ipſorum & odium, & manus experimento ſcirent, quid in Redemptoris Corpus poſſent vel non poſſent, qui hoc fine eorum ſe manibus tradidit.

Theophilact.

Et quod duo iſti effectus immortalitatis & impaſſibilitatis, nobis communicentur in Sacramento, unum ex potiſſimis inſtituendi motivis probat, quantum ad immortalitatem. Quemadmodum Deus homo factus mori voluit in arbore Crucis, ut ultionem ſumeret de Diabolo, qui arbore alia homines primos deceperat: pari ratione infinita ſua adinvenit ſapientia & omnipotentia ut ſe manducaremus in Sacramento, ad continuandam conſummandamque vindictam eandem, duo in ipſo verificans mendacia, quibus idem Diabolus fructus illius attribuerat & divulgaverat virtutem. Quod Diabolus promiſit Evæ, fuit, quod comedendo de vetitæ arboris fructu, non ſolum non morituri, ſed Dii futuri eſſent: *Nequaquam morte moriemini, ſed eritis ſicut Dii.* Eja, ſic Diabole, ait Chriſtus: idipſum enim quod tu mentiendo finxiſti, ego verificabo hujuſmodi cibi genus adinventurus, de quo comedentes homines non Deificentur tantum, *ſicut Dii*: ſed etiam immortales reddantur, *nequaquam morte moriemini.* Ita illud ſuo tempore fecit Dominus & hanc ſuam intentionem declaravit tam expreſsè dicens: *Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* Ita nullus dubio relinquatur locus, quin Corpus Chriſti manducatum, quatenus in Sacramento immortale & impaſſibile exiſtit, ex duobus iſtis attributis ſupremis nobis communicet primum, quod eſt immortalitas.

Gen. 3. v. 4. & 5.

Quantum verò ad ſecundum, quod eſt impaſſibilitas, conſulendo experientiam illud difficilius reddere videtur. Ex omnibus hiſtoriis Eccleſiaſticis conſtat, quod imperantibus Nerone & Diocletiano, educti ex carceribus & ergaſtulis Chriſtiani, vel ad venerandum Idola, vel atrociſſima,

ſub-

ſubeundum tormenta, Davidicæ illius memores ſententiæ, *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me*; Primo ſanctiſſimo ſe præmunierunt Sacramento. Hoc pacto præmuniti tam periculoſa auſpicabantur certamina, ſic decertabant, ſic vincebant: ſed tam miris & diverſis vincendi modis, ut ipſa victoria, vim virtutemque armorum in dubium vocâſſe videatur. Martyrum nonnulli ſpinis tanquam floribus inambularunt: alii ad quemlibet paſſum tot ex perforatis plantis emittebant ſanguinis fontes, ut ſpinarum numerum æquarent: alii ligato ad collum ſaxo in mare projecti ſub undis reſpirantes ad litora exibant vivi, alii moriebantur aquis præfocati: Aliis laminis ardentibus appoſitis, ſeu in fornacem injectis læſionis nihil inferebat ignis; alii exuſti in cineres abierunt: Hi in Amphitheatris Tygridibus & Leonibus objecti venerationem à feris accipiebant; alii in fruſta dilaniati voracitate ferina abſumebantur: Hi in Equuleis, in Cataſtis, in craticulis extenſi eridebant Tyrannos; alii nomen Dei invocabant, pro quo patiebantur, quem conſtanter ore confitentes Spiritum exhalabant. Si igitur omnes ſanctiſſimo præmuniti & obarmati Sacramento decertabant, quo pacto quibuſdam impaſſibile Corpus Chriſti communicabat, impaſſibilitatem ſuam non permittendo ut paterentur; aliis verò minimè, illos pati ſinendo?

Reſpondeo Diviniſſimum Sacramentum hos & illos, utroſque feciſſe impaſſibiles, ſed miraculo differente: aliquos impaſſibiles per impaſſibilitatem, alios impaſſibiles per patientiam. Auſcultate quendam eorundem Tyrannorum, & quidem maximi, ſcilicet Neronis præceptorem: *Ferte fortiter adverſa: hoc eſt quo Deum antecedatis*, inquit Seneca: Et quare? *Ille extra patientiam eſt, vos ſupra patientiam.* Quantum ad excedere Deum, Seneca velut gentilis loquitur: De impaſſibilitate patientiæ audiamus SS. Patres. S. Petrus Veronenſis in Quæſtionem vocavit, utrum impaſſibilis vocanda eſſet fortitudo, tam conſtanter patiens, ac ſi non pateretur. *Incertum eſt, utrum impaſſibilis vocetur, cum aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inveniatur.* Veruntamen S. Joannes Chryſoſtomus, ſuper iſta Verba S. Pauli, *omnia ſuffert* non ſub dubio, ſed propoſitione certa & evidente affirmat, ita patientem & ſufferentem, ab homine paſſibili, ad impaſſibilitatem jam tranſiiſſe Angelorum: *Tranſiit ad ipſam Angelorum impatibilitatem.* Proinde per impatibilitatem facit, ut non patiantur, vel per patientiam, quemlibet tam fortem & invincibilem, acſi non pateretur: Corpus Chriſti in Sacramento ſe manducantes impatibiles reddit. Porrò pro primæ & ſecundæ prærogativæ conformatione ſervire poterit id, quod de eodem Sacramento pronunciavit David: *Panem Angelorum manducavit homo.* Si Angeli non conſecrant, neque comedunt, neque conſecrare, neque Divinum hunc panem conſecrare aut comedere poſſunt, quomodo convenire illi poteſt nomen panis Angelorum; niſi quod immortales & impaſſibiles reddat illum manducantes, quaſi Angelos?

Seneca.

I. Cor. 13. v. 7.

Chryſoſt.

Pſal. 77. v. 25.

§. VII.

SExtum maximumq; Divinitatis Verbi vacuum in Incarnatione eſt infinitas, quâ, cum per naturam eſſet infinitum, factum eſt finitum. Verum enim

verò

verò etiam vacuum istud Corpus Christi in Sacramento supplevit, & admirabiliter implet. In omnibus & singulis Hostiæ particulis etiam minimæ quantitatis integrè totum Christi Corpus continetur. Agedùm Philosophus hic interrogare libeat, quot sint quantitatis partes ? celebriores duæ opiniones concordant, quod sunt infinitæ ; solumque discrepant, in quo genere infinitatis: quidam enim sustinent, quod actualiter sint infinitæ, quod infinitum vocatur Cathegorematicum; alii admittunt tantummodò, quod sint infinitæ potantialiter, quod infinitum vocatur Syncathegorematicum. Quoniam verò secunda hæc opinio est communior, partesque quas in hoc infiniti genere admittit minùs infinitæ nequeunt esse, quàm in altero, illi me conformando, ita dico cum Aristotele: *Infinitum est, cujus semper aliquid extra licet accipere:* Id est, infinitum juxta quod definit Aristoteles, est illud, cujus partes quantumcunque divisæ, in alias adhuc partes semper dividi possunt. Cùm igitur Christi Corpus totum sit in Hostia tota, & totum in qualibet, quantumcunque minima ejus sit parte, & cùm potentialiter in eadem etiam Hostia tot partes quantitatis contineatur, quæ quantumcunque dividatur, semper magis ac magis in infinitum dividi potest: probè sequitur pro ut omnes concludunt Theologi, Corpus Christi in Sacramento, non finitum, sed infinitum existere. *Arist.*

Enimverò quamvis veritatem hanc sensûs non assequantur, imò in ea decipiantur, uno eodemque exemplo id peregit Christus, ut illam gustus probaret, illam manus palparent, utque oculi illam viderent. Pavit quandoque Dominus idem hominum millia quinque (excepta mulierum parvulorumque multitudine, siquidem integræ familiæ eum sequebantur) quinque tantùm panibus, taliter auctis, ut omnibus satiatis; Apostoli duodecim cophinos residuis impleverint fragmentis. Quonam verò modo tantum accrevit tantilla panis quantitas?

Frangentis fragmenta
Succedunt, & fallunt semper perfracta frangentes:

Crevit illa panis quantitas, cùm esset tam modica, inquit S. Hilarius, quia quantò magis dividebatur, tantò magis & magis multiplicabatur, acceptum in sacrosanctas manus panē Christus divisit, quātoq; magis illum dividebat, tantò magis in manibus Christi augebatur: tradidit illum Christus Apostolis, quantòq; magis Apostoli illum dividebant, tantò magis in Apostolorum manibus crescebat: tradebant illum Apostoli manibus parentum, qui illum dividebant, tantòque magis in virorum manibus crescebat: Patres illum tradebant matribus, matres illum dividebant, tantòque magis in manibus augebatur mulierum: matres illum porrigebant filiis, dividebant eum liberi, tantòque magis in manibus crescebat parvulorum: hoc pacto diviserunt & comederunt omnes; & quia panis quantò magis dividebatur, tantò magis & magis multiplicabatur; Hinc cùm esset tam parum, superfuit tam multum, & si numerus hominum fuisset major, multò plus superfuisset. In tantùm, ut quando Apostoli inter se partiti sunt mundum, si quilibet secum suum tulisset cophinum, opus non fuisset agricolæ colere terram, nec seminare, nec metere, nec colligere; siquidem illa ipsa toties divisi panis residua fragmenta, magis *S. Hilar.*

gis magisque semetipsa dividentia toti sustentando mundo sufficerent.

Porrò ne quis dubitet, quin magis magisque dividendo panis creverit: miraculum hoc cum alio miraculo combinemus. Occasione alia, alioque in deserto pavit idem Christus septem panibus quatuor hominum millia, & collectis residuis fragmentis impleti sunt septem cophini. Exiguum quid requiritur scientiæ arithmeticæ ad expendendam horum numerorum differentiam, in utroque casu. In primo casu plures erant pasti panibus paucioribus; Pastorum enim virorum erant quinque millia, exceptis mulieribus & parvulis, & panes fuerant quinque. In casu secundo, comedentes fuerant pauciores, & panes plures; Pastorum quippe fuerunt quatuor millia, & panes septem. Ergo juxta sanam Arithmeticam ratiocinando sequitur, plus in hoc secundo, quàm in primo superesse debuisse miraculo. Quanam igitur ratione pluribus comedentibus, & paucioribus panibus plus superfuit: & paucioribus comedentibus, & pluribus panibus superfuit minus? ratio patet manifestè, ut dixi; ex frequentiore enim divisione, majus nascebatur incrementum seu augmentum, In miraculo primo, sicut comedentes erant plures, & panes pauciores, frequentiore opus fuit divisione, ex qua panis accrevit: In secundo, quia comedentes erant pauciores, & panes plures, minor numero suffecit diviso, & hinc minus subsecutum fuit incrementum & augmentum. Quid verò Christus Dominus evidentia hac tam sensibili, oculis, manibus, gustuque adeò perceptibili intenderit, seu insinuare voluerit, S. Paulinus egregiè respondet: *Populos Christus quinque panibus implevit, esurientes fidem carnaliter satians, spiritualiter irrigans.* Miraculum quinque panum fuit prologus, quo Magister divinus animos hominum ad fidem Sacramenti corporis sui disponere sategit; de quo eadem occasione tam largè & latè tractavit, ut omnia quæ docet Ecclesia, ipsumque Evangelium quod hodie cantat, aliqua tantùm particula doctrinæ illius existat. Idcircò fecit Christus, ut panis adeò modicus, sensibiliter & palpabiliter semper magis atque magis inter dividentium manus cresceret, ne credere hæsitarent, quin in tam exigua quantitate simili Hostiæ, comprehendi tota magnitudo alicujus infiniti sine fine, quodque non finitè tantùm, sed infinitè in ea corpus suum consisteret. De hac infinitate dixit S. Thomas: *Esse Christum in Hostia semel in actu, infinities in potentia.* Christus enim totus in tota Hostia, & totus in qualibet ejus parte existens, illis actualiter divisis, actualiter etiam erit in omnibus, semperque magis ac magis sine fine; quia est infinitus.

S. Paulin.

S. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. explicatus à Suarez in 3. part. dist. 48. sect. 1.

Cùm igitur hæc infinitas manifesta, sit illa, qua Corpus Christi in Sacramento infinitatem Verbi in Incarnatione absconditam supplevit: sciendum tantùm restat (quod non videtur facile) quo pacto eandem etiam nobis communicet infinitatem? Dico Christum nobis in Sacramento Corporis sui infinitatem communicare, faciendo, ut quemadmodum cibus, quem manducandum nobis præstat, est infinitus, sic etiam fames sit infinita, vel nos fame infiniti, quâ illum comederimus: cibus syncategorematicè infinitus, & fames similiter syncategorematicè infinita. Spirit.

S. cap.

S. cap. vigesimo quarto Ecclesiastici expressè asserit: *Qui edunt me adhuc esurient, qui bibunt me adhuc sitient.* Christus in Hostia suum nobis præbet Corpus ad manducandum, & in Calice Sanguinem suum ad bibendum: idem verò Corpus talem in manducantibus famem, idemque sanguis talem in bibentibus excitat sitim, utramque syncathegorematicè infinitam, ut comedentes quantò frequentiùs comedunt, tantò magis atque magis comedere desiderent, *Qui edunt me adhuc esurient*: Et sanguinem bibentes, quantò frequentiùs bibunt, tantò amplius & amplius bibere appetant; *Et qui bibunt me, me adhuc sitient.*

Eccl.24. v.29.

Divinum hoc Sacramentum cibus non esset cœlestis, nisi hosce tam contrarios terrestribus operaretur effectus. In cibis terrestribus (inquit S. Gregorius) fami succedit comestio, comestioni saturitas, & saturitati fastidium succedit: *In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat*; In cibis vero cœlestibus, licet fami succedat comestio, & comestioni saturitas, saturitati non fastidium, sed rursus fames succedit: *In istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit.* Ex quo sequitur, (concludit Sanctus) quod qui plus, & quantò quis plus inde gustavit, tantò major atque major fames & appetitus accenditur: *Tantòque amplius à comedente esuriuntur, quantò amplius ab esuriente comeduntur.* Notate repetitionem & connexionē utriusque: *Amplius ab esuriente, amplius à comedente*: Nam comestio & fames successivè & reciprocè, altera alterā parit. Et ab hoc *Amplius & amplius*, quod semper crescendo finē habere nequit, comedentiū formatur infinitum: sicut enim illud Amplius & Amplius famis, excepit illud Amplius & Amplius saturitatis; Et Amplius & Amplius saturitatis, Amplius & Amplius famis; vel satiatos hosce & famelicos non comedere, vel si comedunt, amplius & amplius in infinitum comestionem illam continuare necesse est. Miraculum deserti habuit finem; nam superfuit panis, & defuit fames: superfuit panis, *superaverunt fragmenta*: defuit fames, *saturati sunt*: Sed in miraculo Sacramenti, nec panis superesse potest, nec fames deesse. Fames deesse nequit, quia oritur de pane; & panis superesse nequit, quia fames de illo nota ipsum comedit: Et hinc neque miraculum, neque fames, neque panis, neque comedentes, unquam finem accipere possunt, nec fieri potest quin infinitatis modum participent, quem Corpus Christi in Sacramento obtinet. Præceperat Deus ut in Altari suo semper arderet ignis: *Ignis in Altari meo semper ardebit.* Levit. 6. v. 12.

S. Greg. hom. 16. in Evang.

Et quare? *Quia ignis nunquam dicit sufficit*: Et sicut materia Altaris erat inconsumptibilis, & ignis ea sustentatus insatiabilis: nec insatiabile vorans, nec inconsumptibile esui expositum non infinitum esse valebat: *In Altari meo semper ardebit.* Porrò Mysterium istud in Altaris Sacramento fuit verificatum, tam quoad Corpus, quàm quoad sanguinem Christi. Cùm enim illum comedentes insatiabiliter eum esuriant, & bibentes insatiabiliter eum sitiant: nec comedentibus fames, nec bibentibus sitis deesse potest: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.*

Prov. 30. v. 16.

§. VIII.

Ultimum deniq; attributum, quo carnem inducendo Verbum sese exuit,

fuit divinitatis invisibilitas, ex invisibili se faciens visibile: Quod Baruch Propheta prædixit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Idcircò Joannes Evangelista dicto, *Verbum caro factum est*: Mox adjunxit, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Verùm si Verbum nostro se vestiens corpore, nostrisque visibilem se exhibendo oculis de invisibili factum est visibile, idem corpus ad recuperandam invisibilitatem in Incarnatione perditam, jam visibile & visum, nostris sese denuò abscondendo & velando oculis, iterum factum est invisibile in Sacramento. Hæc prima assumpti nostri pars probatione non indiget; invisibilitas enim tantùm non videndo videri potest; uti nec nos eundem videmus Christum, quem nihilominùs magis præsentem credimus ac adoramus, quàm si præsentem oculis intueremur. Secundam verò assumpti partem, qua hucusque demonstravimus, quod non solùm Christus easdem divinitatis exinanitæ proprietates sibi recuperet in Sacramento, sed etiam communicet nobis: quo pacto, quæso, hoc verificari & probari potest in invisibilitatis attributo? si in alio pertractaretur loco, foret difficile; verum in hoc, in quo stamus, est evidens.

Baruch. 3. v. 38.

Sponsa sancta in Sacramento loquens de Christo, absconditum illum & invisibilem, post illum accidentium parietem asserit: *En ipse stat post parietem nostrum.* Ita locum hunc communiter intelligunt Interpretes. Agite illum nunc parietem, & hosce intuemini parietes, post parietem illum stat sponsus: hos inter parietes stant sponsæ: ibi Sponsus invisibilis, hîc etiam invisibiles sponsæ. Quænam, amabo, major, rigorosiorque invisibilitas, quàm illa, quæ non uno die, neque multis, sed semper, mundi negatur & absconditur oculis? Talis est invisibilitas Christi in Sacramento, similisque illa sponsarum ejus. Hac energia accommodatissimè sponsa accidentia illa parietem nuncupavit: *Post parietem nostrum.* Poterat illa vocare velum, poterat illa vocare nubem. In templo Hierosolymitano, propitiatorium, quo præfigurabatur Christus, invisibile reddebat oppansum sanctuario velum: *Sanctuarium quod est intra velum*: In monte Oliveti similiter Christum ascendentem in cœlum oculis Discipulorum subduxit nubes: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Si itaque illa Hostiæ accidentia oculis nostris subducunt, invisibilemque in Sacramento faciunt Sponsum, ut quid ea non vocat Sponsa, velum aut nubem, sed parietem, *post parietem*? Quia velum potest ad & reduci, & nubes mutari; paries autem impedimentum est stabile, immobile, & immutabile. Et hoc modo in perpetuum, illi inclusus parieti, & his inclusi parietibus sponsus & sponsa, humanis semper obtutibus absconduntur.

NB. Alludit ad parietes Conventus Monialium de incarnat. ubi prædicat.

Levit. 16. v. 12.

Act. 8. v. 9.

Propheta Isaias loquens cum Christo in Sacramento, ait: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Et de Mysterio Incarnationis loquens absconditam concepturam inquit: *Ecce abscondita concipiet.* Sic legitur in originali hebraico, in qua lingua abscondita & Virgo idem significant. Christus, Deus absconditus in Sacramento; & Virgines Christo consecratæ absconditæ in Incarnatione. Nec mirum cuiquam videri debet, quod sub hoc sacro nomine, jam tum exemplar fuerit Virgo Virginum posteà secuturis: *Adducentur Regi Virgines post eam.* Et cùm simul-

Isai. 45. v. 15.

Isai. 7. v. 14. — Text. Heb.

Psal. 44. v. 15.

mul in ultimo Divinitatis attributo, à Christo in Sacramento recuperato, & generosis hisce animabus communicato, quæ amore ipsius invisibiles sese fecerunt, aliud coronidis loco accommodare nequeam, nisi illud S. Pauli, *Mortui estis,* Coloss. v. 3. *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:* Estis mortui, inquit Apostolus, *mortui estis*, neque nimium dicit; quia vitæ quatuor inclusæ parietibus, nec visæ, nec visibili quodnam aliud proprium magis congruit nomen, quàm mortuæ & sepultæ? Hoc modo Job sepulchri sui statum exaggeravit non tantùm per sepultum, quantùm Job. 7. per invisibile, *Nec aspiciet me visus hominis.* q. d. Jam nunquam me videbunt oculi hominum. Sed quamvis ista vestra vita, eò quod invisibilis & abscondita, aliis videatur mortua & sepulta, vos pro vestra considerate consolatione, ubinam & cum quo sit abscondita: abscondita cum Christo, & abscondita in Deo: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Est abscondita cum Christo, nam etiam Christus absconditus est in Sacramento: & abscondita est in Deo; quia quantò magis oculis subducitur hominum, tantò magis in ipsam intendunt oculi Dei. Porrò cum hoc tanto possit esse solatio, majore adhuc sanctus Paulus concludit: *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in Gloria.* q. d. Christus qui nunc vita est vestra, & ibi sicut vos est invisibilis & absconditus, veniente ultimo die, visibilis toti apparebit mundo & videbitur! Tunc vos quoque apparebitis, & videbunt oculi hoc quod illis nunc negatis, quàm pretiosum, gratumque oculis sit divinis, qui soli vos vident, invisibile hujus clausulæ: quemadmodum enim nunc Christum in sua imitatæ estis invisibilitate, sic ille visibiliter in oculis totius mundi vos sua ipsius coronabit gloria: *Et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

§. IX.

Sermo hic finem acciperet, nisi tam universalis dies & celebritas, unum ad omnes verbum exigeret. Si Corpus Christi implet vacua divinitatis, quantò magis implebit vacua nostræ necessitatis? omnia creavit Deus vacua, sed mox implevit omnia. Vacuam creavit terram; *Terra autem inanis erat & vacua*; Sed statim eam implevit ab intus thesauris, ab extra plantis & animalibus. Vacuum creavit cœlum; sed mox illud ab intus implevit Hierarchiis Angelicis, exterius Sole, Luna & Stellis. Vacuum creavit mare & aërem; sed aërem tanta implevit varietate volucrium, & mare tam infinita multitudine piscium. Vacuos creavit Deus primos homines velut lutea vasa; sed mox eos originali implevit justitia, totque aliis dotibus & gratiis. Tam naturale divinæ est bonitati, uti fuit, est, & erit semper eadem ad implenda creaturarum suarum vacua: & sic necessitatis paupertatisque nostræ implebit vacua, longè melius quàm oleum Elisæi, quotquot demum fuerint, *vasa vacua non pauca.* 4. Reg. 3. v. 43.
Olim in lege rigorosiore vetuit Deus ne quis vacuis manibus coram se appareret: Exod. 32. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Hodie v. 15. verò in lege gratiæ omnes nos exhortatur Christus ipse, ut non solùm vacuas exhibeamus ipsi manus, sed etiam, multòque ampliùs corda & desideria: ut ea nobis abundantissimè impleat, eò quòd ille melius sciat dare quam nos petere. Fratres Josephi in Ægyptum profecti ad emen-

emendum panem, saccos attulerunt vacuos, quos retulerunt plenos reimposito simul pretio; panis enim hic divinus illo repræsentatus, panis erat gratis datus. Et mediante Incarnatione Christus noster jam frater factus, Josephi benignitatem non adæquaret, nisi recurrentes ad liberalitatis suæ eodem contenta pane cellaria plenos divitesque dimitteret in omnibus, quæ nostra ipsi necessitas vacua exhiberet. Accedite, accedite, (inquit S. Th. Archiepisc. Valent.) accedite, inquam non ad hunc fontem, sed ad hunc immensum gratiarum oceanum omnibus patentem, omnes desiderantem, omnes invitantem, omnes denique expectantem: & quantumcunque ampla & profunda sint necessitatis vestræ vacua, singula sua adimplebunt usque ad summum, donec plus capere non possint: *Oceanus est gratiarum immensus, vas suum quisque ad summum replet.*

S. Thom. Archiep. de Valentia.

Verùm, tanta fidei nostræ est infirmitas, itaque cœlestia bona vilipendimus, ut nec gratis quidem illa velimus. Auscultate quid ad similes animas Poëta quidam Gentilis exclamet:

O Curvas animas hominum, & cœlestium inanes! q. d.

O animas hominum brutorum adinstar incarnatas & irrationales *Curvas*, quia semper versus terram inclinatæ & incurvatæ inceditis, & hinc bonis cœlestibus vacuæ, & cœlestium inanes! quantumcunque aliqua anima totius terræ, & ad cœlum usque totius mundi dominio gauderet, semper vacua remaneret, quia solus Deus ipsum replere potest. Porrò cùm nos Deum habeamus tam propinquum & vicinum, quot, quæso, animæ hoc nomine indignæ, nonnisi vi adactæ de anno in annum ad ipsum accedunt! Ipse se panem vocavit quotidianum, ut quotidie illum manducaremus more primorum Christianorum; & ad illa devenimus tempora, quibus magnæ pietatis & devotionis loco habetur singulis mensibus communicare; Eheu quàm benè nec istud facientibus quadrat, illud Job. *Sic* Job. 7. v. 3. *& ego habui menses vacuos!* Cùm dies oporteret esse plenos, etiam menses sunt vacui! transit mensis, & mensis; transit Jubilæum, & Jubilæum; & non attenta gratia (ac si nec fides, nec alia vita, nec infernus superesset, nec purgatorium) neque gratiarum convenientia, non permittunt vobis vitia, quibus nostræ plenæ sunt animæ, ut mediante contritione & confessione eandem vacuam huic mensæ exhibeamus.

Agedum, animabus nostris vacuis peccato (si Christiani simus, & deinceps esse volumus) quilibet nostrûm id omni cura agere debet, ut duo præstet: primò animam suam impleat gratia, ne sit vacua; secundò gratiam operibus Christiano dignis impleat, ut in eadem perseveret. Quanam ratione, quove defectu contingit, quod confitentes & communicantes, & hoc medio gratiam Dei sibi conciliantes, multis diebus in gratia non perseverent, & eodem quandoque die illam perdunt? non aliunde, quam, licet animam repleamus gratia, gratiam non implemus operibus, sine quibus illa permanere non potest. Expendatur ut oportet & ponderetur, quod S. Paulus de se dicens, nobis persuadere satagit. Apostolus hic in cœlum raptus, & inde reversus, nobis consulit, ne gratiam vacuam habeamus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: & 2. Cor. 6. v. 1. de se affirmat, gratiam se nunquam habuisse vacuam, ideoque semper in ea per-

1. Cor. 15. v. 10. permansisse; *gratia ejus in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet.* Cum gratia tam contraria sit naturæ, in hoc tantum gratiæ similis videtur natura, vel gratia naturæ. Natura nulla ratione vacuum admittit; unde natum adagium, Ex addit. Eccles. *non datur vacuum in rerum natura.* Et hinc Philosophicè deducitur, quare in Elementis, & mixtis, vel spontaneè & seipsis prodeuntes, vel arte cogente tot productos videmus effectus, qui miraculosi videntur, & nonnisi naturales existunt. Videmus ascendere aquam & terram; videmus descendere aërem & ignem; videmus disrumpi marmora, & dissilire æra, eo tantum fine omnia, ut impediant Vacuum, quod si daretur in natura, mundus id esse videtur. Idem eveniret (& evenit) gratiæ, si in ea daretur vacuum; & hinc pro viribus omnibus istis resistendum est, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Si gratia ipsius nunquam in nobis vacua fuerit, sicut in S. Paulo, *gratia ejus in me vacua non fuit*: etiam in nobis, sicut in illo semper permanebit: *& gratia ejus semper in me manet.*

Denique si à me discere desideretis, quonam pacto gratia semper plena, & non vacua sit futura? Respondeo implendo vacua, quæ in anima occupabant vitia, primò actibus, & postmodum contrariis virtutum habitibus. Locum superbiæ in animabus nostris occupet humilitas; intemperantiæ succedat puritas; invidiam expellat charitas, locum iræ subeat mansuetudo, Gulam ejiciat sobrietas; ambitionis locum sibi vendicet mundi contemptus, vindictam exturbet injuriarum facilis condonatio; odii locum, occupet amor proximi, licet maximus sit inimicus. Verbo tandem, quantumcunque corrupta, & habituata natura repugnet: ut leve sublimeque descendat, infimumque ac ponderosum sursum ascendat: Hoc modo toti nos nostri conformabimus Exemplari Assumpti, Deum imitantes in Incarnatione, qui ad assumendas Corporis nostri conditiones descendit; & Christum in Sacramento, cujus Corpus ad participanda Divinitatis attributa ascendit; quibus nos utique gaudentes fruemur in mensa gloriæ, ejusdem Panis adjuti Gratiâ, qui, ut nos ascenderemus, de cœlo descendit. *Hic est panis qui de cœlo descendit.*

Amen.



SERMO



SERMO
DE
S. GUNDISALVO.

Si venerit in ſecunda Vigilia, & ſi in tertia Vigilia venerit, & ita invenerit: Beati ſunt ſervi illi. *Luc.* 12.

§. I.


Bi multùm requiritur ad eligendum, non poteſt non multum adeſſe, de quo dubitandum. Hodie devotio noſtra celebrat Sanctum, de cujus ſtatu dubitarunt hiſtorici; de cujus profeſſione dubitavit ipſemet ille: de cujus excellentiis, ad eligendas inde, maximas ſeu præcipuas, ego dubito vel maximè. De ſtatu ipſius dubitarunt Hiſtorici, ſiquidem eorum nonnulli, Hierarchiæ ipſum annumerarunt clericali tanquam filium S. Petri: alii ipſum adſcripſerunt inſtituto Monaſtico, velut S. Benedicti Monachum: alii ipſum aſſociarunt Mendicantibus, tanquam alumnum S. Dominici: in hac porrò controverſia glorioſius eſt dubitare, quàm decidere. Simili modo dubitarunt & contenderunt nobiliores Civitates Græciæ, quænam Homeri celebratiſſimi fuiſſet patria. Dubitavit Sanctus ipſe, quanam in Religione magis placitum Deo ſervitium exhibere poſſet; non enim quocunque ſufficit, ſed placito Deo modo & ritu deſervire oportet. Proinde cum petitioni huic multas horas, ferventique orationi multos impendiſſet dies; & quia Sacerdos jam erat, eundem in finem frequentiori Sacrificio Divinæ pietati negotium hoc ſerio commendaſſet; Divinum tandem oraculum illi reſpondit, ut in ordine & religione illa quæ officia Divina à ſalutatione exordiretur angelica, ejus ſeſe manciparet ſervitio. Quo indicio Sacrum Prædicatorum inſtitutum clarè fuit ſignificatum, Sanctus dubium ſuum reſolvit; & cum eodem meum me diſſoluturum ſpero. Ut igitur ritè noſtrum auſpicemur diſcurſum, priuſquam innoteſcat qualis ſit futurus, etiam à ſalutatione matris gratiæ initium fiat dicendo. *Ave Maria.*

§. II.

Si venerit in ſecunda Vigilia, & ſi in tertia Vigilia venerit, & ita invenerit: Beati ſunt ſervi illi.
Luc. 12. *v.* 38.

DUbius, ut dixi, & inter excellentias noſtri Sancti ſuſpenſus, quaſnam tanquam admiratione digniores deprædicandas eligam, præter hoc dubium meum aliud adhuc intricatius in Evangelio reperio. Chriſtus Magiſter Divinus & Dominus noſter, ſervos quos in ſecunda, & ter-

tertia Vigilia veniens vigilantes invenerit beatos dicit. Stylo moreque militibus usitato loquitur; Milites enim illo jam tempore noctem in quatuor vigilias dividebant; de quarum numero adhuc hodie perseverat, quod quartialia, seu in quatuor partes divisæ vocentur. Porrò quia, attestante Jobo, vita nostra militia est in mundo, & in eodem velut in tenebris, & nocti simili caligine degimus, hinc Christus ipse eandem hominis vitam in quatuor partes, sub vigiliarum nomine partitur. Prima pars seu ætas est pueritia, secunda juventus, tertia ætas virilis, quarta senectus. Supposito igitur vitam humanam suo in curriculo in quatuor dividi partes, ut quid Christus primâ & ultimâ relictâ, secundæ tantum & tertiæ meminit, *Si venerit in secunda Vigilia, & si in tertia Vigilia venerit*? Ratio naturalis, quoad vigilias, est, quia in secunda & tertia Vigilia somnus vehementius sensus opprimit, cui majore labore resistitur, unde etiam vigilantiæ difficilior. Porrò quoad vitæ partes seu ætates, similis militat ratio. Quemadmodum enim in ætate juvenili & virili validiores sunt tentationes, sic laboriosior contra vitia existit pugna, difficiliorque virtutum exercitatio & observantia. In prima ætate, quæ est pueritia, mundus non tentat pueros; in ultima, scilicet senectute, jam non tentat senes: Et virtus sine pugna, quæ in pueris est innocentia, & in Senibus veri notitia, quantò tranquillior extra pugnam agit & conflictum, tantò minùs de victoria, solidaque & robusta virtute sibi vendicare potest.

S. Gregor. Nazianz. S. Gregorius Nazianzenus textum hunc cum lege concilians quâ Deus amari se præcipit, aliam non propriam minus & naturalem, sed sublimiorem rei hujus reddit rationem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Luc. 10. v. 27. Ita ut quatuor hisce partibus, & omnibus hisce quatuor amorem Dei constare oporteat, ut ex omnibus quatuor partibus & lateribus legitimè sit qualificatus. Amor ex toto corde, Amor ex tota anima, Amor ex tota mente, & Amor ex omnibus viribus. Hac igitur ratione Christus de secunda tantum & tertia, & nec de prima, nec de quarta quicquam loquitur. Quare verò secundæ & tertiæ vigiliæ seu ætatis, quales sunt Juvenes & viri, & non primæ & quartæ ætatis, scilicet pueros & senes beatos compellat? Sic est, & clarissimè patet. Quia Deus non tantum toto corde, & anima tota, sed tota etiam mente, & omnibus viribus amari desiderat: & quamvis pueri & senes cor habeāt & animam; pueri nondum ratione utuntur, & senes viribus destituuntur: proinde Soli illi secundæ tertiæque vigiliæ, juvenes scilicet & viri omnibus quatuor partibus Deum amare illique servire possunt; vel omnes quatuor simul amore integro & perfecto: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus.*

Hoc modo intellectum Evangelium (sic autem venit intelligendum) ipsum jam discursum in duas divisisse partes, & secundùm illas, de duabus sancti nostri ætatibus primariis, agendum esse videtur: de secunda, quæ in juvenibus floret; & de tertia, quæ in viris jam ad maturitatem pervenit. Cum verò in sancto nostro utraque suam attigerit perfectionem, utraque etiam floribus & fructibus decenter fuit ornata. Sed tametsi hoc ita vi-

videatur aliis, mihi sane, cujus est electio, longè aliud videtur. S. Gundisalvi excellentiæ non sunt tam pusillæ, ut angustis adeò terminis circumscribi valeant. Fluvio de Matre seu scaturigine egresso, ipsæ etiam oræ flumen efficiunt. Non tantum dilatandum est Evangelium, sed ipse quoque vigiliarum numerus multiplicandus. Dico igitur, vel dicere intendo, S. Gundisalvum non secundæ tantùm & tertiæ, sed primæ quoque & quartæ Vigiliæ fuisse Sanctum: immò verò, non primæ solum, secundæ, tertiæ & quartæ, sed etiam quintæ Vigiliæ. Sanctum, & admirabilem Sanctum in prima ætate pueritiæ: Sanctum, & admirabilem Sanctum in ætate secunda Juvenili: Sanctum, & admirabilem Sanctum in tertia ætate virili: Sanctum, & admirabilem sanctum in quarta, scilic. in senectute: Sanctum denique & admirabilem in ætate quinta, id est postquam mortuus, in qua jam quintuplicatos habet annos vitæ. Casu quo sermo evaderet prolixior, devotio vestra facile accommodabit patientiam.

§. III.

UT à prima Vigilia exordium sumat oratio; S. Gundisalvus Sanctus, & admirabilis Sanctus fuit in prima ætate pueritiæ, non enim fuit puer, pueris sed viro similis: Aliis pueris, ut evadant viri, multis expectandum est diebus: S. Gundisalvus ne uno quidem expectavit die, quia quâ natus est die eadem jam vir extitit, & quidem vir magnus in essentia, quamvis pusillus statuta. Propheta Zacharias de nasciture mundi Salvatore locuturus, dicendorum admirationem excitat verbo, *Ecce*: Et non aliud dicit, quam nasciturum, virum nominandum: *Ecce vir oriens nomen ejus.* Porrò si prodigio simile & admiratione seu admirationibus dignum videtur, quod homo simul Deus puer & vir nasciturus esset, *vir Oriens*; quam admirabilis Sanctus censendus erit noster, qui natus non fuit homo puer, sed puer vir? Unus tantum homo fuit in mundo vir natus; & hic fuit Adam, à Deo in ætate staturaque perfecta creatus. Sed unicus iste vir natus, idcircò puer fieri non omisit. Vos idipsum judicate. Non minus quam totum istum mundum suo subjectum Dominio possidebat Adamus: Et vir tantorum Dominus & possessor, quicquid habuit pro uno dat pomo: Ecce hic, an non fuerit puer. Gundisalvus natus est puer, sed puer vir.

Zach. 6. v. 12.

Quando verò magnus iste puer se publicè puerum virum demonstrare cœpit? octavo post Nativitatem die, qui Baptismi sui fuit. Egressus est è Baptisterio, ubi alii infantes nonnisi aquæ algorem sentiunt; & quando nutrix illum brachiis excepit ad fovendum & ubera præbenda; prodigiosus infans pro eo ut lachrymaretur & sugeret, conjectis in Christum Crucifixum oculis, vultu hilari, brachiisque extensis grates ipsi, pro gratia accepta referre visus est. Hoc modo multo tempore non sine circumstantium admiratione & stupore remansit, nullo ipsum à fixa intuitione, & attentâ sacri objecti contemplatione avellere valente. Quis proinde negabit, hoc fuisse, non more infantili, sed viri adinstar baptismum accipere? Baptismum accipiunt, vel adulti qui viri, vel Innocentes, qui sunt pueri: sed cum magna similitudine in Baptismo, & cum magna differentia in baptizatis. Dixi cum magna similitudine in Baptismo; nam hisce non minus atque illis Sacramentum illud gratiam omni-

um-

umque virtutum habitus infundit: in baptizatis autem valde differenter: quia in Innocentibus, virtutum habitus sunt quasi mortificati, absque quod eorum actus exercere possint: in adultis vivunt expediti; quia statim producunt aut producere possunt actus virtuosos, ad quos habitus ipsi inclinant. Manifestè hoc in S. Augustini patuit baptismate, qui triginta trium annorum ætatis baptismum suscepit, & sic ille, uti & S. Ambrosius, qui ipsum baptizavit, etiam ipse in provectiore jam tum ætate, exemplo compositum Hymnum. *Te Deum laudamus*, decantarunt, in quo tot excellentes actus, tamque ardentes continentur virtutum affectus. Hic igitur interrogo. Ad utramne tam differentem baptizatorum classem Sanctus noster videtur referendus? certum est quod non ad illam Parvulorum & Innocentum; sed illam virorum & adultorum. Quia mox, ac si baptismus non solum habitus, sed virtutum omnium infudisset actus non plorando exercuit actum fortitudinis; respuendo ubera, actum temperantiæ; oculos dirigendo, & brachiola extendendo ad Crucifixi imaginem hilaris, actum exercuit prudentiæ, actum justitiæ, actum Religionis, actum fidei, actum charitatis: & eo ipso quòd à devota illa & constante contemplatione eum nequiverunt divertere, actum exercuit perseverantiæ.

Propheta Regius hominem sanctè incipientem, magnumq; futurum Sanctum describens, ait: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* q. d. Similis est tenello & novello arbusto, ad præterfluentem aquam plantato, quod suo tempore fructum dabit. Currentes aquæ sunt illæ Baptismatis: porrò novellæ plantæ iis irrigatæ, sunt baptizati non adulti, sed Parvuli & Innocentes: de quibus asserit Propheta, quod non statim afferant fructum, sed suo tempore illum sint prolaturi. Quare? quia in imperfecto illo naturæ statu, qualis est infantia, quemadmodum lingua impotens est ad loquendum, & brachia fasciis colligata & involuta, sic animæ potentiæ quasi somno ligatæ, inhabiles & impeditæ sunt ad virtutum actus exercendos. Adolescentibus verò, & viribus convalescentibus, solis adinstar ex nubium medio emicantis, intellectus rationisque lumen sese exerere incipit; & hoc tempus est tanquam determinatum à natura, & expectatum à gratia, ut possint producere, producantq; fructus: *Et fructum dabit in tempore suo.* Ita passim cunctis usu venit parvulis. Noster verò exemptus à reliquis limites spatiaque anticipans naturæ, tempus non suum, reddidit suum, temporique non debitos protulit fructus. Prudenter sanè notavit consideratque S. Augustinus, Parvulos ad Baptismum pedibus venire non suis; & credere corde non suo; nec non, quod credunt, confiteri linguâ non suâ: Parvulis Mater Ecclesia aliorum pedes accommodat ut veniant, aliorum cor, ut credant: aliorum linguam ut fateantur. Porrò omnia hæc præstiterunt oculi parvuli nostri in crucifixum defixi. Oculi isti sibi fecerunt linguam, qua confessi sunt fidem: oculi isti fecere sibi cor, quo illam credidere; illi quoque oculi fecere sibi pedes, vel, ut rectiùs loquar alas illas, quibus transvolaruut interstitia inter parvulum & virum, non relicto intermedio spatio. Hoc pacto sanctus noster, etiam publicè, & parvulum simul S. Aug.

Psal. 1. 3.

& virum eodem se tempore ostendit. Cum enim tempus suum non esset, quatenus erat parvulus; quatenùs vir, actibus erat parvulus; quatenùs vir, actibus viro dignus illud suum fecit: *Et fructum suum dabit in tempore suo.*

Non stetit prodigium primo illo die, postmodum quippe majoribus & novis continuatum est circumstantiis: idem enim ille infans, tunc non lacrymatus, modo irremediabiliter plorabat; tunc aspernatus ubera, eò profecit constantiæ, ut nullatenùs ea nunc admittere vellet. In principio lacrymarum & abstinentiarum harum latebat arcanum, donec tandem primi amoris desideria fuisse innotuit. Qua non industria sunt usi, ut à lachrymis abstinere, alimentumque admittere facerent? Deferebant Gundisalvum seu Gundisalvulum ad eandem Ecclesiam, & vix oculos in Crucifixi imaginem conjecerat, & ecce visio hæc mox illi sistebat lacrymas, alimentique fastidium omne auferebat, quo facto contentus & gaudens alimentum percipiebat. Nullum aliud dabatur remedium: Casus profectò rarus, præsertim consulto desuper S. Paulo. Ad intelligendum latens ibidem magnum prodigium, supponendum est hominem duabus constare partibus animali una, spiritali altera; pars animalis duabus constat vitis, vegetativa videlicet, & sensitiva; pars spiritualis, una tantum, rationali scilicet constat. Et quid S. Paulus? omnia de infantulo nostro dictis contraria. Partem quippe animalem spirituali quamvis nobiliori priorem asserit, & spiritalem non nisi post animalem locum invenire: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale; deinde quod spirituale.* Utrumque Apostolus Adami hominis terrestris exemplo confirmat, à quo vitam animalem accipimus, qui prior fuit Christo: & exemplo Christi hominis cœlestis, à quo vitam participamus spiritualem, qui Adamo fuit posterior. Istud quidem docet S. Paulus: Nos verò ad illud, quod in nostro apparebat Sancto progrediamur. Flere vel non flere ad vitam pertinet sensitivam; fletus enim effectus est sensus: sugere vel non sugere ubera, ad vitam spectat vegetativam; nutritio quippe effectus est alimenti: simili modo flere intuendo Christum, nullumque oblectamentum, seu gustum admittere extra ipsum, vitæ rationalis, & vel maximè seu propriè ejusdem vitæ est effectus. Si igitur, juxta quod S. Paulus asserit, prior in homine pars est animalis, & spiritalis posterior, quonam pacto in nostro Parvulo, actiones partis spiritualis perveniebant illos partis animalis; prius quærere & contueri Christum, & postmodum dimissis lacrimis ubera sugere? Quia S. Paulus secundùm ordinariam naturæ infantiæque legem loquebatur, qui prius parvuli, posteà sunt viri: noster verò Sanctus, tanquam ab eadem exemptus lege, & non tanquam infans quà infans, sed tanquam infans & simul vir operabatur.

1. Cor. 15. v. 46.

Hinc pro majore casus nostri stupore sequitur, quod non cessare à fletu, & idem non sugere ubera, nisi posito ob oculos Christo, in Sancto nostro, non animales & infantis, sed rationales & viri fuerint actus. Ad probandam consequentiam hanc maximam, cum fide & Theologia suppono tria: primum, Deum ultimum hominis esse finem: secundum, omnes humanas, & propriè viri actiones ad ultimum finem esse dirigendas: tertium actio-

nes ad hunc finem non directas, quamvis à viro exercitas centenario, non humanas, neque viriles, sed pueriles esse & brutales. Porrò indistinctè dico pueriles seu brutales; æquè enim animalis est actio in puero sugere & flere, quàm sugere & balare in agno. Neque exemplum vel nomen pueri centum annorum novum quid est in hoc casu: pueros enim centum annorum, Isaias Propheta vocat eos, qui puerorum more operantur: *Puer centum annorum.* Et sicut parvulus noster posito sibi ob oculos Christo, qui ultimus est hominis finis, cessans à fletu ubera sugebat, idem à fletu cessare, & ubera sugere, quæ aliis in pueris actiones sunt animales & pueriles, in ipso rationales erant, & viri. O quàm magnus puer, quàmque magnus vir es, mi Sancte! Idem de se S. Paulus adstruebat: *Cùm essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus sum vir; evacuavi quæ erant parvuli.* S. Gundisalvus magis quàm S. Paulus erat parvulus; nam S. Paulus in ætate jam loquebatur, in qua se parvulum vocat, *loquebar ut parvulus*: Et S. Gundisalvus nondum loquebatur, neque loqui cæperat, nisi duobus ab hinc annis: & quando Apostolus tertii cœli erat parvulus, & operabatur ut parvulus, & ad virilem ætatem multi adhuc deerant anni; non eadem in ætate, sed multò ante, adhuc mutus & totus puer & infans, parvulus noster simul jam vir erat. Ex eisdem ergo S. Pauli verbis, S. Gundisalvus illud auferat *quando autem*, sibique prima & ultima verba applicando dicat confidenter: *Cùm essem parvulus, factus sum vir.*

Isai. 65. v. 1.

1. Cor. 13. v. 11.

§. IV.

QUantùm ad Vigiliam secundam fuit Sanctus, & admirabilis Sanctus, S. Gundisalvus in ætate Juvenili; factus enim annis illis pastor animarum (officium tam periculosum propriæ, quàm utile alienis) sic se impendit uni, ne obligationi deesset alteri, ut satisfecerit utrique. Deerant Prælato novo cani, in Sacerdotio splendor coronæ, & in Prælato dignitatis decor: sed nihil defuit eorum quæ cani significabant, & non infrequenter verificant. Sunt quasi nives, quibus Æthna mons semper obtegatur, sub quibus latent ignes & incendia: sunt velut illa, quæ Magister divinus vocat *sepulchra dealbata*, deforis alba, intus corrupta; esse quoque possunt illi similes arbori, cui jam Sanctum nostrum in sensu sublimi comparavimus. De ea inquit Propheta: *Folium ejus non defluet.* Porrò arbores non mutantes folia æquè virent minorennes, ac annosæ. Quantò verò majore cum indecore in senibus admiranda est viriditas, tantò magis in juvenibus veneranda est maturitas. Veri cani, testimonio Spiritus sancti in prudenti consistunt judicio; & senectus non in capillorum colore, sed in vitæ puritate consistit: *Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Capilli optimi, pessimumque quod unquam fuit caput, illud Absalonis fuit: capilli appendebantur auro in pretio; caput verò omni pondere carebat. Sunt etiam capilli, qui videntur aurei, & sunt argentei deaurati; & illud pessimum inest canis, quod tingi queant. Non tales sunt capilli nigri, qui alium non admittunt colorem. Hinc custos in Eclogis Salomonis, in pastoris sui ca-

Matt. 23. v. 27.

Psal. 1. v. 3.

Sap. 4. v. 8. 9.

capillis unicè laudavit, quod corvini essent coloris: *Coma ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* Cant. 5. v. 11.

Cùm itaque pastorum omnium optimus maximusque sit pastor & juvenis, summo honori Sancto nostro vertendum est, in eadem ætate, juventute scilicet, pastorem fuisse electum. Juvenis erat Abel, & quis pastorum illo religiosior? Juvenis item erat Jacob, & quis pastorum illo vigilantior? Juvenis erat David, & quis pastorum ipso animosior & robustior? Leone (inquit Scriptura) agnum rapiente per caput, pedum ungulis illum è faucibus eruebat: & si illum à pedibus deglutisset, auribus ipsum è visceribus extrahebat. Ætas senectutis nunc generosis adeò & ardentibus actibus nimis est frigida. Grex hominum difficillimè regitur & custoditur. Quadraginta jam annis Moyses sine ullo sui discrimine oves paverat, & duobus nondum elapsis annis, jam hominum pastor factus non nisi Deo protegente, vitam propriam conservare poterat ab eis, quos ipse pascebat. Ille deducebat eos ad bibendum è limpidissimis torrentibus Jordanis; & hi ad turbidas Nili, limosasque Ægypti aquas suspirabant. Maximus hodie in pastoribus notabilis defectus, est ille generositatis. Quam nisi S. Gundisalvus ostendisset ante, non minùs culpâ vacâsset, qui baculum pastoritium illi in manus tradidit, quàm ipse acceptando. Nisi animus tibi sit ad impedienda & arceuda vitia, vultumque verearis potentûm, Judicis, quæsso, ne ambias acceptesve officium: *Noli fieri judex, nisi valeas irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis.* Eccles. 7. v. 6. In mansueto ovium grege etiam inveniuntur habentes cornua, quibus utrimque pugnent, omnes nihilominus timent venerantur que pastorem. Hoc fiebat olim sub Pastoribus Chrysostomis, & Ambrosiis, quamvis potentissimi gregis essent Theodosii & Arcadii. Ni pastores hodie sic attenderent respectibus, majore utique ipsi haberentur in honore. Talis fuit Gundisalvus tametsi juvenis.

Quo tempore suam rexit Ecclesiam, multa de ipso, omnia bono pastori propria narrant Historici. Quod se non operuerit lana ovium, neque lacte, nedum sanguine ipsarum se paverit, referunt: quod patrimonium Christi non multiplicandis famulis, cauibus aut equis, neq; amplificandæ familiæ, exornandisq; parietibus insumpserit, dicunt. Quod reservatâ tantùm sibi frugali, & congrua mensâ, reliqua omnia non velut propria, titulo charitatis, sed velut propria ipsorum titulo justitiæ, pauperibus distribuerit, scribunt. Non solùm auribus eum prædicasse dicunt, sed multò magis oculis; si quidem exempla suæ vitæ animam suæ addebant doctrinæ. Hæc & alia multa historici referunt, sed omnia in genere. Quoniam verò de tempore, quo sanctus noster fuit Pastor, unum tantum in specie referunt casum; ex hoc colligere licebit alios, & ex operandi modo, qualis fuerit, colligemus. Abusus in subjectis S. Gundisalvo parochiis invaluerat, qui, prô dolor! hodiedum adhuc perseverat in aliis, quod excommunicationis metus evanuisset. Erant Gentis illius, quæ invisibilia non credit; magisque sentiebant, & acerbiùs ferebant pœnam quâ mulctabantur in crumena, quàm quâ condemnabantur in anima. Sanctus itaque die quadam pro concione, abusum hunc turpem à fide non minus quàm Religione Christiana alienum

rum demonstraturus, mulierem canistrum panibus plenum ferentem transire videns, ad se venire, canistrumque cum panibus ad pedes suos deponere jussit; quo facto, voce terribili excommunicationis formâ super panes pronunciatâ, qui erant candidi, de repente in carbones sunt conversi. Obstupuêre omnes, & præ cæteris mulier inops, suos panes jam perditos reputans. Verùm enim verò visione tam stupendâ, & conversione tam repentina jam persuasum illis videns, quod intellectu capere nequibant; etiam, inquit Sanctus, ut videatis effectum absolutionis in excommunicatis, verba absolutionis super carbones protulit, eodemq; in momento & modo eodem, in candidos æquè ut fuerant ante, panes sunt conversi.

Utroque demonstrato miraculo, præcepit sanctus Gundisalvus mulieri cum benedictione Domini suum tollere panem. Hîc singulariter considero, cùm non semel, sed bis panis esset miraculosus, duplici ratione Sanctus illum Ecclesiæ applicare potuisset. O tempora! Ego novi pastorem sive parochum, qui excommunicationis seu vi, seu beneficio habuit panem, quo multis diebus suam sustentaret familiam, multò sanè illa S. Gundisalvi numerosiorem. Enim verò cur idem ille non fecit? saltem præcipere debuisse videtur, ut panes conversi in carbones in perpetuam rei memoriam, casusque horrorem asservarentur. Quare igitur panem suum tam numero quàm colore integrum ut ante fuerat, mulieri reddi jussit? Quia non ignorabat bonus, lucrique non avidus pastor, extra rationem esse, impendiis panis alieni mira operari. Quot in hoc mundo videmus miracula, quotque homines miraculorum arbitros, & omnes expensis panis alieni, & neminem sui? Eliam Deus quotidie sustentabat panibus duobus, & S. Paulum primum Eremitam quotidie dimidio: & cùm utriusque miraculi administri essent corvi, semper panis erat de mensa mandantis pasci famelicos, & non aliundè sublatus. Generis istius fuit maximum illud quinque panum miraculum, qui in tot millia multiplicati, ut paverint quinque millia hominum, totque superfuerint cophini fragmentorum. Ista verò fragmenta residua pro quo fuerunt? pro dominis quinque panum, qui fuerunt Apostoli. Simile miraculum jam vidimus, & videmus. Quod heri numerabatur per unum, hodie numeratur per millia & milliones. Sed cujus expensis? eorundem qui materiam præbent, & capitale pro miraculo. Et loco ejus, quod in multiplicatione, & saltem in fragmentis partem habeant, ad suos usque quinque panes eos excommunicant, ita, ut eos perditos potius, quàm lucrari velint; quia in carbones tantummodo conversos illos relinquunt.

Grandis hujus jacturæ, afflictionisque magnæ remedium jam tradidit S. Gundisalvus, si esset qui ab illo discere cuperet. In quo remedium hoc constitit? in convertendo carbones denuo in panes: quemadmodum in carbones ante fuerant conversi. Non consistit perfectio miraculosi in potentia mira patrandi, sed in scientia dissolvendi & in nihilum redigendi. Rationem in nostro habemus casu; ubi enim miracula vergunt in damnum, ad resarciendum miraculi damnum, necesse est ut secundum dissolvat, quod primum fecit. Facta ab Angelo promissione magna Gedeoni etiam pastori, in pro-

promissi confirmationem duo hic ab illo miracula petivit sub hac conditione, ut quod primum, dissolveret secundum. Acceptum igitur ab ovibus suis vellus in medio posuit areæ, dicens: volo, ut decidens hac nocte ros lanam tantùm & non aream madidet: & sic factum est. Die altero, eodem in loco vellere posito, dixit: modò volo ut descendens hac nocte ros in aream, & nullatenus in lanam cadat: & similiter eodem evenit modo. Verùm enim verò quare Gedeon non uno tantùm contentus fuit miraculo, sed duobus; & ut dissolveret secundum, id quod fecerat primum? quia certus esse cupiebat de promissione Angeli, & nosse qualia essent miracula Dei; noverat enim quod cùm ros communis esset omni terræ, Deus non posset unam ejus partem defraudare miraculo primo, quin damnum illi resarciret miraculo secundo. Istud petiit Gedeon; istud fecit Gundisalvus; & nemo istud satagit imitari. Sufficitne omnia in commodum converti particularis & privati, & nihil in usum communitatis: omnia esse pro vellere Gedeonis, & pro area nihil? Ita hoc sine omni æquitate practicant & exequuntur, qui jus sibi vendicant etiam in illud, quod è cœlo descendit: & quantæcunque desuper quærimoniæ in ipsum usque cœlum ascendant, nullus hæc miracula patrantium ea dissolvere curat. Si dedecori sibi ducant, minorisve authoritatis argumentum opinentur, posse dissolvere quod fecerunt, decipiuntur: multò quippe potentiores sese ostendent in miraculo destruendo, quàm illud patrando. Ecce quam clarum hoc in nostro casu (panem convertere in carbones, ignis amburendo efficere potest; carbones verò convertere in panem solius omnipotentiæ est, supra omnem naturæ legem operantis.

In hoc denique miraculo bonus noster Pastor expressit semetipsum, qualis esset ostendendo. Miraculum istud inversum habuit, & directum. Talesque oportet esse, qui regunt homines. Pastorem bonum, non totum seu bonum nimis esse decet: *Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Ps. 17. v. 27. Non omnia iudulgentiam sapere, neque omnia censuram redolere fas est. Excommunicationes habere debet pro rebellibus & contumacibus, & absolutiones pro contritis & pœnitentibus: & tam pro hominibus instar panis candidis, quàm pro nigris instar carbonum. Nosse ipsum oportet, in opus producere, & in nihilum redigere; convertere, & invertere. Deus Nabuchodonosorem in jumentum convertit ex homine; & postea eum denuò ex jumento convertit in hominem. Virga Moysis idem erat baculus pastoritius, quo suas regebat oves. Quas autem qualitates habebat iste baculus? aliquando, ex virga in serpentem, & quandoque vice versa ex serpente convertebatur in virgam. Neque enim ex eo quod lex Christi, lex sit gratiæ, omnia in ipsa gratiam sapere debent. Legis ejusdem Author pastorem supremum S. Petrum instituens hac usus fuit cæremonia, quod cœli terræque claves manibus ipsius traderet. Et cur, quove mysterio claves? quia clavis hac vel illa via versa claudit, seu aperit. Non omnia claudenda, ex severitate; neque omnia reseranda ex nimia benignitate. Pro rei casusve exigentia pessulum aut removendum, aut intactum relinquendum. Veruntamen cum potestatis pastoralis insignia sint claves, jam alia occasione notavi,

non

non dixisse Christum, quod clauseris erit clausum, & quod reseraveris erit apertum; sed quod ligaveris erit ligatum, & quod solveris erit solutum. Et quare? quia Christus vult tales esse suos pastores, qui ligare sciant & solvere, & non homines, qui nec ligent nec solvant. Qui quoniam non ligant, vitiis laxantur habenæ; & quoniam non solvunt, captivæ tenentur virtutes. O si hodie S. resurgeret Gundisalvus, quàm immutata viderentur omnia! sed vereor ne nostra hoc non mereantur tempora, uti nec ejus tempora sunt promerita.

§. V.

QUantùm ad Vigiliam tertiam, fuit Sanctus, & admirabilis Sanctus, S. Gundisalvus in ætate virili: eam enim vix ingressus, ex patria egressus, peregrinus Jerosolymam est profectus ad invisenda sacra peracta ibidem Redemptionis nostræ loca, vitam residuam ætatis illius, in terra sancta, uti fecit, transacturus. Non miror in notabili hac resolutione patriæ derelictionem, ubi amor naturalis fortes illas dulcesque mittere consuevit radices, quæ difficultate tanta eradicantur & evelluntur: sed quando te, mi Sancte, cum baculo pastorali in baculum mutato peregrini, deserentem video & tuas & Christi oves, ad emetiendos venerandosque passus & gressus, quos idem Dominus ad eas pascendas in hac vita mortali confecit, & ad redimendas moriendo absolvit, hoc ipsum nec admirari satis, nec capere sufficio.

Christum semel mutato habitu, peregrini formam assumpsisse novimus: sed quando, & quo fine? eodem Resurrectionis die, quando jam triduo ante dixerat, quod percusso & occiso pastore, dispergendæ forent oves: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*: Matth. 26. v. 31. Quoniam duæ earum errantes, & quasi jam perditæ de Jerusalem pergebant in Emmaus, hujus rei causæ Dominus peregrini habitum assumpsit, ut eas reduceret, suoque denuò gregi associaret. Si igitur Christus tamquam Pastor bonus peregrinum induit, ut erroneas oves de Emmaus in Jerusalem reducat, Quonam pacto Gundisalvus Christum imitaturus peregrinatum in Jerusalem abit, non duas tantùm oves, sed totum sibi tanquam pastori commissum gregem in Emmaus reliquens? Emmaus idem significat, quod, *consilium timens*? Istud verò consilium non solùm timidum, sed temerarium quoque fuisse videtur. Evangelista notat, Emmaus ab Jerusalem sexaginta stadiis dissitum fuisse: *Stadiorum sexaginta*: Luc. 24. v. 13. Quæ nostro metiendi modo tria efficiunt milliaria: Porrò si Christus non est passus, ut à grege sua duæ aberrarent oves duabus leucis, easque per media compita sedulò quæsitum abiit in media via: *Ipse Jesus appropinquans ibat cum illis*: Ibid. v. 15. Quomodo S. Gundisalvus à suis se ovibus subducit & recedit, distantia non minore quàm centum milliaribus, quot Lusitania à Jerusalem distat? ulterius observat Evangelista, eodem die solicitudinem hanc & diligentiam à Christo habitam & adhibitam: *In ipsa die*. Ibid. 13. Si pastor bonus eodem die tam modicam gregis sui partem adeò curat; quo pacto S. Gundisalvus gregem suum totum deserens, tamque peregrè ab eo victurus abit non minore temporis, quam quatuordecim integrorum annorum intervallo?

Si quis tam memorabili Sancti nostri resolutioni excusationis velum oppande-

re satagat, ægrè inveniet, quod satisfaciat. Si dixerimus quod mentis fuerit terram suam commutare cum terra sancta, hæc equidem ratio non sufficit, quamvis videatur pia, ad deserendum gregem cum sit pastor: Quamvis enim terram suam commutare pro terra sancta, esset commutare terram pro cœlo: commutandum esset cœlum pro terra, nedum ad invigilandum toti gregi, sed uni tantùm illius ovi. Quis pastor, inquit Christus centum habens oves, si tantùm vel una erraverit, seu perierit, non relinquit nonaginta novem in deserto, vel vadit quærere perditam? ita fecit Christus; ovis perdita erat homo: nonaginta novem, erant novem Angelorum chori: porrò desertum ubi eos reliquerat, erat cœlum: Et si pastor bonus & verus deserto cœlo venit in terram, ad succurrendum perditæ oviculæ tantùm uni; Quamvis in Gundisalvo terram suam mutare pro terra sancta, fuisset mutare terram pro cœlo, talem commutationem nullatenus facere debuisset; sed deserere & commutare cœlum pro terra, non tantum ad integrum suum conservandum gregem, pro ut dixi: sed ad invigilandum & succurrendum uni tantùm illius ovi. Porrò si obtendere libuerit, quod in terram sanctam instituta peregrinatio, animo & desiderio infideles Mahometanos seu Judæos terræ indigenas seu dominos convertendi fuerit assumpta; Hæc quoque excusatio est insufficiens, & ab exemplo Christi aliena. Apostolis interpellantibus ut clamantem Chananæam, quæ gentilis erat, exaudiret, respondit Christus, commissas sibi oves non

Matth. 15. v. 24. esse Gentiles, sed Israëlitas: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Et huic inhærendo doctrinæ suis mandavit Discipulis, ut nonnisi Judæis prædicarent: *In viam Gentium ne abieritis*. Proinde sicut oviculæ, quas sanctus Gundisalvus in patria, & sua in Ecclesia dereliquerat, erant ipsi à Deo commissæ; tametsi peregrinatio ipsius Jerosolymam versus, ad conversionem aliorum ex paganismo fuisset directa: zelus cum officio ipsius & obligatione collatus, non tantùm non laudabilis, sed omninò illicitus videtur. Matth. 10. v. 5.

Respondeo primo, peregrinationem S. Gundisalvi in terram sanctam, non licitam solum fuisse & laudabilem, sed verè sanctam. Siquidem non spiritu proprio & devotione sua, sed speciali vocantis Dei impulsu fuit assumpta. Videamus casum in historia sacra resolutum & definitum. Pastorem agebat Moyses, commissas sibi à Jethro oves in desertis Madian pascens, quando eminùs rubum ardere, & non comburi vidit. Moyses admirabile illud propius intueri decrevit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*: Aitque textus quod Deus videns ipsum motu proprio ad videndum pergere, ipsum vocando pergere jusserit: *Cernens quod pergeret ad videndum, vocavit eum*. Enim verò si Moyses motu proprio jam ibat, quare Deus illum vocabat? Quia casus hic similis erat illi nostri Sancti, in quo non sufficit inclinatio & resolutio propria, sed insuper specialis divina requiritur vocatio. Rubus ardens & incombustus, juxta communem Sanctorum sententiam, mysterium, & mysteria Redemptionis humanæ significabat: quod idem Dominus confirmat, qui ad liberandum populum suum descenderat: *Descendi ut liberem eum*. Terra in qua rubus erat, terram denotabat, quæ nunc sancta vocatur, Exod. 3. v. 3. Ibid. v. 4. Ibid. 8.

catur,

catur, qualem ipsam vox de rubo nuncupavit: *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Porrò pastori, qualis Moyses erat, ad dimittendam, uti dimisit, ovium suarum custodiam ut pergat ad videnda propiusque contemplanda Redemptionis nostræ mysteria, terramque sanctam nudis venerandam pedibus, non sola sufficit voluntas deliberatioque propria, sed specialis Dei requiritur instinctus & vocatio: *Cernens quod pergeret ad videndum, vocavit eum.* Sic fecit Moyses, qui tunc officium simul cum Grege totaliter dimisit: Et idem fecit noster Sanctus, similiter à Deo vocatus & inspiratus: proinde non licitè tantùm & laudabiliter, sed sanctè, & perfectissimoque virtutis actu.

Ibid. 5.

Quod si magnum nobis dubium movit ex parte peregrini nostri illa oves deserendi resolutio; multò sane majus est illud ex parte Dei, quod in vocatione divina tam peculiari, rara, ipsique Deo inusitata admirari oportet, pro ut nunc videbimus. Mystica illa custos in Canticis à Divino suo petiit pastore, ut sibi ostenderet, suas oves ubi pasceret, & ubinam quiesceret in meridie, ne in cassum illum vagabunda quæreret alibi: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post Greges sodalium tuorum* Et quid illi pastor supremus responderet? primo illi dixit, quod seipsum non novisset, *si ignoras te:* Si enim, quid muneris esset novisset, simile quid non peteret: unde nec petito annuit, sed Gregis sui vestigia sequi, aliorumque more pastorum eum pascere jussit: *Egredere, & abi post vestigia Gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.* Ecquis non facile videt in brevi hac historia, quam similis fuerit animæ sanctæ petito, sancti nostri desiderio; quamque differens obtenta à Christo responsio, ex cujus ore audivit eadem anima, quæ animarum omnium Ecclesiæ suæ pastorum, vel maximè amantium personam gerit? Animæ sanctæ petitio, & sancti nostri desiderium nihil respiciebant aliud, quam invisere loca, ubi Christus cœlestis suæ Doctrinæ pabulo suas pavit oves; & ubi tandem in meridie, non sub arboris crucis umbra, sed in ipsa acclavatus mortuus fuit & quievit. Illud insinuat, *ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Porrò si petenti Sancto nostro Pastori actuali peregrinationem hanc Christus idem concessit; ut inviseret, ac loca ea sacra incoleret; quonam pacto animæ, custodique sanctæ, omnium cæterorum pastorum personam gerenti nullatenùs Christus, idem desideranti indulget; sed absolutè oves suas pascere mandat, & quilibet, non Christi in Jerusalem, sed Gregis sibi commissi in terra sua vestigia sequi curet: *abi post vestigia Gregum?*

Cant. 1. 6.

7.

Ibid. 7.

Quod ex admirabili differentia hac sequitur, est, quàm singulariter Christus eximios æstimârit affectus, quibus sua in Peregrinatione S. Gundisalvus vitæ mortisque ipsius Christi imitatus est passus: cùm devotionem hanc & desiderium, obligationi suæ oviumque suarum ante posuerit curæ. Utrimque inusitata emicuit excellentia: multo tamen admirabilior in Christo, quæ nondum sufficienter est expensa, nec condignè exaggerari potest; nisi ipsum audiendo Christum cum S. Petro, id est, Pastorem supremũ cum Pastore secundo loquentem. Christus Redemptor noster interrogavit S. Petrum, utrum plus cæteris se amaret

Discipulis: *Simon Joannes diligis me plus his?* S. Petro debita respondente modestia: Joan. 21. *Tu scis Domine, quia amo te.* Christus intulit, ergo Petre, si amas me, *pasce oves meas.* v. 15. Hac prima recommendatione facta, Christus eandem iteravit interrogationem; & Petro eodem respondente modo, replicat Christus, si diligis me, *pasce agnos meos.* Super amore duæ jam interrogationes præcesserant, similiter duæ Gregis recommendationes fuerant subsecutæ, quibus Christus adhuc tertiam adjunxit: *Dicit ei tertiò*: ita ut Petrus contristaretur, Ibid. 7. ac si Magister Divinus cui omnium secreta cordium patent, de amore suo dubitaret, vel de sua cura & solicitudine diffideret. Si igitur Christus trina vice amorem S. Petri examinat, non solum magnum, sed majorem cæterorum amorem efflagitat, symbolumque hujus terna vice ab eo non exigit aliud, quàm ut oves agnosque Gregis sui pascat; *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: Quis novus, vel quis alius est iste seu Gundisalvi erga Christum, seu Christi erga Gundisalvum agendi est stylus; cum vice ejus, quod commissi custodiam Gregis illi continuare præciperet, easdem deserere quasi jubeat inspirando, ut more peregrini Jerosolymam pergat, non ad invisendum, sed incolenda loca, ubi Christus ipse conversatus mortem tandem appetierat?

Eadem utique vita & mors Christi firmiter adeo & ardenter Pastoris nostri Peregrini inhæsit memoriæ, non secus ac amatæ istius Rachelis forma memoriæ infixa hæsit Jacobi, postquam voluntarius exul bis septem annis pro illa servivit: cum non desideraret nisi oves, & suspiraret agnos quos pascebat, incipiens à Nazaretho, & finiens in oliveto, & hunc amabilem circumeundo circulum, totiesque pausando, & subsistendo, quot fuerant seu erant absentis amoris sui passus. Verùm enim verò quis hujus singularis adeò novitatis, & insolitæ, & sine exemplo æstimationis Christi Mysterium nobis explicabit? Primum quod quasi obvium in hoc puncto considerandum mihi occurrit, fuit, quod in puritatis virgineæ, quam Sanctus noster semper coluit & conservavit præmium; Deus ipsi concedere voluerit in terra, quod Virginibus solum concedit in cœlo. Virginibus in cœlo concessum est privilegium, teste S. Joanne in sua Apocalypsi, quod ipsæ solæ sequantur agnum, qui est Christus, quocunque jerit: *Virgines enim sunt: hi sequuntur agnum, quocunque ierit.* Veruntamen Virgines in cœlo non sequuntur Apoc. 14. v. 4. gressus agni, sed ipsum contemplantur agnum: Et S. Gundisalvus, absque eo quod videret, & videre posset agnum, gressus ipsius & vestigia legebat & venerabatur. Illæ sequuntur gressus & vestigia agni ubi degit agnus: S. Gundisalvus eadem non sequebatur vestigia & gressus, ubi erat, sed ubi fuerat agnus; & quia ibi tantum fuerat, inde nequibat avelli. O singularem & admirabilem excellentiam! Et concludendo dico, hanc ipsum fuisse quam Christus tantopere amatus, tanti fecit. Prima persona, cui Christus Resurrectionis suæ diluculo apparuit, fuit Maria Magdalena, testantibus Evangelistis. Sed quare Magdalena non solum præ cæteris mulieribus devotis, sed ipsis etiam Apostolis hoc tam singulare meruit privilegium? Scripturam Sacram, & quod illa fecit revolvite, & mox ratio patebit. Mulieres aliæ, dicentibus sibi Angelis Christum resurrexisse, nec ibi amplius

quæ-

quærendum, abierunt: SS. Petrus & Joannes repertis in monumento, non nisi mortuali amictu & sudario, & non corpore, similiter abierunt: Magdalena verò, sicut & reliqui, sciens ibi sepultum fuisse Christum, sufficere sibi putabat idipsum, ut inibi perseverans inde non recederet: ita ut reliqui à sepulchro recesserint, quia Christus non erat ibi: Amor verò Magdalenæ eam inde recedere non permisit; tametsi enim Christus in sepulchro jam non esset, ibidem fuerat. Et quemadmodum sufficit, Christum in illis positum & conditum fuisse petris, ut Magdalena ab illis recedere nequiret; hæc similiter ex parte ipsius fuit excellentia, & ex parte ipsius Christi ratio, cur tanti amorem ipsius fecerit, omnibusque antetulerit.

Hoc modo S. Gundisalvus non tantum Christi adhærebat sepulchro; sed omnibus locis aliis, ubi Christus seu vivus seu mortuus fuerat commoratus: Excellenter hoc modo rependens & respondens amori, quo idem Christus, quà Verbum, solas suas delicias reputavit, cum hominibus conversari in terris. Notate bene. Fundamenta in hoc mundo jecerat sapientia Divina, ipsum scilicet Verbum, & inquit, quod delectationem quærens in terrestribus, non aliam invenerit, quam esse cum filiis hominum:
Psal. 8. v. 30. 31. *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Sed si tunc nondum illis in locis agebant homines, quo pacto Verbum delicias suas habebat cum eis? Quia quamvis tunc nondum essent ibi, ibidem tamen postea futuri erant. Quasi Verbum dixisset. Hic terrestris erit Paradisus, cujus deliciæ erunt esse cum Adamo: Hic fabricabitur arca, cujus deliciæ erunt, esse cum Noë: Hîc Civitas fundabitur Hebron, cujus deliciæ erunt, esse cum Abrahamo. Hîc erit terra Hus, & deliciæ erunt, esse cum Jobo: Hîc elevabitur mons Sinai, & deliciæ erunt cum Moyse versari: & sic de aliis hominibus & locis. Simili modo S. Gundisalvus, in Nazareth, inquiebat, hîc incarnatum est Verbum: In Bethlehem, hîc Christus est natus: In Monte Thabor, hîc Christus est transfiguratus: In Calvario, hîc est mortuus: In Oliveto, hinc ascendit in cœlum: & in omnibus istis locis, erant deliciæ ejus esse cum Christo, non quod ibi adhuc esset, sed quòd ibi fuisset. Ita ut Verbum supponendo futurum, & S. Gundisalvus supponendo præteritum, æquali ambo amore & excellentia, Verbum suas habuerit delicias cum hominibus, ubi nondum erant, sed quo venturi erant: Et S. Gundisalvus suas haberet delicias cum Christo, ubi non erat, sed quia ibi fuerat. Hoc proinde extraordinario, & singulari modo Peregrinus noster excellentius omnibus implevit, quod Deus per Isaiam promiserat, se gloriosa redditurum loca quæ pedibus suis calcasset: *Et locum pedum meorum glorificabo.* Isai. 60. v. 18.

§. VI.

QUantum ad Vigiliam quartam, Sanctus, & admirabilis Sanctus fuit Gundisalvus in senectute: In desertum enim secedens ad agendam vitam Ereticam mundum scivit relinquere, antequam relinqueretur ab ipso. Noluit inveniri à morte in medio populi muris circumsepti; sed in desertum abiit & solitudinem in campo eam expectaturus. O gene-

nerosam convenientissimamque resolutionem! Cum senectus vitæ mortisque sit Horizon, Horizon ubi terra cum cælo, & tempus cum æternitate conjungitur: Quænam, quæso, salubrior, canorumque maturitate dignior dari potest resolutio, quam dies illos paucos vitæ residuos & incertos, æternitatis contemplationi dedicare? non fuit admirabilis noster senex, quia istud fecit; sed verè admirabilis exiitit, quod fecerit id, quod omnibus senibus fuit, & est faciendum, & neminem facere videmus. Sapienter sanè notavit Seneca, omnia alia quamvis tot, tamque varia mortis genera spem admittere evadendi; mortem tantùm quæ senium sequitur omni spe carere. Occidit infirmitas, perimit incendium, vitam eripit naufragium, occidit gladius, interficit sagitta sive emissa, sive retorta; sed ex omnibus hisce generibus mortis multi evaserunt: mortem tantùm senii pedissequam nemo evasit: *Alia genera spe mixta sunt; nihil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem.* Porrò cum spes hæc sit adeò desperata, opinione mea magis admirandæ sunt senectutes nostræ, quàm illa S. Gundisalvi, agnita cum eis veritate. Quo diutius in mundo viximus, tantò magis & mundum, & vitam ipsam diligimus: quantoque plures numeramus annos, tantò pluribus radicibus terræ infixi sumus. Sed considerare lubeat, quàm differenter senex noster Sanctus cæteras transierat ætates, comparando eas nostris, quas viximus, & dissipavimus. Et hinc vel maximè illum fateamur singularem: & veneremur admirabilem.

Seneca epist. 30.

Denique S. Gundisalvus non habens quare fugeret à se, fugit à nobis in desertum, extracto angusto ad ripas fluminis Tamaga ad mensuram sui spiritus tugurio: ibi cum solo Deo transigebat dies, noctibus in altissima suspensus contemplatione summi boni, cujus brevi sperabat visione frui. Nec erat, nec audiebatur in loco illo beato strepitus, qui sancti Anachoretæ quietem interturbaret, nisi inundationum & tempestatum tempore, mortuales eorum gemitus & voces, qui furiis procellisque fluminis abrepti, vel reciprocantibus undis subitò obruti & præfocati miserè peribant. Singulis annis naufragium patiebantur multi, multòque plures amissos parentes, filios, vel maritos deplorabant. Et quid cor amore divino inflammatum istud audiens vel videns faceret? Quantò ardentior in Sanctis agit amor Dei, tantò quoque fortiùs & solicitiùs operatur in eis amor proximi. Orabat continuò, sed quia ordinariè ad humanos alleviandos labores parum conferunt manus otiosæ, quamvis ad Deum expansæ: pauperis solitariique Eremitæ spiritus id aggressus est, quod nunquam vel potentissima Regum brachia attentare præsumpserunt, scilicet utramque fluminis Tamaga oram mediante conjungere ponte, pedibusque transeuntium feritatem & furiam substernere fluminis, quod tot & tantos absorbuerat.

Ingens profectò molimen! sed tam ab aggredientis subjecto remotum; quàm omnibus consideratis circumstantiis, ad exequendum difficile & impossibile. Proinde imaginarium deridebant remedium, qui toties vera deploraverant pericula. Enim verò si in novo Architecto, nonnisi annorum debilitas pondusq; consideraretur: senectus ætas est, qua jam labo-

laboratum eſt, & non ad laborandum; & jam feciſſe, & non ad faciendum idonea. Et quàm conveniens videtur, inquiebant, quod Anachoreta nonniſi contemplationibus aſſuetus, tanti operis machinam exequi præſumat? Si S. Petrus ſtultus & ignorans audivit, quod, cùm piſcator eſſet, tabernacula conſtruere voluerit; quid quæſo de noſtro diceretur Eremita pontes extruere parante? Hæc vulgi improbatio ſuperficie tenus longe majus in ſpirituali & aſcetica Theologia habet fundamentum. Quando Martha de ſorore ſua Maria fuit conqueſta, quod ſe non adjuvaret, Magiſter divinus reſpondit; *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit.* q. d. Hæc tua cura & ſolicitudo, quamvis non careat intentione bona, ad nihil aliud facit, quàm ad te perturbandam & diſtrahendam in rebus multis à profeſſione Mariæ alienis: porrò ſi ipſam ad pedes meos ſedentem & audientem otioſam exiſtimas, deciperis; meliorem enim mihique gratiorem partem elegit. Et idem doctrina Chriſti S. Gundiſalvo hoc caſu & contra animi ſui decretum dictare videbatur. Maria vitam ſignificat contemplativam & myſticam quam profitentur Eremitæ; Martha vitam ſignificat activam, quæ actionibus externis occupatur, quamvis in Dei proximique ſervitium; & ſi vita hæc domeſticos inter parietes, & circa menſæ tantùm neceſſaria occupata adeò perturbabat diſtrahebatque Maltham: quantùm ſemen noſtrum Eremitam continuò perturbari oportuiſſet tanti moliminis pontem perficiendo? audire puto curruum ſtrepitum, lapidum, lignorum, & continuos inſtrumentorum, architectorum & operariorum ictus; hos aptantes, alios dolantes, alios fabricantes & erigentes machinas ad ſuſtentandos arcus, & conſtruendos deſuper præparatos jam lapides: ipſum etiam operis præfectum, & directorem in tot partes, cura & oculis in omnium manibus diſtractum. Ecce an non huic ſuæ fatigationi melius quàm Marthæ illud quadràſſet, *Solicita es, & turbaris erga plurima.*

Luc. 10. v. 41. 42.

Verùm hoc ipſum vel maximè altiſſimum contemplationis probabat gradum, quem S. Eremitæ ſpiritus jam attigerat. Animam ipſam jam vitæ contemplativæ apicem aſſecutam nec actiones impediunt à contemplatione, nec contemplatio impedit actiones, ſed tota intra ſe, & extra ſe tota, ſimul exterius operatur, & interius contemplatur. Quænam vita magis eſt activa & actuoſa, quàm illa Angelorum ſemper & ſine ceſſatione occupatorum & agentium? *Omnes ſunt adminiſtratoris ſpiritus in miniſterium miſſi.* Cuſtodes Angeli diu noctuque ſuper concredito ſibi homine excubant; Regnorum & Monarchiarum cuſtodes regimini ſemper invigilant, ut tam in bello, quàm in pace, & aliis quibuſcunque eventibus qui inceſſanter accidunt, ea conſervent: Angeli aſtrorum præſides, qui tam compoſito ordine, harmoniaque tam decenti gubernant, & quilibet commiſſam ſibi Stellam movet, quæ omnes mundo hoc ſunt majores. Et de omnibus hiſce dixit Chriſtus: *Semper vident faciem Patris, qui in cœlis eſt.* q. d. Semper contemplantur faciem Dei, ac ſi omni vacui occupatione & cura, quiete ac tranquillitate fruerentur Empyrei. Et hujuſcemodi erat verè angelica, Anachoretæ contemplatio, tanta gaudens quie-

Heb. 1. v. 14.

Matth. 18. v. 10.

quiete & tranquillitate in mediis tumultibus ac negotiis, ac si eremo ac cellula sua non fuisset egressus. De quo idem dici poterat, quod de ipso Deo, à cujus contemplatione nunquam recedebat:

Immotusque manens dans cuncta moveri.

Superatâ hâc apprehensione primâ, cognitâque concordiâ & harmonia, quâ in spiritu perfecti conjunguntur vita activa, & contemplativa, quam non intelligebant, considerantes Eremitam nostrum in professionis suæ exercitio turbatum & distractum: sequitur secunda, in qua omnis humana prudentia, & providentia multum inveniebat consideratione dignum. Si Turris Babylonicæ fabricatores, cum homines essent in mundo concordes, eidemque consilio & operi intenti non alium, quam confusionem temeritatisque suæ sortiti sunt exitum: non magnam sanè senis nostri canis intulisse censendi sunt injuriam, qui opus improbabant, quod solus ipse & unius (quamvis ætate foret vivacior & robustior) tale in eo opus machinaretur. Sed quod nemo credebat, nemo sperabat, aggressa, persecuta est, ad finemque deduxit in S. Gundisalvo charitas & dilectio proxi-
1. Cor.13. mi, de qua S. Paulus? *Omnia credit, omnia*
v. 7. *sperat, omnia sustinet.* Turris Babylonicæ ædificatorum unus erat Noë, de quo notatu dignissimum, quod Deus ipsi mandaverit soli, credideritque arcæ fabri-
Gen. 6. cam: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.*
v. 14. Dixit illi supremus machinæ illius Architectus, præscribensque illi formam & mensuram tam minutatim, nec in genere, nec specie alicujus seu artificis seu adjutoris, qui ad fabricam arcæ construendam aliquatenus concurrere deberet mentionem facit, nisi Noë solius: *Mansi-* Ibid. 14.
unculas in arca facies, & bitumine linies in- & 15.
trinsecus & extrinsecus: & sic facies eam. Si igitur tantæ molis, tamque nova erat fabrica, & Deus jam viderat, quod omnes in mundo homines, quos inter ipse Noë, turrim illam construere & consummare nequivissent in terra; quonam, quæso, pacto fabricam illam fundandam in aqua, uni committit & credit homini? quia finis scopusque Turris erat vanitas: Intentum verò Arcæ erat Charitas. Turris ædificandæ intentio erat, ut homines nomen suum celebrarent in terra, antequam dividerentur: *Celebremus nomen no-* Gen. 11.
strum, antequam dividamur, Arcæ intentio v. 4.
erat salvare homines ne ab universali diluvii inundatione perirent, *ut possint vivere.* Et quando ad consequendum intentum vanitatis homines non sufficiunt omnes; ad consequenda quantumcunque ardua & difficilia intenta charitatis, unus tantùm sufficit homo. Agite nomen illud Noë in Gundisalvi, nomen illud arcæ, in pontis, & nomen illud diluvii in nomen commutate fluvii; & mox videbitis quam benè Sancti nostri charitas in spe fundata fuerit opus illud ad finem perducendi; quemadmodum enim opus Noë dirigebatur ad salvandos homines ab inundatione diluvii; sic opus S. Gundisalvi dirigebatur ad salvandos homines ab inundationibus fluvii.

Sed hic nobis adhuc satisfaciendum & respondendum restat insigni doctrinæ Christi asserto: *Quis ex vobis volens turrim* Luc. 14.
ædificare, non prius sedens computat sumptus, v. 28. &
qui necessarii sunt: ne posteaquam posuerit 29.
fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei? Istud Christus Dominus docet, & hic computus nostro

ſtro Eremitæ ſancto eſt faciendus, antequam, nedum operi manum applicaret, ſed de eo cogitaret: primo videndum, utrum cœmendis materialibus neceſſaria ſuppeterent, quibus mercedem artificibus ſolveret, operarios ſuſtentaret, & hoc non tantùm ad opus inchoandum, ſed etiam conſummandum. Nunc quæro, utrum S. Gundiſalvus hunc fecerit computum? Dico quod ſic: & quidem tam inuſitatâ, ſuccinctâ, & compendiosâ arithmeticâ, ut totum duabus tantùm additionibus fuerit complexus; Prima erat, ego poſſum nihil: ſecunda, Deus omnia poteſt. Idem S. Paulus fecerat, dicens: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* q. d. Ego viribus meis nihil poſſum, ſed quas Deus adminiſtrat, iis omnia poſſum. Hujuſcemodi Sancti noſtri erat ſpiritus, & hoc modo argumentabatur & concludebat: ego nihil poſſum, ego ſine Deo nec lapidem movere potero: ſed quia Deus poteſt omnia, ego cum Deo, & Deus mecum, poterimus perficere pontem. Et ita factum eſt. Non dedit Deus ſancto Gundiſalvo virgam Moyſis; ſed quò plus illi daret, cytharam ipſi dedit Orphei, ex fabuloſa eam faciens veram. Narrant fabulæ Orpheum cythara ſua extruxiſſe mœnia Thebarum Thebæ, tam enim ſuavem & dulcem inſtrumentum illud ab eo tactum edebat ſonum, ut lapides, arbores, montes, fluvios & feras, imo ipſam hominum libertatem poſt ſe traheret captivam, hoc pacto fabuloſè in Theba ſuccreſcebant mœnia; & ſic verè in Amaranthe pons conſurgebat.

Ad Philip. 4. v. 13.

Dati ſunt S. Gundiſalvo ſylveſtres quidam tauri, quos ipſe unius tantum verbi voce & ſono ſic cicuravit, ut jugo ſuccollarent, & currum traherent, ſic ducem ſequentes, quaſi multis jam annis fuiſſent docti. Ad littus accedens fluminis vocabat piſces, qui ad pedes concurrentes Sancti ſubſiliebant, uſque dum ille diceret, ſufficit, & reliqui accepta ab ipſo benedictione recedebant, ut alia vice adeſſent denuò vocati. Accelerando operi aqua erat neceſſaria, percuſſit igitur ſenex petram, & mox fons effluxit: ſed quia aqua ſedandæ quidem ſufficiebat ſiti, non tamen ad exhilarandos, & corroborandos operarios, ſimili modo aliam percuſſit petram, ex qua fons vini ſcaturivit. Multorum brachiis, multiſque laborabatur inſtrumentis in caſſum ad movendum aliquod ſaxum, ſed unius tantùm Sancti manuum impulſu, quaſi ſpontaneè incedendo potiùs quàm violentia adactum locum ſubivit, ubi neceſſarium erat. Veruntamen quia homines dantur duriſſimis ſaxis duriores, brutiſque magis irrationales; quemadmodum in illis, ſancto ſuaviter ipſis perſuadente quod volebát, evidentius apparebat occulta Divinitas, quæ linguam ejus dirigebat; ſic nihilominus quidam adeò durus fuit, illiberalis, & callidus, ut petente paupere Eremita aliquod pro opere ſubſidium, quem Sanctum non credebat, cum ipſe opulentus eſſet, abſentiam à domo ſua obtendendo ſeſe excuſavit, adjiciens uxorem ſuam illi ſuccurſuram, deferendam illi ſimul tradens aliquam epiſtolam. Qua accepta mulier ſubridens ad Sanctum dixit: Pater Eremita; hæc credentialis nullius eſt valoris, ſiquidem maritus meus juxta chartæ hujus pondus eleemoſynam vobis erogari mandat. Tam ſiccè quamvis expeditus, nihilo ſeciùs replicavit Sanctus, quod ponderatâ chartâ juxta mandatum Domini Domûs, ſe ponderis

illius

illius eleēmosynâ fore contentum. Verè casus, in quo dextera Domini singulariter operata fuit. Imposita fuit charta uni staterae lauci, & quando suffectura putabantur pauca tritici grana ad faciendum aequilibrium, allati sunt sacci & sacci, totum adesse oportuisset cellarium, absque quod pondus adaequaret chartae, quae non nisi unius folii erat. Quaerebatur Divinam omnipotentiam ad se affligendum infinitam suam exeruisse potentiam, contra folium quod vento rapitur: *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam*: Et ad Canonizandum S. Gundisalvum suam ostendit potentiam virtus Divina, tantum ponderis addendo medio folio, ut nullum illud pondus adaequare, nedum rapere vel movere posset. Hoc pacto Deus simul cum nostro operatus Sancto, in inchoando, prosequendo & perficiendo opere suo; & ita illud perfectum & absolutum tanto totque aliorum bono reliquit, antequam ultima sibi aetas abrumperet vitam.

Job. 13. v. 25.

§. VII.

QUatuor vigiliis & humanae vitae aetatibus feliciter adeò absolutis & conclusis, qualem putamus esse quintam, quam de Sancto nostro promisi, non de vivo & mortali, sed de immortali & post mortem? Praerogativa haec magis convenire videtur sancto Gundisalvo ex Amarantho per cognomen, quàm per nomen. Amaranthus Plinio Authore, est flos, qui quod nunquam marcescat, ab Antiquis nomen meruit immortalis. Hoc ipsum significat nomen, quod ipsi dederunt Graeci, hinc ipsi immortalitatem accinuit Poëta Latinus: *Immortalesque Amaranthi.* Porrò si quintam hanc in Evangelio quaesierimus Vigiliam, inveniemus, quod loquendo de secunda & tertia expressè, eodem in numero supponat primam & quartam, loco quintae aliam indeterminatam, & Patremfamilias valdè vigilantem in ea introducit: *Quoniam si sciret Paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique.* Haec igitur, non ex aetatibus habentibus finem, sed vitae immortalis, quae fine caret, fuit, & est quinta Vigilia nostri Sancti; in qua admirabiliter ipsi nomen Patrisfamilias quadrat? ipse enim veraciter non illius tantùm latae & numerosae Provinciae, sed omnium vicinarum & confinium universalis est Pater, ad quem omnes in cunctis necessitatibus è vicino & remotis locis confugiunt. Qui vidit tantùm narrare & credere potest. Qui liberis carent, à S. Gundisalvo eos petunt; & qui prolibus abundant S. Gundisalvum consulunt, utrum in bellum eos mittere, seu literis, seu stivae applicare debeant. Si matrimoniis elocandae sunt filiae, S. Gundisalvus copulatorem seu paranymphum agit: & si parentes illis providere vel nequeunt vel negligunt, hujus rei memoriam, quo prae modestia, coram ipsis facere non audent, secretò Sancto recommendant, qui velut magis potens vigilansque pater earum nequaquam obliviscitur. Pastores suos illi recommendant greges, agricolae sementes: ab illo Solem, ab ipso petunt pluviam: & Sanctus pro authoritate qua imperat elementis tempore suo & extra tempus, petitionum suarum expeditione illos laetificat. Ipse succurrit in paupertate, ipse sanat in infirmitate, ille diffidentes sibi mutuò reconciliat; aberrantes à recto tramite reducit ad viam; & quandoque etiam amore castigat, ne à tanti patris filiis degenerent.

Hisce

Hisce ex rationibus innumeris confirmatis exemplis, videbatur mihi in principio sanctus Gundisalvus, sub Patrisfamilias nomine, quintæ Vigiliæ, quàm ejus vitæ addimus, obligationibus satisfecisse. Sed consideratis illis, quæ jam mortuus & immortalis quotidie in invocantium bonum operatur, nullum est dubium, quin istud non sufficiat, & ut inveniamus quippiam, quod mensuram adæquet, mirabiliumque suorum impleat conceptum, sicut initio dixi, quod in nativitate sua fuerit pater tanquam vir, sic pro conclusione dico, quod post mortem fuerit homo sicut Deus. Elapsis aliquot a S. Gundisalvi obitu annis, extraordinaria tempestate exortâ flumen Tamaga in tantum intumescebat, tamque rapido & furioso decurrebat impetu, ut non solùm obvia quæque involveret in litoribus, sed secum abriperet in montibus. Inter alia maximæ molis truncus erecto à S. Gundisalvo ponti rapidè adnatabat, quem quotquot videbant, extremam ponti minari & illaturum ruinam non sine ratione attoniti putabant. S. Gundisalve (inclamabant omnes) S. Gundisalve succurre tuo ponti. Et ecce in mediis hisce clamoribus, Monachus quidam albo indutus habitu, & nigro desuper pallio, baculum manu tenens ex Ecclesia egressus, per aëra ad flumen volans in unum trunci ramum baculo immisso, sic truncum ad arcum majorem direxit, ut fluminis impetu impulsus transierit, & pons intactus & illæsus, sine periculo & damno, ac æquè integer ut fuerat constructus remanserit. Æqualibus igitur & consonis vocibus & applausibus gratias reddiderunt S. Gundisalvo, qui habitu & loco, ex quo egressus fuerat, quisnam esset ostenderat. Egoque repeto, prout dixi, in hoc actu rectè intellecto, Sanctum nostrum demonstrasse, quod in operibus suis non se gesserit tanquam homo homo, sed tanquam Homo-Deus.

Inter causas secundas, quales sunt homines, & causam primam quæ est Deus, in operando hoc communiter distat; ut à causis secundis, uti loquuntur Philosophi, opera tantùm dependeant *in fieri*, sed à causa prima, *in fieri, & in conservari*: à causis secundis dependent res quantùm ad productionem & creationem; sed à causa prima non solùm quoad creationem dependent, sed etiam, quantùm ad conservationem. Quantùm ad creationem Deus & Pater generat Filium; quantùm ad conservationem, Deus solus ipsum conservat, sine dependentia aut concursu Patris. Hinc notabilis intelligetur loquendi modus quo Scriptura sacra dicit, quod Deus die septimo requieverit ab omnibus operibus suis quæ fecerat: *requievit die septimo, ab omni opere suo quod patrarat*: Gen. 2. v. 2.
Moxque addit, quod Deus eadem omnia opera creaverit & fecerit, ut ea faceret: *Ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Ibid. v. 3.
Enim verò, si Deus ea jam fecerat, quomodo illa fecit & creavit, ut faceret? Quia primò ea per creationem fecit, & postmodum, ne jam creata esse desinerent, semper & continuò facturus esset conservando. Id est, quod Christus respondit declaravitque admirabiliter convincens & confundens eos, qui quod Sabbatho operaretur convitiabuntur: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Joan. 5. v. 17.
Num fortè Deus eodem Sabbatho quo ab operibus suis requievit, operari cessavit? nulla ratione. Si enim operari destitisset conservando, illa esse desiissent.

Proinde ſicut Pater meus operatus eſt die Sabbathi non ſerviliter ſed authoritativè, ſic & ego facio. Iſtud ad conſervanda opera ſua facit Deus; idemque S. Gundiſalvus fecit, ad opus ſuum conſervandum perſonaliter egreſſus. Conſervavit illud tunc, & à tot centenis jam conſervat annis, conſervabitque ſemper; quia iu operibus ſuis non operatur ut Homo Homo, à quo tantùm dependent in fieri; ſed ſicut Homo Deus, à quo dependent, *in fieri, & conſervari.*

Agedum ad alia Dei Hominis, & S. Gundiſalvi opera progrediamur. S. Joannis Baptiſtæ Diſcipuli ad Chriſtum fuêre miſſi interrogatum, utrum ipſe verus eſſet Deus & Homo per Prophetas promiſſus, & expectatus à mundo: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Et quid Chriſtus? eiſdem præſentibus Diſcipulis, cæcis dedit viſum, mutis loquelam, contractis manus, claudis greſſum, ſanitatem munditiamque leproſis, mortuis denique vitam. Et hoc ipſos expedivit reſponſo, dicens: *Euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* Idem ego de dictis meis forſan dubitanti reſpondeo; vel admiranti quod de S. Gundiſalvo dicatur, quod non operatus fuerit velut homo homo, ſed velut Homo Deus. Ite, ite, & Amaranthum adite, in ſacro S. Gundiſalvi Mauſolæo immortales & perpetuas vitæ ſuæ poſthumæ memorias inviſite, & videbitis quod à me auditis. Videbitis vel picta, & oculis arbitrabimini tanquam trophæa claudorum gralles, brachia contractorum, cæcorum oculos, ſurdorum aures, mutorum linguas, mortualia cum mortuorum aut moribundorum indumenta! & quoniam mala intrinſeca & inviſibilia acrius affligunt & perimunt, videbitis ſimiliter triſtium, afflictorum, perſecutorum, deſperatorum corda, quæ ſola S. Gundiſalvi nominis invocatione, conſolatiouem, relevamen, reſpirationem & remedium repereruut.

Matth. 11. v. 3.

Ibid. 4.

Sic mortuus tanquam immortalis operatur, magnus Dei Hominis imitator. Et quoniam Chriſtus ipſe dixit, poſt ſuam in cœlum aſcenſionem fideliores ſervos ſuos non ſolum facturos opera ſuis ſimilia, ſed his majora, *Opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ad Patrem vado*: Attente conſideratis miraculorum horum circumſtantiis, deprehendemus quod illa S. Gundiſalvi, cum illis ejuſdem Dei-Hominis comparata, hodie in operandi modo magnitudine ea excedant. Magnus erat concurſus eorum qui fide miraculorum, quæ operabatur, excitati quærebant & ſequebantur Chriſtum, *ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur*, inquit S. Joannes. Porrò ſi ipſum interrogaverimus Evangeliſtam ad quantum numerum multitudo ſequentium pervenerit; reſpondet ſub nomine non ſolum magnæ, ſed maximæ multitudinis, acceſſiſſe ad numerum quinque millium: *Cum ſublevaſſet Jeſus oculos, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum*: & mox numerum declarans ait: *Diſcubuerunt ergo viri quaſi quinque millia.* O Domine, quanto cum exceſſu in fideliſſimo ſervo tuo Grandis illius promiſſionis veritas comprobatur! quando agens in terra elevaſti oculos ad contemplaudam te propter miraculorum tuorum famam ſequentium multitudinem, numeroſiſſima quam vidiſti fuit illa quinque millium hominum: verum hodie ſi è cœlo, ubi nunc agis, eoſdem divinos oculos

Joan. 14. v. 12.

Joan. 6. v. 2.

Ibid. 5.

Ibid. 10.

tuos

tuos demittens intuereris Amaranthum, videbis sanè, quod ob famam experientiamque miraculorum S. Gundisalvi, in hoc suo die, ad visitandas sacras ipsius reliquias, seque patrocinio ipsius commendandos concurrentium multitudo, non ad quinque, neque ad decem, neque ad viginti, sed ad triginta & quadraginta millium numerum accedat. Innumerabilem videbis terræ hujus incolarum, tam indigenarum, quàm Peregrinorum multitudinem, quam nec plateæ, nec vitæ capere possunt, quæ operit montes, valles implet, & cum omnes intrare & propius accedere non possint, tumultuosè Ecclesiam circumvallant, eminus saltem venerantes & adorantes parietes sanctos, tam beneficium & sanctum depositum includentes. Et hic alter excessus est majoritatis, quam etiam in sui ipsius comparatione ipsi promisisti.

Pro obtinenda sanitate, inquiunt Evangelistæ, quod confluentium ad Christum singuli Sanctissimum ipsius corpus contingere curabant, ex quo virtus illos sanans exibat: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Hic similiter idem facere satagunt; ast quia turbæ certatim sese impedientis compressio id non permittit eminùs Sanctum venerantur, eminùs se illi commendant, & eminus seu statim miraculosos obtinent & sentiunt virtutis ipsius effectus, secumque hilares ad suas reportant domos veluti primitias, vel certa beneficiorum pignora, quæ nullus sibi in necessitate dubitat adfutura. Sed quid multum, quod felix illa provincia, nec non vicinæ & adjacentes aliæ, tot tamque continuis miraculis certisque fruantur gratiis: si remotissimæ regiones Africæ, Asiæ, & hujus Americæ, ubi vix est locus qui non habeat dedicata S. Gundisalvo templa & altaria, ad invocationem tantum nominis per mirabilem gratiarum ipsius effectum de præsentia illius gaudent? De Deo inquiebat Isaias Propheta: *Invocabis, & Dominus exaudiet: Clamabis, & dicet: Ecce adsum* Ecce adsum inquit Deus: & Ecce adsum, inquit S. Gundisalvus. Homo denique in operando sicut Deus: *Invocabis, & dicet: Ecce adsum.* *Isai. 58. v. 9.*

Et si quandoque S. Gundisalvus invocatus petita vobis non concesserit, unde non audire videatur: vos decipi scitote, nec alio ad hoc probandum, quàm ipsius Dei indigeo exemplo. Deus inquit: *Petite & accipietis.* Experientia nihilominus constat, quod frequenter petita non obtinemus. Non ita se res habet, opponit S. Augustinus. Non accipimus id quod petimus & volumus, accipimus id quod petere & velle debeamus; *Negat Dominus quod volumus, ut tribuat, quod mallemus.* Idemque aliquando facit S. Gundisalvus, nec Sanctus esset, nec amicus, nisi ita faceret. Tam miraculosus est miracula patrans quæ expediunt, quàm eadem omittens & negans quando non expediunt. Ecce idipsum in Sancto ipso. Jam dictum est, quomodo in usum suæ Fabricæ duos ex petris elicuerit fontes, aquæ unum, vini alterum; sed ille aquæ hodiedum adhuc currit, perseverat, & miracula continuat; illo vini jam exsiccato. Et quare exsiccatus? Quia populus ille in hoc fonte majora pati poterat naufragia, quàm ipso in flumine patiebatur antea. Primus ille vini adinventor uvarumque calcator fuit Noë; cumque Noë magnus ille esset Navarchus, qui max ma mundi sæviente *Joan. 16. v. 24.* *S. Aug. Epist. 43. ad Paulin.*

tempestate, primam novit regere navem, & in ea salvare mundum; adinvento gustato liquore, sic exaruit, & immutatus est, ut non pudorem tantum sed & judicium perdiderit. Ecce, quid populo Amaranthico eventurum fuisse putamus perseverante vini fonte? propterea Sanctus ipse durante adhuc opere, ubi notant historici, ter in die fontem eundem aperiebat & claudebat: prima vice tempore jentaculi; secunda tempore prandii; & tertia tempore cœnæ. Et quid tribus hisce temporibus accidit? mox ut opifices & operarii singuli ad mensuram suam accepissent portionem, petrâ reclusâ fons manare cessabat. Tam providè & circumspectè vigilabat S. Gundisalvus, ut miracula sua non in damnum sed in commodum verterentur petentium. Et hæc est ratio, ob quam pro miraculis & beneficiis nostri Sancti gratos vos esse oportet sive petita neget, sive concedat, utrumq; de manibus ipsius veniens in bonum vestrum cedet.

Hucusque locutus sum cum Authoribus de vita & miraculis S. Gundisalvi. Coronidem imponam casu, cujus ego ipse testis fui. Ulyssippone degebat devotus quidam, ejusdemque Sancti confrater, qui quot annis celebritati ipsius viginti quinque cruciageros impendebat: quodam verò anno, cùm electi essent officiales divites, dives quoque esset confraternitas, gratius se Deo obsequium præstiturum cogitavit, si inter pauperes pecuniam illam distribueret. Quod ita facere decrevit, cum nullo prorsus communicato desuper consilio; nisi quando derepente intolerabilis ipsum dolor internus invasit; advocati exemplo medici, sine mora Sacramenta Ecclesiæ recipere suaserunt, infallibiliter enim foret moriturus. Quid tam subitaneo consilio faceret, vel momento ante sanus integer viribus? peccata ad memoriam revocaturus, immutati propositi memor, & pœnitens de eo, quod melius reputaverat à Sancto veniam petiit, facto voto contestans, se nunquam consuetæ suæ devotioni defuturum, si ab accidente illo vivus & incolumis evaderet. Vix verba hæc absolverat, quando secundo concepto proposito, momento eodem dolor omnis repentè & totaliter cessavit; & moribundus à portis mortis ad integram reversus sanitatem, pedes perrexit ad gratias reddendas Sancto, quem duorum momentorum spatio tam asperum, tamque beneficum fuerat expertus. Enim verò, quis in hoc casu novum non admiretur observatum stylum contra tam generalem eleëmosynæ legem, & contra prærogativam, & privilegium pauperum toties publicatum, & ipsiusmet ore Dei decantatum? quando concurrunt pro eleemosyna Christus, & pauperes, date eam (inquit Christus) pauperibus, illis enim dando, mihi datis: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si igitur in hoc casu S. Gundisalvus concurrit cum pauperibus, quomodo Christus mortem intentat illi, qui eleemosynam non S. Gundisalvo, sed pauperibus elargiri decrevit? nuuquid fas est Christum pauperes æquiparare sibi ipsi, & pauperibus S. Gundisalvum præferri? Ergone Christo magis placet S. Gundisalvi festum majori apparatu, & expensis celebrari majoribus, quàm ut pauperibus succurratur? Nunquid rationi consentaneum, ut eum pauperes substituti sint Christi, ipse Christus illos nolit substitutis esse Gundisalvi? cùm itaque res ita se habeat,

Matth. 25 v. 40.

habeat, Christus ipse prædicatorem agat, & panegyrim illius absolvat, ego enim obmutescens fateor quod illud deprædicare non sufficiam. Porrò hic est favoris gratiæque excessus, & locus ad quem S. Gundisalvus in quinta Vigilia ascendit; in qua vivit & regnat immortalis in gloriæ throno.

§. VIII.

Discursum meum absolvi, seu potius non absolutum reliqui. Si verò sermones de S. Gundisalvo omnes ad moralem audientium doctrinam fuerint directi, & in proprio ipsius die Sanctum hunc indecens est non imitari, quàm doctrinam ex præsenti sermone auditoribus meis accommodatam eruere potero? Nunquid adhortari meum est, ut instar S. Gundisalvi boni sint pastores? Ecclesiastici id est muneris. An ex Brasilia Jerusalem versus peregrinationem persuadebo? sat, peregrini sunt, qui tam remotè à patria exulant. An, ut miracula faciant, extimulare conabor? sanctos nos esse sufficit, absque quod ad Canonizationem aspiremus. Quamnam igitur doctrinam ex vita operibusque S. Gundisalvi eruemus? Prima mihi occurrit utilis valdè & necessaria, ut scilicet construendo pontes illum imitemur. Magna profectò admiratione dignum, & vix credibile est mundo, quod à centum & nonaginta jam annis hanc incolimus terram cum Imperio & tanquam Domini; cùmque in ea tot dentur fluvii transitu difficilis, nulla unquam de construendo ponte adhibita fuerit industria. Quis fluvius aut sinus est in Europa, etiam nullius nominis, & quis locus tres tantùm continens vicinos, pontibus non est magnificus? me-diantibus illis in Hispania tantùm perseverat memoria quod Romani illi quandoque fuerint dominati. Quia Aneus Marcius pontem fecit sublicium, de ponte, & quod eum fecerit Roma dignitatem Pontificiam formavit, cujus nomen, Româ nondum Christianâ, summo fuit Pontificatui annexum. In tantum istud fabricarum genus suos extollit authores. Sed certum est quod nec ob paupertatem, nec tenacitatem suam defectum hunc patiatur hæc Respublica. Ego ipsum naturali adscribo climati inertiæ, pro opinione vulgi, quod dispensatores ærarii illud applicari malunt papatui, quam pontificatui.

Sed quia incuria hæc, quæ monito hoc & solertia perstringitur, paucorum est: pro doctrina & exemplo generali serviat omnibus, ut saltem in eo finire satagamus, unde S. Gundisalvus incepit. S. Gundisalvus ut jam vidimus, adhuc puer fuit vir: nos ætate viri, vita moribusque pueri sumus. Melius hoc Seneca dixit, quàm idiomate nostro exprimi possit: *Adhuc non solùm pueritia in nobis, sed quod est gravius, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus est, quod authoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm sed infantium.* q. d. Authoritate senes, vitiis laboramus puerorum; & quod pejus est, non tantùm in nobis apparet pueritia, quæ defectus est ætatis, sed puerilitas, quæ judicii est defectus: *Non solùm pueritia in nobis, sed puerilitas remanet.* Primum quod S. Gundisalvus fecit; fuit oculos in Christum conjicere crucifixum, & brachium, ad illum extendere amplectendum: & hoc ipsum juvenes & senes vitæ epilogo reservant. Tunc Crucifixum aspiciunt, tunc ejus amplexantur & exosculantur Vulnera. Sed quia hoc est vio- Sen. lib. 1. epist. 4.

violentum, & plus non possunt, ut ex toto id corde fiat, magna requiritur divina gratia. Qui benè curat incipere & finire, à fine incipere, & per principium finire habet necesse. A conditi mundi principio, ultissimam hanc Maximam Deus docuit hominem primis S. Scripturæ verbis: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ubi notat sanctus Chrysostomus, Deum creationis opus exorsum à cœlo; & finiisse in terra; idcircò non ait Textus; creavit terram & cœlum, sed *cœlum & terram.* Sed primò creare cœlum, & postea terram videtur idem esse, quod fabricam incipere à fornicibus & consummare in fundamentis. Quantò magis cum terra & cœlum creata sint pro homine, quemadmodum finis hominis est cœlum, & principium terra, sic incipiendum videtur à terra, & absolvendum in cœlo? sed propter hoc ipsum ita fieri non oportebat. Quia homo principium suum sortitur à terra, & finem suum habet in cœlo; hinc Deus primo ipsi proponit cœlum, & postea terram; benè etenim & incipere & finire volenti, incipiendum est à fine, & per principium finiendum. Hoc modo incepit & finivit S. Gundisalvus. Cumque vidende & moriendo non-

Gen. 1. v. 1.

nisi Christum imitari satageret: admiratione sanè dignum fuit, quod sicut natus mox in exemplar assumpsit Christum mortuum in Cruce, sic eundem moriens imitatus sit in præsepio natum. Denique S. Gundisalvus obiens animam suam in manus Reginæ Angelorum commendavit, cui devotissimus fuit; & quæ felicissimæ morti ejus præsens astitit; & mox ut expiravit, in aëre vox insonuit dicens, ite omnes ad Sancti sepulturam. Certatim concurrerunt omnes, lectulsque in quo defuncti sacrum invenerunt corpus, paleis humi stratis impositus fuit. Ita finivit mortuus Christum in præsepio natum imitatus, quem sic mox natus in Cruce mortuum fuerat imitatus. O felicem nativitatem, & felicem mortem! ô felix exordium, & felicissimum finem! ultimum hoc exemplum S. Gundisalvus reliquit mundo, & quo mundum deseruit, quem etiam omnes nos derelinquere oportet. Proinde quia ipsum non imitamur nati, ab hoc saltem die ipsum imitari incipiamus morituri, semper nobis ob oculos ponentes finem vitæ, ut ejus intervenientibus meritis & precibus vitam obtineamus sine fine duraturam.

Amen.



SERMO

SERMO

PRO

Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

Occasione qua status Maragnanus in duplex regimen est divisus, illudque personis particularibus terræ illius indigenis fuit collatum.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei: Cæsaris. Matth. 22.

§. I.

NOn est Regio quæ guberne- tur difficiliùs, quam patria: nec est regimen intolerabile magis & invisum, cuique paretur ægriùs, quàm illud coæqualium. Hebræi ab ipsomet gubernabantur Deo, qui ex propitiatorio consultis eorum respondebat, & voce clara quid faciendum, vel non faciendum ordinabat: nihilominùs tam fuêre insensati, ut cæterarum nationum more, ab hominibus præelegerint gubernari: cùmque ex hoc capite, tanquam maxima ipsorum prærogativa, tam elato essent animo, ut in reliquis omnibus cunctos despicerent; in
1. Reg. 8. eo ipso illis petierunt esse æquales: *Con-*
v. 5. *stitue nobis Regem, sicut & universæ habent nationes.* Primi itaque rectores, quos Deus ipsis cum authoritate Imperioque regali præfecit, fuerunt Saul & David: Saul patris sui asinas quærens; & David patris sui oves pascens. Deus qualitates non discrevit; siquidem ex Abrahamo omnes originem trahebant: nec discrevit officia; siquidem omnes ævo illo ex agricultura, & pascuis vivebant: personas tantùm earumque talenta considerabat; quia tam Saul, quàm David suis subsagis & tunicis tanti erant spiritus homines, sicut mox eorum opera prodiderunt. Quibusnam verò applausibus, post tot importunas instantias in republica illa, excepta fuit duorum horum Regum electio? Regio erat patria, electi erant æquales (ut dixi) neque suffecit alterum esse Saulem, & alterum Davidem, ut grati forent & accepti. Lætati sunt consanguinei; murmurârunt extranei: & reliqui (quasi omnes) malè fuerunt contenti. Non dico quid dixerint; illa enim nec dicenda erant, nec audienda: tantùm dico nos eodem in casu comprehensos divisum habemus hunc statum Maragnanum in duo regimina æqualia, duobus subrectoribus, ambobus terræ ejusdem indigenis; quamvis non sit illa promissionis: proinde tam ex parte capitum, quàm membrorum, tam ex parte gubernatorum, quàm ex parte subditorum, non exigua timeri possunt, prout jam, timentur inconvenientia. Recursus longè distat, remedium nonnisi tardè advenire potest; interim vos rogo, ut optimum acceptetis consilium. Prædicatorum, quos Scriptura sacra Angelos pacis

cis appellat,officium eſt,concordiam unanimitatemque procurare ; quæ quoniam deſideranda nobis eſt velut bonis Chriſtianis, velut bonis Reipublicæ miniſtris, & velut bonis ſubditis : ut muneri meo ſatisfaciam, aliud mihi remedium efficacius non occurrit, quàm ut utriſque obligationes ſuas exponam. Evangelium tanquam ducem ſequar ; pro gratia Beatiſſimam Virginem interpellaturus : quàm ea quæſumus attentione rogemus, quàm materiæ utilitas requirit.

Ave Maria.

§. II.

CHriſtus Dominus noſter velut Magiſter legis interrogatus, utrum tributum Cæſari oporteret ſolvere, monetam ſibi pro tributo dari ſolitam oſtendi
Matth. 22. præcepit : *Oſtendite mihi numiſma cenſûs.* Quia verò monetæ imago quædam impreſſa erat circumſcriptis per circuitum literis ; ulterius interrogavit Chriſtus, quemnam imago illa referret, & cujuſve
Ibid. 20. nomen literæ exprimerent : *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* Reſponderunt imaginem & nomen ipſius Cæſaris eſſe, *Dicunt ei Cæſaris.* Iſtud adducta thematis loco verba continent ; reliquum Evangelii alii reſervabitur,occaſioni,uti & moneta : Ego hodie nihil requiro quàm imaginem Cæſaris, nam cum imaginibus Cæſarum mihi hodie eſt loquendum.

Cujus eſt imago hæc? Omnes Rectores, Principum ſuorum ſunt imagines : hos enim perſonâ poteſtatiſque exercitio repræſentant nomen hoc, ſive imaginis titulus à primo mundi gubernaculo mox cœpit ; primo homini à Deo collatus, non ipſi de officio actualiter providendo, ſed antequam ipſum, & officium exercendum creaſſet : *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, qui præ-* *Gen. 1. v. 26.*
ſit : q. d. faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,ut præſit, regat mundum. Super hæc verba gravis inter Theologos agitatur quæſtio,in quonam iſta Dei imago in homine conſiſtat? Hæretici Audeani in forma & ſtatura corporis eam conſtituerunt : eſtque Hæreſis politica quorundam principum, qui eo uſque exterioribus hiſce occupantur & extolluntur apparentiis,ut ex hiſce imagines ſibi eligant. Tam parum refert pro Reipublicæ regimine ſtatura & formoſitas corporum (inquit Seneca) quantum pro regimine Navis, Navarchum eſſe pulchrum. Definiunt igitur concorditer omnes ſancti, Doctoreſque Catholici, rationem imaginis Dei in homine in anima tribus exornata potentiis conſiſtere ; quibus ipſum Deum trinum & unum repræſentat. Veruntamen S. Baſilius,& S. Joannes Chryſoſtomus addunt, Deum ſpecialiter Adamo titulum ſuæ contuliſſe imaginis, quia regimen ipſi demandavit orbis ; & quid imagini ſimilitudinem adjunxerit, *ad imaginem & ſimilitudinem*, ut in ipſo regimine recordaretur Adamus,qualiter allaborandum ſibi eſſet, ut ſupremo ſe Domino quam proximè aſſimilaret, quem referebar : *Imaginem dixit ob principatus rationem:* *S.Chryſoſt.*
ſimilitudinem, ut pro viribus ſimiles fiamus Deo.

O quot, quamque excellentia Deus in primo illo actu principibus reliquit documenta, quomodo & ipſi faciant, & ſuas imagines eligant! Omnia alia creata Deus fieri juſſit : Hominem velut ſui imaginem ſe repræſentaturum, cuique mundi imperium erat collaturus, delibe- ratio-

ratione, consilioque non hominum, qui necdum erant, neque Angelorum jam creatorum, sed trium divinarum personarum prævio creavit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: & ad quid? *Et præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ.* Porrò si ad eligendum eum qui bestias regat & bruta, tantus requiritur apparatus tantaque prævia deliberationum & consiliorum communicatio in ipsa Dei sapientia; quid necessarium putamus ad eligendum hominem, qui regat homines? Imaginis suæ characterem forsan Deus animæ impressit hominis, quia hominibus inanimatis regimen tradere nefas est? Sic est, sed non ideò tantùm. Non sufficit, ut qui regere debet, sit homo cum anima; sed necesse est ut sit anima cum homine. Si animam habeat, & quidem bonam sit animam sortitus, non faciet malum: sed nisi simul industria, activitate generosa & resolutione, talentoque præditus sit hominis, non faciet bonum. Deus illum memoria, intellectu, & voluntate donavit: Memoria, ut recordetur officii & obligationis suæ; intellectum, ut quid præcipiendum sit, sciat; & voluntatem, ut quod optimum velit! nec vult unius tantum potentiæ homines (qui ex eo operantur impotentias) & deficiente memoria, & intellectu, malam solummodo habent voluntatem. Cum omnibus istis qualitatibus Deus formavit perfecitque imaginem, quæ in gubernando mundo divinam repræsentare debebat Majestatem; quemadmodum Majestates humanas repræsentant, qui earum vice, & earundemque authoritate, has vel illas exiguas hujus mundi partes gubernant. Imago Cæsaris non tantum insculpta erat numismati & monetæ, sed etiam, & quidem multo magis reipublicæ Gubernatori. Numisma mortuam, Vice-Regens imaginem vivam referebat: in Numismate seu moneta pretium valoremque imagini dabat prælum; Gubernatori vero collatio dabat potestatem. Et si de utraque imaginum harum interrogaretur: *Cujus est imago hæc?* de utraque sensu diverso respondendum esset, sed æquali veritate, esse imaginem Cæsaris: *Dicunt ei, Cæsaris.*

Supposita hac significatione exorta cum mundo, & cum ipsa natura, quod imagines sint principum, vice eorum regentes, eosdem repræsentantes: si alibi prædicarem, sermonem in tria puncta dividerem. Primum, quomodo Cæsares suas debeant formare imagines: secundum, quomodo imagines repræsentare debeant Cæsares: Tertium, quonam modo Cæsarum subditi, eorundem imaginibus debeant obedire, illas venerari & revereri. Ast quia punctum primum non concernit hanc terram, neque auditorium; de secundo tantum & tertio tractare, mihi mens est, quæ tam propria sunt loco, quam tempori necessaria.

§. III.

Exordio igitur facto ab imaginum obligatione, quemadmodum magna est dignitas supremum repræsentare Principem in oculis mundi (sive minus sive majus sit theatrum) sic etiam æquali non caret difficultate & discrimine, sublimis hujus repræsentationis scopum non attingere, & ab eo aberrare. Expedita quidem est quoad potestatem, in gubernandi vero modo valdè difficilis, & paucorum est. Istud antiquorum pro-

verbium significare voluit: dicentium, non ex omni ligno Mercurii imaginem fieri: *Non ex quolibet ligno fit Mercurius.* Et quare Mercurii potius quàm Jovis imago inter Deos primatum tenentis, & omnibus superioris? quia Jupiter Deus erat potestatis, Mercurius sapientiæ & prudentiæ: potestatis verò Majestatem referre quilibet facile potest: prudentiæ verò & sapientiæ actus, pro eorundem exigentia exercere, paucorum prævalet capacitas. Facilius est Jovem apparere quàm Mercurium. Sanctis Paulo & Barnaba Lycaoniam ingressis, Gentiles demirati super his quæ videbant in utroque, Deos similes hominibus è cœlo in civitatem suam descendisse clamabant, & Barnabam Jovem, & Paulum Mercurium vocabant: *Vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium.* Act. 14. Verùm enim verò si Paulus ob excellentes adeò prærogativas Barnabam antecedebat, quare Barnabæ, & non Paulo nomen Jovis, & Paulo, & non Barnabæ Mercurii nomen imposuêre? quia Barnabas statura & majestate antecellebat personæ, Paulus facundia & sapientia doctrinæ. *Quoniam ipse erat dux verbi.* Porrò repræsentatio sapientiæ longè majus judicium, excellentioremque requirit hominem, quàm illa majestatis.

A Divinitatibus fabulosis, ad veram ascendamus Deitatem & hæc solidam & veram nobis dabit differentiæ hujus rationem. Verbum æternum velut Dei Patris Filius, perfectissima Dei imago existit. Quoniam verò Gentiles in Esse divino duas superlativas seu supremas considerabant eminentias, unam summæ bonitatis, alteram supremæ Majestatis, unde Deum optimum maximum vocabant: Salomon in libro Sapientiæ summam declaraturus perfectionem, quomodo utraque in Verbo repræsentetur, inquit, Verbum esse speculum sine macula Majestatis Dei, & imaginem bonitatis ejus: *Speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius.* Sap. 7. v. 26. Id tantùm hic considero, quod eadem repræsentatio in quantùm est Majestatis, vocatur speculum, *Speculum Majestatis*: Et in quantùm est bonitatis, imago vocatur, *imago bonitatis illius.* Differentiæ hujus ratio, relicta pro nunc Theologica, inquirendo moralem, quænam est, aut esse potest? eadem omninò est quàm experimur in imaginum facilitate, quas videmus in speculo; & in difficultate earum, quæ monstrantur & repræsentantur in semetipsis. Imagines repræsentatæ in seipsis vel pictæ sunt, vel sculptæ; pictæ, multis perficiuntur lineamentis, multis coloribus, multisque umbris, aliis locis claræ, aliis obscuræ: sculptæ, repetitis perficiuntur ictibus, multis excavationibus, multa expolitione, multis locis plenæ, multisque vacuæ. Utræque artificio magno, industria & diligentia singulari, & labore magno conficiuntur. E contrariò imagines repræsentatæ in speculo, depinguntur sine tinctura, complanantur & excavantur sine ferro, unicoque perfectæ apparent momento, sine alio labore vel artificio quàm reflexione seu reverberatione naturali. Propterea igitur Majestatis imagines repræsentantur in speculo; quia majestas & potestas, nec non ostentatio ejusdem & executio omni labore caret. Imagines verò bonitatis, quæ sunt illæ regiminis boni, uti est juxta prudentiæ dictamen hic & nunc operari, & omnibus benefacere imaginibus aliis seu pictis, seu sculptis repræsentantur, quia difficultatem & laborem magnum

sum involvunt, non communem requirentes artem, sapientiam non vulgarem, proportionem denique & regulam exactissimam. Imagines sculptæ fiunt demendo, pictæ addendo: in demendo nullam attendere oportet convenientiam & commodum: & in addendo, & augendo observanda est singularis æqualitas: porrò pro utroque ut ritè fiat, prudentia excellens, justitia exacta, integritas irreprehensibilis, constantia imperterrita, aliæque virtutes magnæ, quæ faciliùs deficiunt singulæ, quàm inveniantur collectæ.

In duabus imaginibus Jovis & Mercurii, quæ binis attributæ sunt Apostolis, exemplum nobis præbetur in omnibus. Imago Jovis pingebatur cum fulmine seu fulgetro in manu; illa Mercurii cum baculo inter duos serpentes. Proinde hinc facilè apparebat, quàm expedita foret, repræsentatio una, & quantæ difficultatis altera. Fulminando ejaculari fulgetra, tonitruis tremefacere mundum, invadere turres, sternere domos, interficere homines, à vertice ad radices usque findere cypressos, omnesque alii violenti & damnosi fulminum effectus expeditissimi sunt potestati se abutenti. At inter discordes, & venenosos serpentes baculum interponere, & ne se invicem mordeant & dilanient impedire: domare feritates, componere rebelliones, & reducere ad vivendum conformiter rationi, qui ex consuetudine & ratione illius usum non habent, opus est difficultatibus undequaque refertum, & magis in terra, in qua stamus, quam in ulla alia. Necdum quinquaginta elapsi sunt anni, quod in hac terra ignotum fuit nomen Regis, nec auditum nomen legis: & quanti moliminis erit opus, efficere ut obediant, & observent in ea leges Regis? ab illo tempore usque in præsens, qui illam acquisiverunt, non domesticorum pastu pecorum, sed venatione hominum vitam sustentant. Et quantò major adhuc erit difficultas continere in officio, pace & justitia illos, qui injusto tantum bello vitam transigunt? Hæc igitur prima & universalis regiminis hujus est difficultas; & hæc obligatio & officium eorum, qui Cæsaris imaginem in eo repræsentant.

§. IV.

Secunda difficultas magis adhuc impediens & impossibilem quodammodo reddens competentem imaginum repræsentationem, est, quod imagines & Cæsares valde remote distent. Respondentibus illis Christo imaginem esse Cæsaris, Cæsar agebat Romæ, & imago erat Jerosolymis. Quid igitur erit, ubi Rex & Cæsar agit in Europa, & imago in America? Rex in mundo uno; & repræsentantes in altero? Deus ipse ab istis distantiis tam remotis timuit, non quod ubique non sit omnia videns, sed quia videt, quamvis non videatur. Quod ita notificatum voluit mundo per Jeremiam Prophetam: *Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longe?* q. d. Putatisne me tantum esse Deum prope, & non de longe? Decipitis vos; quamvis enim in cœlo meam habeam aulam, tam præsens tamen adsum terræ, quam cœlo: *Cœlum & terram ego impleo.* Nihilo setius tam stupidi fuere homines, ut malè interpretato Davidis versu, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; putarint, quandoquidem Deus in cœlo suam constituisset aulam, quod abdicatum à se terræ Dominium transtulisset in homines. Non equidem

Jerem. 23. v. 23.

Ibid. 24.

Psal. 113.

idem credo regionum acquisitarum Gubernatores id sibi imaginari, nihilominus certum est quosdam dominari tam despoticè, acsi illud autumarent: ita harum regionum sibi dominium usurpant, quasi nec ipsi, nec illæ alieno Dominio subessent. Talem, tantamque illis præbet audaciam, quod princeps agat tam remote, recursus tam distans, tam longe petendum remedium, & veritas ipsa ab iisdem tam longis obscuretur & opprimatur interstitiis. Regina Saba beatos dicebat illos, qui Salomoni coram servirent & assisterent. Sed hac beatitudine se privant, tam bonorum justorumque Regum, quales sunt nostri, tempore, qui pro ipsorum Deique servitio non solum inclementiis sese exponunt climatum, quod longe minus est, sed furiis elongationum, nec non vident & deflent prope sub oculis, interitus & jacturas temporales & æternas, quarum causa ipsimet existunt.

Parabola Evangelica inquit, Regem quempiam in regionem abiisse longinquam novum sibi acquirere regnum, commendatis interim bonis suis, tribus servis, ut negotiarentur in eis. Horum trium servorum unus negotiari neglexit, non tamen est furatus; porrò duo alii tam bonam reddidere suæ negotiationis rationem, ut creditam sibi à Rege summam duplicarint, magnasque propterea ab eo promeriti sint, & receperint gratias & favores. Felix omnino tempus, quo è tribus servis, quibus Rex credidit, non coram & in præsentia servientibus, sed longissimè à se dissitis, duo credita sibi duplicarunt talenta, & auxere bona; & minus industrius, quamvis illa non auxerit, ne vel obolum tamen inde furando subtraxit. Nunquid hodie vel sesqui par similium invenietur servorum? Nec in tribus, nec in triginta, nec in trecentis paribus. Enim verò quænam rei hujus est ratio? Ipse textus eam narrando assignat, in claram illius, quod referimus, probationem. Textus ait, Regem in remotissimam à suo regno profectum fuisse regionem, ad acquirendum sibi aliud regnum; sed hac conditione ut reverteretur: *Abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.* Luc. 19, v. 12. Quando è suis abeunt seu proficiscuntur regnis ad regiones conquirendas, & è conquisitis ad regnum revertuntur: etsi loca acquisita longissimè distent, ista longinqua sua postmodum habent propinqua; hinc in absentia servi tanta solicitudine & respectu ministrant, ut præsentibus denuò bonam de se reddant rationem. Casu quo verò Reges ad loca acquisita non proficiscuntur, vel illa tam sunt remota, ut eo pergere non possint; quemadmodum longinqua semper sunt longinqua, quantum Rex à suis distat servis, tantum hi à suis recedunt obligationibus. Rex è regno suo ad acquisita profectus, & è conquisitis ad Regnum revertens, & Regni, & conquisitionum simul Rex est: Rege verò in suo semper residente Regno & ad conquisita mittente servos, hi ipsi conquisitionum sunt Reges: & non Rex ipse. Rex illos suas facit imagines; & illi se faciunt Reges. Et quis illis istos dat spiritus, & addit alas, nisi qui eos constituunt in tam remotis locis? A Roma usque in Jerusalem valebat aliquid Cæsaris respectus: *Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris.* Joan. 19. v. 12. Sed de Ulyssipone in Indiam usque & Brasiliam toto intermediante Oceano quid? fides, obligatio, obedientia omnia remittunt, sursum deor-

deorſum invertuntur omnia, exundant & exorbitant omnia. Videntes ſe tam longè a mittente & regnante remotos, ibidem poſſunt quod volunt, non contenti velle quod poſſunt. Imaginum ſecum afferunt poteſtates, Cæſarum q; aſſumunt omnipotentias; & non Auguſti, vel Trajani pro conſervatione Monarchiæ & incremento; ſed Tiberii, Caligulæ, Neronis ejuſdem everſorum: ut ruinas noſtræ non miremur, nec aliam cauſam inquiramus. Quare Adam cum Paradiſo univerſi perdidit Monarchiam? quia non contentus imagine Dei, ipſi aſſimilari appetiit Deo, qui ipſum ſui imaginem fecerat. Tentatio, qua Diabolus ipſum ad Apoſtaſiam impulerat, in eo conſiſtebat, quod diceret ipſum futurum ſicut Deum. Sed enim ſi Adam jam erat ſicut Deus, hoc ipſo quod imago ejus eſſet; quid quæſo, amplius promiſit ipſi diabolus in illo, *Sicut, eritis ſicut Dii*? Æquivocum illius, *Sicut* fuit verè diabolicum. Adam quà imago Dei, jam erat ſicut Deus, illum repræſentando, ſed non erat ſicut Deus ſuperioritate, quod ipſi Diabolus promiſit. Et quia Adam contentus non fuit eſſe ſicut Deus repræſentatione, quod per imaginem habebat, ſed eſſe appetiit ſicut Deus ſuperioritate, quod obedientia & præceptum ipſi prohibebat: hinc præceptum prævaricatus Deo obedientiam negavit. Iſtud quod Adam perpetravit in Aſia, idem eſt, quod eadem in Aſia, & in noſtra America faciunt, qui non contenti imagines eſſe Regum, omnem imaginum modum, menſuram & proportionem excedunt, uti ſubjuncta docebunt.

§. V.

Antequam in mundo ars vigeret pictoria (quæ poſt incendium Trojæ cœpit) aſſertore Plinio, homines ſuis ſe umbris delineabant. Homo ſtans erectus, corpore ſuo ſolis interpoſito ſplendori umbram faciebat, quæ ex dimenſione deſumpta imago ipſius erat. Quonam verò pacto cognoſci poterat imago, ſine delineationibus, quibus diſtingueretur? Idem Plinius ſcribit, ut cognoſceretur, ad pedem picturæ ipſi ſcribebant nomen, quiſnam eſſet, *omnes umbra hominis circumducta: ideò & quos pingerent adſcribere inſtitutum.* Plin. Picturæ illæ fiebant tali artis ruditate, ut imagines in eis non cognoſcerentur per figuram, niſi adjuncta ſcriptura illud demonſtraret. Et dolendum eſt, quod prohibente Alexandro, nonniſi Apelles imaginem ſuam pingere poſſet. Hic nobis diſſimiles adeò ſupremis ſuis Archetypis appareant figuræ, ut magis videantur affabrè factæ, quàm imagines veræ, quas fidem noſtram oportet hoc credere, eſſe quod repræſentent. Verum enim verò aliam adhuc majorem improprietatem habent imagines ſciſſæ per dimenſionem umbræ: nam ſecundùm locum, in quo eſſet Sol, ſine omni proportione multò fuiſſent majores ipſis quos repræſentabant. Porrò iſtud eſt quod videmus, ſicut dixi, in Aſia, in America, & in Indiis orientalibus, ubi Sol oritur; & in Occidentalibus, ubi occumbit. Congruentiore ſimilitudine res explicari nequit. Sole in ſuo morante Zenith, umbra eſt perexigua, & tota pedibus ſuppoſita; in Oriente verò, vel occaſu conſtituto, eadem ſe umbra tam in immenſum extendit, ut Hori-

zon-

zontes illam vix capere possint. Idem per omnia ultramarinorum Gubernatores prætendunt & obtinent ubi Sol in suo consistit Zenith, umbræ istæ non pedibus tantum principis sed etiam ministrorum ejus se supponunt; quando verò ad Indias istas perveniunt ubi Sol oritur, vel ad has ubi occidit, in tantum umbræ istæ accrescunt, ut ipsam Regum mensuram multum excedant, quorum imagines existunt.

Res est sanè notabilis, quam fortè non advertistis, quantum mensuram excesserit Nabuchodonosoris magnitudo imaginis, quam ipse fieri jussit, postquam illam statuæ suæ in somnis vidit. S. Scriptura inquit in altitudine habuisse sexaginta cubitos: *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream cubitorum sexaginta.* Hic interrogare libet, quantum imago hæc staturam ipsius Regis sua magnituuine excesserit, quàm repræsentabat? juxta regulam Vitruvii, nec non symetriam & proportionem corporis humani, minor manus digitus, quem vulgariter minimum vocamus, decimam octavam ejusdem corporis partem continet. Et quid hinc sequitur? Res verè utrum admiratione an risu dignior nescio. Sequitur minimum imaginis suæ digitum Nabuchodonosorem totum complecti potuisse. Quo casu insolentiæ notam non meruisset in Roboamo, quod dixerit, minimum suum digitum Salomonis Patris sui dorso esse grossiorem. Sed qualis erit illa vasallorum & subditorum, qui existentes tantum suorum imagines Regum, tantò majores evadunt illis, hic ubi Sol occidit, vel ibi ubi Sol oritur; quantò magis immenso excessu umbra se extendit, sine alia mensura, sine alia proportione, aliove limite, quam illo qui in mari vel in terra claudit Horizontes? Imago Nabuchodonosoris erat ex auro, eorum est ex umbra; sed quia artes quas exercere veniunt aut vadunt, artes sunt solidæ & veræ Alchymiæ, isti umbram illam convertere norunt in aurum, seque melius facere adorari quam ipse Nabuchodonosor. Imago Nabuchodonosoris pro suis adoratoribus non habebat præmia, & pro nolentibus adorare fornaces & supplicia. Hîc & ibi se res aliter habet. Adorantes, & non adorantes, omnes ardent, diversis enim modis concremantur & consumuntur omnes.

Dan. 3. v. 1.

Gravissimus adhuc restat dolor, & scandalum maximum. Et quodnam illud? Imagines istæ reduces ex locis unde venerunt, tales secum afferunt Bullas Canonizationis, ut altaribus dignæ videantur. O si quis illis suorum proponeret insignia miraculorum? Ecce quales Xaverii Indiæ, & quales Anchitæ Brasiliæ! Et quod est pejus, si quis illos non est imitatus, nec habuit imitantes, sine applausu excipitur; & sine veneratione sepelitur. Sed applausu dignorum miracula silentio præterire nefas esto. In hisce celeberrimis Europæ Sanctuariis, ubi miraculosæ venerantur imagines, pendere videntur mortuorum amictus, grallæ, catenæ, anchoræ, pedes, brachia, oculi, linguæ, corda protestantium illis anathematibus, beneficia illa miraculosè accepta illis deberi. Relictis igitur remotioribus terris, quæ etiam hoc casu testimonium perhibere possunt; vos auditores mei quid de terra vestra dicitis? quænam miracula in jam mortuis vidistis (non enim loquor, nec vos loqui volo de vivis) porrò quænam seu qualia? meritis oporteret appendere insignia, vel miraculis eorundem anathematha, quibus veritas sine adulatione,

tione, & memoria adhuc cum horrore eorum sepulchra exornaret? Etiam ibi viderentur mortuorum indumenta, non paucorum quos resuscitarint, sed multorum & infinitorum & innumerabilium, quibus vitam ademerunt. Nec catenæ similiter desuturæ essent, non eorum quos à captivitate liberaruut; sed integrarum nationum & populorum, quos liberos in captivitatem redegerunt & apparerent anchoræ, non navium salvatarum, sed quas ipsi naufragiis & exitiis objecerunt, eò quod ipsi terra marique maxima fuerint tempestas. Claudorum similiter viderentur grallæ, non quos sanâssent, sed quos cum divites opibus abundarent, ad paupertatem redigentes sine remedio stipem ostiatim colligere compulerunt. Brachia similiter apparerent & pedes eorum, quos eò tantum quod potentes essent, debilitavit, dejecit & oppressit iniqua eorum potestas, nulla alia inducta ratione, quàm violentia. Denique & oculi viderentur eorum, quos excæcaruut lachrymis: & corda quæ præfocarunt mæroribus, doloribus & desperationibus: & linguæ quas obmutescere fecerunt, in tantum ut nec ah quidem liceret edere ad terram clamando, vel gemitum in cœlum emittendo. Hæc & alia Canonizatarum illarum imaginum sunt miracula, quæ hinc abeuntes nudæ & impolitæ, redierunt vestimentis auro argentoque intertextis exornatæ, falsis superinductæ coloribus, quibus decepere famam, quâ mediante receptæ sunt velut reliquiæ in Catucumbis, & frequentatæ peregrinationibus.

§. VI.

HUcusque Gubernatoribus nostris novis & patriæ indigenis ob oculos posui quod nullatenus imitandum est in extraneis. Neque difficile ipsis futurum credo tam perniciosa abominari exempla, non solum velut probatis & exercitatis in omnibus, verum etiam velut offensis & malè notatis. Sciant tamen velim, in eis tamquam patriæ incolis & indigenis aliam tertiam concurrere difficultatem, quæ in extraneis non habet locum. Quare? quia licet utrimque sint imagines, illi sunt imagines in terra radicatæ. Imagines non tantum sunt statuariorum & pictorum, sed etiam Hortulanorum. Ex curiosissimis quæ cernuntur in hortis, ubi majore industria & labore coluntur quam in hac terra nostra, variæ sunt figuræ ex myrtho aliisque plantis, tali artificio, proportione, & membrorum quasi vivacitate elaboratæ, ut viridi sublato colore, in reliquis omnibus à naturali quod repræsentant, differre nihil videantur. Sed eadem hæc repræsentatio conservatur difficillimè. Imagines aliæ vel metallo infusæ, vel saxo insculptæ, vel ligno incisæ, vel in quadris depictæ, vel tapetibus intextæ, sine ulteriore cura & diligentia, semel sibi datam ab artifice conservant & referunt figuram. Illæ verò de plantis, quia radicem habent in terra unde recipiunt humorem, succrescentibus naturaliter ramis facile exorbitant, deformantur & in monstra degenerant. Idem protinus usu venit, aut venire potest, quibus patriæ propriæ regimen incumbit, nec aliam ob causam seu fundamentum, quàm quod radices in terra habeant. Ibi habent cognatos, ibi amicos, & inimicos, ibi & lucra & commoda bonorum familiæ & Personæ: porrò quilibet humorum & respectuum horum & multo potius omnes in unum collecti, in tantum Gubernantis imu-

mutare & deformare possent imaginem, & repræsentationem, ut nec appareret in eo agendorum facies, & in cunctis contra obligationem suam operaretur. Humore radicum per oculos sese effundente, ea nec clarè intueri, imo nec sine passione respicere poterit; quæ sola rebus ipsis colores mutat, unamque pro altera videre facit. Humore eodem aures occupante, informationes non admittet qua cautela examinandæ veniant; vel adeo obsurdescet, ut nec eas audiat quamvis clamores sint. Eodem radicum humore per os eorumpente, prohibenda jubebit, & mandanda vetabit, proinde quicquid ordinaverit non nisi confusio erit; & sententiæ ipsius non nisi gravamina. Denique humore isto per brachia manusque, quæ sunt extrema periculosiora, & ubi gravissimi exercentur excessus, prorumpente, extendet brachia, quousque ejus non extenditur jurisdictio; & mittet manum, & implebit manus illis quæ nefas est tangere.

Profectò talia subeuntes onera vel assumentes officia, nedum me, sed ipsas consulere oporteret plantas, quæ radicem habent in terra; & si gubernacula & regimina majorem continerent authoritatem & gravamen, eadem acceptare detrectarent. Primus in mundo scriptus Apologus (quod est commentum cum significatione veræ,) fuit ille, quem S. Scriptura Capitulo nono Judicum refert. Arbores (inquit) Regem sibi constituere voluerunt, qui eas regeret, & primò imperium detulerunt olivæ, quæ recusavit dicens, nolle se relinquere oleum suum quo ungerentur homines, & delectarentur Dii. Audita & acceptata excusatione, adierunt ficulneam, quæ similiter refutavit imperium dicens, dulces se proferre fructus, quorum dulcedinem deserere nollet. Tertio loco accessere vitem, quæ respondit, uvas suas comestas sapore suo oblectare gustum, & expressum ex illis vinum lætificare mundum, proinde opulentum adeo patrimonium ad imperium subeundum non fore derelinquendum. Ita ut universale regimen de ostio ad ostium transierit, nullo invento qui illud acceptare vellet. Sed quod ego in excusationibus istis noto, est quod in eandem convenerint rationem, suos videlicet nolle deserere fructus. Enim verò nunquid quispiam tale quid arboribus dixit aut proposuit? Nunquid aliquis oleæ, suas olivas, ficui suas ficus, viti denique suas deserere uvas præcepit? Nemo. Dixerunt tantum & proposuerunt ut regimen acceptarent. Si igitur tantum istud illis obtulerunt, nec quisquam de fructibus deferendis est locutus; quo pacto omnes sese excusarunt obtendendo quod eos derelinquere nollent? quia intellexerunt etiam sine ratione, quod regimen suscepturum aliorum, non sui, sed ipsorum tantum curam gerere oportet: & nisi totaliter, lucrum, commoditatem, & utilitatem, & cujuscunque demum generis commodum privatum seponat, bonum commune competenter procurare & promovere nequit.

Judic. 9.

Agedum non ab alio, quam ab arboribus discamus, utrum bonum istud regimen, eo quo istæ intellexerunt modo, obtineri & exerceri queat, radicatum in terra? Et quæ obtulerunt, & quæ acceptare renuerunt, utræque conspirant, quod non. Quid dixerunt offerentes? Dixerunt aliis singulis, *veni, & impera nobis.* Veni? Ergo, si eundum & veniendum erat, avelli ex loco ubi stabant, radicesque suas deserere opus erat. Porrò singulæ imperium refutan-

Jud. 9. v. 12.

tantes quid responderunt? Responderunt, quod ire non possent, se etenim movendo radices suas deserere oporteret, sine quibus fructum proferre non valerent:
Ibid. 9. *Nunquid possum deserere pinguedinem, & venire, ut inter ligna promovear?* Proinde regere, & regere, ut oportet, cum radicibus in terra consistere nequit. Gubernare malè, & in boni communis exitium difficultate caret. Eadem illud historia innuit, in qua progredimur. Videntes arbores, quod tres illæ oblatum respuissent imperium, inquit textus, quod Rhamnum adierint, eandem iterantes oblationem. Et quid Rhamnus? responsum dedit consideratione dignissimum. Eadem fuit ar-
Ibid. 14. borum propositio, *veni, & impera super nos.* Et ipse non solum velut Rhamnus, sed
Ibid. 14. velut spinosus respondit: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea quiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani.* q.d. Si verè mihi tribuistis imperium vestri, omnes ad pedes meos prostrati sub umbram meam confugite, & si vel una detractaverit, talis è Rhamno prodibit ignis, qui etiã altissimas Libani Cedros concremabit & comburet. Nescio num differentiam notetis. Arbores regnum deferentes dixerunt, *veni*: & ille respondet, *venite*: meum non est proprias deserere radices, sed vos oportet deserere vestras. Conclusionis vice deserviat, quod legitimè gubernaturus suas deserit radices: & inordinatè, seu perperam Regens, illis subditorum evulsis tantum satagit conservare suas.

§. VII.

HÆc privata & particularis est difficultas, ingensque discrimen in quo versantur, suo supremo se non conformantes archetypo imagines radices habentes in terra. In hac repræsentatione nova omninò fas est ut se conservent, & ad ritè gubernandum, ut à propriis sese radicibus segregent. Omnes respicite à majore ad minorem usque virgas, quibus respublica regitur. Nunquid etiam Virgæ istæ suas habuere radices? nihil certius Verum ut regimini applicarentur sortitæ jurisdictionem seu authoritatem, omnes prius ab iisdem abscissæ fuere radicibus, & hinc omnes sunt siccæ. Quid igitur remedii, ut Virgæ recentes, quæ nos regunt & gubernant, habentes, ut habent, radices in terra, Cæsaris, quem repræsentant, imaginem retineant? optimum quidem & anticipatum remedium fuisset, arborum exemplo se excusasse, sed excusationi jam nõ est locus. Timor quod imitari possint Rhamnum, qui promisit umbram, comminatus ignem anxium me reddere nequit, omnes quippe novimus moderationem & modestiam eorum qui regimen acceptarunt. Sed quia ipsa regimina solent hominum potius immutare constitutionem, quàm conservare; remediorum omnium securissimum foret, radices tollere & abscindere. Porrò si quis tam generosæ foret resolutionis, ut in opus id redigeret; Ego vice Dei ipsi appromittere præsumerem, non idcirco defuturas. Virga Aaron radices non habuit in terra: nihilominus reviruit, floruit, fructumque attulit medio die, quem radices proferre nequeunt infra totius anni spatium. Verum miraculis Deo relictis, ad naturæ nos limites revocando, tantum vobis consulo, ut omni virum applicatione contendatis id præstare, quod diligentia & industria facit. Enim verò quid Hortulanus facit ut elaboratæ à se figuræ suas repræsentent imagines, quantascunque in ter-

ra habeant radices? semper defixis intuetur oculis figuram quam repræsentant; & contra omnem humoris impetum, quem naturaliter radices plantæ subministrant nunc erigendo & dirigendo, nunc flectendo, nunc ligando, nunc abscindendo, adeò proportionatam & integram & sine mutatione in eis conservat imaginem, quasi marmori insculpta, seu æri fuisset infusa.

Totum illud facere incumbit, illi, qui in se exprimere seu transfigurare, non aliam, nec minorem, neque sacram minus debet imaginem, quam illam ejusdem Regiæ personæ, quam repræsentat. Erigenda ipsi semper & dirigenda intentio, rectam illam semper habendo, ut serviat tantum Deo & Regi. Inflectenda est voluntas, ut semper sit inclinata ad judicium sequendum, & veræ rationis dictamina. Constringenda est ipsi concupiscentia seu cupiditas, quæ potestati conjuncta validè & violenter rebellat; ne frænum excutiat. Denique si quis affectuum horum, ad aliquid repræsentationi huic supremæ indecorum prorumpere nititur, mox abscindere & abrumpere oportet, ne deformem illam & incompositam reddat; & si fortè sentiatur intus, ne appareat foris. Proponenda semper ante oculos figura, est Rex idem cujus imaginem geritis; & non tanquam absens, sed velut præsens; neque ut invisibilis, sed visus. Quonam verò pacto hoc fiet, ipso tam longè distante? perquam facilè, si ab ipsius regimine oculos nunquam adverteritis, in qua ipsum Regem tam naturaliter, & ad vivum videbitis in sua propria specie expressum, ac si coram & præsentem intueremini. Dicetis forsan, quod in ordinationibus vestris sigillum & verba Regis legatis, figuram autem ipsius nullatenus videatis. Aperite melius oculos, & mox videbitis; sed considerationem ad altiora dirigere oportet. S. Paulus inquit Verbum æternum ipsius substantiæ Patris esse figuram: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Heb. 1. v. 3. Et quid est, quidve significat verbum? Est & significat Verbum. Ergo Verbum Dei propriæ suæ substantiæ est figura, *figura substantiæ ejus?* protinus ita est. Quia totam suam substantiam, & totum esse suum Deus Verbo suo impressit, & velut propriâ, naturali & perfectissimâ sui ipsius figurâ expressit. Proinde veluti Deus Verbo suo imprimit & exprimit suam figuram: pari ratione Reges, qui Dii sunt terræ, suis se imprimunt & exprimunt verbis. Ita ut legens verba, subscriptionem, & ordinationes Regis in suis constitutionibus propriam videat Regis figuram, vel Regem in sua ipsius videat figura. Nunquam penicillus Apellis tam felicitèr & exactè effigiavit Alexandrum, nec ad vivum oculis exhibuit hominum, sicut Reges in scriptis suis & ordinationibus reproducunt & exprimunt se ipsos; *Sapiens in Verbis producet seipsum,* inquit Spiritus sanctus. Eccl. 10. v. 29. Sed Regem quendam auscultemus.

Tempore quo Gothi dominati sunt Italiæ, Regum quispiam cui sors detulit, ut Cassiodori penna scribere posset, suas expediendo declarationes & ordinationes absentes ministrorum quosdam hoc modo alloquitur: *Tenete speculum cordis, speculum voluntatis, ut quibus non sum facie notus, fiam morum qualitate recognitus.* q. d. Cùm ad manus vestras meæ pervenerint literæ, eas tanquam cordis mei, voluntatis meæ, & mei ipsius speculum excipite: è quibus qui me nescitis facie, cognoscetis animo. Notate modò quid addat judicio verè

verè regio, & prudentia & acumine plusquam regali: *In hac me potius parte conspicite qua latet præsentes: non est vobis damnum præsentia mea: utilius est mente nosse, quàm corpore.* q. d. Delectet vos potius, in meis me videre literis quas ad vos exaro, quàm in propria persona: hoc scientes, quod melius me videatis, quàm in aula mihi præsentes. Videbitis enim illud quod ipsi non vident, & à me intelligetis, quod illis non revelo: proinde hâc viâ nullum ab absentia mea damnum sentietis, neque præsentiâ meâ carebitis: præsentes enim meam tantummodo contemplabimini faciem, ut reliqui; in absentia mediantibus mandatis meis & constitutionibus meam intuebimini animam. Sed ne, quæso, indiscussum & sine consideratione relinquamus, quod Rex ordinationes suas scriptas suiipsius specula vocarit: *Tenete speculum cordis, speculum voluntatis.* Figura perfectissima, quam natura adinvenit & ars imitari nequit, est illa quam speculum repræsentat; quod enim picturæ referunt colores, vel statuarum facies, similitudo tantum est, & personæ repræsentatio: in speculo autem non similitudo vel species, sed ipsa persona per specierum reflexionem repræsentatur. Speculum nihil est aliud quàm obex specierum, quibus mediantibus videmus, illas reverberando, ut ad vim visivam revertantur. Porrò quemadmodum speculum visûs impedimentum, mediante reflexione clariorem reddit visionem; si in absentia, quæ etiam impedit vim visivam, mediante scriptura, eadem visio etiam exactior evasit. Sine scriptura, absentia est impedimentum, cum scriptura speculum. Istud igitur speculum Regum, in quo ad vivum magis eorum repræsentatur persona, quàm in ipsa figura, semper sibi ante oculos positum habere fas est iis, qui ex officio imagines Regum esse tenentur: certi quod quousque observaverint suarum constitutionum ordinationes, imagines Cæsaris erunt: Et è contrario, si illis se conformare neglexerint, similitudinem, figuram, & essentiam imaginum suarum perdent.

Disputant Theologi, utrum Adam per inobedientiam ipsam imaginis Dei essentiam, quam habebat perdiderit? Et generaliter respondent, quod non; non enim perdidit memoriam, intellectum, & voluntatem, in quibus unius & Trini Dei imago consistit, ad quam ipse Deus illum creaverat. Sed hæc responsio distinctione indiget. Idem homo duplici modo imago erat Dei: Uno, sicut imago naturalis; altero, velut imago politica. In quantum creatura rationalis libertate gaudens arbitrii in tribus potentiis, erat imago Deum naturaliter repræsentans, quam perdere non poterat; quia in ea propria ipsius essentia consistebat: veruntamen in quantum Dominus mundi, omnibus imperans animalibus, vices agebat Dei, ejusdem erat imago politica; & hanc Adam perdere potuit, & actu perdidit. Sed quando, & quomodo? Deus illum paradisi constituerat custodem, cum mandato ne aut ipse, aux uxor ejus, de fructu vetito comederet: Et quousque Adam hanc observavit constitutionem (quod nescitur pro certo quam diu duraverit) integram & illibatam hanc secundam Dei imaginem, tanquam honoratus, & pro Domino reputatus; conservavit obedientibus sibi in aëre, mari; & terra cunctis in tribus istis Elementis viventibus; neglectâ verò, immo violatâ con-

ſtitutionis & ordinationis ejuſdem obſervantiâ, non cuſtodiendo paradiſum, liberumque ſerpenti in illum permittendo ingreſſum, nec à vetita abſtinens arbore, quia ut Eva comederet conſenſit, & ipſe quoque comedit; imaginem mox perdidit, in qua Deum politicè repræſentabat; & animalia jam perditam nec videntia nec recognoſcentia imaginem naturali inſtinctu exinde denegatâ obedientiâ ipſi rebellabant.

Vidiſtis (inquit eleganter in hunc locum S. Chryſoſtomus) vidiſtis quâ vos ſubjectione canis veſter agnoſcit, quâ promptitudine vocatus accurrit, quo vos amore ſequitur, quâ naturali lætitia foras egreſſus vos excipit, & congratulatur exiliens: è contrario verò, ſi alio vos modo induiſtis, ſi faciem larva aliqua cooperuiſtis, idem ille canis latrando vos aggreditur & invadit, & in propria vos domo non ſecus ac extraneum & inimicum adoritur. Idem Adamo uſu venit cum omnibus animalibus, per inobedientiam mutatâ jam figuratâ, & imagine Dei amiſsâ, quæ translati in ipſum univerſalis Dominii viſibilis character erat. Tantum diſtat ſervari vel non ſervari ordinationes & & conſtitutiones ſupremi principis ab illis, quos in locum ſuum ſubſtituit, ut velut imagines ipſum repræſentent. Ego non conqueror de imaginibus fucatis; optimè enim novi colores, quibus honeſtè & modeſtè ſe tingere & effingere nôrunt, quantum prætenſionibus ſuis expedit: ſed univerſalis mihi querela eſt de omnibus, quod imagines hæ ſic factæ & obumbratæ, abjectâ mox larvâ & fuco oſtendant quod ſunt, & ſemper fuerunt: proinde nullum aliud certum & ſecurum eſt remedium, quo integrè Cæſaris imaginem repræſentare poſſint, qui ex gratia ipſius & authoritate nomen hoc gerunt, quàm inviolatâ & exactâ ordinationum & conſtitutionum ipſius obſervantiâ, & ſeſe contemplari, componere, & effigiare in ipſius ordinationibus, tanquam in ſpeculis.

§. VIII.

HUcuſquè dicta ſufficiunt (ſi non ſuper effluant) ut neotherici electi intellexerint modum, quo imaginum Cæſaris obligationi & officio reſpondere poſſint & debeant, ubi ſine exemplo de præſenti ſe vident conſtitutos: Quod primum propoſitionis noſtræ punctum erat. Secundum ejuſdem Cæſaris ſubditos & Clientes concernit, & eſt, quomodo eiſdem imaginibus obedire, honoremque & venerationem exhibere oporteat: in quo omnes in primo diſcurſu notatæ difficultates ſunt expeditæ, & hinc valde ſuccinctum erit.

Primo in ſubditis non occurrit difficultas rectitudinis, ut indifferenter & reſolutè agant quod agendum eſt; ſiquidem hæc regentis tantummodo, ſeu mandantis & gubernantis, & non obedire tantum obligati officio incumbit: cum hoc peculiare ſit obedientiæ privilegium, ut cum errare poſſit mandans, & errare quidem frequentius; ſimpliciter tantum obediens, immò errores eoſdem ſequens, nunquam errans rectè ſemper operetur. Pari ratione ſubditi terribili iſti non ſunt expoſiti tentationi, cui exponentur ipſæ Cæſarum imagines, eò quòd longè ab illis diſtent: ſi enim repræſentatæ ab illis imagines longè diſtant, eis ſeſe conformare obligati, quamvis ſint deformes, ſem-

semper illas coram intuentur. Denique imagines esse radicatas in terra, tantum abest, ut inconveniens existat, ut vel maximè toti Reipublicæ conveniat. In eadem nati & educati terra, quia uniuscujusque differunt qualitates, climata, & influentiæ cœlestes, quarum dominio subsunt, inclinationesque & mores seu bonos seu malos inhabitantium nôrunt, & omnium longam experientiam habent; quemadmodum facile promovere possunt bonum, sic pariter, efficacia magisque probata adhibere norunt media, quibus malo occurri possit. Porrò omnibus hisce proprietatibus & notitiis, non utilibus solũ, sed plane necessariis carent recenter & peregrè venientes, nihil illos, tanquam inexpertos adjuvante ulla scientia, ratiocinatione, judicio quantumcunque acuto & bene instructo. Adam & Eva scientiam habebant infusam, scientesque, quod ignorare non poterant, serpentes loquelæ incapaces, unius illorum persuasione, jam à Deo mundi rectores in Paradiso constituti, mundum & paradisum omnia paucarum horarum spatio perdiderunt.

Vice versâ Deus occurrere voluit extremi periculo exterminis in quo populus Israëliticus versabatur in Ægypto. Quem verò huic tanto molimini, illum à tam validis & potentibus defendendi & liberandi hostibus ministrum elegit? electus fuit Moyses, qui licet vestitus pellibus, baculum pastoritium gestans manibus oves custodiebat in deserto, quadraginta jam annis natus, constitutionisque terræ Ægypti gnarus erat. In Ægypto fuerat natus, inter Ægyptios educatus, in scholis Ægyti omnem illorum scientiam hauserat: proinde non aliis instrumentis, quam eodem baculo pastoritio omnes superavit difficultates, & feliciter intentum suum est consecutus, ea operatus miracula, quæ nunquam viderat, nec postmodum vidit mundus. Nunc illum volumus succurrere captivitatibus Ægypti, & inibi miracula patrare qui nunquam Ægyptum vidit. Propheta Habacuc à Deo in Babylonem pergere jussus, ad succurrendum Danieli in lacu leonum, prudentissimè sese excusavit, dicens se Babylonem nunquam vidisse & lacum nescire: *Babylonem nunquam vidi, & lacum* Dan. 14.
nescio. Abiit in Babylonem, & reversus v. 34.
in Judæam, dimidiæ diei spatio tantum confecit itineris per aërem, quantum & velocissimus viator non confecisset, dimidii spatio anni. Quod factum est, quia idem Angelus qui fuerat nuncii Bajulus ex parte Dei illum sustulit, & portavit ostendens illi quod nunquam viderat; & docens quod ignorabat. Supposito igitur, quod mille leucis venientes ad terram nostram non minus sibi novam ac ignotam, quam Babylonia erat Prophetæ, neque comitati neque translati sunt ab Angelis, qui experientiæ defectum suppleant, vix primis positis rudimentis revertuntur unde venerunt. Multò sanè melius provisum est locis, quæ illi occupaturi venerant, ab his, qui tam gnari constitutionis, judicio tanto, & prudentia, ejusdem terræ amore ducti illam coluerunt velut propriam, & non sterilem reddiderunt velut alienam. Et si quandoque ex cura sua & labore fructum aliquem colligant, istud sane minus erit eo, unde natum est; quod idem est, ac de novo seminare; & non mandare terræ, quod tollat mare.

Omnes

Omnes nunc adductæ rationes, congruentiæ & utilitates, præsenti in regimine promptam evincunt subjectionem, & alacrem subditorum obedientiam, respicientium hasce novas Cæsaris imagines tantò majore propensione & promptitudine, quantò magis de patria, & domo participant. Verùm ea est conditionis humanæ protervia, vitiumque patriæ tam proprium; ut cùm sint populares, domesticæ, eædemque secum imagines, loco ejus ut majorem concilient venerationem, obedientiam & respectum, in despectum, inobedientiam abeant & rebellionem. Hoc ipsum Sauli & Davidi utrique à Deo electo, patriæque regimini dignissimo evenit. Quibusdam obedientibus rebellârunt aliqui, in quibus ad septennium usque rebellio perseveravit, usque dum erroris sui experientia docti rationi paruêre. Porrò si vitii radices inquirere luberet, non aliam ipsius causam & ortum, quàm personarum æqualitatem deprehenderemus; quolibet sibi electionem & præferentiam deberi præsumente. Aaronis ad summum sacerdotium evectio, eatenus displicuit multis, ut Dathan, Core & Abyron eam in populo suscitârint seditionem, ut ad hanc sedandam Deo mandante, ad condignè puniendos rebelles aperta terra hiatu suo absorptos transmiserit ad infernum cum omnibus substantiis & familiis; & igne de cœlo descendente plus quam quatuordecim millia hominum, rebellionis complicum fuerint consumpta. Enim verò quare rebellibus adhæserunt? quia multi eorum, conditione æquales, cognatione Aaronem contingebant, ideoque prælatum sibi ægrè ferebant. Sed Deus similium ambitionum cæcitatem graviter adeò fert & severè castigat; ut lege lata populo eidem sanxiverit, ut si quandoque Regem sibi constituere vellent, cujus gubernarentur imperio, non aliundè sibi, nec extraneum ullatenus, sed ex fratribus suis hunc eligerent: *Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Deut. 1. v. 15. Denique Christus Dominus noster bonum pastorem vocat illum, qui cognoscit oves suas, & cognoscitur ab illis: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Quomodo eas reget & gubernabit extraneus (& quidem insuper mercenarius) qui nec cognoscit eas, neque cognoscitur ab illis?

§. IX.

VErùm contra hæc omnia insurgit illa Politica usu magis & consuetudine quàm exemplis approbata, quæ persuasit mundo, ut solùm imaginum splendore capiatur, vel perstringi se sinat, non advertentibus hominibus, quod repræsentatio, in qua imagines consistunt, in quacunque demum materia, semper eadem sit. Qui verè credit in Christum, non minus in plumbeo, quàm aureo Crucifixo illum adorat. Nihilo secius adulatores, & adulationibus pasti illis tantùm regimina deberi volunt, & eisdem idonea judicant magnifica & illustria nomina: ac si opera & facinora præclara & honorifica non ratione majore speranda sint ab eis, qui ad honorem famamque acquirendam aspirant, quàm ab eis, qui jam se eam habere putant, & publicè jactant. Ipse conditionis illustrioris splendor metum illis aufert, & exemptione extollit, quæ magna attentandi audaciam præbet; & ex magna audacia majores pul-

pullulant ruinæ. Elementorum omnium splendidissimum, & loci situ sublimissimum, & qualitate nobilissimum, est ignis, à quo radii accenduntur cœlestes, & incendia excitantur in terra. Naturalis ipsius activitatis finis & scopus est, excitare fumos, & facere cineres: nec accommodatum ædificandis & conservandis civitatibus instrumentum est quod concremare & consumere trias consuevit. Reliqua Elementa nobis inserviunt gratis, & ignis solus nostris expensis, ut enim serviat, habere debet quod comburat, & nisi comburat, non servit. Hujuscemodi est illa splendidissimi lux elementi, & hujuscemodi sæpius regimen illustrissimorũ. David Illustris non erat, & Salomon filius ejus Illustrissimus fuit, & regnum quod conservavit & amplificavit non Illustris, evertit Illustrissimus.

In Apologo quem ex S. Scriptura retulimus, in quo arbores regem sibi quæsierunt, valde notandum est, quod nonnisi olivæ, ficulneæ & viti, prætermissis & exclusis aliis omnibus, regnum obtulerint. Ficulneæ, vitis & olivæ nomina considerate, quæ omnia sunt honorifica, & mediocriter nobilia. Enim verò; quare idem non obtulerunt Cedris, Palmis & Cypressis? Nunquid non istæ altitudine, celebritate, & decore arbores antecedunt universas? ut quid igitur viridis hæc & florida plantarum respublica imperium ipsis deferre noluit? ratio fuit, quia altissimæ & illustrissimæ erant. Altum & illustre decori & magnificentiæ, sed non utilitati & necessitati deservit. Arbores Deus non pro ventorum vexillis, sed pro hominum alimento creavit. Quid refert seu prodest earum altitudo, si fructus est modicus? quem unquam Cedri, Palmæ & Cypressi sustentaverunt? è contrario ficulneam degustat mundus, olivæ liquore illuminatur, vite lætificatur, & præ cæteris plantis sustentatur. De cæteris tribus arboribus nihil aliud S. Scriptura commemorat, quàm quod exaltationem sui quærant in altissimis montibus: *Quasi* Eccl. 24.
Cedrus exaltata sum in Libano; & quasi Cy- v. 17.
pressus in monte Sion: quasi Palma exaltata sum in Cades. Condecorentur itaque arboribus istis sui montes; valles nostræ non indigent, qui earum exaltationem promoveat, sed qui remedium nostrum curet. Cedri, Palmæ & Cypressi arborum sunt Gigantes, & non minus quàm diluvium Gigantes induxerunt super terram. O quàm durum istius superbi triumviratus foret imperium; in inflexibili scilicet robore Cedri; in rugosæ Palmæ asperitate, & funestæ Cypressi tristitia! aliarum verò mediocris staturæ arborum regimen foret æquale, moderatum, suave: hinc omnes suam dulcedinem obtenderunt. Istud proinde eisdem de causis de nostro regimine expectare fas est.

Cum igitur novum regimen tam specialiter respondeat imaginibus, quas præsentes habemus, felicissimi nostri Cæsaris, quem Deus incolumem conservet; nova similiter & exactior quàm unquam sit subjectio, respectus & reverentia, quâ subditi omnes Majestatis ejusdem illos venerantur & obediunt, non tantum quasi Regis persona coram præsens adesset, sed certo modo multo adhuc amplius. Observavi tam in cœlo, quam in terra, Monarchas supremos pluris facere obsequia suis imaginibus, quàm suis propriis personis præstita. Memini me legisse in Augustino libro commentationum super Psalmos, quod commoratus Romæ tempore

nondum omnino extinctæ Idololatriæ, valde fuerit admiratus, quod homines templum solis adirent, cujus hodiedum adhuc non exigua apparent vestigia, quodque ibidem nocte dieque dorsis ipsi obversis imaginem solis adorarent. Si enim solem habebant præsentem, quare non ipsum, sed imaginem ejus adorabant? quia intelligebat Religio superstitioque Romana, propria Politiæ suæ excellentiâ gubernata, longè magnificentius esse Planetarum Monarchæ tam remotè in sua adorari imagine, quàm in seipso, quamvis viso. Saltem certissimum videtur, ita & idem supremam judicâsse Nabuchodonosoris Majestatem, quando non solum Dominum, sed universæ terræ Deum se esse sua ipsi superbia persuadebat. Tam stupendæ, ut novimus, magnitudinis statuam fieri mandavit: & fornacibus accensis contra eos qui adorare renuerent, audito tubæ sono omnes ante eam genu flectere jussit. Sed enim, si Nabuchodonosor aderat præsens, cur non se, sed statuam adorari mandavit? quia majoris gloriæ, (& ut vocabat) omnipotentiæ erat ostentatio, venerari & adorari, in repræsentante se imagine, quàm in sua propria persona.

Una tantum circumstantia Nabuchodonosor diffidentiam prodidit, scilicet imaginem suam ex auro faciendo. Rex illam ex lapide conficiat, & multo reverentius, per illam adorabitur, & tibi gloriosius erit. In statua aurea, materia & non forma adorari videri potest: valor metalli, & non repræsentatio imaginis. Ubi materia imaginum minus est pretiosa, ibi purior & excellentior est fides & reverentia. Et hæc excellentia est in casu nostro, dum non adoratur, respicitur, obedientiamque sortitur supremum Cæsaris nostri prototypon in imaginibus aureis usque huc mitti solitis, sed marmoreis, naturalibus, domesticis, nostræque terræ propriis. Porrò subsecuto sperato effectu, & ego de mutatione dexteræ excelsi mihi promitto; regimen præsens tam acceptum fore Deo, & Regi, ut Majestas sua illud confirmet & perennare faciat impendiis minoribus, majoribusque nostris commodis, tamque manifestis profectibus, & Divini Regiique servitii incremento; ut summa pace, tranquillitate, concordia in hoc nostro verificetur statu, quod hodie Christus respondit in Evangelio: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, Amen.*



SERMO



SERMO
DE
Beatiſſima Virgine Maria de Gratia.

Patrona majoris Eccleſiæ Civitatis de Parà, cujus feſtum celebratur in die Aſſumptionis ejuſdem Beatiſſimæ Virginis.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

§. I.

MAgnus dies, magna feſtivitas, magnum Evangelium: nec minor difficultas trium harum obligationum propriè & verè concordare concurſum. Magnus eſt dies; eſt enim ſpecioſus ille dies, quo Virgo Maria, ſoluto mortis debito, tanquam vera Adæ filia, mox reſuſcitata velut vera Deipara in cœlum aſcendit, ejuſdem gloria in æternum fruitura. Magnum eſt feſtum: nam feſtum eſt Beatæ Virginis de Gratia, cum titulo Patronæ majoris hujus Civitatis Eccleſiæ, præcipuæ tam latè patentis Provinciæ, omniumque capitis. Magnum eſt Evangelium; nam in eo ſub myſterioſis Marthæ & Mariæ nominibus duæ repræſentantur vitæ, activa & contemplativa; in quarum complexu tota perfectio Evangelica comprehenditur & continetur. Magna denique difficultas, tres hic concurrentes obligationes concordare; cum enim gloria ſit finis, mediumque illam conſequendi ſit Gratia, anteponere Gratiam Gloriæ, & medium fini, non ſolum videtur diſſonum, ſed manifeſtè inverti ordinem. Et quia Evangelium optimam electionem, optimamque partem applicat Beatiſſimæ Virginis Gloriæ; pro eo quod eadem Gloria celebranda eſſet in die Aſſumptionis ejuſdem, illam cum titulo Gratiæ commutare, etiam valde videtur improprium, ne dicam, injuſtum.

Quo motivo olim fundatores, templo hoc ſub titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Gratia conſtructo, ejuſdem tituli celebritatem cum die Glorioſiſſimæ Aſſumptionis ejuſdem Virginis unierint ignoratur, nec alicubi memoratur. Sed in hoc ipſo quod improprium injurioſumque videtur, ego tres ingentes proprietates, & adæquatas rationes invenio. Prima, quia Gratia jus tribuit, unde debetur Gloria: Secunda, quia Gloria cuique diſtribuitur juxta Gloriæ menſuram: Tertia, quia conſummatâ gratiâ poſſideri incipit gloria. Quia verò dies in quo jus eſt abſolutum, menſura adæquata, nec non immenſa Deiparæ Gratia perfectè conſummata, idem ipſe fuit ejuſdem Glorioſæ Aſſumptionis; nec differentibus horis & momentis, ſed eadem prorſus diei illius horâ

& momento, quo Gratiæ immenſitatem plenè conſummavit, Beatiſſima Virgo Gloriæ immenſitate frui cœpit; non pietatis tantum, devotioniſque fuit peculiaris, ſed etiam juſtitiæ, in hac celebrari die, ſicut fit, cum titulo Beatiſſimæ Virginis de Gratia: in tantùm, ut in nullo alio die ſive Beatiſſimæ Virgini feſto, convenientius illi tribui poſſit titulus Gratiæ, quàm hodie, & hoc feſto. Et quare? quia in omnibus reliquis diebus, Gratia ejus incrementum ſemper accipiebat, in hac ſummum perfectionis & conſummationis attigit gradum: in die Conceptionis Beatiſſima Virgo Maria concepta fuit in gratia, ſed hæc gratia à Conceptione, uſque ad Nativitatem crevit; à Nativitate uſque ad præſentationem in templo; & à præſentatione in templo, uſque ad Incarnationem. In die Incarnationis Beatiſſima Maria Gratia fuit plena, ſed hæc Gratia crevit uſque ad viſitationem; à viſitatione uſque ad partum, à partu uſque ad Purificationem, à Purificatione uſque ad mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem filii ſui; & tot ſucceſſivè annis quibus in hoc mundo vixit, ſemper magis magiſque uſque ad ultimum vitæ inſtans accrevit. Proinde nullo die alio, præterquam vitæ ipſius ultimo, qui fuit ipſe Beatiſſimæ Virginis Mariæ dies, Gratia ejus propriè & principaliter celebrari poterat, vel debebat: nam in illa ſolum die eadem Gratia in omni ſua perfectione & magnificentia abſoluta fuit & conſummata. Et iſtud hæc noſtra celebrat Eccleſia.

Sed quia Gratia Beatiſſimæ Virginis Mariæ fuit conſummata in die qua vitam finivit temporalem, & Gloria ejuſdem etiam fuit conſummata in die, qua vitam inchoavit æternam; ad aggrediendam quæſtionem profundiſſimam: in hiſce terminis, & in hac die inevitabilem inter Gratiam & Gloriam utramque conſummatam: & ad reſolvendum, ad quam, juxta thema noſtrum, partis optimæ pertineat electio, *Maria optimam partem elegit*: Ab eadem petamus Gratiæ & Gloriæ Domina, ut ita ſua nobis aſſiſtat gratia, ut eandem in ſua mereamur contemplari Gloria. *Ave Maria.*

§. II.

Maria optimam partem elegit.

MAria tota attentione in ſui communiſque noſtri Magiſtri divini verbis audiendis ſuſpenſa; Martha ſimiliter omni curâ & ſolicitudine in adornanda condignè menſa, in qua tantum hoſpitem erat tractatura occupata: Maria arbitrante ex urbanitatis præſcripto, ſui potius eſſe officii, Domino aſſiſtere; & Martha ſe a Sorore in miniſterio derelictam conquerente: Chriſtus ad querelam reſpondit unius; & ſilendo alteri ſuccurrit ſorori, velut oraculum divinum pronuncians, quod Maria optimam partem elegiſſet: *Maria optimam partem elegit.* Hiſtoriam hanc allegoricè ſumptam, cum propriam non habeat Evangelium, Eccleſia Catholica, præſenti glorioſæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ Aſſumptionis applicat ſolemnitati, non Mariam (Magdalenam) comparans Marthæ; ſed Mariam (Matrem Dei) toti cœleſti Angelorum ſimul & hominum præferens curiæ, cœleſtem Gloriam in duas dividit partes; unam, quæ omnes complectitur Beatos; & alteram, quæ ad ſolam pertinet Mariam. Et hanc decantat & prædicat quod non ſit melior quocunque modo; ſed optima in gradu ſuperlativo, *optimam partem elegit.*

Hoc

Hoc modò peraptè Evangelium concordat cum Gloria Beatissimæ Virginis Mariæ : sed secunda loco huic reservata difficultas non consistit in eo , ut cum Gloria ejus, sed cum gratia ejus Evangelium concordet. Enim verò quid esset, si ego Evangelium ipsaque verba magis propriè titulo Gratiæ, quàm titulo Gloriæ ejusdem Virginis Mariæ congruere assererem; sic pronuncio , & sic illud probo : Quicquid enim Maria ad pedes acquirebat Christi, & melioris electio qua Sorori suæ fuit prælata, historicè, literaliter & propriè erat de Gratia & non de Gloria. Eodem confirmatur textu , qui ait quod Maria auscultabat
Luc. 10. v. 39. Dominum : *Audiebat Verbum illius.* Non dicit quod videbat, sed quod audiebat & auscultabat : auditus autem , qui est sensus fidei , ad hanc pertinet vitam , ubi anima melioratur per gratiam ; & non ad alteram , ubi beatificatur per Gloriam. Quantum igitur ad concordiam Evangelii cum titulo ; longè melius illud conciliatum habemus cum titulo Gratiæ, quàm cum titulo Gloriæ ; nam titulo Gloriæ accommodatur tantum parabolicè ; titulo Gratiæ congruit historialiter, propriè & naturaliter.

Restat tantummodo partis unius bonæ, & alterius melioris comparatio & quænam optimam Gloria sit subsecuta : *Maria optimam partem elegit*, comparatione literaliter accepta , Maria Magdalena in melioritate gratiæ Marthæ fuit prælata : comparatione allegoricè sumptâ , Mater Dei Maria omnibus Beatis in melioritate Gloriæ fuit prælata. Veruntamen in comparatione nostra, & particularis hujus Ecclesiæ, in qua illam celebramus sub titulo Gratiæ, eodem die quo illam Ecclesia universalis celebrat sub titulo Gloriæ ; si ipsa Domina comparari nequit nisi cum se ipsa, neque alia dari potest comparatio, nisi inter Gratiam & Gloriam ; Utinam horum duorum tribuenda videtur præferentia, & de quanam dicendum, *Maria optimam partem elegit* ; Num Mariæ quatenùs Dominæ Gratiæ , seu quatenus Dominæ Gloriæ ? Istud sublimissimum erit discursus nostri punctum. Et quamvis uterque titulus in Matre Dei sit immensus ; pro majore tamen ejusdem Dominæ Gloria, Gratiæ suæ titulo dabimus primas. Utinam eadem Gratiæ Domina suâ nobis assisteret , ut penetraremus hanc veritatem, vel nos ab ea penetrari ritè pateremur.

§. III.

PRo demonstratione ejus & intelligentia (quæ majora etiam ingenia fatigat) supponendum est, tam Gratiam, quàm Gloriam esse bona supernaturalia. Porrò si me interrogaveritis (sicut vel omnes, vel quasi omnes interrogare me debetis) quid sit bonum supernaturale ? Scire vos oportet , esse bonum , quod nobilitate, pretio, & dignitate universa alia bona naturæ tam visibilia quàm invisibilia transcendit. Quem excessum ut exemplo quodam declaremus : eritne quasi adamas communi alicui plateæ lapidi comparatus ? eritne similis illo Solis cum umbra collati ? eritne instar hominis cum formica comparati ? eritne ad instar seraphini cum bulla collati ? Nulla ratione. Lapis enim & adamas, homo & formica, Seraphim & bulla omnia naturalia sunt, & creata à Deo quatenùs naturæ authore : & quia sunt naturalia , nihil horum comparari potest alicui supernatura-

li; etiam in tantum, ut si Deus crearet, uti potest, mille mundos alios isto perfectiores, & numerosioribus, nobilioribus; excellentioribusque creaturis ornatos, supernaturale eos semper excederet: superioris enim est gradus, quàm omnia quæ naturæ sphœra comprehendit. Porrò tales sunt Gratia & Gloria, quæ solum inter se comparari possunt, pro ut nos in hac nostra quæstione illas comparamus.

Dico igitur, seu repeto, quod si electio facienda esset inter Gloriam & Gratiam, juxta nostrum thema, *Maria optimam partem elegit*, eligenda potius esset Gratia, quàm Gloria: Idque non unam sed multas ob rationes. Prima, quia Gratia secum involvit Gloriam; & quamvis dari possit Gratia sine Gloria; non tamen è converso Gloria dari potest sine Gratia. Gratia fundamentum est Gloriæ, & Gloria est consequentia Gratiæ: Gratia debetur nemini, & Gloria debetur omni in Gratia constituto. S. Petrus Apostolus inquit, quod mediante Gratia, qua tanquam forma divinæ consortes efficimur naturæ, Deus nobis maxima & pretiosissima pollicitus fuerit; quod verba illa significant: *Per quam maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ:* Ita ut in dono Deus nobis simul dederit donum & promissa. Sed si promissa sunt de futuro, & dona de præsenti, quo pacto promissa dedit in dono? Quia promissa futura sunt Gloria & beatitudo, qua fruemur in cœlo; donum præsens est Gratia, qua jam fruimur in terra: & quia Gratia Gloriam beatitudinemque involvit, consequenter donando nobis donum, simul & promissa nobis dedit: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit.*

2. Petri 1. v. 4.

In hunc modum celebrem hunc locum S. Petri explicant & declarant eruditiores, & expositores literales; ego verò meliorem omnibus expositorem habeo Regium Prophetam; *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, Gratiam & Gloriam dabit Dominus.* q. d. Quia Deus amat misericordiam & veritatem, hinc Gratiam dabit, insuper & Gloriam. Consideremus bene illud, *quia:* quia Deus misericors est & verax, misericordiam diligit & veritatem; estne hæc ratio, seu suntne hæ rationes, quare Deus daturus sit Gratiam, insuper & Gloriam? Ita plane. Daturus est Gratiam quia misericors: & Gloriam, quia verax. Quemadmodum Gratia, qua Deus condonatis peccatis nos sibi reconciliat, nemini debetur, sed est gratuitum & liberale misericordiæ suæ donum: sed Gloria, quam Deus omni in Gratia suo constituto promisit, tota spectat ad ejus veritatem; nam quatenùs verax, suis nequit non stare promissis. Eleganter idipsum S. Augustinus describit: *Ille qui tribuit misericordiam, servat veritatem, indulgentiam donavit, coronam reddet: Donator est indulgentiæ, debitor coronæ.* q. d. Idem Deus qui in gratia suam nobis præstitit misericordiam, in Gloria suam nobis exhibebit veritatem. In Gratia misericordiam, quia non debitam nobis impendit indulgentiam: & in gloria suam veritatem, quia nobis dabit coronam, cujus se debitorem fecit, *donator indulgentiæ, debitor coronæ.* Modus verò quo se debitorem fecit est, non quod aliquid acceperit à nobis, quod solvere teneatur, sed quia id promisit nobis, quod non potest non adimplere: *debi-* S. Aug.

Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde quod accepisti; sed redde quod promisisti. Et quia in archivis Gratiæ deposita sunt credita Gloriæ, videte, num Gratia eligenda sit potius quàm Gloria; cum Gratia & Gloria simul pertineant ad Gratiam.

Propter infallibilem hanc Gratiæ cum Gloria connexionem, S. Paulus spem dixit beatam, qua in hac vita Gloriam

Ad Tit. 2. v. 13. speramus: *expectantes beatam spem, & adventum Gloriæ magni Dei.* Sed ne hac spe decipiamur, sicut & reliquæ spes adeò solent decipere; animadvertere necesse est, magnam inter fundamenta ejus esse differentiam. Spes medium inter fidem & charitatem locum obtinet. Spes in sola fundata fide, non est verè beata, in dubio enim positam habet beatitudinem: fundata autem in charitate, quæ est gratia, certam & indubiam habet beatitudinem; non enim Deus speratam illi negare potest beatitudinem & Gloriam: *Expectantes beatam spem, & adventum Gloriæ magni Dei.*

§. IV.

Ratio secunda, quare eligenda sit magis Gratia, quàm Gloria, ab utriusque deducta est definitione & essentia. Gratia in amando Deum, & ab eodem amari consistit: Gloria in videndo ipsum Deum: & quamvis videre Deum maxima sit felicitas; quis negabit præferendam infinitè inæqualis, sed reciproci amoris correspondentiam, scilicet hominis erga Deum, & vice versa? Dei erga hominem? Hanc supremæ correspondentiæ veritatem, ipse Deus esse fecit de fide, quando dixit, *Ego diligentes me diligo.* Imago ipsâ Dei visione, cum amore ejusdem ex parte nostra collata, nullus erit justus, qui non potius amare eligat. Et si minus, eos judices adducamus, qui clarius vident, ardentiusque Deum amant, scilicet Seraphinos. A latere throni Dei in cœlo Isaias Propheta duos vidit Seraphinos; qui alis duabus faciem velabant, & duabus alis pectore aperto volabant. Omnes Angeli vident, & Deum amant; & quantò magis Deum contemplantur & amant, tantò eminentiorem quilibet in sua Hierarchia obtinet locum. Si igitur Seraphini isti eo ordine, quo supremum in suprema Hierarchia obtinent locum tales sunt, quia clarius vident & ardentius amant Deum; quare se visibiles exhibuerunt Prophetæ oculis opertis & velatis ad non videndum, & pectore tantum retecto ad amandum? Ad amandum dico, & magis magisque amandum; alarum enim motus (cum non starent ad volandum, sed fixi in loco consisterent) plus proderat ad amoris incendium tolerandum, prout nonnulli ajunt interpretes; vel ad magis inflammandum & accendendum, prout dicunt alii. Verum enim verò, si tantùm, tamque ardenter amant; quomodo alis aliis extinguere, aliisque accendere, ipsique amori objecti amati visionem negare videntur? *Sanchez. Cornel. hic.*

Duplici responso huic bene fundato dubio est occurrendum. Primum est, quòd operiebant & velabant oculos ad non videndum, quando retegebant pectus ad amandum, ipso Deo visûs & amoris existente objecto: quia plus gloriantur Seraphini, majorisque æstimant in suprema status sui felicitate singularitatem amoris, quàm præeminentiam visionis. Idcircò, prout notat Dio-

Dionyſius Areopagita, denominationem intelle&us, qui ſunt oculi quibus videtur Deus, reliquerunt Cherubinis uno gradu inferioribus, ſibi uſurpantes antonomaſiam incendii, quo ſeſe in ipſius Dei amore accendunt, Seraphinos ſe, id eſt, ardentes, appellant. Secunda multoque ſublimior ratio, quod claudant oculos, quando aperiunt pectus, eſt, quia excellentius judicant perfectiſſimo amore dignum, non videndo potius amare, quàm videndo. Idipſum S. Petrus in primis Chriſtianiſmi profeſſionibus exaggerat dicens, quod non videndo Deum amarent: *Quem cum non videritis diligitis.* Et hæc profectò differentia eſt Seraphica quâ Beati Gratiæ in terra, & Beati Gloriæ Deum amant in cœlo. Illi Gloriæ Deum amant videndo: & hi Gratiæ ſimiliter illum amant, ſed non videndo.

1. S. Pet. 1. v. 8.

Porrò ſi hac gaudent prærogativa, in quantum ſolummodo amant Deum, quod Gratiæ pars eſt; quid erit in quantum amant Deum & amantur ab eo in quo tota conſiſtit? reciprocam hanc Deum inter & hominem in gratia, conſtitutum amoris correſpondentiam, anima declaravit in Canticis dicens, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* q. d. Deus eſt dilectus meus, & ego ſum dilecta ipſius. Et cum Deus per infinitam ſuam magnificentiam & ſupereminentiam ſit ille qui eſt, & homo per ſuam vilitatem & abjectionem etiam infinitam, ſit ille, qui eſt (vel qui non eſt) quis hunc confidentialem, & æqualem loquendi modum non admiretur & obſtupeſcat, ille mihi, & ego illi: id eſt, ille dilectus meus, & ego dilecta ejus? S. Bernardus in hæc duo commentans verba quodlibet eorum inſolens, & utrumque inſolentiſſimum appellare non erubuit: *Inſolens Verbum, & ego illi: nec minus inſolens, dilectus meus mihi: niſi quod utroque inſolentius utrumque ſimul.* Sed anima illud effata agebat in Gratia, & ad tantam ſublimitatem eadem Gratia elevat animam, non tantum quatenus amat, ſed quatenùs amat, & redamatur à Deo; ut quod inſolentiam redolere videri poterat ex parte hominis, ex parte Dei juſta ſit condeſcenſio: tali familiaritate Deo agente cum homine, & vice verſa, ac ſi æqualis fuiſſent conditionis: *Quaſi ex æquo morem gerere, & rependere vicem*, idem notat S. Bernardus. Agedum conferte nunc ſi placet, amare Deum in cœlo per viſionem, cum hoc amari à Deo in terra per Gratiam. Beati in cœlo dicent, quod videndo Deum neceſſario ament: Nos dicemus in terra, quod quia vivimus in Gratia Dei, neceſſariò amemur à Deo. Huic meo aſſerto juſtius adhuc inſolentis deberetur cenſura, niſi eſſet de fide, ſicuti eſt. Si viſio Dei neceſſario Beatos impellit ad amandum Deum, etiam Gratia neceſſariò Deum movet ad amandum hominem. Viſio neceſſariò movet Beatos ad diligendum Deum, non enim poſſunt ab amando Deo viſo ceſſare: Et Gratia neceſſariò incitat Deum ad diligendum hominem: Deus enim non poteſt non diligere hominem, in Gratia conſtitutum.

Cant. 2. v. 16.

D. Bern. ſerm. 68.

§ V.

TErtia ratio ſeu præcellentia, quare, abſtrahendo Gratiam à Gloria (in quo ſenſu jam loquimur) eligenda potius ſit Gratia quàm Gloria, eſt, quia Gratia facit Filium Dei, Gloriâ hæredem. Si homines cognoſcerent, quid iſtud nomen Filii Dei includeret, & quomodo Gratia

non

non solum illud nomen nobis tribuat, sed ipsum esse significatum conferat; quàm aliter in se æstimarent, in aliisque nativitatem hanc plus quam regiam revererentur! Si nasci de Carolo in Hispania, vel de Ludovico in Gallia, vel de Leopoldo in Germania non sine ratione maximæ fortunæ loco habetur; qualis erit illorum de quibus veraciter dicitur, *non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt*? Aliorum nativitas ex sanguine, illa filiorum non ex sanguine æstimatur; sed ratio, cur homines sublimissimam hanc nativitatem pro dinitate non æstiment, est, quia Deum non cognoscunt. Si ignorant Patrem, quomodo filios æstimabunt? Profundissima hoc consideratione S. Joannes Evangelista expendit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus: propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* Ecce, inquit, quousque progressa sit Patris æterni charitas, ut donum nobis tam excellens, & supra humanum conferret, & tam propinquum ad divinitatem suam jus tribueret; ut non solum Flii Dei nominemur, sed verè tales simus! Porrò si mundus nos quà tales pro dignitate non æstimat, inde est, quia non novit eum: *propter hoc mundus novit nos, quia non novit eum.* Quasi Evangelistarum aquila diceret? Ego sum despectus, quia mundus novit Zebedæum, cujus sum filius per naturam; nec me pro debito æstimat, quia non novit Deum, cujus filius sum per gratiam.

Joan. 1. v. 13.

1. Joan. 3. v. 1.

Notate quid dicit, & quid non dicit S. Joannes. Dicere debuisse videtur, quod mundus nos non æstimet, quia filios Dei nos esse ignorat: sed hoc non dicit; Verum ait, quod mundus nos non æstimet condignè, quia non novit Deum cujus filii sumus: Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Ergone quia mundus non novit nos filios esse Dei, sequitur quod non noverit Deum? Ita sanè. Et ratio est, quia præsumit conceptumque format de Deo, non quasi de Deo, sed quasi de Homine. Homo tantum adoptat hæredemque instituit servum, deficiente filio proprio: Sic Abraham, supposito se non habiturum filium, dixit Deo hæredem suum futurum Eliezer servum suum. *Ego vadam absque liberis: & Eliezer vernaculus meus hæres meus erit.* Et postquam Deus Abrahamo dedit filium Isaacum, uxor ejus Sara dixit, ut ejiceret Ismaelem ancillæ filium, quia filii sui eum cohæredem nollet: *Ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Istud agunt homines, idemque præsumit & supponit de Deo, qui illum non novit: *Quia non novit eum*: Quia Deus Filium habet proprium & naturalem sibi in omnibus æqualem, & nos homines servi sumus, ignorans putat mundus, Deum filii sui cohæredes non facere servos; sed tam verùm est contrarium, & cùm servi essent per naturam, eos prius filios faceret per gratiam. Quod S. Paulus expressis attestatur verbis: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Gen. 15. v. 2. & 3.

Gen. 20. v. 10.

Rom. 8. v. 16.

In hoc ultimo verbo, *conglorificemur*, & in verbo *Cohæredes* Apostolus declarat, quod sicut gratia nos facit filios, sic Gloria nos facit Hæredes; ut videamus nunc utrum gloriandum potius sit nobis, nos esse hæredes quàm filios; & utrum magis æstimanda sit hæreditas, an nativitas. Hic ubi Parentes sunt hominis, contingere potest, & contingit sæpius, nativitatem

esse tam vilem & despectam, hæreditatem verò tam opulentam & copiosam, ut contempta nativitate æstimetur hæreditas: sed ubi pater est Deus tam immensus nobilitate quam essentia, quamvis Gloria nos faciat hæredes, clarum est, quod semper magis in infinitum æstimanda sit Gratia, quæ nos facit filios. Hinc patuit error & prudentia duorum illorum filiorum Patris, qui Deum repræsentabat, quorum unus fatuus, alter prudens erat. Fatuus prodigus vivente adhuc patre suam sibi dari petiit hæreditatem, pluris æstimans esse hæredem, quàm filium: prudens autem frater Senior semper in domo patris mansit, nec loquens nec cogitans ejusdem de hæreditate; qui tantò minoris æstimabat hæreditatem, ac si tantum filius & non hæres esset. Idem faciendum incumbit illi, qui judicio maturo & integro Gratiam & Gloriam comparârit.

§. VI.

Quarta ratio hujus præferentiæ subtilitate sua & acumine authori suo respondet. Illud est melius (inquit Scotus) cujus oppositum est pejus: Oppositum Gloriæ, quæ consistit in videndo Deum, est non videre Deum: Oppositum Gratiæ, quæ consistit in amando Deum, est Deum non diligere: Ergo melior est Gratia quàm Gloria; nam pejus est non diligere Deum, quod est oppositum gratiæ; quàm non videre Deũ, quod est oppositũ Gloriæ. Et quod pejus sit non diligere, quàm non videre Deum, manifestum est; nam non velle videre Deũ non solũ licitum, sed meritorium esse potest; & velle non diligere Deum, non solum semper est peccatum, & quidem gravissimum: sed nec datur, nec possibile est dari motivum, quod tolerabile illud & licitum reddat.

In testamento veteri & novo, duo insignia Theologiæ hujus exempla habemus, in binis præclarissimis Charitatis Heroibus, Moyse & Paulo. Cum Deus vice quadam populum Israëliticum ob Idololatriam vituli funditus delere decrevisset, decreto huic sibi à Deo revelato Moyses sese opposuit, dicens: *aut dimitte* Exodi 32.
illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de li- v. 31. &
bro tuo quem scripsisti. Liber hic, uti ex mul- 32.
tis S. Scripturæ locis constat, est ille in quo scripti sunt prædestinati pro Gloria. Sed gradum hic sistentes, ad S. Paulum transeamus. S. Paulus ingens suum declaraturus desiderium, & dolorem, videndo quomodo nationis suæ homines in Christum credere renuentes obstinato animo in perpetuam sese damnationem præcipitarent, protestatur paratum se tale ex semetipso Deo offerre sacrificium pro eorum salute, quo ipse Gloria privaretur, quæ in ipsius visione consistit, eo tantum fine, ut Gloria, qua ipse se privaret, illi fruerentur credendo in Christum. Istud innunt generosa illa & cordata Verba: *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus* Rom. 9.
meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem. Et sic textum hunc, & illum Moysis intelligunt S. Joannes Chrysostomus, Theophilactus, Oecumenius, Rupertus, Cassianus, Origines, S. Bernardus, & inter Theologos & interpretes sententia est literalis magis & communis.

Antequam punctum hoc concludamus, monitum quoddam terræ huic pernecessarium silentio præterire nolo. Illi qui oculis tantum arbitrantur omnia, videntes Ministros Evangelicos conscendere navem versus has seu alias gentilium partes, non aliud sibi persuadere possunt, quàm quod aliquo bonorum, commodorum-

tumque temporalium motivo ducantur. Sed ad dissolvendam hanc deceptionem sufficere sanè posset, prudentis cujusdam consideratio, quàm habebat Romæ conscendens navem ut exulatum in Pontum Euxinum navigaret: *vel quò festinas ire, vel unde, vide*, id est, vide unde abis, & quo pergis. Illi, quorum intentiones tam sinistrè dijudicatis, ecce unde, & quo vadunt: & considerate (imò temporaliter) id quod ibi relinquunt, & quod hîc inveniunt. Ratio verò, quare sic vilipendatis pericula marium, incommoditates terrarum, nec non intemperiem & differentiam Climatum, est, quia sicut illi, pretium non cognoscitis animarum. Nunquid bene fecisse vobis videntur Moyses & S. Paulus, volendo beatitudinem gloriamque cælestem commutare cum salute animarum proximorum suorum? non adeò rudem crediderim fidem vestram, ut malè eos fecisse decernatis. Ergo longè minus est commutare Lusitaniam, seu Germaniam, quàm cælum; & salvare velle animas proprias & alienas, quàm ad videndum Deum adducere alienas cum dispendio illum non videndi per omnem æternitatem. Et istud non solum post Christum fecit S. Paulus; sed etiam ante Christum Moyses.

Nunc interrogo. Duo isti homines tanti animi, tamque generosæ resolutionis, ut parati essent renunciare visioni Dei, nunquid eodem resolutionis impetu & fervore acti supponebant se Deum non amaturos? absit nulla ratione. Quia quemadmodum ex tam pio, tantæque charitatis motivo, non tantum actio esset licita, sed heroica, offerre se ad non videndum Deum; sic non solum illicita, sed impia esset, semet exponere ad illum non diligendum: imò certum est, quod quantò magis renunciabant visioni Dei, ob amorem proximi, tantò fortiores in amore Dei egerint radices. Eloquentiam S. Chrysost. S. Paulum hoc casu arguentis auscultemus; *Quid ais S. Paule, nonne jam dixisti; Quis nos separabit à charitate Christi?* q.d. Benè Paule, nonne tu ille es, qui dixisti, nihil te separaturum ab amore Christi? nonne tu idem ille es, qui animam tuam à corporeis vinculis absolutam desiderabas, ut semper esses cum Christo? Quonam igitur pacto illius visione in æternum carere desideras? Eandem omninò ob rationem nomine S. Pauli respondet idem Chrysostomus. Quia vehementer amo Christum, hinc ipsius me visione privare paratus sum, ut loco mei, qui unus sum, illum videant fruitivè multi, & secundùm desiderium meum illum ament & laudent omnes: *Imò quia amo Christum, cupio separari à fruitione Christi, ut plures, imò omnes eum ament, & laudent.* Porrò quàm gratus & acceptus Deo fuerit hic charitatis tam in S. Paulo, quàm in Moyse excessus, licet à neutro oblatum acceptaverit sacrificium, satis manifestè liquet ex gratiis & favoribus, quibus utrumque honoravit: dum generaliter & cum omnibus talem inter Gratiam suam & gloriam fecit differentiam, ut qui ejus non desiderat gratiam, puniat ipsum privando gloriâ; & qui simili ex motivo ejus renunciaverit gloriæ, illum remuneret Gratiæ incremento.

S. Chrysost.
Rom. 8. v. 35.

§. VII.

In immensum dilataretur materia, si vellemus, uti hucusque fecimus, cæteras differentiæ hujus examinare rationes: at quia consultum non est relinqui intactas & in silentio, cursim eas notabo. Sit igitur quinta, quod ad conservandam Gratiā non tantum licitum & laudabile est renunciare Gloriæ cœlesti; sed etiam malle potius

pœnas & tormenta sustinere inferni. Istud non desiderarunt Moyses & S. Paulus, sed est celebranda S. Anselmi resolutio, quam in simili casu quemque Christianorum imitari fas est: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni eorum deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem.* Ulterius: Etsi foret possibile (sicut potentiæ absolutæ non repugnat) hominem existentem in peccato Deum videre in cœlo: Quis in tali casu esset felicior, iste homo, vel Anselmus? Nullum est dubiū quin Anselmus. Quia Anselmus in Inferno conservaret Gratiam, quamvis pœnas pateretur damnatorum: & alter in cœlo licet videret Deum, in quo Beatorū Gloria consistit, non existeret in Gratia.

Anselm. lib. de similit. c.190.

Amplius. Non supponendo casus extraordinarios, sed quod Deus actu in cœlo operatur & in terra. In cœlo Deus semper visionem sui communicat iis qui post mortem Gloriâ inveniuntur digni: & in terra suam semper gratiam largitur ritè se disponentibus. Quali verò modo, qualive prærogativæ & honoris differentiâ Deus utrisque visionem sui, gratiamque suam communicat? Benedicta sit Bonitas divina, nunquam in demonstrationibus suis magis divina! Quibus suam communicat Gloriam, illos ducit in cælum locum illis in sua curia assignando: Quibus verò suam communicat gratiam, ad ipsos personaliter venit eam impertiturus, & sibi mansionem in ipsis facturus. Admissi in cœlum, habitamus cum Deo: In Gratia constituti non solum nobiscum, sed etiam in nobis habitantem Deum habemus. Porrò ut personalis hæc Dei habitatio in nobis in nullo sit minor, quàm ejusdem visio in cœlis jam in Gloria existentibus; Theologi concordant, ut quis videns Deum verè sit beatus, non sufficit tantum videre Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; sed necesse est omnes tres divinas videre personas. Hoc enim est videre Deum sicuti est: *Tunc videbimus eum sicuti est.* Quemadmodum igitur in cœlo visione beati non solum unam vident Trinitatis personam, sed omnes tres; Sic in terra Beati Gratia, non tantum Patrem, vel Filium, aut Spiritum sanctum, sed totum Deum Trinum & unum in omnibus inhabitantem habent personis: & hoc tanta differentia excellentiæ, quanta intercedit objectum inter inhabitatorem, de quo expressus extat Christi textus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus & mansionem apud ipsum faciemus. Si quis diligit me*, ecce Gratiam: *Et ad eum veniemus*, ecce tres personas divinas; *Et mansionem apud ipsum faciemus*, ecce perpetuam habitationem, & præsentiam permanentem.

1. Joan. 3. v. 2.

Joan. 14. v. 23.

Joan. 14. v. 23.

Amplius adhuc, quamvis ultra jam dicta videatur dari non posse amplius. Novæ hujus differentiæ & excellentiæ ratio est; quia Gloriam quâ fruemur in cœlo beneficio visionis, jam possidemus in terra per Gratiam. S. Petrus Apostolus scribens ad neo-Christianos, seu fidei Christianæ Neophytos in Pento, Galatia, Capadocia, Asia & Bythinia commorantes, quò tanquam summus Pontifex, Christique in terris Vicarius fidem prædicatum perrexerat (ut denuò innotescat, quam sublime sit ministerium conversio Gentilium, tam parum à Gente rudi cognitum) notabilia hæc verba pronunciat: *Benedictus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in hæreditatem corruptibilem, & incon-*

1. Pet. 1. v. 3. & 4.

contaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cœlis, in vobis. In his ultimis duobus verbis *in cœlis*, & *in vobis*, totum sententiæ hujus mirabile consistit. Quod Gloria conservetur in cœlo, benè intelligitur: cœlum quippe locus est Gloriæ, & in cœlo eâ fruemur: verùm si illi quibus S. Petrus loquebatur, erant in terra, sicut & nos; quare illis dicit eandem Gloriam non tantùm conservatam esse in cœlo, sed in illis ipsis, & in nobis, *conservatam in cœlis*, & in vobis? quia in memoriam illis revocare satagebat, ut se per Baptismi Gratiam regeneratos meminissent; eandemque Gloriam, qua postmodum fruemur, in cœlo per visionem nos eam possidere in terra per Gratiam. Ita ut Christianus in gratia constitutus, & in cœlum tendens, non solùm secum deferat jus ad Gloriam, sed in se ejusdem Gloriæ possessionem. Hinc non dicit conservatam pro nobis, sed in nobis: *in cœlis, & in vobis.* Quilibet nunc videat, utrum boni præsentis possessionem, vel futuri intra se, vel extra se eligeret.

§. VIII.

Ulterius adhuc. S. Chrysostomus inquit, sicut timendus non est infernus propter pœnarum horribilitatem, sed propter Deum offensum, ejusque Gratiam perditam: sic nec desiderandum est cœlum primario amore Gloriæ, sed ad fruendum ejusdem Gratia, & amandum Deum in æternum? *Ut gehennam timere non debemus propter ignem; sed quia offendimus tam bonum Dominum; & ab ipsius Gratia sumus alieni: ita ad regnum nobis festinandum propter amorem in illium, ut ejus Gratia fruamur.* Proinde amor & desiderium Gloriæ benè ordinatum, non fit amore Gloriæ, sed amore Gratiæ. Error est,

S. Chrysost. hom. 23. in Gen

in quem lapsus est Moyses, sed quem eodem actu, admirabili verborum suorum retractatione mox emendavit. Dixerat ipsi Deus, quod in gratia esset constitutus: *Invenisti Gratiam coram me.* Porrò Moyses præsupposito quod in Gratia ipsius constitutus esset, instititit dicens: *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam Gratiam ante oculos tuos.* Quis in his verbis non videat, & notet, quomodo eodem actu, quo illa pronunciat, Moyses ordinem mutet, quo illa dicere cæpit & finiit; Incipiendo Gratiam Dei, ad visionem Dei ordinavit: *Si inveni Gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* Et finiendo eandem Dei visionem, ad Gratiam Dei ordinavit: *Ostende mihi faciem tuam, ut inveniam Gratiam ante oculos tuos.* Ergone Gratia eadem in verbis primis medium est consequendi visionem Dei, & mox visio eadem in verbis secundis medium est eandem Gratiã obtinendi? Ita omninò est. Sic enim Moyses suum emendavit desiderium. Ordinare Gratiam ad Gloriam; Gloriamque finem facere Gratiæ melius per omnem modum est desiderium. Quare? Quia Gratia ante Gloriam periculosa est, & post Gloriam secura. Et quamvis bonum sit desiderare Gratiam ad fruendum Gloriâ: longè præstantius est desiderium, sublimiorque cogitatus, desiderare Gloriam, ad securam reddendam Gratiam. Primùm fecit Moyses minùs consideratè dicendo, *Si inveni Gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* Secundùm maturiore & saniore judicio, dicens: *Ostende mihi faciem tuam, ut inveniam Gratiam ante oculos tuos.*

Exod. 33. v. 12.

Ultima denique eligendi potiùs Gratiam quàm Gloriam, ejusdem Gloriæ steri-

cilitas, ejusdem Gratiæ fœcunditas ratio est. Gloria magna est felicitas, sed felicitas quæ non crescit; una quippe Gloria non producit alteram: Gratia verò in terra, felicitas seu beatitudo est semper crescens; Gratia enim una semper producit alteram. S. Joannes Evangelista, declaratâ jam Gloriâ Christi, per Gratiæ superabundantiam quâ plenus erat: *Vidimus* Joan. 1. v. 14. *Gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre, plenum Gratiæ & veritatis:* inquit, quod de plenitudine hac, tanquam de fonte perenni, Gratiam recipimus omnes; nec Gratiam tantùm unam, sed insuper alteram super alteram, semper & magis magisque recipiamus: hoc enim innuit: Ibid. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus, Gratiam pro Gratia.* Ubi singulariter notandum, quod de Gloria & Gratia Christi jam locutus, de Gratia tantum affirmat, quod Gratiam pro Gratia, & Gratiam super Gratiam accipiamus; de Gloria tale nihil afferendo: Quia Deus in cœlo non dat Gloriam pro Gloria, vel Gloriam unam alii superaddit: Quod privilegium & prærogativa soli Gratiæ debetur. Proinde quantum Gratia, Gloriæ cœli superemineat, in nullo alio eorum, qui valde in Gratia profecerunt id clarius videre licet, quàm in ipso sancto Joanne. Vidit Apoc. 16. S. Joannes in Apocalypsi sua Deum in magnifico residentem throno & assistentia, in circuitu throni quatuor animalia oculis plena. Primum simile erat Leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Nemo nescit quatuor hisce animalibus quatuor Evangelistas fuisse repræsentatos: S. Marcum in Leone, S. Lucam in Vitulo, S. Matthæum in Homine, S. Joannem in Aquila, & omnes Ibid oculis plenos, *ante & retro*: Nam omnes in parte posteriore notitias divinitatis, & in anteriore parte humanitatis Christi notitias Christi notitias habebant; de quibus scripsere. Perveniens igitur ad S. Joannem, textus illi locum quantum assignat, ipsum volâsse tantùm affirmans: *Et quartum animal simile aquilæ volanti.* Si Ibid. igitur S. Joannes inter Evangelistas omnes sublimissimè scripsit, quare ultimus illi locus assignatur: & si omnia reliqua animalia alata erant, quare ipse solus volâsse dicitur? Primò S. Joanni locus tribuitur ultimus, quia post Evangelistas alios scripsit; & ut minimum triginta annis posterius, reliquis SS. Matthæo, Marco & Luca jam mortuis. Verùm hinc magis augetur dubium secundum; si tres alii Evangelistæ erant jam in cœlo Deum videntes, quomodo ipse tantum volabat consistens in terra. Hoc ipsum erat causa volatus; quia alii jam fruebantur & gaudebant gloriâ, unde non ascenditur; & S. Joannes adhuc merebatur in gratia, ubi semper crescitur. Ego vobis affirmo, inquit S. Bernardus, si Deus copiam faceret Beatis in cœlo se videntibus revertendi ad mundum ad merendum, & crescendum in gratia, omnes relicta gloria conditionem illam accepturos, ut postmodum gratia pleniores ad eandem gloriam revolarent: si ergo electio fieret in cœlo, ubi fieri nequit, quare non fiet in terra? In S. Joanne electio non fuit sua: sed certum est, quod ipse magis fuit dilectus, & quando minus dilecti videbant, ipse volabat.

§. IX.

HUcusque vidimus rationes, quare Gloriâ comparatâ cum gratia, potius

tius eligenda ſit Gratia, quàm Gloria. Proinde ſi quis exiſtimet quod hucuſque non loquimur, de quo potiſſimum loquendum eſſet; ſcilicet de Beatiſſima Virgine Maria de Gratia, cujus feſtum celebramus; hucuſq; dictum repeto, ſicut fuerunt prærogativæ Gratiæ, ſic fuerunt Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſub eodem titulo excellentiæ. S. Thomas unà cum ſuo magiſtro Alberto Magno, in Beatiſſima Virgine Maria tres diſtinguunt perfectionis ſtatûs. Primum à Conceptionis ſuæ principio, quem vocant ſufficientem; ſecundum, à puncto quo concepit Verbum æternum, quem vocant abundantem: Tertium, per omne tempus vitæ quem vocant excellentiam ſingularem. Propter omnes haſce, quas retulimus, optimè & ſublimiſſimè intellectas rationes, Beatiſſima Virgo Maria ſemetipſam ſecum conferendo, tanquam ſingulariſſima illa anima, quæ ſuper omnes creaturas dilexit Deum, & dilecta eſt à Deo, non poteſt non Gratiam præferre Gloriæ, cùm in reciproca dilectione Gratia conſiſtat. Pluris fecit Gratiam quàm Gloriam, non ad aſſecurandam in cœlo eandem Gratiam, in qua confirmata fuerat à Conceptionis ſuæ inſtanti: ſed ad augendam magis magiſque dilectionem, quæ ibidem per omnem æternitatem viſioni adæquatur. In corde Deiparæ hinc certabat amor, cum citius videndi illum deſiderio, & illinc cum ratione illum æternum magis amandi; quia verò motivum hoc prævaluit; hinc tanquam meliorem illam Gratiæ partem elegit. *Maria optimam partem elegit.*

Cant. 1. v. 6. In verbis illis: *Indica mihi quem diligit anima mea; ubi paſcas, ubi cubes in meridie:* Beatiſſimæ Virginis dilectio manifeſtavit, quantum deſideravit Deum videre in meridie Gloriæ; porrò reſponſum fuit, tunc temporis, in abſentia filii ſui cōvenientius eſſe gregem ſuum paſcere: *Abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum*: Ita fecit Beatiſſima Virgo, exinde oraculum totius Eccleſiæ, ipſorum Magiſtra Apoſtolorum, non in Jeruſalem ſolum, & Judæa ſubſiſtendo, ſed ad alias mundi partes peregrinando. Duravit, non dico exilium iſtud Gloriæ, ſed iſta Filii ſui abſentia, non minùs viginti quatuor annis, ab Aſcenſu ejus in cœlum, prout probat Cardinalis Baronius, irrefragrabili S. Dionyſii Areopagitæ teſtimonio innixus; donec tandem Beatiſſima Mater in tali die qualis agitur hodie ad accipiendam de manu Filii ſui coronam Gloriæ, eaque fruendum per omnem æternitatem, quam Gratia ſua promeruerat, vocata fuit. Vocatam illam aſſero, ſic enim illud ſanctiſſimæ Trinitatis voces, non in communi, ſed à ſingulis divinis perſonis prolatæ declarant: *Veni ſponſa mea; veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. 4. v. 8.
Pater dixit, *veni*, vocans illam tanquam filiam; filius dixit, *veni*, vocans illam tanquam Matrem: Spiritus ſanctus dixit: *veni*, vocans illā ſicut Sponſam: Sed ſi tota ſanctiſſima Trinitas, & quælibet divinarum perſonarum, per ſe, & ob ſpecialia adeò motiva Virginem Mariam in Gloriæ ſuæ throno conſpicere deſiderabat, ubi ipſa quoque tanquam filia videret Patrem, velut mater Filium, & velut Sponſa Spiritum ſanctum: Eademque Virgo tam ardentibus ad hunc diem æſtuabat deſideriis, tamque vehementibus anhelabat ſuſpiriis, ut hæc ipſa, nec non amor rupti vitæ laqueis diſſolverent animam, quonam pacto eædem tres perſonæ

divi-

divinæ omnipotentes non permiserunt tantùm, sed voluerunt, ut eadem sanctissima anima remaneret in hoc mundo Cœlo & Gloria privata, ejusque amor tam longum sustineret Martyrium? Hic patebit quàm vera discursus nostri totius sit doctrina, nec non rationum illius soliditas. In sanctissimæ Trinitatis Consistorio, conclusit Pater, ut suæ Filiæ; Filius, ut suæ Matri, Spiritus sanctus, ut suæ Sponsæ, differretur visio Dei & Gloria, viginti quatuor annorum curriculo, ut durante isto tempore amplius mereretur in Gratia crescendo: computatis enim tot annis Gloriæ, cum totidem aliis Gratiæ, non tantùm per electionem ejusdem Virginis, sed per omnium personarum divinarum decretum, magis illi conveniebat, & congruebat crescere in Gratia, quàm frui Gloriâ: *Ut cumulares merita, ejus Assumptionem ad Gloriam tam diu distulisti.* inquit sanctus Petrus Damianus.

§. X.

VErùm enim verò, quis nobis declarabit incrementa Gratiæ quibus Virgo Maria (toto isto tempore propriè magis Gratiæ Domina) unam alterâ in immensum accumulavit? S. Epiphanius dixit: *Gratia S. Virginis est immensa.* S. Bonaventura inquit: *Immensa certè fuit Gratia, qua ipsa fuit plena.* Et S. Anselmus ait: *Quid amplius dicere possum, Domina? Immensitatem quippe Gratiæ, & Gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti & sensus deficit, & lingua fatiscit.* Hi Sancti clarissimis & luculentissimis verbis Gratiam Virginis Mariæ immensam deprædicant. Porrò S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, S. Ephrem, S. Bernardus, S. Ignatius Martyr, S. Petrus Veronensis, & omnes quodammodo Sancti terminis non minus expressis, sed intellectûs profundioris, huic sententiæ subscribunt, quæ propterea non repeto. Optarem tantummodò, ut quotquot me auditis, Theologi essetis, ad demonstrandum Gratiæ incrementa quibus Beatissima Virgo his ultimis vitæ suæ annis profecit. Conabor nihilominus ea ad scientiæ alius tritæ magis & vulgaris regulas reducere, qua mediante, cùm nullus jam humanus intellectus immensitatem hanc possit comprehendere, omnibus saltem eam liceat conjecturare.

S. Epiph. de Laud. Virg. S. Bonav. in spec. c. 5. S. Ansel. de Excel. Virg. ca. 3.

Omnes illum computandi modum, qui vulgò vocatur multiplicatio, nostis: in quo quicquid habetur, & numero præcedit numero primò duplicatur in sequenti. Suponendo igitur cum recepta magis Theologia (in quo Societatis nostræ doctissimo Suarez non parum debet) quod actus amoris & charitatis Beatissimæ Virginis, qui erant omnes perfectissimi, condignè alterum tantùm merebantur Gratiæ, quantum erat quod jam continebant; proinde incrementa addita incrementis, eandem semper magis magisque Gratiam duplicabant: agedum computemus Gratiæ gradus, quos Beatissima Virgo uno tantùm die poterat acquirere; Porrò ut computus liquidior evadat, in ejusdem Virginis anima non nisi unum Gratiæ gradum præsupponamus & quod quolibet quadrante horæ, non nisi unum elicuerit seu exercuerit charitatis actum. Hoc posito, primo horæ quadrante, & primo charitatis actu, Beatissima Virgo meritum duplicavit, & duos promeruit gratiæ gradus: Quadrante secundo promeruit quatuor; in tertio, promeruit octo; Quarto, sedecim; Quinto, triginta & duos; Sexto, sex-

Suar. tom. 2. 3. p. disp. 18. sect. 4.

sexaginta quatuor: Septimo, centum viginti octo: Octavo, ducentos quinquaginta sex: Nono, quingentos & duodecim: Decimo, mille & viginti quatuor: Ita ut decem quadrantibus horæ, decem actibus charitatis Beatissima Virgo meruerit, & profecerit, ad mille, & viginti quatuor gratiæ gradus. Quilibet nunc domi residuum ineat computum longiorem, secundùm omnes horæ diei cujusdam quadrantes, quorum sunt nonaginta sex: nam licet juxta præcisam humanæ naturæ conditionem per aliquot noctis quadrantes brevissimus somnus Beatissimæ Virginis sensus occuparet; somnus animæ operationes non interrumpebat, quæ semper vigilabat, amabat & merebatur: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Sed ne interim filum abrumpatur, nostrique discursus suspendatur demonstratio, paucissimis illam resumam, repetendo tantùm summas, de decem in decem quadrantibus.

Cant. 5. v. 2.

In viginti quadrantibus horæ diei illius excreverunt gradus Gratiæ Beatissimæ Virginis Mariæ ad numerum quingentorum viginti quatuor millium, ducentorum, & octoginta octo graduum. In triginta quadrantibus ad numerum quingentorum triginta septem mille millium, quingentorum septuaginta quatuor millium uongentorum & duodecim & duodecim graduum. In quadraginta ad numerum mille trecentorum & septuaginta sex millionum, septuaginta sex mille millium, septingentorum & triginta quinque millium, quadringentorum octoginta octo graduum. In quinquaginta quadrantibus ad numerum mille millium, quadringentorum & novem millium, ducentorum & viginti millionum, centum septuaginta septem mille millium, septingentorum & septuaginta novem millium septingentorum & duodecim graduum. In sexaginta quadrantibus creverant gradus Gratiæ ad numerum trium millionum millionum, ducentorum & undecim mille millium, quadraginta & uno millium, septingentorum & triginta quinque millionum, & quadraginta sex mille millium, quadringentorum & triginta septem millium, necnon octingenta & octuaginta octo graduum. In septuaginta quadrantibus creverant gradus Gratiæ ad numerum septem millium, ducentorum & viginti quatuor millionum millionum, ducentorum & tredecim mille millium, quadringentorum septuaginta, trium millium, quingentorum & septendecim millionum, & trecentorum & quatuor mille millium septingentorum & nonaginta quatuor millium, sexcentorum & viginti quatuor graduum. In octoginta quadrantibus ad numerum sex mille millium, trecentorum & octoginta ac quinque millium, quadringentorum viginti duorum millionum millionum, & centum nonaginta sex mille millium octogentorum octogiuta duorum millium, & centum octoginta octo millionum, centum & septem mille millium, ac centum triginta quatuor millium, & nongentorum septuaginta sex graduum. Denique in nonaginta sex quadrantibus creverant gradus Gratiæ Beatissimæ Virginis Mariæ ad summam quadringentorum & tredecim millium quadringentorum & septuaginta quinque mille millium, quadraginta octo millium, quadringentorum & quadraginta novem millionum millionum, sexcentorum septuaginta, & unius mille mil-

millium, nonaginta millium millionum, & trecentorum nonaginta septem mille millium, septingentorum octoginta septem millium, centum triginta sex graduum, qui est ultimus quadrans horæ unius diei naturalis.

Demonstratâ hâc, à Beatissima Virgine Maria uno tantùm die acquisitæ Gratiæ immensitate, omnes utique cogitabitis, cum exspectatione & desiderio, me ejusdem Gratiæ immensitates consequenter deducturum, ad quas eadem Beatissima Virgo creverit longissimo tot dierum, mensium & annorum spatio, quot ab Ascensione filii sui, usque ad gloriosam ejus Assumptionem numerantur. Sed nec dico, nec dicturus sum simile quippiam; foret enim numerum valdè imminuere, nec non magnam injuriam inferre eidem Gratiæ. Duo, quæ in computu diei hujus supposui, ordinata tantùm fuêre, ad claritatem, ejusdemque computus evidentiore & quodammodo conficta vice exempli cum duobus defectibus, manifestæ evidentiæ verorum suppositorum repugnantibus. Supposui Beatissimam Virginem Mariam in primo quadrante illius diei unum tantum habuisse Gratiæ gradum, sed ista suppositio fuit conficta: in die enim Ascensionis Christi habebat Virgo, tam innumerabiles gratiæ gradus; quantam ab instanti purissimæ suæ Conceptionis, triginta tribus annis vitæ Filii sui, & quadraginta octo suæ acquisierat. Secundo loco supposui, quod quolibet horæ quadrante Beatissima Virgo non nisi unum amoris dilectionisque Dei actum exercuerit, cùm hi actus ipsum respirationum numerum in Beatissima Virgine adæquârint, cujus memoria, intellectus & voluntas, ne ad momentum quidem temporis ab altissima Divini objecti contemplatione cessarit, cui anima ipsius inseparabiliter erat unita, eum die nocteque sine intercapedine, intensioribus ardentioribusque affectibus præ ipsis Seraphinis amando. Istud tunc pro claritate computus suppoſui; & quod nunc per consequentiam, conjecturamque Gratiæ suppono, in qua velut pelago, seu abysso submersi sunt omnes numeri arithmetici; Discursui humanoque intellectui tantum relicta sunt stupor & admiratio, & silentium linguæ, nec non confessioni necessitas; Quod Gratia Beatissimæ Virginis incomprehensibilis existat.

Qui unus & solus Parallelum Gratiæ Matris invenire novit, fuit antiquissimus Andreas Cretensis, qui ipsam cum sublimissimo & ineffabili Humanitatis filii comparavit, quod infinities infinitè infinitum compellat. Verba ejus sunt ista: *Si quid, quod nos superat, in ea Divina operata est Gratia, nemo miretur intuens ad novum, & ineffabile quod in ea peractum est Mysterium, ab omni infinitate infinities infinite exemptum.* *Andr. Cret. serm. de Dormitione. Mariæ Virginis.* Singulariter notentur insoliti isti & ultimi termini, *ab omni infinitate, infinities infinitè exemptum.* Mysterium Dei Hominis facti infinitum fuit super omnem infinitatem, *exemptum ab omni infinitate,* quia fuit infinitum infinitis modis & vicibus, infinities, & infinitum sine fine, *Infinite* & in hac infinitate, seu infinitatibus, tantum illi similis visa fuit Gratia Matris infinitè infinita, *quod in Divina operata est Gratia infinities infinitè.* Porrò sicut immensam infiniti magnitudinem solus comprehendere potest intellectus infinitus, qualis unicus est ille Dei; hinc S. Bernardinus de perfectione Gra-

Gratiæ Beatissimæ Virginis Mariæ in hac die loquens, notitiam illius soli Deo reservatam esse concludit: *ut Soli Deo cognoscenda reservetur.*

D. Bernardin. serm. 4. de Assumpt. Virg. Mariæ.

In die Assumptionis ipse Dei filius ad gloriosiorem reddendum Matris suæ triumphum descendit, Angelis sanctisque totius curiæ cælestis comitatus, qui obstupefacti & attoniti ajebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Dilectus ejus est benedictus Filius ipsius; primum admirationis motivum fuit, quod pro majore triumphi Majestate, ipse personaliter suis exceptam brachiis Matrem in cælum deducere voluerit. Deliciæ, seu deliciarum affluentia seu redundantia, quàm simul admirabantur, & quibus non plena tantum erat; sed quæ ex eâ tanquam redundante fonte manabant, & replebant omnia, non poterant esse deliciæ Gloriæ, quo ascendere incipiebat; erant utique deliciæ Gratiæ, quas vivens adhuc in terra tam immensè acquisierat. Ita in locum istum commentatur Doctissimus Cardinalis Hailgrinus: *Affluere autem dicitur Gratiarum deliciis & virtutum, & innixa super dilectum, cujus innitebatur Gratiæ.* Verùmtamen præ omnibus magis admiror in admiratoribus ipsis, quod tali die talique concursu, terram appellent desertum: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Si tota cælestis curia cum principe suo descenderat in terram; si ipso jam vacuo cælo, omnes die illo collecti erant in terra, unde procedere incipiebat triumphus, quonam pacto vocatur desertum? Quia mox ut apparuit triumphatrix Gloriosa, Gratiæ suæ immensitatibus induta, quæ magnificentiâ suâ, omnes eousque perceptas in Gloria delicias excedebant, quantumcunque de cælo descenderat ad terram, ad conspectum ejus disparuit. Excellenter idipsum Petrus Damianus asseverat: *In illa inaccessabili luce perlucens, sic utrorumque Spirituum hebetabat dignitatem, ut sint quasi non sint, & comparatione illius, nec possint, nec debeant apparere*: quænam Regio magis repleta (ejusdem sancti est comparatio) quàm cælum nocte? tot planetis, tot constellationibus, stellarum majorum & minorum tam innumerabili multitudine. Exoriente autem & comparente sole, omnia ad ipsius disparent conspectum, & ipse solus apparet. Idem protinus cunctis hodie accidit cælestibus Hierarchiis. Quamvis tantæ sint, tamque innumerabiles, ut eas terra non capiat, mox cæpto motu triumphi, supremisque Gratiæ, seu Dominæ Gratiæ coruscantibus splendoribus, omni reliquo disparente desertum remansit; *Quæ est ista quæ ascendit de deserto?* omnes enim Hierarchiæ, ipsa præsente, erant ac si non essent, *ut sint, tanquam non sint*; & quia omnes in ejus comparatione nec poterant, nec comparere debebant, *& comparatione illius nec possint, nec debeant apparere*, apparuit tantùm illa, dilectique fuit mentio facta, *innixa super dilectum suum*, quod denuò veritatem eandem confirmat. Cuncta enim Gratiæ Mariæ illa sui Filii Sola eminet & apparet, eo quod sit Hominis Dei, sub quo, assertore S. Anselmo, nulla major quàm illa Matris suæ intelligi & considerari potest: *Qua major sub Deo nequeat intelligi.* Istud demum sufficiat, ut omnes celebremus, applaudentibusque confiteamur vocibus, cordiumque affectibus, & exultantibus omnibus animæ viribus congratulemur;

Cant. 8. v. 5.

Card. Hailgr.

Pet. Damian. serm. de Assumpt. Virg.

Cant. 8. v. 5.

Quod Maria quà Gratiæ Domina, etiam respectu Gloriæ optimam partem elegit: *Maria optimam partem elegit.*

§. IX.

HOc posito (ne coronis desit prolixo discursui, quem absolvere paramus) interrogarem omnes quotquot me audiunt, num eandem facturi essent electionem: num eam in præsens usque fecerint & num eam facere resolvant? Nemo credo Christianum & fide præditum fore, qui eandem non faceret, pluris æstimando Gratiam Dei quàm ipsam Gloriam, exemplo illuminatissimæ à Spiritu sancto ejusdem sponsæ Dominæ nostræ: Cum adhuc sufficeret, etiam tot, quas vidimus, rationibus deficientibus, ipsius electionem & resolutionem fuisse. Porrò dico, si Christianus est & fide præditus, contrarium enim esset fidem denegare Scripturis Sacris quas allegavimus non imitari nec venerari maximorum exempla sanctorum utriusq; testamenti Moysis & S. Pauli: & obstruere ostium propriæ domus toti Sanctissimæ Trinitati, quæ personaliter in tribus personis, prout ex ore ipsius Christi audistis, parata est venire & mansionem facere in anima in gratia constituta. Si, quando tres angeli, in trium personarum divinarum figura, ad Abrahamum hospitii ergo diverterunt, ipse eos non recepisset, nec eos tot reverentiæ & amoris tractasset argumentis, imò eos è domo sua ejecisset, quis, quæso inurbanitatem illam non demiraretur? Idem igitur, imò multo pejus faciunt, qui gratiam ejus non admittunt, vel respuunt; introitum obserantes non tribus Angelis, sed revera tribus Sanctissimæ Trinitatis personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Solus, ut dixi infidelis non exhorrescet tantum audiendo, seu imaginando sacrilegium. Hoc facientes se Beatissimæ Virgini de Gratia devotos esse Ecclesiam illi dedicasse, & Patriam suam titulo & patrocinio ac protectioni ipsius consignasse gloriantur. Quemadmodum Gratia consistit in amando Deum, & ab eodem amatum esse, solum qui amicitiam ipsius visioni ipsius anteponit ex corde, veraciter affirmare poterit se electurum idem, quod Domina Gratiæ elegit.

Sed ad secundam transeundo interrogationem, respondete mihi, utrum idem hucusque elegeritis? Deus bone! quæ vos confusio angustiæque apprehendent, quando in judicii die idem à vobis quæretur! Naturale rationis lumen prætermissa lege divina, omni dictat homini, quod inter bonum & malum bonum sit eligendum, & inter bonum & optimum eligere oporteat optimum. Agedùm in vestris nunc cogitationibus, in verbis vestris & operibus, quæ omnia ibidem nuda apparere oportet, quid elegeritis, videamus. Num Gratiam, an peccatum? in cogitationibus peccatum, in verbis peccatum, in operibus peccatum, & semper, & in omnibus, vel quasi omnibus peccatum; cum perpetua oblivione, & non oblivione tantùm, sed & Gratiæ contemptu. Et quare? in operibus ob irrationalem quandam concupiscentiam, & vilissimum commodum: in verbis ob cavillationem seu traductionem vitæ proximi, vel iræ impetum: in cogitationibus ob aliquam vanissimi desiderii imaginationem, & quandoque ob chimæram aliquam non confictam tantùm sed impossibilem. Enim verò nunquid possibile est, pro re tam vili commutari, vendi,

vendi, & prostitui Gratiam Dei: & quod excedit omnia, cùm sint tot jacturæ aliæ quæ acerbè sentiuntur, aliàs jacturæ nomine indignæ, illa tantùm Gratiæ jactura non sentiatur! Ignoro sanè ubinam fides nostra seu ratio moretur! id tantùm scio, quod insensibilitas similis, non nisi in animabus ad infernum destinatis, & non secus ac Esau in hac vita odium Dei promeritis inveniatur. *Esau autem odio habui.* Esau primogenita sua vendidit Jacob pro appetitu tam vili, nec non sopore & oblectamento tam transitorio, prout novimus; porrò Scriptura sacra expendit, quod venditione peracta abierit; *Parvi pendens quod primogenita vendidisset.* Id est nihili faciens factum; neque considerans venditum. Idem contingit Gratiam Dei prostituentibus, & vel maximè si pro delectatione aliqua illam venundent. Ex quacunque alia jactura contristantur; & ob hanc, & cum hac tantùm abest ut contristentur, ut gaudeant potius; *Lætantur cùm malè fecerint.*

Malach. 1. v. 3.

Gen. 25. v. 34.

Prov. 2. v. 14.

Porrò ab his qui tam damnosam & erroneam hucusque fecerunt electionem peto, ut accepta in manus bilance ponderent id, quod Esau non ponderatum vendidit. Edicite, quæso, mihi; quidnam sint res hujus sæculi, pro quibus homines Gratiam Dei prostituere & venundare consueverunt? generaliter pronunciat S. Joannes Evangelista, non esse aliud, quàm desiderium divitiarum, honorum & voluptatum. Agite, hæc omnia uni lanci, alteri verò vel unum tantùm gratiæ gradum imponite, & quid cui præponderet attendite. Omne aurum, argentum, margaritas, lapides pretiosos, & quicquid pretiosum terra & mare generat, appendite; & unicus tantùm gratiæ gradus non tantùm incomparabiliter præponderat, sed idem omninò foret, si tota terra esset aurum, & omnes lapides adamantes. Addantur insuper lanci omnes honores, omnes dignitates, omnia sceptra & coronæ, omnes Mitræ & Tiaræ, & quicquid æstimat ambitio humana, nihil conferent advocandum ad æquilibrium vel unum gratiæ gradum; quod nec facerent, licet Deus novum excitaret aliquod Imperium, in quo homo quispiam cunctis hominibus & Angelis dominaretur. Denique divitiis, dignitatibus ac honoribus, associentur omnia gaudia, omnia oblectamenta, & voluptates non tantùm quorum copia & fruitio conceditur in hoc mundo, sed etiam in terrestri perdita paradiso; Et ne miremini, quantùm vel unus gratiæ gradus præponderet; scitote digniorem esse appetitu & desiderio, omni eo quo perfruuntur, & in omnem æternitatem perfruituri sunt omnes Beati in cœlo. Quod cùm ita se habeat, majorne dari potest insania, quàm pro uncia commodi, pro honoris apice, & pro gaudii voluptatisque momento, non tantum unum gratiæ Dei gradum, sed omnem prorsus ipsius gratiam perdere?

Verùm ut non ponderata librare cessemus, ad Primogenita Esau redeamus. Vendita ab Esau primogenitura non erat aliud, quàm illud temporale hæreditario jure à Patre suo Isaac acquisitum, qui egressus ut immolaretur, ut sanguinem profunderet non obtinuit. Primogenitura quam nos vendimus, est supernaturale illud & gratiæ, cujus nos Dei Filius hæredes fecit, postquam toto suo profuso in cruce sanguine illud nobis comparavit: porrò pretium illud infinitum, nos tam leviter, impiè ac sacrilegè respuimus.

Dicite quæso, quando in Missæ Sacrificio Christi sanguis elevatur in Calice, si quis adorationis loco, & pro eo quod pectus tunderet, faciem ab eo averteret, oculos clauderet, & utriusque manus obnisu illum repelleret seu removeret, quis talem non abominaretur hominem, & si posset, incendio traderet? Istud vos facitis etiam non intelligentes, quotiescunque Gratiam Dei contemnitis. Ipsum auscultate Christum per os Prophetæ de illo jam tum
Psalm. 61. v. 5. lamentantem despectu: *pretium meum cogitaverunt repellere.* q. d. Eò cæcitatis & malitiæ devenerunt homines, ut in mentem admiserint, pretium meum respuere. Eheu Domine, quod illi ipsi, qui in te credentes Christiani dicti, non tantùm eò progressi sint, ut abominabilem adeò cogitationem admiserint: sed in omnibus cogitationibus, verbis & operibus, & in omnibus quæ machinantur, istud tuum pretium contemnunt & vilipendunt! No-
Hugo Card. tat hic Cardinalis Hugo. Omnibus quæ venduntur vel emuntur, non unum tantùm sed duo pretia inesse. Unum est emptæ rei pretium, alterum pretium quo emitur: *Quod emitur, & quo emitur.* Hæc sunt duo illa pretia, quæ vilipendit omnis peccans, Gratiamque Dei pro peccato vendens vel commutans. Unum est pretium Gratiæ, quam nobis Christus sanguine suo comparavit; alterum est pretium sanguinis ejusdem, quo nobis Gratiam comparavit. Si me fors interrogaveritis, quousque contemptus ille pertingat? exhorresco illud dicere, vobis nihilominus expedit illud audire & scire pertingit contemptus ille, non tantùm ut vilipendatur quocunque modo Gratia Dei, & sanguis Christi; sed conculcatur & proteratur pedibus, ipsa Gratia, ipse sanguis, nec non ipse Dei Filius. Expressis & terribilibus verbis id affirmat S. Paulus: *Qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est: & Spiritui Gratiæ contumeliam fecerit.* Attendite an non expressè loquatur de Gratia, exprimat nominatim ipsum sanguinem, & ipsum Christum. De Gratia, cui tantam irrogat injuriam: *Spiritui Gratiæ contumeliam fecerit:* De sanguine, quem detestabilem reputat: *Et Sanguinem Testamenti pollutum duxerit*: Et de Christo ipso signanter, & cum reflexione, esse Filium Dei, quem calcat, pedibusque proterit: *Qui Filium Dei conculcaverit.* Hebr. 10. v. 29.

Cùm discursus nostri veritas & evidentia extremum hoc impietatis & horroris attigerit, quod nec credibile nec imaginabile videretur, nisi de fide esset: crediderim facilè non fore animam tam perditam, neque tam desperatam conscientiam, quæ cognito errore & cæcitate, in qua hucusque divina ipsam longauimitas & miseratio sustinuit, cùm eam aliàs millies & millies demergere potuisset in infernum (quod singulariter ponderat S. Paulus Apostolus) prout talis ac tantus Sanguinis Christi ejusdemque pretii contemptus merebatur: crediderim inquam, facilè, neminem esse qui non mentem, animumque mutaverit, & cum vera contritione doloreque præteriti, eundem sic firmaverit, ut anteponere velit Gratiam Dei, omni quod aut haberi aut desiderari potest in mundo; quatenus in mundo, ipse Deus id dare potest, sola ejus Gratiâ exceptâ, porrò ne istud in bonis tantùm subsistat propositis, quæ oblivioni tradi, & mala denuò consuetudine impediri possunt: concludendo, ex parte Dei ipsius contestatum & intimatum volo omnibus,

nibus, sub pœna salutis amittendæ, & damnationis incurrendæ id quod facere quilibet tenetur.

Ad tria puncta reducuntur omnia, & quàm brevissima ut melius hæreant memoriæ. Primùm, ut omnis in peccato constitutus, sine omni interposita mora, reconciliare se Deo, medianteque pœnitentia in statum se Gratiæ restituere satagat, tam exactum & fidele instituens examen, totiusque vitæ præteritæ faciens confessionem, ac si hæc ultima foret, ad reddendam justitiæ divinæ rationem. Secundùm, absolutum firmissimumque eandem conservandi Gratiam in eaque perseverandi concipiat propositum, nullo facultatum, honoris, dignitatis alteriusve cujuscunque commodi emolumentique humani habito respectu; adjuncta resolutione millies potius patiendi mortem, quàm mortale committendi peccatum. Tertiùm, non tantùm eandem conservare gratiam, sed omni cura & sollicitudine, eandem virtutum operumque Christiano dignorum continuo exercitio augere conari: divinorum observantia mandatorum, frequentatione Sacramentorum, oratione, eleemosyna, jejunio, nec non omnium carnalium affectionum mortificatione, inimicorum dilectione, injuriarum condonatione, æquanimi ærumnarum patientia, perfectaque voluntatis cum divina in omnibus vitæ hujus adversis, conformatione: Et sicut antea Deum cogitationibus, verbis & operibus offendebat, sic deinceps ea ordinet, recta intentione ad divinum ejus servitium, Gratiæque ejusdem incrementum, qua tantillo temporis intervallo, ut vidimus, ingentes acquirere, & multiplicare potest thesauros, paucorumque dierum vera contritione Deique delectatione recuperare omnia vitæ præteritæ deperdita.

Animâ verò ad felicissimum hunc statum Gratiæ reductâ, certum est Diabolum omissurum, quo tentamentis eam inde præcipitare possit. Ubi locum invenit patrocinium protectioque ejusdem Beatissimæ Virginis de Gratia, & sanctissimi nominis ejusdem invocatio, quod præ omnibus nominibus terrori est Diabolo, illam nominando sæpiusque invocando in ipso conflictu; & dicendo:

Maria Mater Gratiæ
Mater Misericordiæ
Tu nos ab hoste protege.

Id est, Maria Mater Gratiæ, quæ sola infirmitatem nostram corroborare sufficis, ab hoc terribili nos hoste protege & defende.


Proinde in conspectu tuo, velut ante Gratiæ thronum prostrati, hanc ipsam unicè petimus, quam tu prætulisti cunctis. Quod confidenter, ô Domina, à te petimus, sub Apostoli tui appromissione dicentis: *Adeamus ergo cum fiducia thronum Gratiæ, ut misericordiam consequamur, & Gratiam inveniamus, in auxilio oportuno.* *Hebr. 4. v. 16.* Gratiam nobis misericordiamque sub protectione tuâ promittit. Enim verò quo pacto Gratia misericordiaque nobis poterit deesse, cum tu Maria, Mater Gratiæ misericordiæque nomineris?

Maria Mater Gratiæ,
Mater Misericordiæ.

Quatenus Gratiæ Mater, non tantum Gratia abundas pro te, sed pro tuis filiis, qui sumus peccatores. Idem Angelus qui te salutavit dicens: *Gratia plena;*

plena: mox addidit, *Spiritus sanctus superveniet in te*: non enim plena tantùm, sed superplena fuisti Gratia: *plena tibi, superplena nobis*, ait devotissimus tibi S. Bernardus: quam duplicem superandantiam non potest non liberaliter partiri nobiscum tanquam *Gratiæ Mater*. Multò minus id nos diffidere fas est de misericordia tua, utpote misericordiæ Matris, *Mater misericordiæ*. Suppetit igitur nobis eandem à te petendi Gratiam motivum & ratio; non ex misericordia solum, sed etiam justitia. Idem Angelus tibi dixit: *Invenisti Gratiam apud Deum*. Qui perditum invenit, ei qui perdidit restituere tenetur: Proinde si Eva gratiam nobis perdidit, tu velut omnium perditionum restauratrix, illam filiis tuis non ex misericordia tantùm, sed ex justitia restituere teneris. Idem ille qui tentavit eam inimicus, nos pariter tentat, sibi subjicere annitens: Idcircò, ô Gratiæ Domina, tui est officii ab ejus nos tentamentis & insidiis defendere & protegere. *Tu nos ab hoste protege*. Nec solum dicimus, *tu nos ab hoste protege*, sed ut protectio tua hæc sit perpetua, & ad mortem usque tuta, addimus; *Et hora mortis suscipe*. Hic felix dies, Domina, fuit ille, quo velut Adæ filia tributum morti te solvente, eadem horâ, quâ incepit tua Gloria, consummata fuit tua Gratia. Itaque Gloriæ Gratiæque Domina, per sanctissimam mortem tuam, talem concede mortis horam, qua miserabilem hanc finientes vitam in Gratia, in æterna & felicissima tibi associari mereamur in Gloria,


Amen.



SERMO
DE
S. Joanne Evangelista:
In
Festo Serenissimi Principis Theodosii, Ulyssipone in Capella Regia. Anno 1644.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem. Joannis 21.

§. I.



IN mundi tantum sectatoribus, felices & infelices dari censebam: etiam in sanctitate fortunæ locus est. S. Joannes Baptista Infelix fuit, & gratia carens apud Reges: S. Joannes Evangelista felix fuit, gratia pollens apud principes. S. Joannes Baptista infelix fuit, & Gratia Regum destitutus: Rex enim unus illum nasci fecit in monte; Rex alter illum mori fecit in carcere: S. Joannes Evangelista Gratia valuit apud Prin-

Principes; Princeps enim cæli, & Ecclesiæ Princeps, uterque præsenti in Evangelio concurrunt certando, uter illorum majore in ipsum amore feratur. Christus S. Petrum universalem Ecclesiæ suæ constituit Principem; & S. Petrus digito demonstrando Joannem, dixit: *Domine, hic autem quid?* q. d. Domine, si mihi pontificatum confers, si cœli mihi claves tradis, meritis Joannis quidnam tribues? Quid ad hæc Christus responderet S. Petro? *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* q. d. Si ego Joannem sic manere volo, quid tua refert? quis Joannis te procuratorem constituit? *Quid ad te?* Notatu sanè dignissima & responsio Christi, & propositio Petri! Christus & S. Petrus ambo videntur conqueri, in quonam debeant esse grati. In locorum distributione, sentiuntur dignitates quæ tribuuntur aliis; in amicorum negotiis graviter sentitur quod committantur incuriis: & non quod credantur industriis seu solicitis. Si igitur Christus amicus erat Joannis, & Petrus Pontifex factus; quare ægre fert, indignationemque palam ostendit Petrus ob collatam sibi à Christo dignitatem? Quare indignationem ostendit Christus, ob manifestam Petri solicitudinem & curam? Sensus demonstrationesque quidem erant diversæ; eadem autem causa. Uterque sentiebat, quia uterque S. Joannem valde diligebat. Petrus sentiebat, collatamque sibi dignitatem ægrè ferebat; quia enim Joannem summè amabat, eandem non sibi, sed Joanni optabat: Christus sentiebat ægrè ferens solicitudinem & curam S. Petri; quia enim Christus Joannem præ cæteris diligebat, nullius circa ipsum solicitudinem, præter suam admittebat. Ubi Joannes est, inquiebat S. Petrus, quare mihi confertur pontificatus? *Hic autem quid?* Ubi ego sum, replicabat Christus, cur alius curam agit Joannis? *Quid ad te?* Ita ut Princeps Ecclesiæ, & Princeps Gloriæ uterque contenderet, uter eorum plus S. Joannem diligeret: diligere quippe Evangelistam amatum, vel est fatale, vel obligatorium maximis Principibus.

Joan. 21. v. 21.

Ibid. 22.

Tam ritè dispositam, Serenissime Princeps, tantaque authoritate confirmatam celsitudo tua erga dilectum suum S. Joannem Evangelistam habet devotionem: corroboratam solicitudine Principis Ecclesiæ, & confirmatam insuper solicitudinibus Principis Gloriæ. Nihilominus Serenissime Princeps, consideranti mihi celsitudinem tuam Principem esse Lusitaniæ, non desunt quæ mihi in ipsa devotione scrupulum moveant. S. Joannes amicus fuit & familiaris Christi: sed nunquid propterea Lusitaniæ Princeps, primis suis amicis familiarem se & amicum singulariter ostendet? Devotio erga amicum, etiam Sanctum, in Principe! Scrupulis obnoxia devotio. Israelitæ dicebant Deo, quod illum Baalim id est Dominum suum vocare nollent: quamvis enim Baalim nomen esset Dei, æquivocum nihilominus esset nomini Baal, quod erat nomen Idoli. Si igitur nomen Idoli etiam impositum Deo periculo non carebat; quare nomen familiaris & Amici, etiamsi S. Joanni tributum, periculo vacabit? Familiaris seu amicus, quamvis sit S. Joannes, est amicus; & affectum & propensionem erga amicum & familiarem etiam principi nostro inesse oporteret! profectò, Serenissime Princeps non hæc exempla Serenitas tua conspicit: non hac doctrina celsitudo tua imbuta & enutrita est: quantò magis cum amicus & familiaris alius à

S. Joanne futurus esset. Familiares & amici adinventi sunt, ut principes in eis recumbant & quiescant: Porrò S. Joannes Evangelista familiaris & amicus erat, de
Joan. 21. v. 20. quo Evangelista ait: *Recubuit supra pectus Domini.* Optima sanè amici conditio & inclinatio! pro eo quod princeps recumbere & quiescere deberet super illum, hic recumbit & quiescit super principem!

§. II.

CUm idipsum ita repræsentetur, gravissimas duas pro principe Domino nostro rationes invenio, cur magnum hunc familiarem & Amicum Christi affectu singulariore veneretur. Prima est ex parte & conditione Amici: Secunda ex authoritate Suasoris. Rex Athalaricus in amicum assumpturus Tholonicum Patritium, his illi verbis scripsit in Epistola, quæ est
Cassid. lib. 8. Epist. 9. nona libri octavi Cassidori: *ad relevandam florentissimam ætatis nostræ solicitudinem, visum est te virum prudentissimum adhibere, quem constat etiam Domino avo nostro laudabiliter adhæsisse.* q. d. Primis hisce imperii mei annis socium te mihi adsciscere intendo duas ob rationes: prima est, quia ex prudentia idoneus es, secunda quia quâ talis jã ante Domino Avo nostro Theodorico socius fuisti: *Quem constat etiam Domino Avo nostro laudabiliter adhæsisse.* Easdem planè ob rationes, princeps nos noster, quem Deus incolumem diu conservet, merito movetur, ut magno huic familiari & amico Christi afficiatur. Prima quia vel maximè idoneus est ut sit: Secunda, quia primò Serenissimi Theodosii avi sui amicus fuit: *Etiam Domino Avo nostro laudabiliter adhæsisse.* Celsitudo sua adhuc infans quandoque somniavit, apparuisse sibi Dominũ Avum Theodosium singulariter sibi recommendantem devotionem erga S. Joannem Evangelistam, quem ipse tota vita sua summa devotione fuerat prosecutus. Non hæ primæ fuere vices, quibus S. Ioanni felicior sors obtigit in somniis. Mysteriosum istud somnium devotionis hujus fuit principium, & hanc hæreditatem divinam talis Avus tali reliquit Nepoti.

Alia jam vice ad pedem Crucis, S. Ioannes Evangelista in Hæreditatem fuerat relictus; & meo judicio, hoc maximam laudẽ conciliat discipulo dilecto, quod de ipso testari possit. Unũ ex gravioribus scandalis in mundo esse mihi videtur quod de amicis testari non possit. In morte testantur homines de suis bonis, eandemque ob rationem primo loco videntur testari debere de amicis; quia omnia inter bona nullum amico majus est: & inter omnes res nostras, nulla magis est nostra, quàm amici. Si igitur Amici maxima sunt nostra bona, & bona quidem vel maximè nostra, ut quid non testamur de iis? Ratio est ista, quia bona de quibus testantur, & testari possunt homines, sunt illa quæ permanent post mortem: amici verò, quamvis maxima nostra sint bona, finem accipiunt cum vita. Maximus amicus perseverat usque ad mortem: post mortem nullus datur amicus. Mortuus est Lazarus absente Christo; & valde notandus est modus, quo Christus hæc nova retulit Apostolis. Primâ vice dixit: *Lazarus amicus noster dormit*: non multò post clarius se Joan. 11. v. 11.
explicavit dicens, *Lazarus mortuus est.* Notatu dignissima differentia! Christus di- Ibid. 14.
cendo, Lazarus dormit, amicum eum vocat: *Lazarus amicus noster dormit*: mortuum illum dicendo amici subticet nomen: *Lazarus mortuus est.* Si igitur amicum illum vocat dicendo quòd dormiret, quare amicum illum non vocat mortuum denunciando?

ando? *Lazarus mortuus eſt.* Quia dicens il-
lum dormire, vivum adhuc ſupponebat:
dormire enim propriè ſumptum, viventis
eſt: mortuum illum dicendo, verè ipſum
mortuum declarabat; & nomen Amici
cum vita expirare, nec poſt mortem dari
Amicum innuebat. Lazarus vivus eſt
Amicus, *Lazarus Amicus noſter*: Lazarus
mortuus eſt Lazarus, *Lazarus mortuus eſt.*
Et quia amicitiæ humanæ ſunt bona, non
permanentia poſt mortem, hinc Homines
de iſtis bonis non teſtantur; nec Amici te-
ſtamentis tranſcribuntur. Solus S. Ioan-
nes Evangeliſta ab hac fuit regula excep-
tus, uti ab omnibus. Chriſtus ſuum con-
didit teſtamentum jam jam moriturus, &
de quo potiſſimum fuit teſtatus, S. Ioan-
Joan. 19. nes Evangeliſta: *Mulier, ecce filius tuus.*
v. 26. Amorem dilecti ſui non cum vita finitu-
rum ſciebat, hinc primaria teſtamenti ſui
portio extitit.

In Euchariſtiæ Sacramento Chriſtus æ-
qualiter Corpus ſuum, & ſanguinem ſuum
conſecravit; ſed in conſecrationis modo
magnam obſervo differentiam. Conſecra-
tionem calicis Chriſtus teſtamentum vo-
Luc. 22. cavit: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo*
v. 20. *ſanguine*: Conſecrationem Corporis non
vocavit teſtamentum, tantùm modò di-
Ibid. v. 19. cens: *Hoc eſt Corpus meum*, prætereaque ni-
hil: ſi igitur Chriſtus Teſtamentum vo-
cat ſanguinem, quare non itidem Corpus
ſuum Teſtamentum vocat? Ratio inten-
tioni noſtræ congruentiſſima; quia Cor-
poris Chriſti excellentiæ finem accepe-
runt cum morte: Sanguinis Chriſti excel-
lentiæ poſt mortem adhuc perſeverarunt.
Corpus Chriſti ad Redemptionem con-
currit patiendo: Sanguis verò Chriſti ad
eandem concurrit effluendo: proinde
Chriſtus de ſanguine, & non de Corpore
ſuo teſtatus fuit; quia Corpus poſt mor-
tem non fuit paſſum, ſanguis ipſo jam
mortuo adhuc fuit effuſus: *Exivit ſanguis.* *Joan. 19.*
Hac de cauſa Evangeliſta de lancea lo- *v. 34.*
quens ſignanter dixit quod aperuerit, &
non quod vulnerarit, *Lancea latus ejus ape-* *Ibid.*
ruit: Lanceæ enim percuſſio non fuit vul-
nus pro corpore, ſed porta pro ſanguine:
Non inflixit vulnus corpori, corpus quip-
pe illam non ſenſit: portam ſeu exitum
aperuit ſanguini, quia ſanguis ex illa ema-
navit, *exivit ſanguis.* Porrò ſicut in corpo-
re mortui non vigebat ſenſus ad patien-
dum, & in ſanguine etiam poſt mortem
impulſus erat ad exeundum, idcircò Chri-
ſtus de ſuo ſanguine, & non de ſuo corpo-
re teſtatus fuit: *Hic Calix novum teſtamen-
tum eſt in meo ſanguine.* O Ioannes divine,
quàm egregiè te ſanguinem eſſe Chriſti,
in tuæ excellentia amicitiæ oſtendis! Ex-
cellentiæ tuæ nequaquam expirarunt cum
morte, immò Chriſto mortuo pro te, tu
amplius mortuus es pro illo: Hinc de te
tuus teſtatus eſt Magiſter: Hinc de te no-
ſtri teſtati ſunt Principes.

Hæredis nunc rationem excutere ag-
gredior, utrum illam Princeps, quem Deus
conſervet, noſtro potius Clementiſſimo
Domino Regi, an Sereniſſimo Domino
Theodoſio Avo ſuo debeat? Quatenùs
Hæres eſt Regis noſtri Domini, Hæredi-
tas eſt Regnum Luſitaniæ: Quatenùs Hæ-
res eſt Sereniſſimi Domini Theodoſii
ſui Avi, Hæreditas eſt S. Ioannes
Evangeliſta: utinam igitur Celſitudo
tua plus debet in ratione Hæredis?
nullus dubio relinquitur locus, Se-
reniſſime Domine, quin Celſitudo
tua plus debeat Sereniſſimo Domi-
no Theodoſio ſuo Avo, quàm Re-
gi noſtro Domino. Probo in pro-

priis terminis. Christus suum conditurus testamentum, duo habuit de quibus testaretur: testatus est de Regno, & testatus est de S. Joanne. Quibus verò duo hæc legata reliquit? Regnum reliquit Dimæ, S. Joannem suæ reliquit Matri. Sed quonam pacto sic Domine? Commutanda fuisse videntur legata: Discipulum amicorum alicui relinquere sufficiebat, Regnum verò Matri relinquere convenientissimum videbatur: ut quid igitur regnum Dimæ, & Discipulum Matri relinquit? Quia æquo consentaneum erat, magis dilecto optimum relinquere Legatum, & cum Regnum Christi optimum esset mundi, Matri magis dilectæ reliquit Joannem; Dimæ minus dilecto reliquit regnum. Expressis hoc verbis affirmat S. Ambrosius; *Matri dixit, ecce filius tuus: Latroni dixit, hodie mecum eris in Paradiso, pluris putans quod pietatis officia dividebat, quàm quod Regnum cæleste donabat.* Matri magis dilectæ dedit Joannem; Dimæ dilecto minùs dedit Regnum: appendendo enim in statera justa hinc Regnum Cæleste, & illinc S. Joannem, Christus significatum voluit, plus se dare Matri, Legando ipsi S. Joannem, quàm Dimæ assignando ipsi Regnum: *Pluris putans quod pietatis officia dividebat, quàm quod Regnum Cæleste donabat.* Porrò si S. Joannes, remota omni adulationis specie, melior est hæreditatis portio, quàm regnum cæleste; etiam absque ingratitudinis nota melior dici potest hæreditas quàm regnum nostræ Lusitaniæ.

S. Ambr.

Hæc prima numeris omnibus absoluta est ratio, quâ Celsitudo tua justissimè moveri potest, ut affectu devotioneque singulari Dilectissimum illum Christi pro sequatur, eo quod Serenissimi Domini Theodosii Avi sui sit Hæreditas. Secunda est, ob qualitates optimas quæ in S. Joanne inveniuntur pro Amico, prout jam videbimus.

§. III.

PRima bona qualitas pro Amico, quàm in S. Joanne invenio, est, quod sit Evangelista. Amicos & familiares Evangelistas esse oportet. Evangelistarum officium est, veritatem edicere: Amicorumque & familiarium est, veritatem ex officio pronunciare. Hominum nonnulli fuerunt Evangelistæ; multi amici fuerunt & familiares: sed Amicus simul & Evangelista solus fuit Joannes. Ratio, seu iniquitas hujus est; quia familiares Evangelistas agere detrectant: & Evangelistæ familiaritatem & amicitiam non assequuntur. In Solo S. Joanne geminæ hæ proprietates sibi sociantur: è quibus prærogativa ipsius constat. Scitisne primariam dilecti Evangelistæ prærogativam? Est, dilectum esse, cum sit Evangelista. Ego in Evangelio nostro unum singulariter considero, quod ab aliis minimè notari video. *Et scimus, quia verum est testimonium ejus*, inquit S. Joannes suum concludendo Evangelium, id est, omnia quæ in eo conscripsit esse vera. Profectò superficie tenus observatio hæc otiosa videtur. Legantur Evangelistæ omnes, & nullus simile quid inculcatum seu admonitum voluisse invenietur. Aliis igitur de veritate scriptorum suorum tacentibus Evangelistis, quare S. Joannes scripta sua veritati consona asseverat? Nunquid æquales sibi erant authoritate, nonne Evangelista erat sicut & reliqui? Erat planè, sed erat Evangelista dilectus; & quia amor & dilectio suspectam reddere poterat veritatem, cautelam

Joan. 21.

lam adjunxit, quod quamvis esset dilectus, esset nihilominus verax: *Discipulus quem diligebat: & scimus quia verum est testimonium ejus.* In aulis principum ordinariè qui contradicunt veritati, lucrantur dilectionem. In Aula Christi aliter se res habet: qui profitentur veritatem, in præmium accipiunt dilectionem. O Grandem Gloriam Christi! O Grandem Gloriam Joannis! Ingens Gloria Christi, dilectum suum esse Evangelistam; nec minor Gloria Joannis, quod cum sit Evangelista, sit dilectus. Verùm non ubique hoc invenitur: in aula tantùm Cælesti, & nostræ Lusitaniæ: tantùm in Principe Gloriæ, & nostro Principe. Hoc tantum curandum est, Serenissime Princeps, ut ita sit semper. Diligantur Evangelistæ: & nisi quis fuerit Evangelista, non diligatur.

Enim verò quænam est ratio, cur Evangelistæ diligendi sint? Ratio est evidens; nihil enim magis amorem promeretur reciprocum, quam diligere; nihilque magis dilectionem probat quàm veritatem edicere. Dalila Samsonem tribus interrogavit vicibus, in quonam maxima ipsius fortitudo consisteret, & quonam modo vinci posset? Prima vice respondit Samson, si funibus nerviceis vinciretur: Secunda vice, si novis funibus, qui nunquam fuissent in opere ligaretur. Tertia vice, si septem capitis sui capillis seu cincinnis alligaretur: sed omnibus tribus vicibus vincula nullo labore dirupit. Quid hic Dalila deceptam se videns faceret? Samsonem fatigavit lamentis pro comperto se habere dicens, quod eam non diligeret, sic argumentata: *Quomodo dicis, quod amas me? per tres vices mentitus es mihi.* q.
Judic. 16. v. 15.

q. Deductâ benè consequentiâ, mentitus es mihi; ergo me non diligis. Consequentia est clara; diligere quippe est cor tradere; mentiri est illud obvelare; Benè igitur sequitur, quod verum, seu veritatem non loquens non diligat: Quo enim pacto cor tradet, qui illud abscondit? Ita ut ex cujuslibet veracitate Princeps colligere possit & dijudicare amorem ejus & dilectionem: cum hac tamen cautela & circumspectione, ne instar Dalilæ, tertium mendacium expectet: *Per tres vices mentitus es mihi.* Ob primam falsitatem, in qua subditus fuerit deprehensus, mox & in perpetuum eum Principis gratia excidere fas est. Nimium hoc rigorem sapere videtur; Gratia enim Dei per quodlibet mendacium non amittitur: potest homo loqui non verum, & manere in Gratia Dei, nihilominus Principi non expedit, sibi hoc fieri. Quare? Quia quoad Deum, qui corda novit, mendacia venialia esse possunt; verùm Principi, qui illa non novit, omnia mortalia haberi expedit, & ut pro omnibus & singulis perdatur Gratia. Gratia in dilectione & amore consistit: qui non loquitur veritatem non diligit; ergo ubi non probatur dilectio, consultum est ut perdatur gratia. Perdatur gratia, ubi probata fuerit non dilectio, *id est mendacium: ibi concedatur & acquiratur gratia, ubi probata fuerit dilectio,* quæ est veritas: mutuoque sibi copulentur fœdere titulus Evangelistæ, & dilecti, sicut in Joanne.

Inusitatum mihi est in doctrina mea relinquere dubia. Omnes contra istam instabunt validè. S. Matthæus, S. Marcus, & S. Lucas etiam fuerunt Evangelistæ, nec tamen nomen dilecti consecuti: Ergò

S. Joannes non fuit dilectus, eò quod fuerit Evangelista: & si fuit dilectus quatenùs Evangelista, quanam potissimum de causa; ratio potissima est, quia S. Ioannes, prout notavit S. Hieronymus, Evangelio suo multa inseruit, quæ alii Evangelistæ omiserunt: porrò dicere veritates ab aliis jam dictas, non est actus amore tanto dignus: dicere veritates ab aliis omissas, id agenti singularem dilectionem promeretur. Veritates à S. Matthæo conscriptas, etiam S. Marcus, & S. Lucas conscripsit: quas S. Marcus conscripsit, easdem S. Lucas & S. Matthæus conscripsit: Veritates à *S.* Luca conscriptas etiam *S.* Matthæus, & S. Marcus dixit. Multas autem veritates à *S.* Ioanne conscriptas nec S. Matthæus, nec S. Marcus, nec S. Lucas conscripsit; sed ipse solus eas dixit. Et qui vera scit dicere, quæ omnes alii subticent, præ omnibus diligi meretur. Diligendus non est veritates tacens quas alii dicunt; sed qui loquitur veritates quas alii subticent. Ita fecit S. Ioannes, ideoque singulariter fuit dilectus: *Discipulum quem diligebat.*

§. IV.

SEcunda amici & familiaris qualitas, qua decoratus fuit S. Ioannes, quamque summopere in hoc Sancto demiror, est, esse Amicum, qui talis permansit: *Sic eum volo manere.* S. Petrus interrogavit Christum: *Domine, hic autem quid?* q. d. *Si* me Principem Ecclesiæ constituis, *S.* Ioanne, dilecto tuo & Amico quid fiet? respondit Christus: *Sic eum volo manere.* Hæc mihi ex potioribus Evangelistæ esse videtur excellentiis, esse Amicum, qui sic mansit. Amicum esse & Familiarem, & statim alio manere modo, commune est omnibus: esse verò Amicum & Familiarem, & manere sicut ante, singulare est *S.* Ioanni. *S.* Petrus aliis amicis & familiaribus metiens Ioannem, imaginabatur sibi multum quid ex familiaritate, *Hic autem quid?* Sed S. Ioannes seipso se metiens, mansit ut ante fuerat: *Sic eum volo manere.*

Ex circumstantiis in creatione mundi non minima est, quam considero valdè, quod Deus Evam de latere formaverit Adami. Nunquid illam de capite formare potuisset, ut sapiens foret? nunquid ex manibus eam formare potuisset, ut alacris & expedita esset ad opus & negotia peragenda? Nunquid illam ex pedibus formare potuisset, ut sedula & industria esset? ut quid igitur illam de latere format? quia latus Adami pars erat corporis intentioni Dei magis respondens. Deus ex modica corporis particula subitò producturus erat Evam, quæ staturam ipsius adæquaret, idcircò illam formavit de latere, neque alia ex parte, quia proprium est lateribus modico tempore multum crescere, adhuc dum costa, & jam Eva? adhuc tum tam exigua lateris portio, & jam magnitudine illum adæquans, cujus tantùm particula erat? sic est: quia costa pars erat lateris Adami. Adam creatorum omnium universalis erat Princeps, nec est quod magis, citiusque succrescat, quàm latera Principum. Patet hoc in Ioseph cum Rege Pharaone: in Amano cum Rege Assuero: in Daniele cum Rege Dario. Cùmque tam sit naturale crescere in lateribus Principum, attamen quod *S.* Ioannes, qui maximi Principis mundi erat de latere, de augmento sollicitus non fuerit, sed sic permanserit: *Sic eum volo manere,*

permagnam Evangelistæ Excellentiam demonstrat.

Tria in hoc mundo semper crescendo nunquam sic permanent : unum facit natura; alterum Gratia; tertium facit fortuna. Natura producit palmas; Gratia reddit Sanctos? Fortuna progignit amicos & familiares. De statura animæ sanctæ reliquæ ipsius loquebantur sociæ, quod similis esset palmæ; *Statura tua assimulata est palmæ.* Enim verò quare palmæ potius quàm alii corpori pulchro & conspicuo ex omnibus, quæ natura producit in sylvis? quia omnes reliquæ arbores, etiam altissimæ Libani Cedri limitatum habent in crescendo terminum; sola verò Palma nullis constricta limitibus accrescit semper. Huic similes sunt Sanctorum animæ. Quemadmodum virtus non coarctatur terminis, quemadmodum perfectio non circumscribitur limitibus; semper in virtute excrescunt; semper in perfectione ascendunt; semper renovantur & proficiunt, *à claritate in claritatem*, uti S. Paulus loquitur. Hæc est statura Palmarum, quas natura profert; hæc quoque est statura Sanctorum à Gratia inspiratorum: & hæc est statura familiarium & amicorum à fortuna inspiratorum. Statura, quantumcunque provectam & elevatam eam videamus, etiam ad nubes usque, semper magis magisque succrescit. Quod si aliter se habere videatur, ad memoriam revocate tria, quæ paulò ante vobis dixi. Iacob benedixit Ioseph, ut semper cresceret : *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Ubinam verò locorum benedictio illa fuit impleta? in familiaritate & gratia Pharaonis. Aman magnus familiaris Assueri usque in diem, quâ desiit, crevit; & quia plus crescere nequibat, desiit. Infelicitas fuisse censetur, sed natura fuit; idem enim accidit palmæ, vel crescere, vel cessare & finire : Daniel Dario familiarissimus, cùm supremis totius Monarchiæ jam associatus esset Principibus, Rex adhuc amplius eum crescere omnibusque eum prælatum esse volebat : *Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne Regnum.* Primates regni tanto ipsius incremento offensi, ut ulterioris crescentiæ Danieli obicem ponerent, congruentius nihil repererunt, quàm ut à latere regis eum amoverent. Non tantùm idiomatis nostri phrasis, sed ipsius Scripturæ sacræ textus est : *Unde Principes & Satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis.* A latere amotum illum volebant; quia à latere incrementum illi proveniebat. Ignoro sanè quas influentias habeat latus Principis; nam in toto quo vivimus elemento, non est pars tam fertilis ac fœcunda, quàm ista duorum pedum terra : omnia ibi dantur, omnia ibi mensurantur, omnia ibi crescunt. Crescunt cognati, amici, famuli : crescunt honores, dignitates & tituli : crescunt facultates, domus & delitiæ : crescit potestas, dominium, respectus, adoratio, & super omnia ipsorum adorantium crescit statura. Heri pigmæi, hodie viri; cras Gigantes; postridie Colossi. Ultimæ hujus me pœnitet comparationis; quia dum adduxi magnitudinem, sustuli ipsis animam. Non sic familiarissimus maximo Principi S. Ioannes : *Sic eum volo manere.* In eadem semper mansit statura, eandem conservavit magnitudinem neq; majoritatis apparentias sibi ex latere acquisivit.

Cant. 7. v. 7.

2. Cor. 3. v. 18.

Gen. 49. v. 22.

Daniel. 6. v. 4.

Ibid.

Ex-

Exorta est quæstio inter Apostolos,
Luc. 22. *Quis eorum videretur esse major?* Quæstio
v. 24. hæc, meo judicio, vel maximè S. Joannem commendat. Cùm S. Joannes sine quæstione sit amicus & familiaris, adhuc moveatur quæstio, quisnam sit major! grandis sanè laus amici. Eodemque exortæ Quæstionis loco, in ultima videlicet Cœna, Christus publicè latus suum tradiderat S. Joanni, eademque hora & cœna, S. Petrus ipsius usus valore & authoritate, secretum proditoris expiscari tentavit, de quo Christum interrogaverat. Si igitur favor & prærogativa S. Joannis adeò erat manifesta, si Principis sui latus ipsi, & quidam soli ipsi erat traditum; quonam pacto adhuc dubitant Apostoli & quisnam è duodecim major sit contendunt? Nonne luce meridiana clarius patet majorem inter omnes esse S. Joannem? Sic fieri oporteret, nisi S. Joannes amicus & familiaris fuisset, qui sic mansit. S. Joannes semper ejusdem erat magnitudinis, sua se staturâ metiens, & sibi semper tam æqualis, ut quantumcunque sui crescerent favores & prærogativæ, semper maneret, ut ante fuerat. Prærogativa cæteris præeminebat sine contentione, majoritate cæteris par erat: *Quis eorum videretur esse major.* Et notate contentionem, in rigore acceptam non fuisse de eo, quisnam esset, sed quisnam videretur esse major, *Quis eorum videretur esse major.* Tam parum cum omni sua excellentia creaverat S. Joannes, ut non solum reliqui Apostoli cum eo contendere potuerint de reali majoritate, sed etiam de apparentiis externis: quis videretur. Ita ut in familiaritatis suæ culmine, & sublimissimo excellentiæ suæ apice, non tantùm non esset, sed nec major quidem appareret: *Quis eorum videretur? Istud solum est*, sic manere.

Verum enim verò in hac S. Joannis mansione quænam potior fuit fidei sive excellentiæ prærogativa, num illa lateris, an verò ista ordinariæ amicitiæ familiaritas? Ego utramque æquali laude dignam censeo. Quemadmodum in familiaribus non sic manentibus, tam exigua est fides familiarium, sicut amicorum lateris: sic in hoc magno familiari, qui sic mansit, tam constanter cum prærogativa fidei & sinceritatis mansit amicitia lateris, quàm familiaritas; non æquè subtiliter hoc credebat Mater S. Joannis, sed consanguinitati potiùs confisa, pro quolibet filiorum suorum petiit à Christo latus simul & cathedram: id est amicitiam sine retributione, & amicitiam cum retributione: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alius ad* Matth.
sinistram in Regno tuo. Petitioni quidem 20. v. 21.
pro tunc Christus nihil detulit, sed tempore suo, de petitionis hujus dimidio duas fecit expeditiones. Latus unum dedit S. Joanni, & Cathedram unam contulit S. Petro. Si igitur Mater pro S. Joanne Cathedram simul petebat & latus, quare Christus illi non indulsit utrumque? porrò si Christus illi noluit concedere utrumque quod postulabat, sed tantùm unum, quare non dedit illi Cathedram, sed latus? latus illi tradidit & non cathedram ad demonstrandam amicitiæ lateralis prærogativam: deditque illi latus sine Cathedra, pro majore laude S. Joannis. Si Christus Joannem præ cæteris diligendo, cathedram illi, & non latus tradidisset; ostendisset se cathedram pluris quàm latus æstimare, quod ipsum lateri præjudicaret: Et si

illi latus & simul Cathedram contulisset : ostendisset tantum Joannem non latus tantùm, sed simul & Cathedram appetere, quod præjudicâsset S. Joanni : idcircò Cathedram illi non dedit, sed latus; & idcircò sine Cathedra illi dedit latus. Velle potius Cathedram quàm latus, est imperium irrogare lateri : velle latus simul cum Cathedra, injuriosum est familiari. Latus prætendere & non Cathedram honorificum & laudabile simul est familiari, & lateri. Istud nullus facit : istud sanctus Joannes fecit; istudque Christus volebat, ut familiaris sibi esset sanctus Joannes, familiarisque existens, sic maneret: *Sic eum volo manere.*

§ V.

Tertia qualitas admiranda in Evangelista resplendens, fuit, esse familiarem, qui de secreto fecit ignorantiam. Unum ex prærogativæ suæ argumentis, quæ sanctus Joannes in hoc Evangelio suo allegat, fuit Christum interrogare, *Quis est, qui tradet te?* Respondit illi Christus, Judam esse: & addit Evangelista, *Hoc autem nemo scivit discumbentium*: Ergo nec ipse sanctus Joannes hoc scivit, qui discumbentium unus erat. Hanc consequentiam infert sanctus Augustinus. Si igitur illud revelaverat sancto Joanni, quo pacto possibile erat ipsum hoc ignorare. Quod sciverit, clarum est. Si igitur illud scivit, quomodo nesciisse dicit? *Hoc autem nemo scivit.* Ratio hæc est, quia quod Christus Joanni dixit, in secreto ipsi dixit: & quod sanctus Joannes scit in secreto, hoc nescit. In aliis hominibus scire in secreto, est scire: in sancto Joanne scire in secreto, est ignorare: *Nemo scivit.* Nullum secretum omnibus numeris absolutum est secretum, nisi quod ignorantia velatur: nam secretum quod scitur dici potest: secretum quod ignoratur revelari nequit. Hæc est ratio cur homines communiter nesciant servare secreta: commendant enim ea memoriæ, cum commendare eadem oporteret oblivioni. Commendatum memoriæ secretum periclitatur : commendatum oblivioni est securum. Ratio est: quia secretum memoriæ commendatum servatur cum cautela, & quod servatur cum cautela potest perdi: secretum commendatum oblivioni ignoratur; & quod prorsus ignoratur, revelari nequit. Perfectum igitur secretum est illud, quod ignorantiæ conditionem acquirit, & tale erat illud sancti Joannis: *Hoc autem nemo scivit discumbentium.* Huic considerationi probationem inquisivi? quam non nisi in Homine Deo reperi.

Joan. 21. v. 20. Joan. 13. v. 28.

Christus de Judicii extremi die incerta loquens, inquit: *De die autem illa nemo scit, neque Angeli, neque Filius. Id est,* diem Judicii nemo scit, nec Angeli, nec ipse Filius Hominis. Textus hic unus est ex difficilioribus, quos novum Testamentum continet, tantæ perplexitatis, ut in eo contra Arianorum hæresim quatuor Ecclesiæ Doctores desudarint. Dicat Christus, nec seipsum quidem scire, quando futurus sit Judicii? notabilis sanè assertio! Christus quà Deus, scit quando dies erit Judicii; scientia, quippe divina, communis & æqualis est omnibus tribus personis. Christus quà homo, scit quando erit Judicii dies: quamvis enim scientia Christi quà Hominis, non sit infinita, universalis est & perfectissima, omniaque fu-

futura, & decreta novit divina. Si igitur Christus & quà Deus,& quà Homo,quando dies Judicii futurus sit novit, quare se illum nescire dicit, *De die autem illa nemo scit neque Filius?* recepta magis ab omnibus Doctoribus Textus hujus expositio est ista : quod quamvis Dei Filius optimè sciret, quando Judicii dies futurus esset, tali illud modo sciebat, ut secretum illud reliquis Apostolis revelare nollet : & in personis divinis, sicut in Christo, scire in secreto, idem est quod ignorare. Sanctus Hilarius. *Quod Filius Hominis nescit, Sacramentum est quod taceat.* Quod Christus ignorare se dicit de die Judicii, non est ignorantia, est secretum; sed secretum vocatur ignorantia; quia in personis divinis, illud tegere & abscondere, est illud quasi ignorare. Eodem modo se res habet cum S. Joanne (de ipso enim & de Deo Evangelistæ eodem stylo loquuntur) dicere voluit se abscondere,& dixit se ignorare: *Hoc autem nemo scivit discumbentium.*

S. Hilar.

Necdum exaggeratum est quod in secreto sancti Joannis videtur excellentissimum seu extremum. Ad textum nostrum redeamus: *Qui recubuit supra pectus Domini,& dixit: Quis est,qui tradet te?* Sanctus Joannes inquit sanctum Petrum vidisse Discipulum illum dilectum à Christo, qui in cœna recubuit supra pectus ejus,& de traditore interrogavit,quisnam esset? animadverto & considero. Videtur dicere non debuisse sanctus Joannes, quod ipse esset qui interrogâsset Christum, quisnam traditor esset: sed quod ipse esset, cui Christus dixisset, quis traditor esset. Dubium meum fundo: quia S. Joannis intentio erat probare se dilectum esse Christi, porrò amor Christi in S. Joannem non probatur ex eo, quod sanctus Joannes secretum percunctatus sit ex Christo, sed quod Christus id ipsum S. Joanni revelavit. Enim verò si Christus S. Joanni secretum revelavit, cur non dicit sibi secretum à Christo fuisse revelatum? cur tantùm interrogâsse se dixit, *Et dixit: Quis est qui tradet te?* Altius in materia secreti ascendi non posset. In materiis secreti sanctus Joannes scrupulosus adeò familiaris fuit,ut nec secreta revelare, nec qui secreta sibi dixisset, voluerit indicare. Quod interrogaverit quidem dicit; quis verò sibi revelaverit, protinus subticet. Hominem non revelare secretum sibi notum, multum est: sed ne quidem dicere quod sciat secretum, multò ampliùs est. Quare: quia subticere secretum quod scit, est servare secretum: sed nec dicere quod sciat secretum, est secretum obtegere secreto. Intuitu sancti Pauli hæc sancti Joannis excellentia clarius elucescet. Deus sanctum Paulum rapuit in tertium cœlum, maxima ipsi revelans arcana: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Id est audivi secreta,quæ dici non oportet. Agite & intendite, quanto discrimine S. Paulus & S. Joannes distent. S. Paulus audita arcana non revelat, sed ea se audisse indicat; *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* S. Joannes nec dicta sibi secreta evulgat, nec quod sibi dicta sint revelat; sed tantùm quod de illis inquisierit: *Et dixit: Quis est qui tradet te?* Sanctus Paulus secretum servavit quo ad subjectum, quia revelata sibi non specificavit: sed non servavit secretum secreti; quia illud sibi revelatum manifestavit. S. Joannes secretum servavit, quoad subjectum; quia non

2.Cor.12. v.4.

non prodidit traditorem; secretumque servavit secreti, quia non dixit traditorem sibi esse detectum. Quid igitur mirum, S. Joannem, cum esset adeò tenax secreti Secretarius, adeò dilectum fuisse & familiarem! *Discipulum, quem diligebat Jesus; & dixit: quis est, qui tradet te?*

§. VI.

QUarta & ultima qualitas bona, quàm in S. Joanne demiror, est esse familiarem, qui Gratiam amore tantùm Gratiæ affectavit. Statim me clarius explicabo. In Sacramento Eucharistiæ Christus Gratiæ suæ fontes reliquit: sed notandum cum primis, quod Christus substantiam panis ibi noluerit remanere. Considerationem sic fundo. Paucioribus opus erat miraculis, ut esset Corpus Christi simul & substantia panis; quàm ut Corpus Christi sine substantia panis. Si igitur miraculis paucioribus mysterium illud poterat confici, quare Deus miracula semper compendians, substantiam panis in Sacramento remanere voluit? Ego veram rationem vobis non dicam, sed moralitatem quandam veracissimam. Omnia Sacramenta instrumenta sunt gratiæ, & istud majoris præ cæteris; noluitque Christus dari gratiam pani conjunctam, neque panem gratiæ sociatum. Maximus abusus, maximumque periculum quod inest gratiæ principum, est quod panis & gratia sibi sint consociata. Si in altaribus panis daretur cum modiis, qui non esset consecratus, multæ fierent communiones amore tantum panis; quæ non fiunt amore Gratiæ. Appetere Gratiam amore tantùm gratiæ, est devotio; velle Gratiam amore panis, fames est. Idcircò tot dantur famelici, vel extenuati gratia. Omnes amant adimpleri Gratia, sed non vacua: *Gratia Dei in me vacua non fuit*, inquiebat S. Paulus I.Cor.14. v.10. sensu optimo. Gratia Dei ad hoc deservire debet, ut vos Gratiæ obligationibus impleatis; & non ut Gratia impleat vos, vel vos eâ impleamini. Quo casu, minoris constaret conferenti, & pretiosior foret lucranti. Hinc Christus Panem noluit Gratiæ conjunctum. Sed quia illi omnipotentes mundi illam non faciunt segregationem, quod sine singulari miraculo possent: eousque progressa est Gratia, ut transubstantiaretur in panem; ut jam nemo gratiam quærat gratiæ amore, sed gratiam amore panis; & mensuræ panis vel pani sine mensura Gratia appretiatur. Cur hodie abundat panibus, cui heri nequidem suppetebat unus? Quia Gratia prævalet cæteris. Prô quanta absurditas. Verùm enim verò, quàm bene Christus huic occurrit inconvenientiæ! In ipso Sacramento licet non sit panis quoad substantiam, est tamen panis quoad accidentia: Gratia verò non metitur pane. Sæpe magnam accipiens hostiam exiguam refert gratiam; & parvam accipiens hostiæ particulam, magnam refert gratiam: ut homines intelligant, gratiam non esse pane metiendam.

O quàm bene regeretur mundus, si pauperes videremus panibus, quos tam opulentos videmus Gratiis! Verùm in Gratia tantùm Dei ita se res habet: in Gratia Hominum aliter esse volunt: nemo majore apud principem suum valuit gratia, quàm David apud Jonathan: Quod-

nam verò Gratiæ hujus argumentum &
1.Reg.18. v.4. probatio? Sacer textus ait: *Spoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David*: Ita ut Gratiæ Principis sint spolia: *Spoliavit se.* Res notabilis! Homines non gaudere se gratia Principis existiment, nisi ad vestimenta usque se spolient! & Gratia habeat spolia, quasi in bello acquisita! Spolia hostis devicti sunt insignia: & Amicorum Principū Gratia eadem habeat signa! Hinc ego metuo ne modus ille acquirendi gratiam, sit inferre bellum: Solummodò inhians spoliis bellum meditatur, & machinatur. Gratiæ tantùm cupidus amore Gratiæ, corde contentus quiescit. In nostro istud Evangelista clarè intueamur. Acquisivit Gratiam Christi, sed in quò? Christus ipsi cor suum quasi devictum tradidit: *Recubuit supra pectus ejus.* S. Joannes plurimi fecit cor sui Principis; sed illud æstimavit, quia se victum ipsi tradidit, & non quia ipse illud devicerat. Cor Principis æstimandum est ex traditione, & non quod fuerit victum: æstimandum in illo est victum, & non quod vincit. Solus S. Joannes novit æstimare gratiam Principis ut oportet: Gratiam amore Gratiæ, & nihil amplius.

Tribus quatuorve vicibus Joannes de se loquitur in Evangelio semper se vocans illum Discipulum, & nunquam Joannem. *Discipulus ille.* Quare igitur S. Joannes, non suo se nomine appellat? Urgeamus dubium. S. Joannes in Evangelio loquitur de Christo; loquitur de Petro; loquitur de seipso: Christum appellat Christum; Petrum vocat Petrum: se ipsum verò non compellat Joannem. Si igitur Christum nominat Christum, & Petrum Petrum, quare Joannem non nominat Joannem? Ratio est, quia Joannes significat Gratiam: & S. Joannes in tantum amavit gratiam ob se ipsam, ut nec nomen voluerit habere cum eo. Amantes Gratiam Principum etiam infructuosè, Gratiam saltem appetunt cum nomine; cum Gratia applaudi sibi gestiunt: S. Joannes autem tam excellentèr amavit gratiam sui Principis etiam sine suo commodo; ut gratiam desiderarit sine nomine: eandem voluerit sine vocibus & applausu, propterea nomen Joannis subticuit, quia erat nomen Gratiæ. Gratia amore Gratiæ, supremus apex est Evangelistæ.

Perfectissimus amor Gratiæ secum patitur & admittit amorem alium, qui est amare gratiam amore Gloriæ. Solus S. Joannes ulteriùs progressus, ab amore Gloriæ separare voluit amorem Gratiæ. Moyses dicebat Deo: *Si inveni Gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* q. d. Domine, si coram te gratiam inveni, ostende mihi faciem tuam in qua Gloria consistit. Exod. 33. v. 13.
Et S. Joannes quid? *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum Gratia:* Ita ut Moyses amaret gratiam Dei, velut Gratiam Dei Gloria pleni: & S. Joannes amaret Gloriam Dei, velut Gloriam Dei Gratia pleni. Inter utramque considerationem multum differt; amare enim Gratiam amore gloriæ, est velle frui prœmio: amare Gloriam amore Gratiæ, est amorem velle assecurare. Quodnam optimum habet Beatitudo? optimum Beatitudinis non est Gloriæ fruitio, sed Gratiæ certitudo: Beati enim gratiam Dei perdere nequeunt: & istud S. Joannes considerabat. Moyses Gratiam considerabat velut pignus Gloriæ: S. Joannes Gloriam considerabat velut securitatem Gratiæ. Amor Moysis conjunctus erat commodo; ordinabat enim Gratiam ad Gloriam: dirigebat

bat amorem ad visionem. Amor S. Joannis purus erat & excellens; volebat enim Gratiam amore gratiæ: amare volebat absque reflexione ad visionem.

Hinc ex nostro Evangelio, magnum & nunquam satis intellectum innotescet mysterium: *Discipulum, quem diligebat, qui & in cœna recubuit supra pectus Domini.* S. Joannes reciprocum inter se ipsum & Christum exaggeravit amorem, in cujus probationem dicit, quod recubuit & obdormivit supra pectus Domini! Egregia sanè amoris probatio! Diligere est vigilantia, & obdormire negligentia est incuria: quomodo igitur fieri potest, ut negligentia & incuria vigilantiæ sit probatio; & obdormitio probatio sit amoris? Obdormivit, ergo dilexit: nunquid hæc bona est consequentia? Est omninò: S. Joannes enim obdormivit supra pectus Christi: nec purior, nec certior dari potest amor illo, qui cor tradit & oculos claudit. Tradere cor oculis apertis, est velle visionem pro prœmio amoris: cor tradere oculis clausis, est nolle in amore præmium visionis. Unde clarè infertur, amorem S. Joannis perfectiorem fuisse circumstantiis ipso amore Beatorum: Beati enim amant oculis apertis: S. Joannes amavit oculis clausis. Beati amant cum satisfactione visionis: S. Joannes amat sine interesse & commodo videndi. Utrum bona sit consequentia, ipsi dicant Gloriæ Seraphini. Isaias duos illos vidit Seraphinos Throno Dei assistentes, dicens, quod duabis alis volarint, & duabus alis faciem velârint: *Duabus aliis volabant, & duabus velabant faciem.* Si igitur omnes Angeli semper vident Deum, quonam pacto Seraphini isti velabant oculos? Hujus rei causa est; quia sicut cœlestes Seraphini per antonomasiam sunt amantes, repræsentando saltem perfectiorem, quàm aliorum Spirituum Beatorum Deo offerre satagebant amorem. Et amor perfectior illo Beatorum, est aperire cor, & claudere oculos. *Duabus volabant*, ecce cor apertum: *Duabus velabant*, ecce oculos clausos. Alii Beati diligunt corde oculisque apertis: at Seraphini, qui illos in amore vincunt, amant corde aperto, & oculis clausis. Quemadmodum S. Joannes, à quo didicerunt hanc excellentiam: *Discipulum, quem diligebat, qui recubuit supra pectus ejus.*

Isai. 6. v. 2.

§. VII.

Enim verò cum in S. Joanne tot concurrerint qualitates amantis & amati, nec non familiaris & amici, quid mirum quod illum adeò diligeret Princeps Gloriæ Christus; Quid mirum quod illum adeò diligeret Princeps Ecclesiæ Petrus? Ut concludamus eo unde cœpimus: Quod vel maximè exaggerari potest in familiari, est quod Curtius de Epimanonda Alexandri Magni familiari & Amico pronunciavit: *Multa ille sine Rege prosperè, Rex sine illo nihil magnæ rei gessit.* Curtius. q. d. Tantus fuit Epimanondas, ut cum Alexandri Magni familiaris esset, ipse sine Alexandro multa præclarè gesserit; Alexander nihil magnum sine illo. Idem omninò de S. Joanne non Alexandri Magni, sed ipsius Christi existente familiari perpropriè affirmare licet. S. Joannes multa & magna gessit sine Christo visibiliter præsente: Christus res magnas seu maximas non gessit sine Joanne. S. Joannes sine Christo Romæ superavit tormenta, sine Christo venenum bibit Ephesi;

phesi; sine Christo Pathmos in exilium est relegatus, sine Christo convertit & reduxit ad Christum Asiam, sine Christo totum docuit mundum: legemque Charitatis Christi divulgavit. Grandia patravit S. Joannes sine Christo: Multa ille sine rege prosperè. Christus è contrario vix magni quippiam sine Joanne fuit operatus. Primum miraculum Christus in nuptiis patravit, & aderat Joannes: Christus resuscitavit filium Principis Synagogæ in comitatu habens Joannem: Christus Sanctissimum instituit Eucharistiæ Sacramentum, omnium miraculorum maximum, & S. Joannem supra pectus suum habebat reclinatum: Christus in monte Thabor fuit transfiguratus, & S. Joannes Gloriæ isti adfuit: Christus in horto sudavit sanguinem, & S. Joannes in pœna illa & angustia comes adfuit: Denique Christus mundum redemit moriens in cruce, nec alium assistentem sibi habuit à latere, nisi S. Joannem: *Rex sine illo nihil magna rei gessit.*

Porrò si istud usu venit Principi Gloriæ, quid mirum si Ecclesiæ Principi usu veniret idem? S. Petrus misit se in mare ad suo occurrendum Magistro, sed S. Joannes eundem ipsi monstravit: S. Petrus in cœna, quis Proditor esset scire cupiit, sed S. Joannes illud interrogavit: S. Petrus pontificis atrium intrare fuit ausus, sed à S. Joanne fuit introductus: S. Petrus Sepulchrum Christi invisere decrevit, sed S. Joannes eum deduxit. Ita ut Princeps Gloriæ, & Princeps Ecclesiæ uterque uteretur S. Joanne, hac tamen differentia: Princeps Gloriæ non aliter utebatur S. Joanne, quàm velut amico & familiare: Princeps Ecclesiæ non aliter utebatur S. Joanne, quàm velut potente. Et quomodo Princeps noster? Titulo utroque. Celsitudo tua in S. Joanne habet Amicum, & potentem: Amicum pro devotione; potentem pro necessitate. Restituit Deus celsitudini tuæ sua regna, quo tempore armatâ manu illa defendere opus erat. Fortuna Celsitudini tuæ æmulum suscitavit Principem Balthasarum, Babylonico illi potentiâ non imparem. Sed tres digitos cum penna suffecisse constat ad tremefaciendum Balthasarem. O convenientissimum pro nostro Principe actum! Tribus S. Joannis digitis cum penna, & unâ literâ quæ dicat, *Contra Balthasarem satis*: amore & intellectu obsignantur omnia. Ista penna de phœnice est amoris; Hæc penna de Aquila est intellectus. Hac penna scribetur tum justæ petitionis sententia: Hac penna confirmabuntur scripturæ, quibus nostra conserventur: Hac pennâ authentica conficientur vaticinia, quæ de Celsitudinis tuæ corona tam gloriosè loquuntur in hoc felici regimine. Denique (hic enim sistent omnia) pennâ istâ Evangelistæ, nomen habentes Gratiæ, Celsitudini tuæ post plurimas vitæ annos subscribentur & confirmabuntur decreta Gloriæ, Amen.

SERMO

SERMO

PRO

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17.

§. I.

IN ipſo quaſi terræ promiſſionis ingreſſu Moyſes in duobus altis ſibi ex adverſo oppoſitis montibus (vocibus quas totus filiorum Iſrael exercitus per campos longè lateque diffuſus miraculosè audiebat) proclamari & promulgari juſſit, in uno Garizim dicto felicitates & benedictionem legem inviolatam cuſtodituris: In altero Hebat nuncupato maledictionem & improſpera trangreſſoribus ſuperventura. Similes mihi in hoc Quadrageſimæ introitu, præcelſi duo figurantur montes, non tantùm ex adverſo ſibi oppoſiti, ſed omninò contrarii, quorum hiſtoriam Evangelicam in Dominica hac & præteritâ repræſentavit & repræſentat Eccleſia. In monte primo Diabolus Princeps mundi adhuc dictus, Chriſto omnia ejuſdem mundi regna & Gloriam eorum oſtendit: *Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.* In Monte ſecundo Chriſtus verus Rex Dominuſque Cœli, quibuſdam ex Diſcipulis ſuis ſibi familiarioribus non regnum totum, neque omnem ipſius cœli gloriam oſtendit; oculi enim humani illius videndæ capaces non erant, ſed quandam ipſius partem: *Et transfiguratus eſt ante eos.* O differentiam inter Montem & Montem! O differentiam inter Regna & Regnum! O differentiam inter Gloriam & Gloriam! Etiam montium horum alter proſperitatum, & alter Maledictionum poterat appellari; & ſimiliter in quolibet eorum præco promulgat felicitates reſervari illis qui legem cuſtodiunt Dei, ad quod Chriſtus transfiguratus cœleſtis gloriæ nos excitat viſione: ſimiliterque maledictiones præparatas iis, qui legem eandem contemnendo prævaricantur, ad quod tentator Diabolus falſa nos Gloriarum mundi apparentia inſtigat. *Matt. 17. v. 2.*

Quemadmodum ambo iſti montes ſunt de Gloria, quamvis tam diverſa, cuilibet eorum aſſumptio reſpondet. *Matt. 4. v. 5.*
Primò *aſſumpſit eum Diabolus*: Secundò, *Aſſumpſit Jeſus Petrum*, & Ja- *Matt. 1. v. 1.*

Jacobum, & Joannem. Certùm est, sufficere quod assumptio una sit Diaboli, & altera Jesu; ad hoc ut omnes ament ac desiderent assumptionem Iesu: & abominaentur & ejurarent assumptionem Diaboli. Sed quid, prô dolor! videmus? Viam Montis Thabor, qua tenditur ad cœlestem Gloriam, desertam & quasi nullus incedat per eam: alterius verò non nominati montis plateam, quâ ad mundi pergitur Glorias, omnis generis & status hominibus frequentatam, etiam aliis qui mundi despectum profitentur. Dixit David omnem hominem fide & ratione præditum in hac lachrymarum valle ex proposito ascensionem disponere: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum in loco, quem posuit.* Si igitur omnes ad fruendum æternum veris Beatitudinis felicitatibus ascendere & assumi desideramus & speramus, quare derelictâ montis viâ, quâ Christus ad cœlestem nos gloriam ducit, tam solicitè & certatim, non dico jam plateam, sed præcipitia sectamur, per quæ Diabolus sub falso Gloriarum mundi nomine nos ad maledictiones deducit Inferni? Psal. 83. v. 6. 7.

Adjuvante me nunc gratiâ divinâ cæcitatem hanc hodie tollere cuperem, quæ tot animas decepit & perdidit, quæ eandem in hac vita non agnitam, nunc sine remedio deplorant. Hunc in finem montem monti opponam, montem tentationis monti transfigurationis, & glorias mundi, Gloriæ cælesti: non bona malis, sed bona comparando bonis. Hoc medio clarius manifestiusque quàm ullo alio, falsorum verorumque bonorum differentia patebit: & cum jam intellectus noster & voluntas adeò decipiantur & errent: saltem oculi nobis veritatem ostendent. Lux divinæ Gratiæ illos nobis dignetur aperire, & illuminare per intercessionem ejus, quæ gratia plena est. *Ave Maria.*

§. II.

Opposito monte tentationis cum gloriis mundi, monti transfigurationis cum Gloria cœlesti, quis bonorum nobis demonstrabit differentiam, quæ promissa sunt in monte primo, & promittuntur in secundo, nisi qui se invenit in utroque, tentatus in uno, & transfiguratus in altero? Idem dubium exagitavit multos, quos David interrogasse refert: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Idemque Propheta respondet, lumen vultus Christi Domini illa nobis ostenderet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nunquam vultus Christi Domini nostri clarius refulsit, quàm in hac transfigurationis suæ die, in quo solis instar vultus ejus resplenduit: *Resplenduit facies ejus sicut Sol.* Et in signum quod ibi visa sint bona, omnium nomine inquit S. Petrus: *Bonum est nos hic esse.* Cum igitur vultus Christi lumen nobis ostensurum sit bona, idem lumen solis adinstar splendent, in lumine solis tria invenio, quæ non clarè minus quàm ipsa lux solis magnam nobis differentiam demonstrare possint, quæ inter bona cælestis Gloriæ, & illa sic dicta Gloriarum mundi bona intercedit. Lux Solis pura est & sine macula; tantùm deservit uni quantum omnibus: totaque simul & indivisim percipitur. In his igitur tribus, lucis solaris proprietatibus, tres nobis Vultus Christi ostendit differentias inter bona cœlestia & mundi, ex quibus etiam tanquam tribus punctis discursus noster constabit. Primò ostendimus bona mundi Psal. 4. v. 6. Ibid. 7. Matt. 17. v. 2. Ibid. 4.

di malis esse permixta ; & sola cœlestia mali mixtura carere: In Secundò, de bonis mundi, quemlibet privatim solis frui suis, quod multũ est; & de bonis cœlestibus quẽlibet frui suis & prætereà omnibus comuniter: In tertio, si cui contingat bonis frui omnibus, illud successivè tantũ & per partes fieri: & de bonis cœlestibus contrariũ, eis frui omnibus collectivè, semper, & simul. Promisi nos oculis omnia ista conspecturos, & quamvis quorundam punctorum horum materia sensus transcendat, transfigurationis nihilominus lux, illam nobis Solis instar reddet illustrem.

§. III.

PRima propositionis nostræ differentia omnia mundi bona malis permixta, cœlestia verò omni carere mixtura asserit; & ita protinùs se res habet. Quando Deus universi totius construxit machinam, in tres eam regiones divisit: Unam super terram, quæ est mundus in quo vivimus; alteram infra terram, quæ est infernus; Tertiam supra terram, quæ est cœlum: & inter omnes has tres regiones bona & mala est partitus, & magna cum justitia & differentia. In inferno sunt tantùm mala sine bonis: in cœlo tantùm sunt bona sine malis: in terra bona malis sunt permixta. Qua de causa? in inferno sunt tantùm mala, quia tantùm mali ibi degunt: in cœlo sunt bona tantùm, quia nonnisi boni ibi agunt: in terra verò ubi boni malis permixti vivunt, bona quoque malis permisceri justum erat.

Prima veritatem hanc magistra docuit natura in omnibus quæ creavit pro omnibus. In maxima sensuum oblectatione, quæ est rosa, spinis eam sepiens, teste S. Ambrosio clarum & verum deliciosæ hujus & dolorosæ mixturæ reliquit speculum. Verba S. Ambrosii hæc sunt: *Spina sepsit gratiam floris tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum spinis sæpè compungat.* Ambr. lib. 3. Exam. cap. 17.
Eandem considerationem secutus amplificavit Boëtius, qui exemplo pulchritudinis illud adjungens dulcedinis, cecinit, seu lamentatus est eleganter: *Armat spina rosam, mella tegunt apes.* Boët. Et quemadmodum in hac vita non est rosa sine spina, nec mel sine ape; sic neque unio est sine luto, neque aurum sine scoria, neque cœlum sine nube, neque Sol sine umbra, neque lumen sine fumo, nec theriaca sine veneno, nec mons sine valle, nec quantitas sine pondere, neque plenum sine vacuo, nec triticum sine palea, nec caro sine osse, nec piscis sine spina, neque fructus arborum quantumcunque sapidus, sine acido intus, seu cortice foris. In ipso tempore quo vita nostra constat, non est æstas sine hyeme, nec dies sine nocte. Porrò in hac similitudine tanta est differentia, ut ad habendam æstatem & hyemem totus requiratur annus; & ad diem habendam & noctem viginti quatuor requirantur horæ: sed ad habendum malum & bonum, unicum sufficiat momentum.

Gentiles sine fide solâ experientiâ docti, inquiebant, Deum duo habere stagna, unum mellis, alterum fellis, nec quicquam transmittere ad homines, quod non utrumque transierit, & hanc ob causam omnibus quæ in terram descendunt, inesse dulcedinem mellis permixtam amaritudine fellis. Certius nihil lecto Davide pronunciare potuissent. Propheta Regius inquit, Deum in manibus habere calicem, è quo propinet hominibus, vino puro & mixto plenum: *Calix in manu Do-* Psal. 74. v. 9.

Domini vini meri plenus mixto. Notat & interrogat S. Augustinus hîc, *Quomodo meri si mixto?* Si vinum erat purum, quomodo mixtum? & si erat mixtum, quomodo purum? quia non est bonum naturale, & mundi hujus, quamvis de manu Domini Dei, quantumcunque purum sit & defœcatum, quod non in se seu secum vehat aliquam mali mixturam. Vinum est illud pectorale simplex, à natura mediatum ad cor hominis lætificandum: sed nihil est tam lætum aut lætificativum, sic ab omni tristitia alienum & vacuum quod cor non affligat. Si ridetur, risus dolore miscebitur: si quid delectat, gaudium in luctum convertetur. Salomon istud nobis in Proverbiis suis testatum reliquit: de præsenti tanquam expertus, & de futuro velut Vates: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

S. August. ibid.

Prov. 14. v. 13.

Sed quia hominum sapientissimum, Regumque omnium divitiis deliciisque affluentissimum in medium produximus, ipse verum nobis declarabit judicium, quod & ipse de rebus mundi formavit, nosque formare fas est. Penes me statui, inquit Salomon affluere deliciis, cunctisque vitæ hujus frui bonis: *Dixi ego in corde meo, vadam & affluam deliciis, & fruar bonis.* Præsupposito velle, scire, & posse quicquid vellet facere (nemo quippe tantum potest, nec plus voluit, neque Salomone melius scivit) ecce quid fecerit! Regium in Jerusalem construxit Palatium, quod post ædificatum ab ipso templum secundum fuit mundi mirabile: in monte Libano fundamenta jecit pro variis diverticulis, voluptariisque ædificiis, in quibus præter hoc, quod quicquid rarum, curiosumque mundus habet, collectum videretur, hortorum amœnitas, fontium limpiditas, sylvarum densitas, ferarum volatiliumque venatio, & ad ipsam usque umbram in æstate, & Solem in hyeme artificio naturam excedebant. Thronus eburneus in quo causas audiebat, currusque ferculum dictus, quo vehebatur, tanta arte & pretio erant elaborati & exornati, ut singulariter eos Textus sacer describat: Vestium, ornatusque Salomonis splendorem Christus ipse Gloriam vocavit: auri argentique coacervati thesauri erant immensi: greges & armenta pecorum, tum temporis Regum divitiæ numerum excedebant: equi in quadraginta præsepiorum millia erant distributi: mensæ sumptuositas, cui Provinciæ diversæ deserviebant, nec non majestas, magnificentia, ordo & pompa ministrantium ac satellitum Reginam Saba in extasin rapuerunt: scutellæ, scyphi, aliaque mensalia vasa erant aurea: Musica vocalis ex utroque sexu exquisitisma: odoramenta, & pigmenta quorum seu fumo seu odore & suffitu aspergebantur & inficiebantur omnia constabant omnibus, quæ oriens exhalat aromata. Non hic mihi sermo est de qualitate & formositate Gynecæi aulici, filiarum Principum, & diversis è nationibus electarum, quas inter solæ Reginarum nomine & cultu insignes erant sexaginta, omnes regia magnificentia & satellitio gaudentes: Hisce omnibus Salomon in tranquillitate summa, nec fama minore fruebatur, sine inimico, & timore ullo: & hisce omnibus tam impense vacabat & indulgebat; ut ipsemet fateatur, nihil vidisse oculos, excogitâsse imaginationem, aut cor concupiisse, quod ipsis negaverit: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Cùm igitur in hisce Salo-

Eccles. 2. v. 1.

Eccles. 1. v. 10.

lo-

lomonis felicitatibus non compilata, sed extensa sint omnia mundi bona, audiamus scientes, quale de eis formaverit judicium quod ipsemet paucis insinuat verbis. *Cùm me convertissem ad universa opera quæ fecerunt manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus afflictionem animi.* q.d. Convertens oculos ad omnia quæ feceram, inquit, & in quibus frustrà laboraverã & sudaveram (quæ feceram, inquit, & in quibus laboraveram & sudaveram, & non quibus fruitus fueram, omnia enim quibus fruitus fuerat, fuerunt *frustra*) quod in omnibus vidi & inveni fuit, omnia esse vana & afflictiva spiritus, *Vanitatem & afflictionem animi.* Si igitur omnia mundi bona sunt vanitas, quo pacto esse possunt vera bona? porrò si illis nomen bonorum tribuamus; & omnia affligunt animum, quo pacto bona esse possunt sine admixtione malorum?

Ibid. v.11.

Enimverò ne quis à tempore Salomonis in præsens usque mutâsse putet & melioràsse naturam bona mundi: aliud magnum & quasi temporis nostri audiamus oraculum. Quando Carolus Quintus heroicum illum exercuit actum, in quo paucorum habuit exempla, rariores habiturus imitatores, imperio renunciando: renunciationis hujus rationes & motiva allegans, post tot tamque insignes ab hostibus reportatas victorias, Bruxellis coram toto Senatu non sine lachrymis confessus est, potissimum seu ex potissimis motivis fuisse unum; quia toto vitæ meæ tempore, inquit, à quo capiti imposui coronam, ne quadrantem quidem horæ veri gaudii habui, sed semper curis, afflictionibus, doloribusque permixtum: *Se toto Regni tempore, nec ad unum quidem horæ quadrantem puram habuisse, meramque lætitiam, sed multis illam curis, angoribus, doloribusque permixtam.* Porrò si tristem hanc mixturam in maximis mundi fælicitatibus experti sunt inter Reges Salomon, & inter Imperatores Carolus: Quid de particularibus suis dicere & affirmare poterunt, etiam illi quibus vel maximè fortuna arridet?

Carol. V. Imperat.

§. IV.

INgentes felicitates somniavit Joseph; & in tantum somnia ipsius verificata fuerunt, ut postquam venundatus, & mancipium factus fuerat, mox Proregem se viderit Ægypti, & tanta quidem authoritatis & potestatis amplitudine, ut Rex non nisi corona & nomine ipsum præcederet. Regebat omnia, ordinabat omnia, parebant Joseph omnia, felicitate nunquam visâ & exspectatâ. Sed ubi? in Ægypto. Nullus est, nec esse potest fælix alieno loco cum sua anima. Corpus, potestas, dignitas erant in Ægypto: Anima, amor & desiderium in Chanaan peregrinabantur? proinde tota illa maximorum fortunæ bonorum apparentia supplicium erat & exilium. In Ægypto vivus, in patria mortuus: in Ægypto applausibus beatus, in patria deploratus: in Ægypto escam subministrans mundo, in patria devoratus à feris: in Ægypto omnia, in patria nihil. Quamvis Joseph non velut mancipium, sed velut Prorex fuisset abductus in Ægyptum, nihilominùs venditus abibat: multò magis enim fortunatum ipsi reputari poterat in domo versari Jacob dilectissimum filium patris, quam in aula palatioque Pharaonis primum agere ministrum, Regique familiarissimum. Apertis mundus oculis non sit contentus homines contemplari deforis, sed eos consi-

deret penetretque intrinſecus,& inveniet, quod in eo bonis maliſq; adinvicem æquâ ponderatis ſtaterâ, experiri poſſit maximis bonis collata mala præponderare.

Joſephi pater Jacob ſatis etiam felix fuit. Fortunatiſſimum in tota vita ſua reputavit, exanthlatis tot annorum laboribus & ſervitiis in præmium tandem Rachelis ſocietate & amplexibus frui. Si quod valdè deſideratur, multùm laudatur; ſi magni æſtimatur pro quo multùm laboratur; nullum gaudium, lætitiamque nullam percipiet unquam, qui tantùm æquali proſequeretur amore. Sed ecce ſub quam gravi uſura mundus vitæ hujus gaudia tribuit. Felicitas fuit una, penſiones & uſuræ fuêre tres, & ſingulæ ſatis graves. Scilicet Rachelis ejuſdem ſterilitas, Labani deceptiones, & zelotypia Liæ. Quantumcunque amentur, quantumcunque deſiderentur ſic dictæ felicitates, in fine ſunt Racheles. Non eſt Rachel, quæ ſuum non habeat Labanum, & ſuam Liã. Si Rachel placet, moleſtiam Labanus infert, ſi Rachel dat gaudium, pœnam moleſtiamque Lia addit. Quantò magis ad moleſtiam pœnamque inferendam Racheli, ſufficit eſſe Rachelem. Legite Scripturam ſacram, & deprehendetis formam illam & pulchritudinem tam malè fuiſſe diſpoſitam, ut totus neceſſarius fuerit amor Jacobi ad mitiganda ejus faſtidia, & importuna deſideria, & ſupportanda phantaſmata. Majore ſane labore illi Rachel conſtitit poſtea, quàm conſtitit antea. Sic in hac vita gaudiis acclavata ſunt faſtidia: & bona malis permixta, ſi Rachel bonam habet faciem, malam habet conditionem: ſi Lia bonam habet conditionem; ingratam habet faciem: nec datur bonũ ita ſuis numeris abſolutũ, quod oculis ſimul & cordi ſatisfacere poſſit.

Diſtendite viſum, ſeu conſiderationem ad omnia quæ mundi ſunt extendite; & videbitis ne vel unam quidem inſtantiam, vel unum exemplum vos veritati huic contrarium invenire. Magni æſtimant homines formæ pulchritudinem; magni faciunt generoſitatem animi, nec minoris ingenii felicitatem, & judicii maturitatem. Sed enim formoſi interrogent Abſolonem; generoſi Davidem; ingenio, judicioque pollentes Achitophelem, primus quomodo ſuam luerit formoſitatem; ſecundus quid ſuæ debeat generoſitati; tertius, quid ſuo tribuendum habeat ingenio & judicio. Primus atteſtante S. Scriptura ea fuit corporis forma, ut à planta pedis uſque ad verticem capitis pulchriorem natura non pinxerit, domicellæ ponderibus auri ſibi capillos ejus comparabant, de quibus tamen mors laqueum ipſi texuit, quo ramo quercus appenſus vitam morte infami finivit, tribus lanceis in pectore confixus. Et hanc penſionem Abſalon, formoſitati ſuæ perſolvit. Tanta David generoſitate præfulſit, ut toto exercitu Iſraelitico ad conſpectum Goliath Gigantis contremiſcente, ipſe ſolus inermis duellum ingreſſus ad pedes ſuos ipſum proſtraverit, enſe proprio caput ipſi amputando. Sed ex hoc odium tale & invidiam apud Saul Regem incurrit, ut non ſemel, ſed ſæpius, lancea, quam manu tenebat pro ſceptro, ipſum conatus fuerit configere cum pariete. Ita ut ob occiſum Gigantem, David non ſecus, ac ſi occidiſſet Hebræum, ſe abſcondere, & à victoria ſua, tanquam à delicto commiſſo fugere neceſſe haberet: ſic David ſuam luit generoſitatem! tantæ erat ſapientiæ Achitophel, tamque prudentia ipſius

ſius erant conſilia, ut ſacro atteſtante Textu, tanquam oracula divina exciperentur. Partes amplexus rebellantis contra patrem Abſolonis, convenientiſſima illi conſilia ſuggerebat: quoniam verò juveni fatali magis placuit amplecti ea quæ ducebant ad præcipitium, tanta fuit deſperatione actus, ut ſuſpendio interierit. Et hoc penſum Achitophel, ingenio, judicio, conſilioque ſuo perſolvit. Agite igitur, & cónſilio & judicio credite, generoſitati confidite, & formæ pulchritudine gloriamini; tam nocivis bona permixta ſunt malis, ut formæ pulchritudo ſit laqueus; generoſitas delictum, & prudentia ſit ſtultitia.

Sed quid rei hujus exempla in veteri quærimus Teſtamento, cùm in novo, Evangelioque noſtro omnium maximum habeamus? Chriſtus in monte Thabor eſt transfiguratus, adfuerunt ibidem Moyſes & Elias, & quando de viſa in monte Gloria Chriſto congratulari debuiſſe videntur, de morte ipſi locuti ſunt, quam in
Luc. 9. v. 31. monte Calvario appetiturus erat: *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem.* Num colloquium occaſioni huic diſſonantius dari poteſt? Chriſti facie Solis inſtar radiante, illi loquuntur de Eclypſi? veſtimentis ipſius nivis inſtar albicantibus, ipſi de lugubribus & pullis loquuntur? & in lætiſſimo totius vitæ ſuæ die, Chriſto de morte loquuntur? ita habet. Quia non eſt lætitia in hoc mundo adeò exempta, quæ tributum non ſolvat triſtitiæ. Ad montem uſque Thabor, ad perſonam uſque ipſius Chriſti, ad miraculum uſque transfigurationis, quantumcunque ſuprema & ſublimia ſint bona, mox ut vel tetigerint terram, non poteſt eſſe gaudium ſine dolore: nec Gloria ſine pœna. In tantum ut ſi motivum defuerit in præſenti quod eſt, erit in memoria futuri quod erit: modò transfiguratus, ſed poſtea crucifixus. Porrò cùm transfiguratio, ſicut ipſe Chriſtus mox dixit, ſimilis ſit reſurrectioni, & non morti: ecce quo pacto duo alterius mundi homines, mortem miſceant cum transfiguratione, & Calvarium montem cum Thabor monte confundant.

Concludamus igitur ex mundi hujus veris experimentis, tam parvi facere ſic dicta ejuſdem bona, ob mixturam quam habent cum malis; ac ſi verè pura mala eſſent, ſine ullo bonorum condimento & temperie. Hanc doctrinam è mundo diſcedens Redemptor ejus, ſuo nobis exemplo, Calvario monti inſculptam reliquit. Bina vice Chriſtum felle potârunt; ſemel ante Crucifixonem, & ſemel jam crucifixum. Ante crucifixionem, quando vinum felle mixtum ei propinârunt: *Dederunt ei vinum cum felle mixtum.* Poſtquam crucifixus, quando in cruce dicenti *ſitio*, fel cum aceto miniſtrârunt: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Sed quomodo Chriſtus ſe in utroque geſſit caſu? in utroque guſtavit utrumque, & in utroque bibere recuſavit. Sic de primo & ſecundo potu Evangeliſtæ iiſdem referunt verbis: *Cùm guſtaſſet noluit bibere.* In primo potu certum eſt fellis amaritudinem vini dulcedine fuiſſe temperatam: & in ſecundo, fel temperatum non fuiſſe, ſed aceti acredine exaſperatum. Si igitur fel tam diverſimodè erat temperatum in potu utroque, quare Chriſtus æqualiter & indiſcriminatim recuſavit utrumque? Quia in primo potu vinum felle & dulce amaro permixtum, erat bonum mixtum malo:

Matt. 27. v. 34. Pſ. 68. v. 22. Matt. 27. v. 34.

in ſecundo, fel additum aceto, erat malum malo cumulatum ſine omni boni mixtura: porrò Chriſtus utroque guſtato, illud æqualiter reſpuens, ſuo nos docere voluit facto & exemplo, in bonorum malorumque quibus mundus conſtat confuſionem, ſic deſpiciendum abhorrendumque bonum malo mixtum, ac ſi bonum & malum, ſine omni boni mixtura mala exiſterent. In potu utroque aderat fel, in uno ſimul cum vino, in altero ſimul cum aceto, quod eſt vinum corruptum: ſimilemque corruptelam in bonis cauſat ſocietas & mixtura malorum; ut bonum, malo mixtum protinus convertatur in malum, totamque boni ſubſtantiam amittat. Condignum igitur de ſic vocatis mundi bonis formemus judicium, æſtimationemque quam merentur: indignum reputantes amore, qualecunque id demum ſit, & abominantes velut purum putrumque malum: & ob mali mixturam magis abominandum, velut fallax magis ac deceptorium.

§. V.

Sola cœleſtis illius patriæ, ſola terræ illius promiſſionis Gloriæ, ſola illa Beatitudinis Thabor bona, vocari poſſunt bona, abſque mali omnis mixtura. Cœlum eſt Salomonici inſtar templi, in quo nunquam auditus fuit mallei ictus; ibi enim, evangelico atteſtante Propheta, nihil eſt quod dolorem, pœnamve inferat, aut vel gemitum ex ore extorqueat: ejuſdemque cœli incolæ ſunt velut Stellæ firmamenti, quo terræ non pertingunt vaporum fumi, quibus obtenebrentur: omnes in ſumma patriæ pace ſummo fruentes bono; quod non foret ſummum, niſi omne quantumcunque etiam minimum malum ab eo eſſet excluſum. Proinde ſola naturalia patriæ ejuſdem bona ſunt pura, vera, perfectaque bona, omni corruptela, contrarietate aut mixtura vacua.

Inter omnes Paradiſi terreſtris plantas, inſigniores duæ fuerunt arbores, quarum nomen nobis tantum conſtat, videlicet arbor ſcientiæ, & arbor vitæ. Veruntamen arbor illa ſcientiæ duo continebat contraria, arbor autem vitæ minimè: arbor quippe illa ſcientiæ erat ſimul boni & mali, quod bono repugnat; arbor verò vitæ tantummodo erat vitæ; & non vitæ, ſimul & mortis, quæ vitæ adverſatur: Si igitur ambæ erant arbores paradiſi, quare tanta differentia inter ipſas dabatur? Quia nec Paradiſus abſolutè erat Paradiſus, ſed Paradiſus terreſtris: ideoque plantarum ipſius altera terreſtres, altera verò cæleſtes delicias exprimebat. Illa deliciarum terreſtrium imago, erat ſcientiæ boni & mali: nam in terra malum ſemper permixtum eſt bono: & illa deliciarum cœleſtium adumbratio, erat vitæ ſine morte; nam in Cœlo omne bonum purum eſt defœcatum, ſine omni mali ſocietate & mixtura. Quod ita Cœleſtis Gloriæ Jeruſalem deſcribens S. Joannes aſſeverat, non aliam differentiæ hujus adducens rationem, quàm quod aliæ ſint ſecundæ, ſcilicet cœleſtes; aliæ verò primæ, ſcilicet quæ ſunt, aut fuerunt hujus mundi: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* *Apoc. 21. v. 4.*

Ad probandum, quod mundi hujus bona ſemper malis ſint permixta, teſtem naturam adduxi: ad probandum verò, quod bona Cœleſtia pura ſint & impermixta, teſtem artem producamus. Ars purificando auro, tanquam metallo pretioſiſſimo, effi-

efficacissimum potentissimumque admovet elementum, id est ignem: *aurum per per ignem probatur.* Ignis ibi scoriam decoquit & expurgat; ignis ibi auri valorem probat & explorat præstantiam: hocque medio aurum à nobis reputatur purissimum. Verùm ut error noster appareat, aurum istud in cœlo collocemus. S. Joannes cœlestis civitatis plateas, ex auro mundo stratas asserit: *Platea Civitatis aurum mundum.* Porrò si interrogaverimus in quonam mundities illa puritasque auri consistat cælestis? postquam dixit, *aurum mundum*, adjungit, *tanquam vitrum perlucidum*, scilicet, quod est purum & mundum, quia diaphanum, & transparens instar vitri. Si igitur aurum tunc censetur purum & mundum, quando eousq; pertingit ipsius excellentia, ut diaphanum sit & transparens instar vitri; optimè sequitur, aurum nostrum grossum, densum, opacum, & nec similitudinem quidem habens cum diaphano & transparente, quantumcunque suo nobis abblandiatur fulgore, nosque decipiamur ab illo, nulla ratione aurum mundum & purum posse reputari. Ita ut aurum terrestre, quod capitibus suis Reges imponunt, comparatum cum auro cœlesti, quod Beati calcant pedibus, *platea ejus*, universum omninò terræ aurum sordibus scateat & scoria, quamvis illas non videamus, solumque illud cœli purum sit & mundum: *aurum mundum*, super omnia si ab Evangelista eodem discere cupierimus, quibusnam ingredientibus aurum istud cœleste expugnetur? Respondet, solo in ipsum cœlum ingressu: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Et quemadmodum illa est natura cœli, & hæc natura est terræ; eadem differentia inter aurum & aurum nos docet, quod sicut in terra dari nequit bonum, quod mali careat mixtura, sic omnia cœli bona esse impermixta & pura.

1. Pet. 1. v. 7.

Apoc. 21. v. 21.

Ibid.

Si velitis à me scire (inquiebat prædicans sanctus Augustinus) quid sit in cælo, dicere vobis nequeo quid sit, nisi simul dicam, quid non sit. *Ibi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles.* Ergo cœlum nostræ videtur voluntati commensuratum? Nullatenus. Voluntas nostra cœlo proportionaliter est facta. Et quare? Quia voluntatis nostræ objectum, quatenus vult, est bonum: Ejusdemque objectum, quatenus non vult, est malum: Et quicquid est in cœlo est bonum, & quicquid non est in cœlo, est solùm malum. Hinc est in cœlo quicquid voluerimus, & solùm deest quicquid noluerimus. Si eadem separatio inveniretur in bonis mundi, etiam in terra homo posset velle, & gaudere bono sine mali permixtione: sed quantumcunque velit, non potest; quia malum non solum adhæret, sed individuè & inseparabiliter bono inest. Porrò ut subtilitatem tandem cognoscamus quâ eadem nobis bona blandiantur & oblectent, falsisque gaudii apparentiis individuum sibi malum obtegant, & examen cœleste sic dicta bona revocemus, ubi eorundem dolus & fallacia detegetur.

S. Aug.

Idem Evangelista S. Joannes (quem denuò auscultare oportet, supposito quod S. Paulus etiam cælestiũ contemplator & cognitor nihil nobis revelare voluerit) non minore animadversione dignus in eo quod dicit, quàm in verbis quibus dicit, affirmat, quod cunctis qui ex hoc mundo cœlum intrant, Deus omnem lachrymam ab oculis abstergat: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apoc. 7. v. 17.

Quid

Quid verò ſignificat omnis lachryma? ſignificat omne lachrymarum genus (pro ut acutè & literaliter S. Ambroſius commentatur.) In hoc enim mundo non tantùm lachrymæ dantur luctus & doloris; ſed etiam gaudii & lætitiæ; & utraſque Deus ab oculis intrantium in cælum abſtergit. Magni Eccleſiæ Doctoris verba ſunt iſta: *Abſterget Deus omnem lachrymam, nam triſtitia ſæpe lachrymas educit, ſæpe & lætitia, ſæpe & gaudium.* Quod lachrymæ doloris & triſtitiæ locum non habeant in cœlo, bene eſt: ſed lachrymæ gaudii & lætitiæ; & quidem gaudii lætitiæque ingentis (nam ingens tantùm gaudium & lætitia lachrymas ex oculis educit) quare non admitterentur in cælum? Quia omnes lachrymæ iſtæ fuerunt de hoc mundo. Et lachrymæ hujus mundi, quamvis lætitiæ, & quidem magnæ eſſent lætitiæ, nunquam eſſe potuerunt lætitiæ puræ: & licet gaudii, & magni quidem fuiſſent gaudii, nunquam eſſe potuerunt gaudii puri; Quia in mundo nec gaudium eſt ſine mixtura doloris, neque lætitia ſine triſtitiæ admixtione: ſimileſque mixturæ locum non habent in cœlo, ubi lætitiæ & gaudia, uti & omnia alia bona, pura ſunt omni mali admixtione excluſa. Lætitia in cœlo eſt ſine triſtitia, gaudium ſine dolore, quies ſine labore, ſecuritas ſine timore, tranquillitas ſine inquietudine, pax ſine perturbatione, honor ſine infamia, divitiæ ſine ſolitudine, ſatietas ſine faſtidio, excellentia ſine invidia, abundantia ſine defectu, ſocietas ſine æmulatione, amicitia ſine cautela, ſalus ſine infirmitate, vita ſine mortis timore; omnia denique pura bona, ſine mali admixtione, ideòque bona vera. Beati cœlites è cœlo in hunc mundum reſpicite, novam accidentalem percipientes gloriam bonorum, quibus gaudetis, non dico reſpectu malorum, ſed bonorum, quæ nos patimur.

S. Ambr.

Aſt torrentem hunc bonorum ſine malis nobis conformet compendium quoddam eorundem, ſimiliumque attributorum, cum excluſione cujuſcunque contrarii ſui, quæ ſanctus Bonaventura ad numerum duodecimum, ſicut alios beatitudinis fructus reducit. *Primus eſt ſanitas ſine infirmitate: Secundus, juventus ſine ſenectute: Tertius, ſatietas ſine faſtidio: Quartus, libertas ſine ſervitute: Quintus, pulchritudo ſine deformitate: Sextus, impaſſibilitas abſque dolore: Septimus, abundantia ſine indigentia: Octavus, pax ſine perturbatione: nonus, ſecuritas abſque timore: decimus, cognitio abſque ignorantia: undecimus, gloria ſine ignominia: duodecimus, gaudium ſine triſtitia.* Hucuſque Doctor Seraphicus, qui in hiſce duodecim prærogativis à malis, ineffabilem nobis Gloriarum zodiacum deſcripſit, quem omnes Beati, non menſibus anni duodecim, neque duodecim horis diei, ſed ſemper, indeſinenter, & immobiliter ſine fine æternitatis percurrunt. Felices ſanè illi, qui tanto bono gaudent & fruuntur: & nos felices ſi ad tantum bonum non perdendum nos diſpoſuerimus.

S. Bonav.

§. VI.

SEcunda propoſitionis noſtræ differentia eſt, quod de bonis quando multum, quilibet fruitur ſuis: de bonis verò cœleſtibus, quilibet fruitur ſuis, & ſimul omnium dixi, quando multum: frequenter enim non ſufficit eſſe noſtra hujus mundi bona, quo minus mundus iis nobis frui non permittat. Vinea Naboth erat ſua,

sua, & non tantùm sua omni jure humano, sed etiam partitione & donatione divina, & quantumcunque ipse eam sibi vindicare, conservare & frui curaret, solùm nihilominus Regis Achabi, non quidem ex eo nemus, aut Hortum florum, sed Hortum tantùm olerum faciendi desiderium suffecit, ut ad complacendum & adulandum Regi, & vita simul cum vinea exueretur. Ad Mephiboseth hæreditario jure spectabant, & sua erant, quæ pater suus Jonathas possederat, in quibus privatus vivebat, quando jus ad coronam prætendere poterat; & suffecit infidelis tantùm servi falsum testimonium, ut quasi criminis læsæ Majestatis rei eadem hæreditas confiscaretur, & cognita licet veritate, in solidum non restitueretur. Patrisfamilias Evangelici propria erant bona & prædia, Villico commissa, ut à cultoribus reditus annuos exigeret, nec suffecit constare ex litteris quantum quisque deberet; quo minus notabilem eorundem partem villicus subduceret tali astu, ut nec Dominus illum convenire posset in judicio, & pro eo quod accusare & condemnare debuisset, ipsum laudarit. Enim verò quid mirum, quod concupiscentia infidelitasque aliena frui nos non sinat hujus mundi bonis quantumcunque nostris; si nos ipsi nullo alio concurrente inimico aut fure, sola nostra voluntate nos spoliare sufficimus? Deus Adamum in paradiso collocavit hac conditione, ut excoleret eum atque custodiret: *Ut operaretur & custodiret illum*, hoc secundum verò videtur saltem locum non habuisse in hoc statu. Non erat alius homo in mundo, pro & à quo custodiret paradisum. Ab animalibus custodire non erat necessarium, omnia quippe instinctu naturæ, & subjectione integra obediebant ei: pro quo, & à quo igitur Adam paradisum custodiret? pro & à quo illum non custodivit? Custodire illum debebat pro & à seipso; & quoniam Adam illum non custodivit ab Adamo, cùm bona quæ possidebat, essent omnia mundi bona, ille ipse, & solus ipse spoliavit se omnibus, nullo alio impediente, quo minus illis frueretur.

Gen. 2. v. 15.

Differentiæ hujus inter bona cælestia, & mundana rationem reddens S. Joannes Chrysostomus, non aliam esse verbo insinuat, quàm quòd in mundo urget meum & tuum: in cœlo verò minimè. *Ubi non est meum & tuum, frigidum illud verbum.* Verum ex hoc quod in mundo datur meum & tuum, consequi videretur, quemlibet ibidem pacificè & sine contradictione suo fruiturum esse: Ego meo, quia meum est; Vos vestro, quia vestrum est. Sed aliter se res habet, ut ego fruar meis, à vobis me custodire opus habeo: & vos ut fruamini vestris, à me ut vos custodiatis necesse est. Proinde S. Chrysostomus illud meum & tuum elegantia verè aureâ, Verbum frigidum vocat: *Meum & tuum, frigidum illud verbum.* Qualis verò illius mei & tui est frigiditas? talis profectò, ut non sit amor in mundo tam ardens per naturam, intensus ex obligatione, qui non statim infrigidetur. Ubi datur meum & tuum, exulat amor amici erga amicum, fratris erga fratrem, filii erga patrem, amor patris erga filium; expirat amor proximi erga proximum quantumcunque Religiosum, amor denique Dei erga ipsum Deum. Antequam esset meum & tuum, vigebat amor, ego enim amabam vos, & vice versa: sed mox ut meum & tuum se medium interposuit, reciprocus ille amor cessavit; quia vos jam non amatis me, sed meum;

S. Chrys.

neque ego amo vos, sed vestrum. Seneca acutè observat & expendit, quare in principio mundi nulla fuerint bella ? Quia homines utebantur terra, velut Cœlo. Sol, Luna, Stellæ, eorumque splendoris & luminis usus communis est omnibus, similique modo terra erat in principio : terrâ verò diversos inter Dominos partitâ, exorta mox sunt bella, & prælia, pax expiravit, erat enim meum & tuum.

Quid hîc dicam de mediis & remediis, de industriis, artibus & instrumentis, quæ adinvenerunt homines, ut quilibet sua securè, & quietè possidere iisque frui possit; sed frustra ? ad custodiendum domum adinvenerunt portas & seras : sed per foramen idem cui clavis inseritur, & claviculæ introitus relinquitur, ad discernendos cujusque terminos, lapides invenêre limitaneos : ad custodiendum vineam seu pomarium, invenêre sepes, palos, macerias, seu ex calce lapidibusque compositos muros, sed omnia ista perrumpuntur, dissolvuntur, & corruunt. Ad custodiendas civitates invenerunt mœnia, fossas, turres, propugnacula, arces, præsidia, tormenta bellica, & pulverem nitratum; sed non datur tam munita civitas, quæ oppugnando, & invadendo, seu factis sub terra cuniculis, murisque in fundamento perfossis non expugnetur & subigatur. Ad conservanda Regna & Imperia, invenerunt exercitus pro terra, & pro mari classes, tot millia peditum, tot millia equitum, cum tanto militari ordine & disciplina, cum tanta armorum varietate, tot artificiis machinisque bellicis : sed nullum horum adeò sonantium & formidabilium machinamentorum suffecit, ut Imperium suum tuerentur & custodirent à Persis suum Assyrii, à Græcis suum Persæ, à Romanis suum Græci, nec Romani denique suum ab eis à quibus acceperant, à victis denuò victi, & subacti ab iis quibus fuerant dominati. Plura adinvenerunt homines eundem in finem, quilibet ad suum conservandum. Invenerunt & sanxerunt leges, erexerunt tribunalia, constituerunt Magistratus, virgas contulêre dictas justitiæ Judicibus, cum tanta majorum minorumque ministrorum multitudine, & effectus contrarius fuit subsecutus; ut pro eo quod fures urbibus proscriptos relegent in exilium, eos intra portas majore numero collocarint : & illi qui furabantur cum timore & minutatim, nunc furentur sub officiis & impune. Solicitator cum sua diligentia, Scriba cum sua pennâ, testis cum juramento, Advocatus cum allegationibus, Judex cum sententia, & ad apparitorem usque & lictorem cum suis laqueis & funiculis ordinati fuerunt, ut quemlibet conservarent in & cum suo; & omnes diversis modis nunc vivunt de vestro.

§ VII.

HÆc est una ex rationibus quas Christus allegat ad persuadendum nobis, ut bona cælestia, & in cœlo thesaurizemus : & non bona mundi & in mundo; quia in terra & in mundo sunt fures, in cœlo verò minimè : *Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur : thesaurizate autem vobis in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* *Matth. 6. v. 19. 20.* In quibus valde notandum, quod Christus non solùm nobis consulit, & præcipit ut non solùm bona nostra custodiamus à furibus concupiscentiæ, sed etiam à furi-

furibus naturæ: *Ubi ærugo & tinea non demolitur.* Bona hujus mundi ficut funt corruptibilia, quamvis non fit fur qui ea furetur, illa ipfa fe nobis fubducunt; Veftimenta enim, linea, hifque fimilia comeduntur à tinea, quæ ex ipfis nafcitur: metalla quoque quamvis aurum fit & argentum, ærugine eroduntur, quæ ipfis metallis innafcitur. Cœleftia verò bona, quæ incorruptibilia funt, neque corruptivum quid ex eis generari poteft, quo corrumpuntur, neque temporis omnia confumentis & deterentis limæ dentibus fubfunt; quia durities eorum durationi refpondet, & funt æterna. O quantò plus divinus Magifter hifce nos docuit verbis, quàm fonant! Et fi Piratæ non infeftarent mare, neque prædones itinera & vias, neque raptores & fures publici aut clancularii non effent in civitatibus; quis tam potens ut tueri & frui poffit poffeffis in hoc mundo, contra tam inevitabilia furta & fpolia naturæ? Quod omnia funt elementa, nifi univerfales fures & prædones omnium quæ lucratur & operatur genus humanum? Ignis nos fpoliat fuis incendiis; aqua inundationibus; aër tempeftatibus; & ipfa terra innumerabilibus plagarum exercitibus: quæ feminata velut dentibus Cadmi nafcuntur & exiliunt ad fpoliandos nos denuò illis, quæ nobis terra dedit. Joël Prophetam audiamus: *Refiduum erucæ comedit locufta: refiduum locuftæ comedit bruchus: refiduum bruchi comedit rubigo.* Quatuor plagæ, inquit Joël, fupervenerunt terræ fucceffivè, alia fuper aliam. Et quid fecerunt? funditus eam devaftàrunt, ita ut nulli eorum parcerent, quæ vel exculta profert, vel fuapte natura fine cultura producit. Quod eruca reliquit, comedit locufta; quod reliquit locufta, comedit bruchus; quod bruchus reliquit, comedit rubigo. Ita ut ad fpoliandos homines maximis bonis maximèque vitæ neceffariis, qualia funt quibus fuftentatur, ad perditionem, & infelicitatem eorum neceffe non fit concurrere hoftilitates prædationefque Sabæorum & Chaldæorum, qui greges & armenta Job abegerunt, poffeffionemque ipfius devaftàrunt: fed naturales tantùm ipfius corruptæ terræ plagæ fufficiunt, ut momenti fpatio paupertate Jobo fit fimilis, qui paulò ante divitiis ipfi fuerat æqualis. Quicquid oritur & nafcitur in terra, à Sole & pluvia producitur; idem verò Sol plus nimio æftuans illud exurit: eademque pluvia fi eft continua, illud fuffocat: ut per exiguam agnofcamus foliditatem & fecuritatem, quæ datur in bonis non cœleftibus, cùm hæc ipfa quæ illa donant eadem auferant; & quæ illa producunt, eadem interimant.

Joël. 1. v. 4.

Et quonam pacto fuo fruftrantur fine & ad hunc devolvuntur cafum, labores omnes, fudores & folicitudines eorum, qui totam vitam, amoremque totum acquirendis & augendis fic dictis hujus mundi bonis mancipant, fi eodem tempore, quo fua illa reputant, nefciunt pro quo laborent? Hoc triftis confiderabat Rex & Propheta David, quod meritò manus animofque omnium confringere poffet, qui fub hujus ignorantia fefe fatigant. *Thefaurizat, & ignorat cui congregabit ea*: Id eft, conquirunt, coacervant & thefaurizant, & nefciunt cui. Suum effe exiftimant, & fuo ufui cefflurum putant, quod fuum vocant; & non eft illorum, neque pro illis: nam alius eodem, & quandoque infenfiffimus

Pfal. 38. v. 7.

inimicus gaudebit. Id diviti illi usu venit, quem Evangelium, non tantùm sub nomine ignorantis, sed stulti canonizat, *stulte.* Congratulabatur animæ suæ de multis bonis, quæ in multos annos sufficerent: *Anima mea, habes bona multa in annos plurimos.* Cùm verò eadem nocte exeundum esset ex hoc mundo, interrogatus fuit: *Et ea quæ parasti cujus erunt?* Labor fuit tuus, & bona erunt ejus, quem tu nescis. Non ea bonorum cœlestium conditio est, ait idem Propheta: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Id est, tu laborabis in hac vita; sed in altera beatus eris; fructum enim laborum tuorum, vel ipsos manuum tuarum labores comedes; *Labores manuum tuarum*: illein stultorum & ignorantium, hic in Beatorum numerum est relatus: Soli etenim qui pro bonis cœlestibus laborant, certissimè sciunt, quod sibi laborent, & pro eo, quod est & erit suum in æternum.

Luc. 12. v. 19.

Ps. 127. v. 2.

§. VIII.

VErùm enim verò concesso seu ficto quempiam hominum talem esse fortunæ amicum, ut omnibus in mundo possessis, sive possessione hæreditaria ad se devolutis, sive industria acquisitis, pacificè fuerit perfruitus, neque æqualium invidentiâ, neque majorum potentiâ sibi possessionem turbante, dominiumve in dubium & litem vocante; qualis, quæso, hominis hujus est felicitas? si enim bona sunt modica, nequaquam contentus erit; & si magna sunt & multa, quis dubitat, quin plura adhuc & majora desideraturus sit? Certum est, in casu utroque plus passurum, quàm fruiturum illo quod habet. Porrò si homo ille ex speciali gratia Dei tam moderato est animo, appetituumque suorum Dominus, ut aut modico, ut multo suo sit contentus, nunquid alio aliquo, quàm suo fruitur? nequaquam. Hæc ergò inter bona cœlestia & mundana est differentia. Quando quis ad plurimum, & tam per naturæ quàm fortunæ miraculum fruitur suis: cœlestibus non solùm quilibet bonis fruitur suis, sed etiam aliorum omnium. O si punctum istud benè intelligeremus, quàm nihili bona terrena faceremus! filius prodigus transactæ vitæ pœnitudine ductus, ad ædes paternas reversus, genibus patris advolutus dixit: *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Peccata quæ in prodigo condemnantur omnia absente, & remoto patre fuerunt commissa: *In regionem longinquam.* De quonam igitur peccato potissimum se accusat, tanquam coram patre & in cœlum commisso? solum peccatum à filio prodigo præsente patre commissum fuit, postulare contingentem se hæreditatis portionem, dum adhuc viveret, quia ut frui vellet tanquam sua: *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Istud verò peccatum coram patre commissum confiteturne filius pœnitens, quod peccatum fecerit in cœlum: *Peccavi in cœlum?* Ita omninò: suam enim tantùm petere portionem, suoque tantùm velle frui, fuit cœlum terræ æquiparare. In terra ad summum quilibet portione fruitur bonorum quæ ad se spectat: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit?* Et qui filius Patris est cœlestis & pro cœlo creatus, quod suo sit contentus, peccatum magnum injuriamque infert cœlo; in cælo enim quilibet non tantum bono fruitur suo, sed omnium. Quod Textus idem affirmat.

Luc. 15. v. 18.

Ibid. 13.

Ibid. 12.

Attonitum filium seniorē super festivo gau-

gaudio, quo resipiscentia reditusque junioris celebrabatur, pater hisce consolatus est verbis: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Hæc omnia S. Augustinus acumine singulari expendit. Patre enim alium adhuc habente filium, & prodigo habente adhuc fratrem, quomodo pater alteri eorum dicere poterat, quod omnia quæ habebat ipsius essent? *Quid sibi vult, omnia mea tua sunt, quasi non sint & fratris?* Neque obstat, quod filiorum alter nunquam ædibus paternis peregrinatum sit egressus, & alter extra illas tam vixerit luxuriosè; jam enim pristinæ illum vitæ pœnitebat: & ubi Deus agit patrem, tantundem ad bonorum suorum participationem juris habent pœnitentes, quantùm innocente. Ita ut dubium totum consistat in eo, in quo illud constituit sanctus Augustinus, scilicet, in *omnia: omnia mea tua sunt.* Enim verò si hæredes & fratres erant duo, quomodo dicit pater omnia esse fratris unius, cùm sint & alterius? quia locutus est sicut Pater cœlestis, & de bonis cœlestibus, ubi omnia sunt singulorum, & singula omnium. *Sed sic à perfectis & immortalibus filiis habentur omnia ut sint & omnium singula, & omnia singulorum*; Eleganter æquè ac doctè respondet idem sanctus Augustinus. In hoc mundo ubi homines degunt mortales, & bona similiter sunt mortalia, quilibet tantùm fruitur suo: In cœlo verò ubi homines vivunt immortales, & bona sunt immortalia, singuli fruuntur bonis omnium, & omnes singulorum. Peccator pœnitens gaudet & fruitur Gloria innocentis qui nunquam peccavit; & innocens nunquam lapsus, gaudet ac fruitur gloria pœnitentis peccatoris: & nec innocens, quà innocens, excludit peccatorem; neque peccator quà peccator demeretur id quo fruitur innocens: sed omnes gaudent fruunturque bonis singulorum, & singuli omnium: *omnium singula, & omnia singulorum.*

Luc. 15. v. 31.

S. Aug.

S. Aug.

Num in terra exemplum aliquod invenietur, quod reciprocam hanc totalemque bonorum communicationem declaret, æquè totalem ac totam in omnibus, atque totam ac totalem in singulis? nec fuit unquam, nec esse poterat exemplum tale aut simile quid in terra: nisi postquam descendit de cœlo. Sed enim quod illud? Divinissimum Sacramentum: *Panis, qui de cœlo descendit*: Divinissimum Sacramentum est Gloriæ pignus, & Gloriæ figura. Utrumque nos docet Ecclesia pignus Gloriæ, *Futuræ Gloriæ nobis pignus datur*: Figura Gloriæ *quam pretiosi corporis & sanguinis temporalis perceptio præfigurat.* Pignus ut sit pignus, necesse non est ut similitudinem habeat, sed pretium & valorem illius quod assecurat. Ita videmus, quod aulica peristromata sint pignus æquivalens illis, quæ sub oppignoratione eorum nobis creduntur: porrò istud ipsum valor infinitumque Sacramenti pretium, qua Gloriæ pignus continet: sed ut figura sit Gloriæ non sufficit valor tantum & pretium, nisi habeat etiam similitudinem: sine similitudine quippe non datur figura. Si igitur Sacramentum, in quo Deum non videmus est figura Gloriæ, quæ in videndo Deum consistit, ubinam ista est figura, & ista similitudo? admirabiliter sanè illud exprimunt ipsa Ecclesiæ verba: *Quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Notetur benè verbum, *perceptio*; non consistit figura & similitudo Sacramenti in eo quod accipimus, quam-

Joan. 6. v. 59.

Eccles.

quamvis sit ipse Deus; sed in modo quo illud accipimus: *Temporalis perceptio præfigurat.* Quare? quia sicut in Sacramento tantundem accipit unus, quantùm omnes, & tantundem accipiunt omnes quantùm singuli, pari modo tantùm in Gloria percipiunt omnes quantùm singuli; & vice versa tantùm singuli quantùm omnes. Hic in terra, quia meum & tuum dividitur, quilibet bonis fruitur suis, non participans de alienis: in cœlo verò bona omnium & singulorum tam sunt communia omnibus, quàm particularia singulis; divisio enim ibidem non invenit locum.

Hinc patebit fundamentum & ratio, quare S. Petrus in monte Thabor à bonis Evangelistis SS. Marco & Luca, tam gravi notatus fuit censurâ, quasi nesciret
Luc. 9. quid diceret: *Nesciens quid diceret.* Quod
v. 33. S. Petrus dixit, fuit, ut tria ibidem erigerent tabernacula, unum Christo, alterum
Matt. 17. Moysi, tertium Eliæ: *Faciamus hic tria*
v. 4. *tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Enim verò in quo consistit error, tam notabili & manifesta censura dignus? in eo, quod cùm Thabor non tantùm figura esset Gloriæ cœlestis, sed vera propriaque participatio illius, quod in ea percipitur, sanctus Petrus in montem Thabor introducere ibidemque stabilire & figere voluerit rem tam impropriam, & ab ipsa alienam Gloria, sicuti meum & tuum: *Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Egregiè inquit S. Pascha-
S. Paschasius. sius. *Error in causa est, quia tria se promittit facere tabernacula, unum scilicet ac privatum Jesu, alterum Moysi, & aliud Eliæ, quasi eos non caperet unum tabernaculum, seu in uno simul consistere non possent.* S. Petrus tanquam non suum commodum quærens, neque in gloriam introducere volens meum, & nostrum, non dicit quod sibi & sociis tabernaculum construere vellet & usque huc non erravit tacendo. Verùm mox ut locutus dixit, *unum tibi*, non ibi sistens, sed tabernacula dividere volens, & aliud pro Moyse, aliudque pro Elia constructurus, ac si in eodem commorari nequirent, vel unum non esset capax omnium; hîc & in divisione hac erravit; in gloria quippe cœlesti, quam Mons Thabor repræsentabat, Tabernaculum Moysis est Eliæ, & Eliæ Moysis; nec non Moysis & Eliæ est Christi; & illud Christi Moysis est & Eliæ, & Petri, & Joannis, & Jacobi, neminem excludens sed universaliter non tantùm communicans se omnibus, sed particulariter singulis.

§. IX.

VErùm contra doctrinam hanc licet adeò probatam replicare mihi videntur non tantùm terræ hujus docti & indocti, sed etiam ipsius cœli incolæ beati; docti, quia sæpius legerunt in Evangelio: *Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et in S. Paulo: *Qui parcè seminat, parcè & metit; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metit! Et unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum.* Rudes & indocti similiter, quia in textuum horum expositione præmia cælestia cuique secundùm justitiam distribuenda audierunt; & quod ibidem mensura gaudii & beatitudinis mensuræ laboris & servitiorum respondebit: & qui modicum quid seminat, etiam modicum metet: & merces operarii labori ipsius respondebit. Denique beati, certum est enim in cœlo valde diver-

Matt. 16. v. 27. Marc. 4. v. 24. 2. Cor. 9. v. 6.

versos esse gloriæ gradus, pro ut in terra diversi fuêre gradus gratiæ: & quemadmodum ab extra videmus in eodem cœlo aliam esse claritatem Solis, aliam Lunæ,
1. Cor. 15. & aliam Stellarum: *Alia claritas Solis,*
v. 41. *alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate*: Sic ibi ab intra majores minoresque excellentiæ, majores minoresque coronæ, major minorque visionis Dei fruitio, & in eadem Beatitudine major minorque par-
Ibid. 39. ticipatio, vel ut S. Paulus dicit, *pondera*
& 40. *ejus.* Si igitur Beati in Gloria, & Beatorum Gloriæ non sunt æquales: quo pacto fieri potest, primò, ut in tanta possessorum inæqualitate, omnes æqualiter sint contenti? Secundò, cum quod quilibet possidet proprium sit singulis, omnes fruuntur eodem, & singuli illo quòd est omnium.

Pro declaratione hujus, quòd ænigma videtur, supponendum est; quod in cœlo videre Deum, illoque frui, & gaudere detur, in quo Beatitudo essentialis consistit: eâdemque Gloriâ fruentur Deum videntes, eoque fruentes, sed diversimodè. In Gloria, quæ in visione fruitioneque Dei consistit, licet aliqui possint esse æquales, multæ dantur differentiæ, & excessus, secundùm majus minusve meritum singulorum. Sed in hac ipsa differentia, quamvis inæquali, omnes respectivè, & singuli æqualiter sunt contenti: nemo enim plus quam habet desiderat: fundatur enim æqualitas ejusdem satisfactionis in mensura propria capacitatis, & justitiæ proportione, quâ se præmiatos cernunt. Hîc ubi omnes majores esse appetimus, istud non intelligitur: mediantibus verò similibus variis, facilè comprehendi potest. Agite tria vasa ad mare deferte: Magnum unum, capacius alterum, tertium minus, & omnia aqua implete. Hoc casu vas minus aquæ minus, vas magnum plus, & maximum multo adhuc plus aquæ capiet: nihilo seciùs in hac ipsa inæqualitate, nullum plus admittit, nec admittere potest, quàm capere potest, quodlibet enim juxta capacitatem suam æqualiter plenum est. Pater aliquis tres habet filios; minorennem unum, adolescentem alterum, juvenem tertium: omnes eodem panno vestivit; quisnam eorum videtur magis esse contentus? nunquid qui plures ulnas insumpsit? nequaquam. Et si minus, mutate vestimenta, & videbitis, utrum alter alterius vestem desideret. Quilibet suo contentus est æqualiter, quia sibi magis convenit, & staturæ suæ proportionatè magis quadrat. Idem in beatis cœlitibus usu venit: nam sicut claræ visionis Dei Gloriâ illos implet adintra, sic illos vestit ab extra. Neque major minorve obstat capacitas meriti, neque altior humiliorve dignitatis statura ad alterandam diminuendamve cujuslibet satisfactionis hujus æqualitatem in suo statu. Quemadmodum enim similitudine alia benè declarat sanctus Augustinus, etiam caput nobilius est manu, & manus nobilior pede; non tamen propterea pes esse manus, nec manus esse caput, neque caput cor esse desiderat: sic enim natura exigit à partibus, & harmonia à toto. Et si concordia hæc conformitas & ordo in corpore invenitur naturali & corruptibili; qualis, quæso, erit illa corporis cœlestis, supremæ illius & supernaturalis reipublicæ, ubi Dei ipsius beneplacitum & voluntas illud beatificans, anima est illud informans?

Quantum ad secundam objectionis par-

partem, in qua difficile videtur, singulos gaudere gloriis omnium, & omnes frui gloriâ singulorum: sicut primæ satisfecimus difficultati proportione justitiæ; sic respondeo secundæ charitatis extensione, cœlum respublica est immensa, sed ubi omnes se diligunt: ibique caritas tam absolutæ est perfectionis, ut omnes & singuli tantùm diligant alios, quantùm seipsos. Undè sequitur quod licet gradus Gloriæ sint inæquales, pro meritis singulorum, lætitiam & gaudium hujus Gloriæ vel Gloriarum, in omnibus esse æquale, quia omnes illas reputant quasi proprias, & singuli quasi suas. Quod expressè S. Laurentius Justinianus affirmat:

Laur. Just. de long. vitæ cap. 7. *Tanta vis in illa cœlesti patria nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altera exultet. Una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ*: Notentur verba illa, *Beatitudo lætitiæ*, in quibus Sanctus, in eadem Beatitudine duas Beatitudines distinguit, unam Gloriæ, alteram lætitiæ. Illa Gloriæ particularis est & determinata; in visione enim Dei consistit, quæ merito gratiæque hujus vita mensuratur: illa verò lætitiæ terminum limitemque non habet, est enim immensa & sine mensura charitatis extensioni respondens; quæ comprehendens complectensque omnes lætanda fruitur Gloriâ omnium & singulorum, ac si propinasset. Porrò istud quasi esset propria, non significat, quasi non habeat aut possideat, nec possideat quilibet gloriam aliorum, quia verè illam habet & possidet Sanctus, non in se sed in illis quos diligit sicut seipsum: *Ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet*. Cui rationi sanctus Augustinus, S. Bonaventura, sanctus Anselmus & omnes subscribunt.

S. Aug. 22. de Civit. Dei. Bonav. 2. de Angel. S. Ansel. l. de sim. c. 59.

Ne verò usus seu abusus modicæ charitatis hujus mundi, veritatis hujus nobis intelligentiam obscuret, duobus hujus mundi exemplis eam declarabo: unum singulare est in sancto Paulo; alterum universale in hominibus cunctis. Adeo immensa charitate ardebat S. Paulus, ut omnium hominum mala pateretur & sentiret; nec malum ullum seu temporale seu spirituale accidebat in hoc mundo, quod non nova particularique materia & nutrimento inflammaret ignem, quo cor ejus ardebat. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Quemadmodum totum terræ rotundum mole sua inclinat ad centrum; sic omnes infirmitates, omnes dolores, omnes ærumnæ & anxietates, omnes afflictiones, tribulationes, miseriæ, tristitiæ, inopiæ, quicquid denique humano generi miseriarum adversitatumque incumbit, totum & undiquaque cor S. Pauli impetebat, in & cum omnibus infirmus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et quemadmodum eodem in centro ignis consistit inferni, in quo ardent damnati commissarum à se culparum in hac vita pœnas luentes: sic in corde Pauli ignis ardebat charitatis, fortiter adeò & intensè, ut scandala cuncta & culpæ, quæ de novo committebantur, non tantùm quocunque illum affligerent modo, sed verè ipsum urerent & consumerent: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Proinde si charitas Pauli ipsum faciebat mala pati omnium, cùm naturæ humanæ proprium magis ac naturale esset gaudere & frui bonis, quàm mala pati; quis ambigit, quod cujuslibet Beati charitas, quæ in cœlo perfectior est, quàm illa maximorum Sanctorum in terra; naturaliter & sine miraculo quemlibet excitet & com-

1. Cor. 11. v. 24.

& compellat lætari & gaudere bonis omnium?

Quod si minus ita se habere videatur (ut quilibet sibi persuadeat experimentaliter in seipso) interrogo vos omnes, qui patres seu matres estis. Nunquid certum est patres & matres tantundem amare, & æstimare liberorum suorum bona, quantùm bona sua propria? si ipsis feris etiam immitissimis hæc proponeretur quæstio, responderent quod sic. Et ego verum non esse patrem, nec esse veram matrem affirmo, quæ non minus sua quàm filiorum suorum bona curet & æstimet. Idcircò aulici Hierosolymitani resignante Davide Coronam in filium suum Salomonem, adulando exosculantes manum Davidis, omnes una voce, concordique sententia precati sunt ut Deus thronum regnumque filii sui amplificaret, & bearet super regnum patris. Eodemque ex capite Neronis mater, cùm ex oraculo didicisset, adesse tempus quo filius ejus Imperium esset obtenturus, à quo interimenda foret, respondit: *Occidat, dummodò imperet.* q. d. Esto, me interficiat, dummodo sit Imperator. Hoc modo mater honorum Imperiumque filii propriæ prætulit vitæ. Porrò si ad extrema hæc naturalis & terrenus sese amor extendat, quid de supernaturali cœlestique dicendum est? tantus est, vel ut propriè magis & ad rem loquamur, tam perfectus, tam purus, tamque superhumanus est amor, quo Beati omnes se mutuò complectuntur: ut si parentum omnium, quotquot à mundi extiterunt exordio, & ad finem usque mundi erunt, amor in uno tantùm uniretur, minimi Beati in cœlo comparatus amori, non tantùm illum non adæquaret, sed nec amor esse videretur. Ecce nunc, concludit S. Bonaventura, quàm immensa erit sic diligentium Gloria, cùm illi sunt infiniti, singulorumque Gloria, Gloria omnium!

O vos Beatos, & beatas, non dico vestram, sed vestras beatitudines! ibidem veritate hac gaudet, qui primo Psalmorum suorum verbo eandem assecuravit: *Beatus vir*, id est, beatus homo. Enim verò quænam est beatitudo, quæ beatum illum facit, & beati nomine illum insignit; non est una, nec tantùm multæ, sed omnes omninò Beatorum omnium beatitudines: nam Beatorum omnium concurrunt beatitudines ad quemlibet Beatum reddendum. Ita hoc expresè originalis in Hebraico Textus declarat, quo idiomate David scripsit, qui textus loco *Beatus vir*, dicit Beatitudines viri. Et si quilibet ex sua Gloria particulari, perfectissimè beatus & gloriosus existit, quid per Glorias Beatitudinesque omnium erit? Beatus quilibet ex merito suo, & per omnium Glorias gloriosus, per ea quibus illi meruerunt. Hic est verus communionis bonorum excessus, qui videri posset injustus, nisi Gloria Gratiæ prœmium foret. De vobis igitur, & de omnibus vobis, ô felicissimi patriæ hujus cœlestis incolæ: de vobis inquam, & vobis non sine ratione dicere licet, *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Id est, alii laborarunt & meruerunt, & vos laborum ipsorum fructu fruimini, dum eo gaudetis quod illi meruerunt, & vos non meruistis. Joan. 4. v. 38.

Vos (animadvertant benè quod dico terrestres) vos inquam Patriarchæ non fuistis, & Patriarcharum Gloria gaudetis: vos Prophetæ non fuistis, & Prophetarum Gloriâ fruimini: vos Apostoli non fuistis & Apostolorum Gloria gaudetis: Martyrium non subiistis, & Martyrum

Gloria gaudetis: Doctores non fuistis, neque docuistis, & Doctorum gloria fruimini: in solitudine vitam anachoreticam non duxistis, & anachoretarum gloria gaudetis: Continentiam non estis professi, & gloria Virginum gaudetis: Vos denique homines corporei, & non Spiritus estis, omniumque Hierarchiarum angelicarum gloriis fruimini. Sic discurrit per antitheses Doctorum Ecclesiæ Seraphim, S. Bonaventura, quamvis ordine mutato, eodem tamen sensu. *Ibi gaudebit Virgo de Sanctæ viduitatis merito: Ibi vidua exultabit de casto virginitatis privilegio: Ibi confessor de martyris jucundabitur triumpho: Ibi Martyr tripudiabit de confessoris bravio: Ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione: Ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide: Ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium Inferiorum: Ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona superiorum.*


§. X.

NUnc tertium pertractandum restat propositionis nostræ punctum, demonstrandumque quo pacto omnibus istis gaudeatur non successivè sed junctim, totam æternitatem ad unum instans reducendo, idemque instans per omnem æternitatem extendendo. Cum itaq; brevitati temporis sese accommodare opus sit, supponendo duorum horum discursuum demonstrationes sufficere, ad fundandam desuper magnam resolutionem; concludo omnibus qui me audierunt unam proponendo quæstionem. Creditisne illud quod audistis, an non? Qui credidit primum secundumque punctum, est Christianus; non credens secundum, est Gentilis: Verum sive Gentiles sive Christiani, nisi totaliter judicium perdideritis & rationem, non poterit non persuasum vobis esse quod audistis, vel ad contemnendam bonorum quorundam fallaciam, vel ad desiderandam simul aliorum veritatem.

Gentilis nescit animam esse immortalem, neque aliam credit superesse vitam. Nihilominus evolutis omnium Gentilium libris, nullum invenietis vel Philosophum, vel Oratorem, vel Poëtam, qui solo rationis illustratus lumine, & eorum quæ sub aspectum cadunt doctus experientia amorem concupiscentiamque bonorum mundi hujus non condemnet, contemptumque deprædicet. Non defuit Gentilis, qui patrimonium opulentum in pecuniam redactum mari immersit dicens, melius est, ut ego te mergam, quàm tu me perdas. Diogenis hîc risum prætereo, qui suo contentus dolio Alexandros deridebat cum divitiis. Socratis, Senecæ, & Epicteti sobrietatem præteriens, Epicuri ipsius Exemplum in hac agnitione admiror, quod quemcunque demum Christianum confundere fas est; cum ille, & secta ejus nonnisi voluptatibus indulgendum profiterentur. *Gaudebis minus? minus dolebis.* Dicebat Comicus Gentilis, Gentilibus loquens. q. d. Si minus habueris gaudii, minus quoque doloris habebis. Et quia in falsorum fallaciumque bonorum mixtura, bonum segregantes à malo, materiam seu objectum gaudii opponebant causæ doloris; præeligebant non pati veri mali portionem, quàm fallaci gaudere bono. Nunquid fatuus reputaretur, qui potus dulcedine illectus simul venenum hauriet? Hac Itaque ratione & evidentia convicti, sine fide, alteriusve vitæ agnitione veritatem penetrabant Gentiles, & quidam ob pondus à falsis sese bonis exonera-

nerabant, & quidam despiciendo pedibus ea conculcabant.

Enim verò si bona hæc sic æstimabat Gentilis non timens ne ab iis mergeretur in Infernum, vel impediretur ab ingressu in Cœlum, quid resolvendum faciendumve Christiano, qui non tantùm in bonis mundi præsentem agnoscit vanitatem; verum etiam, & multo magis periculum futurum? eritne operæ pretium, pro gaudii momento æternitati me exponam pœnæ, & pro imaginario aliquo bono tot malis permixto Gloria me privem visionis Dei, & gaudii non solum beatitudinis meæ, sed illius omnium beatorum? O fides, ô ratio ubinam es! sed ratione nos carere certum est, siquidem non facimus quod fecere ac intellexere tot Gentiles: neque fidem nisi mortuam, & sine operatione vitali: cum illa nos non moveat ad vivendum, uti Christianos oportet. Porrò si Christiani censeri cupimus, hujus tam enormis cæcitatis tenebricositatem emendare satagentes, aliud remedium, quod oculos nobis aperiat non video, nisi per easdem discursuum nostrorum relegere vias ad binos montes, unde exierunt. O stationes duæ sacro Quadragesimali tempore tam proprias & congruas! Una in monte tentationis, altera in monte transfigurationis: una in monte ubi Diabolus Christo ostendit Glorias mundi; altera in monte ubi Christus Apostolis ostendit Gloriam Cœli. Respicite bene advertentes animum, quanta differentia inter montem & montem, & inter Glorias & Gloriam intercedat. In Monte illo mala bonorum nomine sunt deaurata: In hoc bona mali apparentiâ sunt obumbrata. Ibi falsum, hîc est verum: Ibi dubium, hîc certum: Ibi momentaneum, hîc æternum: Ibi illud quod tendit & deducit in ignem Inferni; hîc quod deducit ad Beatitudinem Cœli. Advertite, advertite considerantes maturè quid oporteat eligere; Electioni enim vestræ in hac vita, respondebit remuneratio in altera: vel maledictiones omnes æternum passuri cum Diabolo, vel omnibus felicitatibus, æternum fruituri cum Christo, Amen.





SERMO
DE
Sancta Barbara.

Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Matth. 13.

§. I.



QUemadmodum hominum nonnulli tantùm sibi, alii autem, & sibi, & reipublicæ sunt nati; & hinc de genere humano optimè meriti, à fama celebrantur; pari modo Sanctorum nonnulli ad laudandum tantummodo Deum sunt electi; alii verò ad laudandum Deum, simulque ad juvandos homines sunt ordinati. Et cum secunda hæc prærogativa sit tam propria ipsi Deo, qui non sibi, sed nobis natus; nec non tam similis Angelis, qui semper Deum vident in cœlo, nosque custodiunt in terra: comparatione inter omnes generis ejusdem Sanctos & Sanctas factá, non adæquare modò, sed excedere facilè omnes inveniemus: Quem seu quam? Gloriosam sanctam Barbaram, cujus protectioni & memoriæ tanto Elementorum sonitu & motu hæc læta dies dedicatur.

In propositis verbis Christus Magister Divinus, & Dominus noster Regnum Cœlorum thesauro assimilat in agro abscondito, quem cum fortunatior quispiam hominum invenisset, abiit, divenditisque omnibus quæ habuit, illum emptum suo Dominio subjicere sategit. Ad intelligendum quisnam hic fuerit thesaurus, primò novisse opus est, quodnam sit regnum cœlorum, a Christo ipsi assimilatum: *simile est regnum cœlorum thesauro abscondito.* S. Gregorius Papa doctè hîc notat, Regnum Cœlorum in literis divinis in duo dividi Regna, æternum unum; temporale alterum; futurum unum; præsens alterum: unum in Ecclesia triumphante, in cœlo pacatum & tranquillum: alterum in Ecclesia militante, adhuc luctans patiensque in terra. Hinc sequitur, quemadmodum duo sunt Regna thesauro abscondito similia, sic duos quoque esse thesauros utrique regno similes: Porrò hosce duos thesauros S. Barbara omni eo, quod pretiosissimum habuit, sibi comparavit: *vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.*

S. Barbara velut unica filia, Patrisque sui Dioscori Civium Nicomediensium facile Nobilissimi Hæres, amplissimo gaudebat patrimonio bonorum quæ fortunæ tribuuntur. Opulentiore insuper & pretiosiore dotata patrimonio à Natura & Gratia; scilicet formæ elegantia, prudentia, morum honestate, reliquarumque virtutum ornata decore, unde quorumcunque Illustrium & primariorum desiderium

rium & amorem sic rapiebat, ut certatim ab omnibus in matrimonium expeteretur. Cum verò hæc omnia adhuc dum florente ætate Deo consecrasset, ad ipsam usque libertatem & vitam suum ipsi consecravit amorem: libertatem quidem prolixo Martyrio, multò tempore captiva, carcerique in arce mancipata: vitam verò, alio martyrio breviore quidem, sed multo atrociore; variè etenim omnis generis tormentis tyrannicis excruciata, proprii tandem parentis manibus crudelissimè amputato sibi capite occubuit.

Hoc pretiosissimo omnium possessorum patrimonio S. Barbara duos sibi comparavit thesauros: unum pro se; alterum pro nobis Pro se, æternæ Gloriæ coronæque thesaurum, quâ summa cum pace jam gaudet in Ecclesia triumphante in cœlis: pro nobis, perpetui thesaurum auxilii, quo nobis succurrit ad pugnandum & vincendum in militante hac Ecclesia in terris. De hoc, quod nimirum hodie ante altaria ipsius, in perpetuam grati animi significationem recognosci videmus tantùm tractabo. In primis autem protestor ingenuè & confiteor ad manifestandam & promulgandam S. Barbaræ laudem & potentiam, quemadmodum tormentorum omnium bellicorum muta sunt tonitrua; sic prædicatorum omnium linguæ facundia, omnisque nostra eloquentia est Barbara. *Ave Maria.*

§. II.

Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito.

Ex mirabilioribus quæ Deus creavit & habet in mundo, & de quibus sapientia ipsius & majestas valde gloriatur, sunt thesauri ipsius absconditi. *Nunquid* (inquit Deus ad Jobum) *ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis vidisti, quæ præparavi in tempus hostis, & in diem pugnæ, & belli?* Num fortè in præsens usque tempus Philosophorum speculatio originem verasque ventorum causas detegere & investigare potuit, cum non minus ac venti meridionales & septentrionales opinionum variabilitate & contrarietate inter se pugnent? Propterea veritatem ipsos docuit David demonstrando Deum solum creatorem ipsorum, eorundemque cognoscere ortum, & tempore modoque sibi placito de secretis thesauris suis producere: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Nec minorem meretur admirationem, maris superficiem nec ad digiti quidem accrescere latitudinem ex omnium fluminum torrentiumque influxu, cum idem mare sic quandoque exundarit, ut Civitates submerserit, integrasque sepeliverit provincias. Sed cuncta hæc particularia diluvia, cum nec à cœlo, nec à nubibus ortum habeant, Deus in abditis & profundis thesaurorum suorum abyssis reposita habet; *Ponens in thesauris abyssos.* Denique de his ipsis thesauris jam ante prophetaverat Jacob: *Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.*

Job. 38. v. 22. & 23. *Psal. 134. v. 8.* *Psal. 32. v. 7.* *Deut. 33. v. 19.*

Hoc igitur modo in terra, in aqua, in aëre, velut in diversis vastissimisque agris, Deus thesauros suos recondidit. Sed nullus horum, cum tanti sint, tamque varii, thesaurum illum adæquat, quem idem ipse Deus, S. Barbaræ detexit, cujus ipsa suorum virtute meritorum dominium adiit. Maximus, nobilissimus, & occultissimus universi thesaurus, quartum est elementum ignis. Istud ignis Elementum

adeò eſt reconditum, ut Pythagoras aliique quos refert S. Auguſtinus, quia ignis ſphœram non videmus, illam omnino negârint. Loca in quibus natura collocavit Elementa, totum occupant ſpatium, quod à centro mundi uſque ad cœlum protenditur. Terra in circuitu ſeu circumferentia Centri conſiſtit; aqua ſupra terram, aër ſupra aquam, & ignis ſupra aërem ad concavum uſque Lunæ ſeu Cœli Empyrei. Verum enim verò ſi ignis ſphœra adeò eſt luminoſa, & ignis naturaliter luminoſus, quomodo ſaltem de nocte illam non videmus? Ergo (præfati inferebant authores) manifeſtum eſt ignem ſphœrâ carere. At verò cum per alias demonſtrationes ſit evidens, perfectionem univerſi hoc theſauro carere non poſſe; inferendum fuiſſet quod diximus, quia non videtur inde provenire, quod ſit theſaurus abſconditus. Porrò ne Philoſophi & Mathematici habeant quod opponant, prima legantur verba quibus Scriptura ſacra mundi creationem deſcribit; & in eis terram, aquam, & aërem, non verò ignem expreſſa inveniemus: *Terra autem erat inanis & vacua, & Spiritus*
Gen. 1. *Domini ferebatur ſuper aquas. Terra autem*,
v. 2. ecce terram: *Super aquas*, ecce aquas: *Spiritus Domini*, ecce aërem. Et quare Moyſes, ſicut trium meminit elementorum, etiam quarti non meminit ignis? Quia Moyſes pro ut notant S. Baſilius, S. Joannes Damaſcenus, & Beda, de manifeſtis tantum, & quæ oculis patent, cauſis eſt locutus. Et hinc, quemadmodum creationem ſubticuit Angelorum, eo quod inviſibiles eſſent: pari ratione ignem elementarem ſubticuit, quod obtutum noſtrum effugeret.

Iſtum igitur tam proprie abſconditum theſaurum Deus retexit, dominioque S. Barbaræ ſubjecit conſtituens eam ignis Gubernatricem, necnon protectricem & præſervatricem ab eodem. O Glorioſam Evæ filiam, majorem prima fœmina etiam in ſtatu Innocentiæ, & Paradiſi felicitate Dominam! Maxima unquam homini alicui à Deo collata poteſtas, fuit illa Adami. Sed enim qualem ipſi contulit poteſtatem? Super terram, ſuper aquam, ſuper aërem:
Ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, Gen. 1.
& beſtiis, ac univerſæ terræ. Cuncta quæ v. 26.
moventur in mundo, ſive gradiendo in terra, ſive natando in aqua, ſive in aëre volando tuo ſuberunt imperio. Sed cum Deus Adamo trium Elementorum inferiorum contulerit dominium, quare non pariter quartum & ſupremum ipſius dominio ſubjecit? Si terræ imperio addidit illud aquæ, & aquæ illud aëris: ut quid huic Elementi aëris illud Elementum ignis non aſſociavit? Ratio eſt, quia Deus illud ſibi reſervavit. Legite Prophetas, quibus degentibus in terra ſolis in curiam cæleſtem patebat ingreſſus & videndi libertas; & omnem Divinæ Majeſtatis apparatum nonniſi ignem invenietis, omniaque ipſius decreta igneis executioni dari inſtrumentis.
Sedentis Thronus eſt igneus: *Thronus* Dan. 7.
ejus flammæ ignis. Egrediente ad obam- v. 9.
bulandum velut in curru, rotæ ſunt igneæ: *Rotæ ejus ignis accenſus*. Præcedente Ibid.
ipſum Cuſtodia regia, ſatellites ſeu laterones ſunt ignei: *Ignis ante ipſum præce-* Pſal. 96.
det. In quamcunque partem faciem ver- v. 3.
tat, ex ea ignis flammæ prodeunt: *Ig-* Pſal. 17.
nis à facie ejus exarſit: Si reſpicit aut v. 9.
videt, oculis fit igneis: *Oculi ejus tan-* Apoc. 1.
quam flamma ignis: Si audit, auribus fit v. 14.
igneis;

3. Reg. 18. igneis: *Deus qui exaudiet per ignem:* Si
v. 24. loquitur, vocibus fit ignitis: *audisti*
Deut. 4. *verba illius de medio ignis:* Et ipse quo-
v. 34. que vulgò ignis esse credebatur: *Deus*
Ibid. *noster ignis consumens est.* Istud Prophetæ
v. 24. omnes viderunt in Cœlo, idemque populus omnis vidit in terra, quando Deus ad legem dandam in montem Si-
Exod. 19. nai descendit: *Totus autem Mons Sinai fu-*
v. 18. *mabat; eò quod descendisset Dominus super eum in igne.* Quicquid audiebatur, erant tonitrua; quicquid videbatur, erant ful-
Ibid. v. 16. gura: *Et ecce cœperunt audiri tonitrua & micare fulgura.* Imò Gentiles ipsi ob hos similesque effectus Jovem suum Tonantem vocarunt, & pro insigniis fulmina dederunt, Poetis eorundem idem omninò falso accidentibus Deo, quod vero Deo David decantavit: *Intonuit de Cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.* Porrò istud, ut dixi, Quarti & Supremi Elementi regimen est imperium, quod Deus reservavit sibi; & postquam denegavit Adamo, nullique tot sæculorum famoso contulit Heroi, S. Barbaræ tandem delegavit ignis sphæram, nec non prodigiosos tremendosque ejusdem effectus & operationes, potestatis ipsius subjiciens arbitrio, pro auxilio remedioque nomen ipsius invocantium.

§. III.

Casu quo ex me scire & discere libuerit, quando Deus illam de imperio hocce investierit, vel regiminis hujus possessionem contulerit, & quo modo? Respondeo, quod mediantibus geminis fulminibus feralibus, non multo à morte sanctæ lapso tempore. Ad mortem, seu, Triumphum Barbaræ, bini concurrebant Barbari, minor unus, majorque alter Tyrannus, ambo crudelissimi. Primus minorque Tyrannus fuit Marcianus, qui innocens virgineumque Sanctæ corpus exquisitissimis excruciavit tormentis: secundus majorque Tyrannus fuit pater ipsius Dioscorus, qui ipsas feras ferocitate superans evaginato gladio caput illi amputavit. Quid viso tam crudeli spectaculo faceret ignis, secreto & plusquam naturali instinctо sacras illas & coronatas sentiens prædas, & recognoscere jam incipiens novam hanc subjectionem & obedientiam, quam post Deum sanctæ huic Virgini Barbaræ debebat? eodem tempore diruptis nubibus, horrenda duo audiuntur tonitrua, totidemque furiosè emittuntur fulmina, quæ tactos, prostratos, concrematos consumptosque duos hosce Tyrannos redegerunt in cineres. Ah idololatræ miserrimi, ac Tyranni impiissimi, quod si eodem tempore quo duo fulgura vestros feriebant oculos, victimæ ejusdem nomen invocassetis cui sustulistis vitam, illa vos utique à morte liberâsset! sed nec Tyrannorum cæcitas cognovit, ubinam repositum sibi haberet remedium; neque ipsa fulmina hoc ipso actu & executione jam profiteri incipientia debitam Barbaræ venerationem, ad vindicandas ejus injurias imperium ipsius exspectârunt & consensum: non enim ut causæ naturales proprio operabantur impulsu, sed occulto adacta fato, & superiore directa intellectu.

Enim verò ut pateat quàm servierint intellectualiter S. Barbaræ, eidemque non exspectato obedierint imperio, bina ista tonitrua & fulgura usu rationis carentia, binis aliis ratione præditis sublimiorisq; in-

intellectus tonitruis comparemus. Duobus germanis fratribus SS. Jacobo & Joanni, Christus nomina seu mutavit seu adauxit, tonitrua illos nuncupando: *Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filii tonitrui.* Boanerges propriè significat Filios tonitrui; & quia à tonitru nascuntur fulmina, *Boanerges* in phrasi Hebraica, vel Syriaca tum temporis vulgari, significat fulmina. Et quid fecerunt ista duo fulmina tanta sapientia instructa? negantibus Samaritanis Christo in civitatem suam ingressum, uterque repulsam hanc & despectum puniturus, injuriamque magistro suo illatam vindicaturus fulminum ad instar ignem de cœlo descendere ad consumendos Samaritanos postulavit. Verùm ignis hic & zelus, & hæc tam animosa & speciosa resolutio, remanserunt & evanuerunt in aëre: Quare? quia consilium licentiamque petierunt à Christo; *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Quibus Christus respondit non venisse se in mundum ad perdendum, sed salvandum homines, unde & ipsi tanquam genuini ipsius discipuli non ulcisci sed remittere & condonare deberent offensas. Idem omninò S. Barbara duobus fulminibus nostris respondisset requisita & interpellata de consensu, ad vindicandam injuriam, Tyrannosque trucidandos; ast illa rationis usu carentia fulmina melius intellexêre casum. Dantur casus in quibus ob petendam licentiam, gloriosissimi perduntur actus. Prudenter sanè notavit S. Joannes Chrysostomus, quod si Magdalena à Christo petiisset licentiam, semel in pedes, iterumque in caput tam pretiosa effundendi unguenta, siquidem oblectamentum illud & obsequium tam contrarium erat mortificationi, quam Christus profitebatur, clarum est, quòd licentiam ipsi talem non concessisset. Idem verò Dominus qui copiam faciendi non induisisset, præstitum jam sine licentia à Magdalena obsequium non tantùm defendit, sed approbavit, & laudibus extulit: *Bonum enim opus operata est in me.* Idem duobus evenisset fulminibus Apostolicis, si Samaritanos adeò meritos consumpsissent. Verum enim verò quod illa tanta ratione decorata neglexerunt, neque intellexerunt fulmina: nostra sine intellectu rationisque usu egerunt fulmina, altiore enim mota & directa fuerunt intelligentia.

Marc. 63. v. 17.

Luc. 9. v. 54.

Matth. 26. v. 10.

Dum caperetur Christus, S. Petrus nullâ præviè petitâ ad hoc facultate, evaginato gladio, aggressus hostes, aures amputare cæpit: Alii è contrariò Discipuli accedentes Christum, copiam hoc faciendi petierunt: *Domine, si percutimus in gladio?* Sed enim quis fideliorem se, animosiorem zeloque ardentiorem se ad tuendum honorem vitamque Christi ostendit? nullus ambiget, quin S. Petrus, quem quà talem omnes Sancti laudibus celebrant, alios inter Discipulos ibidem etiam prædicta duo aderant tonitrua, sive *Boanerges*: Solus verò Petrus actu fulmen est imitatus; hæc splendida fulminum est natura, primò exequi & ferire, & postmodum de servitio suo & obedientia protestari. Præclarum & ad rem textum habemus in libro Job. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi; adsumus?* Nunquid (inquit Deus ad Job) tua meæ similis est potestati potestas, ut è cœlo fulgura & fulmina emittas, & ipsa jussa fuerint executa, ad te revertantur dicentia, ecce adsumus, prompta ad exequendum

Luc. 22. v. 49.

Job. 38. v. 35.

dum quicquid jusseris? Cajetanus nimis hoc casu subtilis, verba hic mutata asseruit, & primò fulgura & fulmina promptam offerre debere obedientiam dicendo, *adsumus*, & postea adimplere jussa. Sed rationabiliter subtilitas hæc, tanquam aliena à textu, & à fulminis conditione remota, ab omnibus est rejecta: fulmina enim obedientiam suam jam effectivè executa protestantur dicentia: *Adsumus: ibunt & revertentia dicent, adsumus*. Illud opere compleverunt duo illa tonitrua & fulmina, injurias S. Barbaræ ulta, obedientiam suam & subjectionem erga Sanctam protestantia anticipatè exequendo, quod honori ipsius debebant; nec exspectando jussum vel licentiam ab ipsius imperio: *Est nimirùm hæc circumlocutio obsequentissimorum famulorum*: Inquit cum S. Gregorio Papa, doctissimus Pineda.

Cajetan. hic.

S. Greg. Pap. Pineda.

§. IV.

Vidimus S. Barbaræ imperium & dominium in abditissimum naturæ thesaurum, quem videlicet; & quo pacto Deus ipsi violentissimos, & terribilissimos ejusdem effectus, scilicet fulmina subjecerit. Cum igitur Evangelium thesauros illos, de quibus loquitur, neminem gratis obtinere, sed omnibus possessis comparandos esse affirmet: *Vendit universa quæ habet, & emit agrum illum*: Videndum restat, quonam proportionato justoque pretio Sancta nostra, & quidem sola, extraordinarium hoc sibi comparaverit dominium. Quæstio hæc curiosa est, nec difficultate caret. Pro cujus intelligentia supponendum est, thesauros hosce, qualescunque sint, Sanctos sibi vel propriâ, vel alienâ manu comparare. Confessores eos sibi propriâ comparant manu, virtutibus bonisque operibus quæ ipsimet exercent; Martyres eos alienâ acquirunt manu, tormentis videlicet & truculentiis quæ patiuntur à Tyrannis. Sed hinc sequi videtur singularem hanc S. Barbaræ prærogativam, etiam quamcunque Virginem aliam promeruisse, siquidem idem pretium dedit. Ipsa quoque natura jus hoc confirmare videtur in duabus exceptionibus, & limitationibus quibus fulmina producit. Non tantùm exigua fide digni Poëtæ, sed & Historiæ naturalis Authores, velut Plinius, & alii à jurisdictione fulminum inter aves excipiunt aquilam, & inter arbores laurum; proinde quemadmodum aquila & laurus fulminis non subsunt territorio, sed præsunt dominio; etiam Virgini & Martyri idem competere videtur dominium: Virgini, quatenus Martyri, sicut aquilæ propter coronam: & Martyri, quatenus Virgini, velut lauro propter aureolam. Quænam igitur est causa, seu quænam tot inter Virgines & Martyres ratio est differentiæ, ut singularem dominii hujus prærogativam justitia divina velut meritorum præmium soli sanctæ Barbaræ contulerit?

Ratio est manifesta: Martyrium quippe S. Barbaræ, inter omnes utriusque sexus Martyres, quotquot demum à manibus Tyrannorum passi sunt, violentissimum & atrocissimum extitit. Alii Martyres à manibus Neronum & Diocletianorum passi sunt: S. Barbara à proprio parente: Martyrii genus ob atrocitatem hujus circumstantiæ, non solùm singulare & inauditum, sed ne imaginabile quidem videtur. Dioscorus filiam suam christianam noverat, cumque nec promissa, nec minas, nec blandimenta, nec rigores & sæva quæque quicquam efficere conspiceret,

ret, quo à fide ipsam deduceret: primò illam Marciano præfecto sub jurisjurandi contestatione tradidit: ut exquisitissima quæque tormentorum genera, quæ unquam adinvenisset truculentia ipsi admovendo, experiretur: qui juramento dato, sic fuit executus. Admoti fuêre mox equulei & catastæ, scorpiones pectinesque ferrei, ardentes laminæ & liquefactum plumbum, ubera fuêre recissa, dentes ferarumque immanium voracitas, omnia in S. Barbara excrucianda fuêre adhibita, non habente sanam illæsamve corporis partem de qua non sanguis ubertim decurreret, in toto illo delicato teneroque corpusculo, cum jam non feriretur corpus, sed vulnus vulneri superadderetur. Victus igitur Marcianus, vidensque in cassum admota sua tormenta, feralem tandem in eam pronunciando sententiam, caput ipsi amputari mandavit tortoribus. Tortores & carnifices illi caput amputent? replicavit pater. Nullatenus hoc patiar: ego ipse manibus illis vitam ei tollam. Quo dicto, evaginato gladio tota vi collum innocuum petens, ictu uno caput ab humeris resecuit. O spectaculum! O crudelitatis, nunquam, ut dixi, visum vel auditũ, vel imaginabile portentũ!

Unicum tantùm in Scriptura sacra legimus parentem, qui filiæ suæ sustulerit vitam, Jephte videlicet, non alio fine quàm ut nuncupatum Deo votum adimpleret. Sed quænam casus istius, cum hoc nostro comparatio? ille nonnisi exorbitantem redolet religionis actum; hic crudelitatis exhibet portentum. Ibi pater agebat Sacerdotem: Hic sacrilegum, impium & blasphemum. Ille dilectam Deo offerebat filiam: hic exosam immolat idolis. Uni ex commiseratione, ceræ instar liquescebant paterna viscera: alter corde super marmor indurato remanebat. Uni ex ocùlis pietatis & amoris ubertim decurrebant lachrymæ: alter ex ore odii & iræ flammas evomebat. Unus filiæ cruorem tanquam suum profundebat: alter filiæ sanguinem non ut proprium sed ut alienum, & tanquam hostis infensissimus effundebat. Unus strictum manu tenens gladium contremiscebat: alter illum exeunte ex venis purpurâ tinctum videns, triumphando gestiebat. Unus occidebat cui longiorem vitam optabat: alter vita exuebat cui vitam dederat. Unus præclarissimo fidei exemplo: alter execrabili scandalo, & summo naturæ horrore. Denique ambo patres, & ambæ filiæ; sed tali utroque in spectaculo discrimine, ut viso Jephte sacrificio plorârint viri & fœminæ, juvenes & virgines: Conspecto vero Dioscori Paricidio attoniti obstupescerent Leones & Tigrides. Proinde quemadmodum S. Barbaræ Martyrium violentissimum fuit & furiosissimum omnium, hinc eodem violentissimi & furiosissimi elementorum omnium promeruit dominium.

Agite si lubet, S. Barbaræ patrem in actus hujus violentiâ & furore cum igne comparate: utriusque similitudinem adinvicem videbitis. Doctè notavit Seneca, violentiæ efficaciæque ignis esse naturale, esse suum rebus non relinquere: *Ignis, nihil esse, quod sit, patitur.* Erat Dioscorus S. Barbaræ Pater, verùm tyrannidis ipsius violentia & rabies, seu potius ignis non permisit esse quod erat. Erat pater, sed pater esse desiit: sed enim ita fieri oportebat, vel desinere esse quod erat, ut propriè magis igni assimilaretur. Inter elementa omnia ignis solus non est parens; omnia *Seneca quæst. natural. l.2. c.14.*

alia

alia fœcunda sunt & generant, ignis solus sterilis est, infœcundus non generans: Hæc proprias est etymologica, qua Latini illud prudenter vocârunt *Ignis*; nomen ignis ex *in-* & *gigno* componitur, ac si dicerent *non gignens*: Salamandræ quippe quas nonnulli ipsi adoptant, sunt fabulæ. Plus adhuc fecerê Latini: ad ignem, quem sacrum dicebant, perpetuo conservandum, Virginum vestalium religionem instituerent. Et quare Virginum? ut & ipsæ, & quem custodiebant ignis similes sibi essent: ignis per naturam, illæ per institutum seu non generationem. Ritualis illarum Authorem in libris Fastorum audiamus.

Ovidius in Fastis.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur Virgo est, quæ semina nulla remittit.

Et nec capit pater Barbaræ, cùm esset pater per naturam, quoniam desiit esse pater per tyrannidem; & cùm ipsam verè genuisset, tam crudeliter vitam abstulit, ac si non genuisset: in perpetuam portentosæ inhumanitatis hujus memoriam, justè Deus illi dominium contulit elementi, quod solùm nec pater est, nec gignit; & hinc sicut ipsa vim furoremque violentissimi & furiosissimi Martyriorum omnium sustinuit, sic violentissimi & furiosissimi elementorum omnium elementi violentiæ & furori dominatur.

Porrò si Martyrii S. Barbaræ singularitas, commune illud in ignem dominium promeruit; non minus ejusdem Martyrii causæ debitum fuit particulare in violentos maximè & furibundos ignis ejusdem effectus, quæ sunt fulmina, dominium & imperium. Truculentus jam pater cùm Sanctam turri inclusisset, duas in ea fenestras fieri jussit: cùm verò postea tres in ea videns, propriæ filiæ confessione tertiam in honorem Sanctissimæ Trinitatis veri Dei, unius & trini, quem adoraret, additam didicisset: fides hæc constansque confessio Martyrio causam præbuit. Ad mysterium nunc præmiique proportionem, quo Deus illam remuneravit procedamus. Omnibus creatis suis Deus, tanquam notam symbolumque proprium (insignium more artificum) quædam supremi sui esse trini, & unius vestigia impressit, quamvis pauci ea recognoscant, juxta illud Davidis: *Et vestigia tua non cognoscentur.* Insensitivarum verò & irrationalium creaturarum nulla symbolum illud magis im- & expressum præfert, quàm fulmen, quod est tridens igneus in tres divisus acies, ideòque trinus seu trisulcus appellatur. *Ps. 64. v. 20.*

Ille pater rectorq; Deûm, cui dextra trisulcis Ignibus armata est: canit Ovidius: Et Seneca: *Ovidius.*

Opifex trisulci fulminis sensit Deus. *Seneca.*

Ex altera parte vel maximè naturalis fulminum, semper alta petentium hostilitas, est impugnare & conscendere turres; in tantùm ut in quibusdam Italiæ locis, quæ refert Plinius, vetitum fuerit tempore belli erigere turres, quia omnes impetebantur & evertebantur à fulmine. *Turres bellicis temporibus desiêre fieri, nulla non earum fulmine diruta.* Quoniam verò Martyrio S. Barbaræ ansam præbuit fides, sanctissimæque Trinitatis, tribus turris fenestris expressæ professio; ut non Martyrio tantùm, sed etiam causæ proportionatũ esset præmium; in Trinitatis memoriam imperiũ ipsi contulit in fulmina, quæ trinis suis aciebus eandem repræsentant; & in memoriã turris eam turrium fecit tutelarẽ & ca- *Plin. lib. 2. cap. 2.*

castellorum; ut eadem custodiat & à fulminibus defendat.

§. V.

Congratulor tibi, omnipotens & misericordissime Deus (non enim hoc casu nostræ Sanctæ, sed bonitati tuæ infinitæ congratulari mihi mens est) congratulator, inquam, tibi de hac ipsa potestate, quam famulæ tuæ, & nostræ contulisti protectrici, quod non desit tuæ misericordiæ, qui rigores tuæ moderetur justitiæ, & manu tuâ armatâ fulminibus paratâ ferire mundum, vel tibi retineat & cohibeat brachium, vel eadem extinguat & divertat antequam ad terram pertingant.

Tanta Dei est bonitas (qui quamvis maximè iratus, suæ non obliviscitur misericordiæ) ut punitionem intentans hominibus, gravissimè ferat, non esse qui se interponendo obsistat. Hoc ipsum ore Isaiæ cap. 59. conqueritur, ubi Propheta eundem Deum contra Babyloniæ captivos iratum, justitiaque & zelo, indignatiotione & vindictâ, ad puniendos illos, & tanquam inimicos delendos armatum de-
Isa. 59. v. 17, 18. scribit: *Indutus est justitia, ut lorica, & galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli: sicut ad vindictam quasi ad retributionem hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis.* His armis jam indutus erat Deus & accinctus ad exequendam in illis hominibus punitionem. Quid verò adhuc deliberando suspensus querebatur? Benedicta sit talis bonitas &
Ibid. v. 19. dilectio! *Et vidit quia non est vir: & aporiatus est, quia non est qui occurrat.* Hoc modo provocante justitia, sic iratus, sic armatus, sic punire decernens ultionis instrumenta jam manu tenens, quòd acerbius sentiebat, quod gravius ferebat, & futurum quasi desperabat (ista enim omnia, *aporiatus est*, significant) de quo deuique unicè conquerebatur optimus Deus, non erat aliud, quam quod homo deesset, qui se ipsi opponeret, decretoque resistendo iis succurreret, pro ipsis intercederet, quos punire parabat; eaque rationum vi & efficacia, quâ Moyses, ad ignoscendum promoveret; vel ad instar Jacob cum eo luctando, violento brachiorum complexu illum à decreto & executione quasi victum revocaret & reduceret.

Eandem aliàs querelam per Prophetam Ezechielem repetivit, dicens: *Non ascendistis ex adverso*) vel ut habet Originale Græcum; *Non ascendistis in fracturas, & interruptiones*) *neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Ezech. 13. v. 5. Casus fuit talis. Deus Exercitu Chaldæorum civitatem Jerusalem obsederat, ad puniendam illam & destruendam: & cùm jam partem murorum pro generali faciendo assultu subruisset (hoc enim significat, *fracturas & interruptiones*) conqueritur Deus, quod obsessi murum seu antemurale eisdem non objecerint fracturis; *Neque opposuistis murum*, & ad hostium fortiter repellendam irruptionem non fuerint egressi. Enim verò si obsidens erat Deus, & Exercitus erat Dei, & de Deo reportanda victoria, & punitio erat Dei, *In die Domini*: Ut quid Deus idem conqueritur, dari neminem qui se ipsi opponendo resistat: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum*? Quia cùm natura indolesque Dei sit non damnare, sed ignoscere & condonare, non perdere, sed consolari; non vitam auferre, sed tribuere, ubi jam ulterius manum cohibere nequit, & ad puniendum nos arma arripit, nihil magis desiderat, quam inveniri quempiam, qui sibi resi-

resistat, gladiumque in vaginam reconderere compellat. Proinde Deo hujuscemodi contra, & super se ipsum, sanctæ Barbaræ elargiente potestatem; non huic, neque nobis, sed ipsi congratulor Deo: ante hæc enim dicebatur: *Non est vir qui occurrat*, & conquerebatur non esse verum, qui se ipsi opponeret; deinceps mulier erit, quæ victum illum armis exuat.

Terribilissima & quàm maximè for-
1. Reg. 2. v. 10. midabilia Dei arma tonitrua sunt & fulmina: *Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cœlis tonabit.* David ejusdem armis instructum Deum tali verborum depingit horrore, ut vel depictus tantùm quemlibet horrore concutiat.
2. Reg. 22. v. 8. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab ea. Inclinavit cælos & des-*
2. Reg. 22. v. 8. *cendit: & caligo sub pedibus ejus præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis. Tonabit de cœlo Dominus, & Excelsus dabit vocem. Misit sagittas, & dissipavit eos; fulgur & consumpsit eos. Et apparuerunt effusiones maris, & revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione Spiritus furoris ejus*: Nulla lingua, nisi obmutescendo tremendæ hujus prosopopœiæ descriptionem poterit explicare. Deus inclinabit cælos appropinquaturus terræ ad puniendos habitatores ejus: pedibus suis condensas, tetras, caliginosasque calcabit nubes: è naribus ipsius spissi iræ, indignationis furorisque fumi prodibunt: ex ore ipsius, tanquam ex clibano ardente Vulcanus ignem evomet devorantem, qui omnia flammis succendat, & in carbones & favillam convertat: aures horrendis vocis suæ boatibus, tonitruis scilicet contremefaciet: Visum igneo alternantium fulminum splendore perstringet, cœlo ad terroris augmentum horrendum in modum scisso, nunc aperto, nunc recluso: Denique sagittas suas emittet, quæ sunt fulmina & grandines: concutientur & conquassabuntur montes; resonabunt valles; ad abyssos usque absorbebuntur Maria, centrum detegetur terræ, & revelata apparebunt mundi fundamenta. In confusionis verò hujus medio, stupore & tremore nec non deliquiis, quis, quæso, cordium humanorum erit sensus, quidve illis fiet? Deus consumet eos, inquit David: *Et consumpsit eos.* Verum illud de tempore, quo David scripsit intelligendum venit, multis ante sæculis, quàm haberetur in terra, hasce contra armaturas, & hæc jacula cœlestia eousque insuperabilia Gloriosa protectrix. Postquam verò sanctum illud nomen, vel nominis illius sanctitas in mundo innotuit, quantumcunque scindantur fidanturque nubes in tonitrua, accendantur in fulgura, ac dissolvantur in fulmina, invocato & sonante potente & prodigioso hoc nomine (Sancta Barbara!) Tonitrua, fulgura & fulmina omnia dissipata evanuerunt; fragores isti, terriculamenta & comminationes, non tantum abierunt sine effectu, & defecerunt sine damno: sed ubi terra sui metuebat concremationem, sese videbat irrigatam; fulmina quippe conversa sunt in flumina, & ignis conversus est in aquam: *Fulgura in pluviam fecit.* Psal. 134.

Enimverò asseverare nec intendo, nec v. 7. valeo, quod postquam S. Barbara mundo innotuit, fulgura & fulmina nocumenti nihil intulerint, vel solo ipso obstupefaciendo aëre, vel exutos vita redigendo in cineres ignibus; siquidem Hi-

ſtoriæ plenæ ſunt etiam Spectabilium & Illuſtrium hominum mortibus, qui fulminibus tacti & reſoluti abierunt in Cineres: ſed inferre tantum & abſtruere mihi mens eſt, quod Hiſtoria nulla meminerit, quod perſona quæpiam ſeu homo invocatâ S. Barbarâ à fulmine fuerit læſus: nec lædi poteſt, prout mox dicemus. Seneca in Quæſtionibus naturalibus, poſtquam ſuper origine & formatione fulgurum & fulminum diſputâſſet, ſententiâ hac verè ſtoicâ concludit. *Malo fulmen non timere, quàm noſſe.* Tu Lucili, doceas alias, quomodo fulmina fiant, ego tantum ſcire aveo quomodo non timeantur: *Itaq; alios doce quomodo fiant: Ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam indicari.* Porrò interrogatus idem Seneca, quo pacto fulmina non timeri poſſint? Reſpondet, non timendo mortem. Solummodò non timens mortem, non timet fulmen. Quid enim nunquid ſufficiet (ſi loqui gentiliter placet) quod ſe Diis homo commendet? Nulla ratione. Fulmina enim, inquit ille nonnulla ſunt fatalia & neceſſaria, & hæc ſunt inevitabilia: alia ſunt contingentia & arbitraria; & pro his tantum orationes & vota juvare poſſunt. *Quemadmodum enim à Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, ut in bonum vertant, ſi admotæ Diis preces fuerint, & vota ſuſcepta.* Hucuſque Seneca, velut magnus Philoſophus, ſed ſine fide. Nobis autem fatum non dari, ſed providentiam tantum Divinam, liberam ſemper & omnipotentem ſcientibus, affirmo, neminem à fulmine lædi poſſe, qui ſe S. Barbaræ recommendaverit. Quare? Quia Deus idipſum S. Barbaræ promiſit. Antequam jugulum gladio exhiberet Tyranni, S. Barbara orationem præmiſit ad Deum precata, ut omnibus opem ſuam implorantibus Divina Majeſtas petita concederet: eodemque momento vox eſt audita, dicens: ita fiet, ſicut petiſti. Ergo fulmen nullum feriet, qui protectricem ſui S. Barbaram habet. Conſequentia eſt evidens: Quia vox illa de cœlo audita, fuit vox Dei: ſimiliterque fulgur ſeu fulmen è Tonitru procedens, eſt vox Dei, Job atteſtante: *Tonabit Deus in voce ſua.* Hæc ergo ſecunda vox Dei neceſſario illi primæ Dei voci debet conformari: non enim ſummæ veritatis forent voces, ſi una contrariaretur alteri.

Seneca in Quæſt. Natur. lib. 1. c. 37.

Ibid.

Ibid.

Job. c. 37. v. 5.

§. VI.

HUcuſque vidimus quænam ſit poteſtas & dominium ſanctæ Barbaræ ſuper ignem naturalem, & contra violentiſſimos & furioſiſſimos ejuſdem partus, qui ſunt fulmina. A trecentis ab hinc annis, multò amplius juriſdictio & imperium Sanctæ in elementum ignis accrevit. Uſque ad Annum Chriſti milleſimum, trecenteſimum, quadrageſimum quartum, ager cui dominabatur S. Barbara, *Emit agrum illum*, erat regio aëris cum fulguribus ſuis & fulminibus, nec non aliis ardentibus meteôris, quæ in agro illo ignis accendit, quo etiam pertinent vaſtiſſima corpora & formidabiliſſima cometarum incendia. Univerſale hoc dominium velut gubernatrix & protectrix mille annorum ſpatio & ultra Sancta noſtra exercuit: tot enim ab anno Martyrii ejus, uſque ad relatum jam milleſimum, trecenteſimum, quadrageſimum annum numerantur. Hîc autem

tem temporis & poteſtatis diſtinctionem facio: iſto etenim anno, præter imperium ignis elementaris & naturalis, nova Sanctæ noſtræ acceſſit poteſtas, illa ſcilicet in ignes artificiales, quorum prodigioſæ operationes & effectus, quos indies increſcere cernimus, immò magis ad hoſce exhorreſcente natura, ſuum habuêre principium. Non ſine ratione clamat Scriptura, quod è ſeptentrionalibus, & aquilonaribus partibus pandetur omne malum; quod eventus probavit in Germania; inde enim tanquam univerſalis generis humani peſtis, egreſſa eſt illa fatalis pulveris nitrati inventio, inventore Bertoldo nigro, jam in nomine præferente colorem, quem infernale ipſius inventum erat habiturum. Prophetarum omnium primus ventura à Septentrione mala prædicans Jeremias fuit, quando in figura ollæ ſuccenſæ, *ollam ſuccenſam ego video*, Incendium vidit quo Nabuzardan Jeruſalem erat exuſturus: revera autem verba ejus naturaliùs poſſunt intelligi de incendio, quo Bertoldus mundum ſuccendit: *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.* Ignis ille tantùm habitatores Jeruſalem ſuccendit; hic incendit & conſumpſit omnes mundi nationes: & de hoc propriè magis dicitur *pandetur malum*; nam uſque tunc incluſus erat & occultus in naturæ ſecretis, inventus verò detectus fuit, *pandetur.*

Spondanus Ann. Christi 1344.

Jerem. 1. *v.* 13.

Primi tormentis bellicis & nitrati artificio pulveris (ſaltem in Europa contra Chriſtianos) uſi fuere Mauri in pugna Algezirenſi in Hiſpania: Ita ut attentâ bene temporum Chronologiâ, eodem ſæculo, iiſdemque quaſi annis, infauſtum ſuum habuerint ortum maximæ duæ peſtes, nitratus videlicet pulvis, imperiumque Ottomannicum. Porrò utraque hæc peſtis multis ante ſæculis prophetata videtur à Daniele cap. 7. Propheta ibidem de quatuor famoſiſſimis loquitur mundi imperiis, & ſpecialiter de tribus partibus Romani, quas illi avulſurus, quibuſque dominaturus erat Turca, in Aſia, Europa & Africa, eundem Turcam vocans *Cornu parvulum* ob principiorum, & conditionis tenuitatem: Eundemque proſequens ſermonem ait, quod Deum in Throno Majeſtatis ſuæ reſidentem, fluviumque rapidum igneum ex ore ipſius viderit prodeuntem: *Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie, hoc eſt, ab ore ejus.* Enim verò, quiſnam igneus, & ſignanter rapidus & furioſus iſte eſt fluvius, niſi ille pulveris nitrati, eodem Imperii Turcici tempore inventi; pro ut idem mox Propheta notat: *Aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quos cornu illud loquebatur?* Primus illius inventor erat religioſus, cui, ut bene dicit Spondanus, conſultius fuiſſet, tempore quo hæc probabat & experiebatur orando ſe Deo commendaſſe. Deus vero adinventiones ſimiles permittit, tam in punitionem malorum, quàm pro gloria & exaltatione ſuorum Sanctorum. Primò fluvius iſte igneus egrediebatur ex ore Dei; nam non cauſæ tantum naturales, oris ſui vociſque ſuæ ſunt effectus: *Ipſe dixit, & facta ſunt*: Verum etiam artificiales, quando volendo aut permittendo providentia ipſius diſponit ut fiant: Iſte igitur ignis rapidi, pulveriſque nitrati fluvius mox in tot ſeſe diviſit canales minores alios, majoreſque alios, quot ſunt fiſtulæ ſeu bombardæ ferreæ vel æneæ, vel tormenta bellica, è quibus idem ignis cum furore & impetu erumpit,

Dan. 7. *v.* 8.

Ibid. 10.

Ibid. v. 11.

Pſal. 32. *v.* 9.

&

& hinc ora vocantur ignivoma : Inter equites, sclopi & sclopeta ; inter pedestres Musquetæ, minoraque tormenta campestria : in Exercitibus Civitatumque vallis & mœnibus tormenta majora, colubrina & id generis alia. Porrò cuncta ista Instrumenta, & directores eorum ab inde & deinceps S. Barbaræ imperio & protectioni mansere subjecta.

Ecce quousque exercuerit ejus dominium occasione pulveris nitrati inventi, in multitudine, in varietate, in vi, in effectibus, imò in expeditione Missilium & Machinarum ignearum, quibus illa præest. Ut generentur fulgura & fulmina, regiones oportet esse non valde frigidas, hinc in Scythia sunt rarissima : tempus aut æstivale, aut autumnale esse necesse est : ut nubes densæ sint & humidæ : ut exhalationes siccæ sint & calidæ : ut motus per antiperistasin eas incendat : ut ruptura ex qua prodit, ex parte sit inferiore & non superiore : utque materia spissa sit & pinguis, ne dissipetur vel extinguatur ignis antequam in terram perveniat. Omnia ista ad formandum in regione aëris fulmina & fulgura, requiruntur, In terra quàm modicum sufficit? Supremam gerentibus potestatem sufficit, quod vel modicus concupiscentiæ vel ambitionis, vel invidiæ vel odii, vel vanitatis tantum & gloriæ vapor in caput eorum ascendat, ut in castellum, seu Civitatem tanta fulminum artificialium multitudo depluat, quot mœnia habent lapides. Cadentia è cœlo multis annis fulmina numerantur : in terra, à suggestibus, seu pro loci cujusdam defensione excitata & emissa parvo tempore numerum excedunt. Imò fulmina cœlestia quando non sunt contenta ferire montes, aut tangere feras & bestias, vel solummodo metum incutere hominibus : rarum est fulmen quod de homicidio aliquo reum teneatur ; illa è tormento bellico egressa, si non vidistis, audite qualem stragem edant. In pugna navali Cæsarianos inter & Gallos ad ripam Salernitanam habito, glans una tormentaria quadraginta prostravit Germanos. In conflictu campestri Germanorum contra Hispanos circa Ravennam, tormentum bellicum unica tantum explosione quinquaginta prostravit Germanos. Bellum gerente Alberto Imperatore contra Polonos in Bohemia, memorant Historiæ, quamvis non exprimant à qua parte, glande una octoginta interfectos fuisse milites.

Quam quæso vel similitudinis umbram cum hisce habent balistæ, arietes, machinæ, catapultæ, omniaque alia Instrumenta bellica, quæ tanta ingenii applicatione & industria primo invenere Græci, postmodum Romani, tanto brachiorum adhibito robore, multo tempore & labore non consecuti, quod unico momento una manus, unica efficit explosione ? Multi fulmen fuere æmulati, quod Gentiles Jovem appellabant, qua in re tam famosa fuit Sulmonis Regis Elidæ viventis arrogantia, quàm fabulosa est ejusdem in Inferno audaciæ pœna. Virgilius illum stultum nuncupat, quia inimitabile fulmen æmulari voluit.

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cor nupedum cursu similârat equorum.

Verum enim verò si Musa ejus divinâsset, ex eodem Inferno nitratum pulverem proditurum, nullatenus fulmini inimita-

mitabilitatis nomen impoſuiſſet, cum tormenta noſtra bellica illud non tantum imitentur, ſed excedant. Omnis apparatus, totaque fulminis ſtupenda fabrica, ad quid in aëre reducitur? ad nubem unam, ad fulgur unum, ad unum tonitru, & ad ipſum fulmen. Et hæc omnia cernuntur, & non ſine prærogativa in unius tantum tormenti bellici exploſione expediuntur: fumus nubem, ignis fulgur, fragor tonitru, glans fulmen exprimit. Porrò cum prærogativa dico & præcellentia: Nubes enim primo periit partu, & rupta defecit & evanuit; tormentum autem bellicum, integrum & ſolidum multis durat annis & ſæculis, eodem die, eademque hora non unum tantum, ſed multa eructans & evomens fulmina. Haud ita multò ante ignem ſterilem nec generantem diximus: ſed ignis artificialis pulveri nitrato jam conjunctus, in omni genere viventium igneos habet filios. Animalia ignea in Camelis; ſerpentes igneos in Baſiliſcis; aves igneas in falconibus; & in omnibus inſtrumentis aliis homines igneos. Homines ignei in tormentis bellicis, homines ignei in Bombis, homines ignei in pyrobolis, homines ignei in polyclaſtris, homines ignei in machinis, homines ignei in cuniculis, & hoc modo tam infra quam ſupra terram ignei, & in igne, & de igne viventes ſunt homines.

§ VII.

Ad intrepidè ſubeundum terribile hoc rei tormentariæ officium (quod prætacta omnia includit) tam neceſſarium eſt S. Barbaræ patrocinium in terra. Porrò à terra tranſeundo ad Mare facile apparet, quantò utilius, admirabilius & miraculoſius ſit, eiſdem inſtrumentis igneis præliantes in navi, & ſuper undas conſtitutos protegere. Certa & indubitata inter utriuſque militiæ Magiſtros eſt concluſio, quod terreſtri illâ cum hac marinâ & navali collatâ, hæc longè laborioſior periculoſiorque exiſtat. In terra unum contra vos pugnat Elementum; in mari omnia quatuor: In terra fugæ locus patet; in navi tanquam captivis non datur effugium, niſi in ipſum mare præcipitium. In terra turma à turma, & legio à legione adjuvatur; in mari agentes cum ſociis in conſpectu, nec ſuccurſum ſperare ab ipſis, nec ferre eiſdem ſuppetias poteſtatis. Porrò quantum ad Tormentorum exercitium bellicorum, in terra tormenta veſtra bellica ſuper ſuggeſtum quinque pedum terræ lapidumque altitudinis collocatis: in mari retro aſſerem trium digitorum latitudinis. In terra tormentum bellicum currit ſuper planum ſolidum & ſecurum, in mari ſuper concavum ſemper inquietum, ſimiliterque inquietum ex parte contraria punctum ad quod dirigitur collimatio & exploſio. Græci tormentum bellicum nuncupavere bombardam ob boatum; Latini *Tormentum*, quia feriendo corpus torquet oppoſitum: Ego illud in terra vocarem tormentum & in mari torturam appellarem: *Ignis, & ſulphur, & Spiritus procellarum.* Excellens geometrica requiritur ſcientia, ad ducendam certam & rectam omninò lineam inter duo puncta inconſtantia, juxta quam glans dirigatur cum effectu. Verum hæc omnia exequi poteſt peritus & ſapiens Baliſtarius Nauticus cum majore hoſtium ſtrage quàm ſuprà retulimus, exploſione unica, eo quod agat in

mari, quod successum sortiri non potest in terra. Celebri S. Scripturæ exemplo me explicabo.

Occasione conditi à Davide morituro Testamenti Scriptura sacra insigniorum ipsius Belliducum, conscripsit catalogum, qui potissima & præstantissima sunt hæreditas quam Rex quispiam filio suo relinquere potest: quod optimè expertus est Philippus secundus Rex Hispaniæ in eis quos à Carolo parente hæreditavit. Incipit itaque Catalogus: *Hæc nomina fortium David.* Fortium horum triginta numerabantur, ex toto exercitu electi, & triginta fortes Israel dicti: ex his triginta tres erant electi, tres fortes vocati: & ex his tribus electus unus, non fortissimus, sed sapientissimus appellatus. Notatu dignissima sunt illa textus verba: *Sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* quasi diceret: Sedebat in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, qui octingentos occidit impetu uno, & est velut vermiculus sine viribus arborum rodens radices. Tria non vulgaria dubia textus hic continet. Si primus hic Bellidux Princepsque Davidis octingentos interfecit; quomodo interficere illos poterat impetu uno, *Interfecit octingentos impetu uno?* Et si non tantum inter triginta, sed inter tres fortium Israel, erat fortissimus, quare non robustissimus, sed sapientissimus vocatus, *sapientissimus inter tres?* Denique si heroicum hoc facinus scriptura sacra comparatione aliqua describit, quare imbecillo cuipiam arborum radices rodenti vermiculo illũ comparat: *Ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus?* Literali historiæ hujus explicatione relicta, quæ difficultate non caret: Ego qui solum ipsam Exempli causa retuli, dico in ea admirabiliter esse expressum & depictum, quantum sapiens tormentorum bellicorum præfectus unica tantum explosione, non in terra sed in mari operari possit. In navem aliquam primariam, seu aliam majoris molis bellicam, si glans penetraverit locum ubi pulvis nitratus asservatur, & oppositam navis partem perterebraverit, sicut quandoq; accidit, sine dubio explosione tantum unica illam demerget in profundum, & hoc casu uno tantum impetu octingentos & plures interficiet homines: *Interfecit octingentos impetu uno.* Pro victoria verò tam notabili, quo nomine, quave fama rei tormentariæ præses decorabitur? Non nomine, seu fama fortissimi, sed sapientissimi: opus enim istud non fuit actus virium roborisve sui brachii, sed scientiæ practicæ Geometriæ militaris, quâ tam exactè & ad amussim explosionem glandemque scivit dirigere, & hinc sapientissimus in arte: *Sapientissimus inter tres.* Denique ad tollendam editæ infirmo instrumento stragis admirationem, S. Scriptura vermiculi imbecillis arboris radices rodentis comparationem adducit: quia hominibus multis sub arbore congregatis, si hæc ob radicum defectum super eos ceciderit subitaneoque lapsu simul omnes uno velut impetu oppressos peremerit: primaria profectò ruinæ hujus & stragis causa non altitudini, vastitati & moli arboris, sed vermiculo qui radices ejus corrosit adscribenda est: *Ipse tanquam tenerrimus ligni vermiculus.*

2.Reg.23. v.8. Ibid. Ibid. Ibid. Ibid. Ibid.

Hoc singulari exemplo liquet, quanto plus possit in mari quam in terra, machina bellica; conspirantibus invicem sibique mutuo succurrentibus ignis & aquæ Elementis,

mentis. Jam olim contra Pharaonem eadem bina conspirarant Elementa in Ægypto: *Grando, & ignis, mista pariter ferebantur.* Idemque fœdus naturaliter in cunctis ineunt pugnis præliisque navalibus. Ignis consumit & comburit, aqua sedat & extinguit: ignis interficit & occidit, aqua sepelit. Sed si tantam stragem infert & inferre potest tormentum unum bellicum navibus hostium, hinc inferendum & reflectendum est (uti Agamemnon fecit in incendio Trojæ) idem eventurum navibus nostris, nisi potentiorem aliquam habuerimus protectionem, quæ nos præservet & defendat. Profectò non pia minus & christiana, quàm provida est illa architectura, quâ in omnibus navibus bellicis, quæ non aliter ac civitates mari innatant, domum seu locum, quem Hæretici minusve devoti armamentarium nuncupant, nos velut Sacellum S. Barbaræ dedicamus in locis abditissimis ubi pulvis custoditur: ac si fides nostra seu fiducia, oculis in supremæ hujus protectricis vigilantiam defixis diceret: *Non finet perfodi domum suam.* Alia S. Barbaræ miracula non æquè mihi videntur necessaria, quàm universale illud & continuum in omnibus vasis navibusque bellicis, quæ aptiora sunt ad capienda præparata incendia, quàm equus Trojanus.

Exod. 9. v. 24.

Matth. 24. v. 43.

Moyses in desertis Madian rubum videns ardentem & non combustum, dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Mirabile consistebat in eo, quod cùm ignis tam vicinus & inhærens quasi esset rubo, hic nihilominus illum non admittendo viridis remaneret: ita ut, sicut benè notat Philo Hebræus, rubus potius ignem, quàm ignis rubum comburere videretur: & vice ejus, quod ignis idem illum exureret, irrigaret potius, ut magis viresceret. Hinc Moyses illud non tantum miraculum & visionem, sed magnam appellavit: *Visionem hanc magnam.* Porrò visio non fuisset magna, neque miraculum, nisi ea ignis edacitas esset & voracitas, qualis realiter existit. Sub hoc mysterio antiquitas Vulcanum Deum ignis claudum baculoque innixum finxêre, quia cætera inter elementa solus ignis materiæ indiget sustentaculo. Terra, aër, aqua sustentantur & conservantur in seipsis: ignis deficiente sustentaculo, extinguitur & interit. Sic ignis in lampadibus fatuarum virginum defectu olei fuit extinctus. Porrò ab hac nutrimenti necessitate ad se conservandum, illa igni innascitur voracitas, quâ tam facilè adhæret & accenditur, tantoq; magis, quò magis disposita est materia. Hoc supposito quis non reputabit miraculum, imò miracula continua S. Barbaræ, quod in navibus bellicis, in quibus perpetuò conservatur ignis, & multi ignes, non invadat adeò dispositas materias prout sunt ipsa corpora navalia? poteftne dari disposita magis gulamque provocans ignis materia, quàm tabulæ siccæ, bitumen, axungia, sebum, stuppa, pulvis nitratus, & hæc omnia vento afflata, & in motu perpetuo qui seipso excitat calorem, & hic ignem? si nubes humidæ & frigidæ per antiperistasin naturaliter producunt ignem, quomodo in materiis sic dispositis eosdem non operatur effectus, totum aquæ elementum, quod eas circuit à natura magis humidum & frigidum? sed enim quia extant argumenta quibus eadem mirabilia melius demonstrantur ex visu, quàm ea expendere & ponderare possit discursus: agite, grandiorem navem S. Dominicus dictam, navem regiam classisque nostræ primariam

Exod. 3. v. 3.

quæ in quatuor præliis navalibus Pernambuci habitis, triginta quinque Hollandicarum navium impetum excepit ob oculos vobis ponite: Quid intus & foris in ipsa, pulchro inquam illo & terribili, durante quatriduano hoc conflictu, videbatur fortalitio? habebat navis hæc sexaginta tormenta bellica, sexcentis etiam sclopetariis instructa: Cùmque Æthnam montem referret, lentè se movens, flammas & fulmina ferri & plumbi, tot oribus quà majoribus, quà minoribus evomeret, milites omnes darent acciperentve, immittentes & exonerantes nitratum pulverem, iisdem manibus faces tenerent accensos, in tot bellicorum instrumentorum medio; cumque vel una suffecisset scintilla ad totale excitandum incendium, quò tota illa machina momento in aërem fuisset evibrata; quod in tanta confusione, pulverisque nitrati & ignis vicinitate, navis capitalis agitatis aplustribus, conflictûs victrix, non secus ac rupes undis tantùm & non glandibus impetita, secura fuerit; quis ibit inficias supplêsse ibidem vigilantiam & protectionem sanctæ Barbaræ, quod humana nulla evitare potuisset providentia?

§. VIII.

HOc agnoscens & recognoscens tota Catholica militia quales tam mari, quàm terra protectrici suæ S. Barbaræ laudes debet & congratulationes? Quænam verò ego majoribus minoribusve rei tormentariæ præfectis & officialibus subditis ipsius & devotis præcepta & monita dabo? ad Epinicia decantanda & celebranda S. Barbaræ, currus se mihi offerebat Eliæ, eò quod esset igneus, sed quamvis tam singularis inter omnes, quos admirabundus vidit mundus, non tamen ullatenùs debitam Sanctæ nostræ pompam majestatemque adæquat: nobis in hocce puncto deserviet tantum observare in eodem igne differentiam, quo pacto umbræ & opposita magis illustrent contraria. Scriptura sacra modum describens, quo Elias raptus è terra, ab Elisæo est divisus, mediante curru ab equis tracto id factum asserit, currum equosque & omnia ignea fuisse adjungens: *Et ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque.* Quia verò Textus sacer rationem non dat, quare Elias per aërem curru igneo triumphans ascenderit, cùm splendidè magis hoc deauratis nubibus, radiisque Solis intermicantibus fieri potuisset: ex aliis ejusdem Scripturæ locis SS. PP. veram hanc causam deducunt. Quando Elias confugerat ad montem, Rex Ochozias misso quinquagenario Principe cum subditis sibi quinquaginta militibus illum adesse jussit. Qui montem conscendens, in montis vertice residenti dixit: *Homo Dei, hæc dixit Rex, festina, descende.* q. d. Homo Dei, Rex te festinanter ad loquendum secum descendere jubet. Et quid Elias ad hæc respondit? *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te & quinquaginta tuos.* Sic dixit, & mox ita factum est: *Descendit ergo ignis de cœlo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.* Quod cùm innotuisset Regi, *misit ad eum Principem quinquagenarium alterum*, cùm ejusdem intimante mandatum, idem quoque Eliæ fuit responsum cum primo, & quinquagenarius, & omnes cum eo milites ab igne cœlesti fuêre consumpti. Tale imperium in ignem Deus Eliæ contulerat, quo quia tam despoticè utebatur, hinc idem ignis ei subjectus & velut subditus in currum & equos fuit conversus, & triumphantem deducerent: *Ignis Eliam quasi suum*

4. Reg. 2. v. 11.

4. Reg. 1.

Ibid.

Corn. in c. Eccles. 48. v. 8. *suum Imperatorem reveretur, eique quasi famulus suum ultro offert obsequium*; inquit S. Chrysostomus, & alii Interpretes literales, Cornelius &c.

Agedùm ignem cum igne, imperium cum imperio, & Barbaram cum Elia combinemus. Eliæ & Barbaræ Deus imperium donavit ignis: sed ecce quàm differente majestate uterq; imperium istud exercet! Elias igni devorare & consumere præcipit, & Barbara, consumere & concremare prohibet: Elias igni homines comburere mandat, Barbara illos tangere vetat: ignis igitur obediendo Eliæ, concremat & consumit velut ignis, qualis est; sed obediendo Barbaræ, velut propriam perdidisset naturam, deserit esse quod est, ne desit officio ad quod tenetur. Ex parte Eliæ æqualis videtur esse potestas in imperio, ex parte verò Barbaræ multò major videtur esse in obedientia. Missum in lacum Leonum Danielem si bestiæ devorassent, nihil miri habuisset: sed quod famelici objecto sibi pastu seu cibo voracitatem refrænârint abstinentiæ eorū miraculum comprobabat: porrò illud faciebat Elias homines igni ad devorandum tradendo; & hoc facit Barbara nos ab ignibus liberando. Pulchrâ sanè consequentiâ, Elias ignem de cœlo descendere faciebat! *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te.* Sufficitne in signum, quod ignis sit de cœlo & à Deo, si comburat & consumat homines? dicendum ipsi potius fuisset, si homo Dei sum, seu à Deo, rogabo Deum pro te, teque protegam, & defendam: & istud Sanctam nostram probat, propriè magis à Deo provenire. Elias imperando igni, à Deo se esse monstrabat, sed à Deo vindice, rigido & severo: & Barbara eodem in imperio se à Deo esse perhibet, sed à Deo propitio, indulgente, misericordissimo, & benigno; denique à Deo tali, de quo magis gloriatur Deus.

Nullus ambiget quin comparato imperio ad imperium, usus ipsius & exercitium, multò magis fuerit humanum & beneficum, & hinc in Barbara, quàm Elia divinius. Et transeundo comparationem ignis ad ignem, quemadmodum in eo cui dominatur S. Barbara, magnam deteximus novitatem, sic idem combinando dominium verè ascendemus, quò tantùm pertingere potest exaggeratio; & quo nullatenus transire potest imaginatio.

Communem Historicorum de primo pulveris nitrati inventore opinionem jam diximus: sed benè lectis & intellectis Scripturis sacris inveniemus jam quater millenis ante annis Deum in igne artificiali pulverem invenisse, quem super Sodomam & Gomorrham pluerat. Ignem istum non naturalem sed artificialem fuisse, ex verbis constat, quibus Moyses eandem texit historiam, dicens, quod Deus pluerit de cœlo sulphur & ignem ab ipso Domino Deo factum: *Dominus pluit super Sodomam sulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Ubi valdè novus & notatu dignus est ille terminus, *Dominus à Domino*, ad declarandum, prout omnes notant Interpretes; tale ignis genus non fuisse causarum effectum naturalium, sed artis sapientiæque divinæ, quæ nihil de novo creat, sed res jam creatas disponendo, & inter se conjungendo novos & mirabiles producit effectus, qualis ignis ille verè artificialis extitit. Veruntamen ut artificium idem esset quod pulveris textus iste ad hoc probandum non sufficit, *Gen. 19. v. 24.*

sulphuris enim tantùm mentionem ingerit, ignem & sulphur. Alium nihilominus habemus textum in Deuteronomio, quo idem Moyses ignem eundem iteratò describit expressè asserens hunc ignem ex sulphure & nitro, quæ duo sunt pulveris ingredientia fuisse compositum: *Sulphure & salis ardore comburens in exemplum subversionis Sodomæ.* Ab hoc igitur igne,& primo incendio quod pulvis excitavit in mundo, Deus Lothum liberavit. Sed quo pacto? mediantibus non tantùm duobus Angelis, sed hisce ipsis duas personas divinas repræsentantibus, erant quippè duo è tribus qui in convalle Mambre apparuerunt Abrahamo: quemadmodum etiam Angelus, qui tres pueros de fornace Babylonica liberavit, secundam SS. Trinitatis personam scilicet Filium repræsentabat: *Et species quarti similis Filio Dei.* Porrò quando Deus hominem, qualis erat Loth, à primo pulveris liberaturus incendio duobus curam hanc committit Angelis, & hisce divinarum personarum repræsentatoribus; advertite quæso, quale sit imperium, dominium & authoritas S. Barbaræ, cui soli Deus universalem omnes omninò homines, terra marique, ab ejusdem pulveris liberandi, protegendique incendiis curam solicitudinemque commendavit!

Fabricent igitur Seraphini, similiter ardentes & ignei novum currum triumphalem S. Barbaræ, meliorem gloriosioremque illo Eliæ: cui non luctuosis & funestis in urnis combustorum & mortuorum præferantur cineres, sed quem vivi præcedant congratulantes & applaudentes supremæ protectrici suæ omnes illi (numero innumerabili) quos ab igne & incendio liberavit. Et insignis noster Dux Classiarius, qui tanto hodie apparatu & magnificentia, eandem triumphatricem celebrat, nobilissimam triumphorum suorum partem æstimet, in curribus deauratis rotare & circumagere acquisita tot tantisque victoriis navigia, quibus melius, quàm columnis æneis, illustrissimæ domus suæ exornantur portæ & atria; dignus immortalis illius herois successor, qui Martis ad instar patriæ illam defendit in bello: nec non more patris, præclusis Jano januis & portis, victoriosam illam reliquit in pace.

§. IX.

Ad vos nunc convertatur oratio (animosi Vulcani ministri & artifices, qui periculosissimum continuò ignis exercetis opificium, periculosissimis artis vestræ instrumentis) epilogi & coronidis loco vobis dico, ne elabi sinatis bonum aliquod, quod in mundum intulit usus & inventio pulveris. Ex vipera non venenum tantummodo, sed etiam theriaca conficitur. Enim verò quidnam boni in mundum pulvis nitratus invexit? veritatem unam universalem, scilicet, quod nullus jam hominum suis debeat fidere viribus. Olim erant Achilles, erant Hercules, erant Samsones: pulvere nitrato in mundum jam ingresso, brachiorum robur & fortitudo æstimari desiit. Pygmæus duabus unciis pulveris maximum prosternere potest Gigantem. Quo fundamento putatis Philosophiam symbolicam de fabulis finxisse, quod Gigantes bellum intulerint cœlo, ad deturbandum è solio suo Jovem, nisi quia intellexerunt & demonstrare voluerunt sapientes illi,

quod

quod homines virium ſuarum robore confidentes, Deum non metuant, nec illum venerentur, ac ſi ab ipſo non dependerent. Sacrilegam & blaſphemam audite arrogantiam, quam quidam eorum protulit nomine Meſencius.

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro.

Id eſt, Deus meus eſt brachium meum, & lancea mea. Profectò Dux ſuperbiſſime non præſumptuosè adeò fuiſſes locutus, ſi illo vixiſſes tempore, quò minimus militum hoſtilis exercitus ignivomo tibi ore reſpondiſſet. Hanc igitur veritatem pulvis in mundum invexit, ut omnis homo, multoque magis in bello, & de bello viventes ſibi perſuadeant, quod ſolus Deus, & non brachium eorum, nec gladius, nec haſta vitam ipſis conſervare poſſit. Quod miles ille tam generoſus & robuſtus David manibus non armatis interficiens Urſos, & Leones ſuffocans, ita proteſtatur: *Gladius meus non ſalvabit me.*

Ad hoc igitur pulvis ſerviat, quem manibus ſemper geritis, ut memores diſcriminis, in quo æqualiter vitam geritis, taliter eam agatis, ut grata ſit Deo, à quo ob tam ordinaria accidentia magis dependet, quam ab aliis hominibus. Et potentem vigilantiſſimæ veſtræ protectricis S. Barbaræ interceſſionem imploratis: à qua devotione & invocatione finaliter vobis promitto, id quod eadem Sancta variis exemplis probavit in mundo. Imò in flammarum medio ardentibus invocato ejus nomine, ſi non omninò vitam ſalvat temporalem, ſaltem eam ſuſtentat & prolongat quantum ſufficit, ut acceptis Sacramentis vitam conſequatur æternam.



SERMO



SERMO
PRO
Sabbatho ante Dominicam Palmarum.

In Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ de Exilio. Bahiæ, Anno 1634.

Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obviam ei. Joann. 12.

§. I.



Hema est prolixum, sed sermo erit succinctus. Verba sunt S. Joannis Evangelistæ c. 12. suæ sacræ Historiæ, innuere volunt: quod Principes Sacerdotum inierint consilium. Mox ut in principium hoc offendi, suspensus mecum consideravi. Consilium, Principes Sacerdotum! sine dubio grandia ex eò prodibunt & emanabunt Reipublicæ bona: Gens est Ecclesiastica, & consequenter sancta & literata; quid enim aliud ex eorum sperari potest consilio, nisi magnæ Gloriæ divinæ bonique publici promotio? Hæc mente volvebam, & mihi imaginabar, sed deceptus sum. Et contra Deum, & contra homines agitabatur. Hoc spectabat, huc dirigebatur totum consilium, ut Christus quocunque modo & casu è vivis tolleretur quod pridiè decretum fuerat; istud significat ly *&*, *ut & Lazarum*, prout Doctores interpretantur: & ut non tantùm necem inferrent Christo, sed etiam Lazarum tollerent è medio, quem paulò ante Christus suscitaverat: *Ut & Lazarum interficerent.* Nunquid distorta magis & passionata institui possunt indicia; num enormior pronunciari potest sententia? causas allegatas audiamus, & multò mirabimur amplius. Moriatur, inquiunt, Christus, quia miracula patrat, quia sanitatem infirmis confert, mortuisque vitam restituit, quia in amore, & honore habetur, quia plebs ipsum sequitur: & moriatur Lazarus, quia virtute Christi suscitatus amor illi, honori & sequelæ occasionem præbet. *Quia multi propter illum abibant ex Judæis & credebant in Jesum.* Honore dignissimum crimen! omnia ista facta sunt hodie: *In crastinum autem* inquit Evangelista, Gloriæ Princeps triumphantis in modum Jerusalem equitando intravit, (modestiæ tamen suæ humilitatisque limites non excedens) pomposi comitatus vices subeunte infinita plebis multitudine, cum palmis & acclamationibus devotè ipsum prosequente: *Turba multa quæ ve-*

venerat ad diem festum, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei. Usque huc ad literam nostri Thematis. Quod videbimus, est causa criminalis, sententialiter decisa, appellationi subjecta, revocata. Ex primo Tribunali insontes exibunt accusati: E secundo judices exibunt condemnati. Nihil ferè horum Thema nostrum continere videtur, sed ex eo omnia deducemus. Non statim illud demonstro, ne duplex templus insumendo perdam. Gratiam imploremus.

§. II.

PLato Judicibus & Gubernatoribus consultum esse asserebat capessendis indormire resolutionibus. Magno Philosopho videbatur, judicium cum Cervicalibus agitatum, magis ab affectuum motibus semotum, & sedatum necessariò proditurum. Ita Judicibus nostris Ecclesiasticis, principibus scilicet Sacerdotum accidit; super resolutione heri decreta, tollendi videlicet vitam Christo dormierunt; sed hodie experrecti ex somno super tam distorto & inordinato concordarunt consilio, quale fuit injustissimam, atrocissimam, magisque sacrilegam, quam unquam aut data fuit, aut dari potuit in mundo, confirmare sententiam. Ego quidem potius Dominos Principes Sacerdotum interrogare mallem. Domini, patrare miracula, suscitare mortuos, æstimari, amari, in honore haberi, quid, quæso, reatus, quid reprehensionis, quid culpæ habet, quam legem offendit? in Exodo, in Levitico, in Deuteronomio, qui sunt Canones & Codices ex quibus vos dirigitis, nullus invenitur textus, qui illud prohibeat: ignorantiæne igitur imputabitur? authoritati & dignitati Tribunalis vestri profectò derogaret, qui talem de ipso præsumeret. Omnium rationem paucissimis verbis dedit Euthymius: *Itaque tota res est invidia*: Jam non miror Sacerdotum Principes in ipsa bonitate reperîsse crimina, culpas in ipsa innocentia, in Christo peccata: nam in Tribunalibus seu publicis, seu privatis præsidente invidia, virtutes sunt crimina, culpæ sunt merita, & qualitates bonæ seu opera sunt vitia. *Euthym.*

Saul die quâdam melancholiâ & tristitiâ oppressus, instrumentis musicis benè ludere callentem inquiri sibi petiit; num ad relevandum potiùs, quàm augendam melancholiam nescio. Accurrens mox aulicorum quispiam, dixit, Majestatem suam ad hoc meliorem Davide invenire non posse; nam præterquam quod bene sciret psallere, simul juvenis esset Generosus, robustus, rerum bellicarum bene peritus, prudens, & super omnia virtutibus insignis, Deumque timens: *Vidi filium Isai scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Num quid amplius in laudem & Encomium Davidis dici potuit? Dicere mihi videntur omnes quotquot audierunt, multum in eo situm, si quis amicum in aula habeat; & illum verum esse Davidis amicum, qui sciret pro ipso tam splendida Regi præsentare officia. Ingenium hoc est mundi, ut excellentioris amicitiæ argumenta sæpenumerò æstimet, quæ non nisi absolutissima sunt odia. Doctores Hebraici, quos Nicolaus de Lyra refert, Aulicum hîc locutum, Capitalem Davidis hostem, Doëg fuisse affirmant. Infensissimus Davidis inimicus, & tam rethori- *1. Reg. 16. v. 18.*

cè laudes ejus depromit! Capitalis Davidis inimicus, & tam vili & abjecto ex fundamento, quale est saltem seu citharædum esse, occasionem sumendo tantam qualitatum ipsius seriem! sic se res habet. Intentionem ejus Lusitanus nostræ societatis expositor gravis egregiè explicavit: *Sciebat Saulem esse invidum, & alienis laudibus incredibiliter cruciari: laudat igitur Davidem apud Saulem, ut Saul invidiæ stimulis agitatus interficiat Davidem.* q. d. Noverat Doëg, Saulem singularem esse æmulum Davidis, invidiaque stimulante valde ipsi infensum: quoniam verò in judicio invidorum merita sunt culpæ, & excellentiores qualitates sunt delicta & vitia, coram Saule laudibus extulit Davidem, quò Saul, prout fecit, mortis in Davidem sententiam pronunciaret. Prudentem, bellicosum, generosum, virtuosum, omnibusque aliis bonis qualitatibus affatim eum dotatum prædicavit: proinde totam hanc elogiorum Lytaniam rectè audiens, non incongrue pro Davide dicere potuisset: *Orate pro eo.* Capitula ac articuli contra eum Regi præsentata, non minus quam læsæ Majestatis rerum ipsum agebant. Videbantur laudes, & erant accusationes: videbantur recommendatitiæ, & erant Calumniæ. Innocens in suis virtutibus calumniam patiebatur; & ex bonorum operum suorum meritis reus agebatur, neque innocentiâ sua defensus, neque bene meritis adjutus: quia judex erat invidus.

Quàm bene illud hoc modo idem David intellexit! Confirmationem nobis præstet, qui probationem nobis præbuit. David Juvenis persecutionem fugiens, ad aulam Regis Achis, regnumque Saulis Regis regno inimicum se contulit, ideoque tutus videbatur. Pergebat solitarius & incognitus; sed quia suam secum famam circumferebat, hæc verò nunquam novit servare secretum: mox ut increbuisset Generosum advenisse Israëlitam, qui Goliath Gigantem interfecisset; ille scilicet, cui Hierosolymitanæ mulieres compositum à se, & omnium ore tum temporis versatum, decantassent versum: *Percussit Saul mille, David decem millia.* Ecce quàm admirabile, quod sequitur! Mox ut audivit David quod acciderat, inquit scriptura, quod formidaverit in conspectu Regis Achis comparere: *Posuit David sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis Regis.* Denique resolvit inde fugiendo speluncam subire: *Fugit autem inde in speluncam Odollam.* Qualis tua, ô David est rosolutio? Quid te movet solitarium agere in deserto, quando te vides tantopere commendatum in aula? Quid causæ est, quod tanta laudum fama ornatum te videns, apud Regem, ab ejus præsentia fugis? Intelligebat illud David ut prudens; & operabatur ut expertus. In tribunali invidiæ Laudes sunt accusationes: proinde quia David se videbat adeò laudatum, factus est inimicus. Videre se laudatum, erat videre accusatum: qualitates suas videre relatas, erat culpas suas videre probatas. Gravissima igitur ratione motus semetipsum humiliando, tam à se quàm ab hostibus fugit. Satrapæ, primique Regis Achis Ministri magnis contra Hebræos stimulis exagitabantur invidiæ, quo pacto igitur manus eorum evadere poterat David, in eademque degere aula, de suis victoriis criminosus, & de fama sua reus? Porrò si traductus fuisset David,

1.Reg.21. v. 11.

Ibid. v. 12.

1.Reg.22. v. 1.

vid, de crimine falsi, de perjurio, de adulterio, furto, homicidio, & aliis, si quæ enormiores dari possint, infamiæ notis, David securus obambulasset in aula, & perquam fidenter palatium Regis fuisset ingressus: Ibi quippe servitia ista sua habent præmia; vel saltem transeunt impunita. Verum tot tantisque prædicatis de ipso virtutibus, excellentiis, tot facinoribus heroicis, tot qualitatibus, prudenter sanè egit sese humiliando & fugiendo: siquidem omnia illa elogia, & laudum præconia erant contraria personæ Regis & familiarium ejus crimina, & irremissibilia contra leges invidiæ delicta. Meo quidem judicio mandata dabuntur legis invidiæ, prout præcepta dantur legis Divinæ. Præcepta Dei mandant, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices: Leges invidiæ dicunt, nō honoraberis, non ditaberis, non æstimaberis, prudens non habeberis, adduntq; non eris prædicator bonus: & casu quo divina vobis favente gratia ad dignitatem aliquam fueritis evecti, manu gladium stringatis, sitis generosi, divites & honorati eodem mox momento in tribunali invidiæ delictorum rei tenemini, quia mandata ipsius & præcepta estis prævaricati. Hasce ob culpas David in tam periculoso versatus fuit statu: ob easdem culpas hodie Christus Filius ejus, quem sic in Evangelio appellarunt turbæ, fuit condemnatus: *Hosanna Filio David.* Celeberrimus erat prædicator, multorum mirabilium patrator, infirmorum sanator, mortuorum suscitator, porrò quia hæ excellentiæ vel culpæ, applausibus, acclamationibus, amore, concursu & sequela populi erant probatæ; *Multi abibant ex Judæis, & credebant in Jesum*: Decretum primum fuit confirmatum, & sententia secunda prolata, ut moriatur Christus: *Ut & Lazarum*, id est, *ut Christum, & Lazarum interficiant.*

§. III.

Sed esto, justè seu injustè ut quid verò Lazarum condemnant? naturalis ipsi non denegetur defensio. Si illum condemnant, uti dicunt, quia Christus ipsum resuscitavit: quàm, quæso, reatus speciem habet hominem esse à morte resuscitatum? tam remotus, hoc casu, fuit à culpa, ut nec in actu eam habuerit, nec in potentia; neque illam habuerit, neque habere potuerit. Christus adolescentem à nativitate cœcum curavit, & Discipuli appositam valde ad rem movere se putantes quæstionem interrogarunt: *Domine, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cœcus nasceretur?* Quæstionem hanc meritò derident Expositores, & singulariter Theophilactus: si enim adolescens natus fuisset cœcus ob peccata sua, sequeretur necdum natum peccâsse: & quid ineptius & impertinentius dici potest, quàm hominem habere peccata, antequam habeat esse? ante esse peccatorem, quàm hominem? non minus innocens isto erat Lazarus. Erat mortuus quando Christus illum resuscitavit, & beneficio non Entis vel non Existentis erat impeccabilis: ita ut hoc casu ipsi quadrare possit, quod de maximo amicorum suorum Eurialo Nisus asseruit: *Nihil iste, nec ausus, nec potuit.* Non habuit culpam, nec habere potest: Innocens actu, & potentia. Verum enim verò licet hoc ita se habeat, tam lyncei invidiæ sunt oculi, ut in hisce peccandi impossibilitatibus,

morte dignas retexerint & deprehenderint culpas: *Ut & Lazarum interficerent.* Et quare? *Quia* (ecce culpam) *Quia multi propter illum credebant in Jesum.*

Super Joseph consilium inierunt fratres ejus: mortem ipsi decreverunt, & eisdem quasi verbis, qua hodiernum habet Evangelium: *Cogitaverunt eum interficere.* Nota est causa: Jacob præ cæteris tenerius eum amabat, & præter quotidianum habitum pastoritium fecerat ei *tunicam polymitam*, qua diebus festivioribus indutus cæteris pastoribus præfulgebat. Eheu quot tales hodie in mundo dantur Josephi! Invidia, detractionibus, aliisque insidiis imperiti! Quare? Quia fortunæ favore meliore sunt veste induti. Hoc pacto insons condemnatus erat adolescens, quando fortuna ipsius & felicitas mercatorem Ismaelitam eo deduxit, qui viginti eum argenteis licitatus est, quando cupidissimi fratres numero decem, singuli pro duobus argenteis, qui se contingebant, & fratrem suum, & conscientias suas vendiderunt.

Gen. 37. v. 18.

Invidiarum fomite & causa, scilicet tunica, jam eum exuerant; & Joseph tergum vix verterat, & venditores illam apprehensam in frusta dilacerant. Sed heus sistite hic Fratres ingrati, sistite, respondete; Verbis vobiscum contendere statui. Nunquid Joseph venditus est? Nunquid ira, & indignatio vestra jam exsatiata est? Nunquid furori vestro satisfactum est? Tunica hæc quid reatûs commisit, aut contrahere potuit? Ut quid eam dilaceratis? quare in frustra conscinditis; probè novi quod ad respondendum mihi verba vos deficiant: sed pro vobis Rupertus Abbas respondebit: *Fraternæ Gloriæ monumentum impeccabile* [notate bene illud impeccabile) *fraternæ Gloriæ monumentum impeccabile laceratur: adeò nec morte, nec venditione satiatur invidia.* Omni culpa vacabat Josephi tunica; sed enim, quomodo illam habere poterat sericum, seu lana insensibilis & voluntate carens? Nihilominus in naturali incapacitate, & impossibilitate peccandi, Josephi fratres aliquam invenerunt; & tanquam instrumentum Josephi Gloriæ deservivit: *Fraternæ Gloriæ monumentum.* Tunica hæc singularis Jacob affectus erat Symbolum, Josephi erat ornamentum, quo cæteris præfulgebat fratribus, quo honorem & respectum sibi conciliabat apud extraneos; & hoc sufficiebat illi pro culpa, ut scinderetur sine culpa: *Monumentum impeccabile laceratur.* Ignoro sanè num in tota Scriptura sacra inveniri possit casus, seu locus, qui magis ad vivum id declarare possit, de quo agimus. Culpæ nihil admiserat, nec admittere poterat Lazarus, quando illum suscitavit Christus, prout vidimus; Porrò in hac summa innocentia, imò in hac impeccabilitate absolutissima; invidia culpas, & quidem morte dignas detegere novit, quæ instrumentaliter Gloriæ Christi deservierunt: *Quia multi propter illum credebant in Jesum.* Celebris fuit, immò cunctis celebrior Lazari fuit resurrectio, admirante & obstupescente populo, quod viderent per plateas Civitatis Jerusalem obambulantem, quem noverant quatriduanum mortuum in sepulchro: Et quia stupor hic omnis & admiratio in famam Gloriamque redundabat suscitatoris, eo quod instrumenti adinstar Gloriosæ huic famæ subserviret, & Lazarum reum mortis agunt: *Ut & Lazarum interficerent:* Non secus ac invidia fratrum Jo-

Rupert. Abbas.

Josephi, non contenta vindicta & rabie in fratrem, etiam ex insonte tunica indignationi suæ lenimen & satietatem quæsivit: *adeò nec morte, nec venditione satiatur invidia.*

§. IV.

PRonunciatâ in Christum, & Lazarum sententiâ injustâ; sicut Innocentia, quantò magis tacet, tantò melius coram Deo pro se allegat & perorat. Sic silentium illud in divino ipsius tribunali pro appellatione servivit. Nec diu tardavit expeditio [nam cœlesti in judicio dilationibus non est locus] quod inde emanavit, duo fuere decreta contra duos Pontifices hoc modò. Primum, ut lata contra Lazarum sententia necdum executioni daretur; ut suspensa maneret, *Cogitaverunt.* Secundum ut Christus altero die triumphans Jerusalem ingressus, cum ramis palmarum, & honorificis acclamationibus à populo exciperetur: *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.* Ita habet thema. Sed argui mihi videor. Nonne promiseram in principio, in sententiarum revocatione Judices fore condemnandos? ubinam istæ sunt condemnationes? ubinam istæ sunt pœnæ? Gratiæ loco hoc est habendum, quod sint, & non appareant. Mortem Lazari executioni non dari, prima fuit pœna: Christum triumphantem ingredi Jerosolymam, pœna fuit secunda. Visâ primâ, mox transibimus ad secundam.

Job lepra erat opertus, simulque doloribus aliisque ærumnis oppressus & circumseptus, quod toties auditum & declamatum, & nunquam condignè exaggeratum est in pulpitis; in querimonias erumpens sic dicere cœpit: *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* q. d. Dies mei simul *Job. 17.*
cum oblectamentis quæ habebam in eis *v. 11.*
transierunt; qui ut non durarent diu, meos esse sufficiebat, *Dies mei*: Conceptus quidem aliquos formaveram, *Cogitationes meæ.* Sed hos fortuna fecit abortivos, nec ad executionem pervenerunt, *Dissipatæ sunt*; & hoc, inquit Job, tanquam pœnarum omnium acerbissimum, gravissimè fero: quotquot enim tunc fuere conceptus & cogitationes, tot modò animam meam excruciantes, patior carnifices cor meum torquentes, *torquentes cor meum.* Mirari sat nequeo, quod homo tanta præditus prudentia, ut magni faceret tormenta, cum simili prodeat querela. Enim verò tu patientiæ Exemplar, tantus es fortunæ amicus, ut de rebus tantillis conquceraris? Nunquid facultatem & bonorum jacturam fecisti, nunquid filiorum mortes audivisti, nunquid Domus statusque tui eversionem perpessus es, nunquid dolores, tristitias, derelictiones, miserias, corpusque tuum totum in vulnus unum conversum sustinuisti? quàm, quæso, comparationem habent ista omnia ad conceptus cogitationesve tuas relata, ut de hisce tantummodo querimonias emittas, quod finem intentùm non fuerint consecutæ, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt?* Tanquam insignis Patientiæ Magister fuit locutus. Job expertus fuerat omnia, quid dolor, quid pœna, quid denique tormentum esset; proinde quia nihil dolorem tam excessivum, pœnam tam atrocem, tormentum tam intolerabile inferre deprehendit, quantum cogitatio finem non assecuta, intentio executione frustrata, cogitationes tantum suas & intentiones, in tanta querimoniarum materia, fine suo caruisse

ruisse lamentatur, *Cogitationes meæ dissipata sunt.* Quoniam verò tam difficulter exaggerationi huic fidem habendam prævidit Job, illam Expositorum alicui credere recusans, commentatoris ipse partes desuper in se suscepit versiculo sequenti: *Si sustinuero, infernus domus mea est.*
Ibid.v.13. 14. *Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, & soror mea, vermibus.* Nemo Hyperboles esse putet aut exaggerationes phantasticas, id quod dico, revera enim tormentum quod patior adeo intolerabile & desperatum existit, ut si vel paululum protelatum fuerit, *Si sustinuero* ad sepulchrum usque deducere me sufficeret: Id quod mortui absque sensu experiuntur in sepulchris, hoc in me meæ exequuntur cogitationes: non enim est corruptio adeo penetrans & annihilans, non sunt vermes cadaver aliquod adeo comedentes & erodentes, sicut cogitationes ipsæ cor meum mordicant, animamque rodunt. Porrò pessimum est, quod occidendo me non cessent, sed interficiendo me regenerent, ac si parentes mei essent, ad magis me execuciandum: *Putredini dixi: Pater meus es tu: Mater mea, & soror mea, vermibus.* Agite comparemus seu conferamus illud Job, *Cogitationes meæ*, cum illo, *Cogitaverunt*, Judicum nostrorum; & videbimus utrum maneant condemnati. Intenderunt Lazarum interficere, *Cogitaverunt ut Lazarum interficerent.* Intentiones hæ executione frustratæ in aërem abierunt, *Cogitationes meæ dissipata sunt*, & sic sunt illas non executi carnifices & lictores respiraculum animæ obstruentes, *torquentes cor meum*, sententiam Dei in eis exequentes, sententiam non minus, quàm mortis & sepulchri, *Si sustinuero, sepulchrum domus mea est.*

Agedum curiosis nunc satisfaciamus. Supposito sententiam hanc sententiam fuisse mortis, & inter sententias mortis tot tamque varias dari, interrogabit me fors quispiam, de quo genere fuerit mortis? Nomen illi imponere ignoraus, dico, de illo mortium fuisse genere, quæ quantò magis torquent & excruciant, non tamen perimunt. Mors est interior sensibilis quidem, sed non explicabilis, tam inmitis & sæva, ut si Deus omnes istos Sacerdotum Principes, contra forum dignitatis ipsorum, ad palum seu patibulum suspendi mandasset, nimis quàm benigna, & mitis sententia reputanda fuisset. Achitophel consilium dedit Absoloni, quo executioni dato actum utique fuisset de Davide, contra quem impius rebellisque filius insurrexerat; Disponente cœlesti numine Absalon illo dimisso diversum omninò & contrarium à Chusai datum amplexus est. Quo viso sine mora Achitophel (casum auscultate rarum & stupendum) conscenso equo domum festinat, rebusque suis dispositis, immisso trabi laqueo se suspendit: *Abiit in domum suam, & disposita domo sua, suspendio interiit.* Multæ super hoc casu quæstiones moveri possunt. Illa Canonistarum ad manum est, hoc movens, utrum iste iu loco sacro sepeliendus sit necne? Porrò scriptura ait, quod sepelierint ipsum in sepulchro Patris sui: *Sepelierunt eum cum patribus suis.* Veruntamen hoc non format argumentum; siquidem temporibus istis nec sepulchra erant in Ecclesia, neque conditum Capitulum, *Placuit.* Et posito, unum alterumve Sanctorum & Doctorum super hoc casu scripsisse; unus tantum Rabbinus Achitophelem judicio turbatum fuisse asserit. Si

Si fuit turbatus (modò quæstio mea subintrat) si Achitophel sanus erat judicio sibique præsens, quomodo tam insanum commisit actum, qualis est propriis sibi manibus suspendio vitam tollere? Scriptura illud affirmat, & mirificè intentum nostrum probat: *Videns quod non fuisset factum consilium suum, abiit in domum suam, & suspendio interiit.* Una & sola ratio & motivum, quare Achitophel se suspendit, inquit Scriptura, fuit, videre non executum fuisse consilium suum, *videns quod non fuisset factum consilium suum.* Ecquis rem tam atrocem crederet, quotquot demum Doctores eam assererent, nisi Spiritus sanctus illam affirmâsset. Tam crudelis executor est consilium non executum: tales dolores, tales cruciatus, tales torturas infert animæ cogitantis & considerantis, ut homo integro judicico, sibique præsens, juxta prudentiæ dictamen è malis minus eligendo, propriis maluerit manibus appensus mori in furca, quam tormenti tam atrocis sustinere cruciatus. Sic illud expertus est Achitophel; utque eodem illud modò invidiosi experirentur Pontifices, ordinavit Deus, ut executionem non sortiretur initum inter ipsos consilium, Lazaro tollendi vitam; eodem ipso non executo remanente ipsis pro carnifice & tortore proprio ad eandem, seu fortè multò etiam truculentiorem inferendam mortem, quam Lazaro inferre decreverant: *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent.*

§. V.

Primâ injustè latâ, contra Lazarum sententiâ condemnatos habemus judices. Secundæ contra Christum latæ longè atrocior erat injustitia: Quod ut pari pacto in ipsorummet pœnam & acerbiorem transiret torturam, jussit Deus, sicut diximus, ut Christus triumphans Jerosolymam intraret: *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei.* Pœnæ hujus acerbitas in absurdissima aliqua naturali invidorum conditione fundatur, quâ magis alienis discruciantur bonis & gloriâ, quàm malis propriis & tormentis. Ingressus die quâdam templum Hierosolymitanum Christus, vidensque in illo columbas, capras, agnos, immò & vitulos vendi, super irreverentia tanta zelo succensus, ex funibus quibus animalia illa fuerunt alligata, quasi confecto flagello venditores illos & emptores flagellare cœpit. Nundinationes in Ecclesia factas Deus propria castigat manu, non commissa alii delictorum similium punitione, nullo habito dignitatis suæ respectu. Porrò ego homines istos non usque adeò patienter laturos existimabam sic tractari à Christo, & siquidem à violenta manuum injectione abstinerent, non tamen à blasphemiis sibi temperaturos. Veruntamen revidendo textum, ne vel inadæquatum verbum contra Dominum, quà talem ipsum agnoscentes, prolocutos fuisse inveni. S. Joannes-Chrysostomus igitur locum hunc cum aliis vitæ ipsius diversis conferens, hanc format considerationem. Si quando Christus sanavit mutum, illum sugillârunt velut dœmoniacum: si quando cæcum illuminavit, illũ voluerunt lapidare; si quando Lazarum resuscitavit, contra illum sententiã mortis tulerũt, quomodo nunc eos flagellantem, & velut mancipia tractantẽ, aliquo minus hono-

honorifico aut malo verbo non impetunt? quare non accusant? quare ipsum non lapidant? quare non interficiunt? diviné S. P. Chrysostomus. *Animadvertitis invidiam incredibilem, & quonam pacto in alios collata beneficia magis eos irritabant*? q. d. Nunquid invidorum horum probrum videtis, quod magis bonis deserviuntur alienis, quàm malis propriis? Quod Christus infirmos curaret, mortuos suscitaret, bona erant aliena, hinc illud tam graviter ferebant, ut Christum lapidare & occidere vellent: à Christo flagellari, & tanquam mancipia tractari, mala erant propria. Proinde tam leviter ea senserunt, ut ne durius quidem verbulum Christo responderint. Ulterius. Patrata à Christo miracula famam gloriamque ipsi conciliabant: flagella quibus illos castigabat, pœnam ignominiamque illis inferebant; sed quia gens invidiæ malo laborabat, acerbius fama & gloria Christi, quàm pœna ignominiaque propria loquebantur. Excessum invidiæ non solùm verè admirabilem, sed & incredibilem! *Invidiam incredibilem.* Exaggeratio videbitur quod confirmationis ergo adducam: sed fidejussore non caret.

S. Chrysost.

Ardebat in inferno dives epulo, indeque Lazarum in Abrahæ sinu contemplatus, in hæc verba prorupit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Abraham hanc illi refocillationem non indulsit: sed quia avaritiæ tam proprium est petere, petitionem dives epulo iteravit: *Rogo te Pater ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum.* Vel ego decipior, vel petitiones hæ aliud referunt, aliudque prætendunt. Si inferni flammæ tam sunt truculentæ, ut novimus, & dives epulo noverat per experientiam, quomodo est possibile, ut extingui eas, aut linguam tantillo aquæ refrigerari posse putaret, quantillum extremo digiti intincto aquæ adhæreret? Amplius. Si in inferno nec charitati, nec amori locus est, nam si hæc ibi darentur, non infernus, sed paradisus esset: qua ratione fieri potest, quod damnatus tanta erga fratres suos charitate flagret, ut prædicatores ex altera vita ad ipsos mitti petat, ut convertantur? Quantùm magis, quod incendium alius æquè benè ac Lazarus refrigerare potuisset; multique alii melius Lazaro, fratribus prædicare potuissent. Quam igitur ob causam, utraque in petitione non alium quàm Lazarum mitti postulat; primò, *Mitte Lazarum*: Secundò, *Rogo ut mittas eum*? Causa est quod neutrum horum dives epulo prætenderet, sed omnis illius eò dirigeretur intentio & desiderium, ut Lazarum ex Abrahæ sinu educeret, faceretque ut aliquo saltem tempore fraudaretur & careret illa quiete, in qua ipsum videbat. Hoc subtiliter hinc eruit sanctus Petrus Chrysologus, cujus ratio non solùm tam est subtilis, quàm naturalis velut suæ! *Quod agit dives, non est novelli doloris sed livoris antiqui: zelo magis incenditur, quàm gehenna.* S. Chrysol. Nostis, inquit sanctus Chrysologus, quare dives tot excogitat & quærit artes, & modos, ut vel brevi temporis spatio, si valuerit, Lazarum ex Abrahæ sinu educat, nullo alio ad hoc motivo impellitur, nisi quod invidia concallescat, cùm in tanta nunc videat felicitate & Gloria, quem in tanta aliàs despexerat miseria: *zelo magis incenditur quam gehenna.* Ecce con-

Luc. 16. v. 24.

Ibid. 28.

considerationis hujus ſubtilitatem! dives agit in inferno, divitis verò infernus potius eſt in ſinu Abrahæ, quàm in ipſo inferno: magis enim ipſum excruciat quies & felicitas in ſinu Abrahæ, quâ ibidem fruitur & gaudet Lazarus, quàm in gehenna ipſæ quibus ardet flammæ. Petebat & efflagitabat ut Lazarus è ſua exiret requie aquam laturus ad refrigerandum: & refrigerium non conſiſtebat in aqua, quam debebat afferre, ſed in quiete quam debebat derelinquere. Tanquam invidum magis ipſum concremabant alienæ Gloriæ, quas videbat, quàm proprius infernus in quo ardebat: *zelo magis incenditur quàm gehenna.* Ad hocce pœnæ punitioniſque genus Deus injuſtos condemnavit Sacerdotum Principes, & convenientiſſimè quà tales. Invidia laborabant, ut vidimus; proinde quia pœnarum nihil magis ipſos afflicturum erat quàm Gloriæ Chriſti, ipſis intuentibus Chriſtus triumphans cum univerſali applauſu Jeruſalem ingreditur filius David, & Rex Iſraël acclamatus cum fauſtiſſimis & ore & manibus factis apprecationibus: *acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei.*

Ego ſanè affirmare potuiſſem, majorem hoc ipſis fuiſſe torturam, quàm ſi Deus centum illis infligi juſſiſſet ictus, quod negotiantibus in templo per plateas publicas fieri ſolenne eſt: dicere potuiſſem, acerbius toleratu hoc illis accidiſſe, quàm ſi ſtatim in flammas conjecti fuiſſent infernales inſtar epulonis: ſed paulò mitiùs, quàm magis propriè procedere volo. Notum eſt, pœnam quam Juriſtæ *Talionis* vocant, præ cæteris omnibus magis eſſe proportionatam. Proinde pœnam hanc pontificum crucis tormentum fuiſſe aſſero. Volebant illi crucifigere Chriſtum; & Chriſtus crucifigebat illos. Hæc non mea conſideratio eſt & ſententia, ſed eximii Eccleſiæ Doctoris S. Auguſtini: *Quam crucem mentis invidentia Judæorum, perpeti poterat: quando Regem ſuum Chriſtum tanta multitudo clamabat.* S. Aug. Quid vobis videtur, quomodo invidioſis placuerit Pontificibus intrare in Jeruſalem Chriſtum Triumphantem? quid vobis videtur, inquit Auguſtinus, nonniſi fuiſſe ad puniendos illos & crucifigendos? acclamationes illæ populi promulgationes erant, injuſtitiæ ipſorum delicta publicantes: prælatæ illæ manibus palmæ cruces erant, quibus viſibiliter erant crucifixi in anima, *Cruce mentis.* Probè memineritis utique illius de Amano Aſſueri intimo Hiſtoriæ. Mandavit Aman crucem erigi in ſuſpendium Mardochæi, quod vice quadam tranſeunti ſibi genu non flexerit. Sic inſoleſcunt & ſuperbia intumeſcunt, familiares & intimi qui fortunâ reverenter uti, ſibique imperare neſciunt. Veruntamen fortuna commutante manus, & ad Tribunal ſuperius revocatâ ſententia, Aman cruci fuit affixus. Idem Principibus Sacerdotum evenit. Ipſi ſuo in tribunali crucifixum volebant Chriſtum, Tribunal verò divinum ad puniendam illorum injuſtitiam, ut in ipſis propriam ſuam exequeretur ſententiam diſpoſuit, ut illi eſſent crucifixi, non in una cruce, ſiquidem erant multi; ſed in tot crucibus, quod palmis honorabatur triumphus Chriſti: *Acceperunt ramos palmarum, & exierunt obviam ei.*

§ VI.

ABſolvi cum Evangelio, promiſſis meis feci ſatis. Satisfaciendum reſtat

ſtat loco exilii, cujus devotio in hoc Sabbatho tam frequens auditorium coëgit, Diu multumque mecum expendi, quàm ſermonis præſentis portionem illi accommodarem; & quia nullam ipſi congruentem inveni, concludendo decrevi & totum ipſi accommodare reſolvi. Quicquid hucuſque dixi fuit repræſentatio exil Chriſti. Pro conſiderationis hujus intelligentia ſupponendum eſt, Judices Chriſtum condemnantes ad mortem, quando Pater æternus illam commutavit in exiliũ, non ſolùm fuiſſe Herodem, ut videtur, ſed Herodem ſimul & Diabolum. Probo. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*: Congregati ſunt Reges terræ, & Principes vota unierunt contra Chriſtum, ait David: neq; exigua Prophetiæ hujus eſt difficultas. Si intelligatur de morte quam Chriſtus realiter ſuſtinuit, nonniſi unus fuit Rex, ſcilicet Herodes: ſi accipiatur de morte, Chriſto nato mox intentata, etiam nonniſi Rex unicus fuit, idem nomine ſed non perſona Herodes: Tyrannum quippe innocentûm occiſorem triginta vivere annis fas non erat. Age Chryſoſt. audiamus: *Nunquid Herodes Reges?* q. d. Nunquid Herodes eſt multi Reges? Nunquid Herodes multi principes? clarum eſt quod non. Si igitur unus tantùm eſt Rex, & unus tantùm princeps, quo pacto David inquit, quod Reges & principes ſeſe contra Chriſtum collegerint & congregati fuerint: *Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum*? Reſponſum ejuſdem S. Patris eſt, quod dixi: *In Rege Herode peccati quoque Regem oſtendit.* David oculis videbat propheticis, qui

Pſal. 2. v. 2.

S. Chryſoſt.

viſibilia & inviſibilia contuentur, & hinc Reges & principes contra Chriſtum conveniſſe aſſeverat: qui enim illum condemnârunt ad mortem, non ſolus fuit Herodes, ſed Herodes ſimul & Diabolus. Herodes Rex Judææ, Diabolus Rex peccati: Herodes princeps terræ, Diabolus princeps inferni. *In Herode peccati quoque Regem oſtendit.* Porrò ritè conſiderantes motivum, quo Herodes & Diabolus ad interficiendum Chriſtum, nec non innocentes ipſius occaſione exilii, fuerunt impulſi, idem protinus inveniemus, quod invidia Sacerdotum principes movit ad occidendum non ſolùm reſuſcitatorem, ſed etiam reſuſcitatum. Hi, quia Chriſtum pro Rege Iſraël & acclamatum & agnitum, multoſque in eum credere videbant: *Multi abibant ex Judæis, & credebant in eum*: Herodes verò ac Diabolus cum eo, quia ſtatim à nativitate eum à Regibus orientis quæſitum & adoratum videre cœperant, nec non in ipſa Herodis aula Meſſiam Regemque Judæorum pronunciatum audierant: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum.*

Joan. 12. v. 11.

Matth. 2. v. 2.

Viſa nunc ſimilitudine condemnationis Chriſti in Tribunali hominum; videndum ſequitur non minus propriè condendum ſequitur non minus propriè condemnatos eſſe in Tribunali Dei. Prima pœna ad quam Principes Sacerdotum Deus condemnavit, fuit, ut vidimus, ut irrita manerent eorum conſilia & decreta: ſimiliſque fuit illa Herodis. Herodes dixerat Magis: *Ite, interrogate diligenter de puero; & cùm inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Iſta Herodes ore proferebat; porrò corde dicebat, ite, diligenter inquirendo diſcite,

Ibid. 8.

te, ubinam & quisnam sit, ut è medio ipsum tollam, millenosque alios; prout innocentes tot sustulit. Quid verò Deus? vel per seipsum, vel per Angelum suggessit Magis, ut per aliam redirent viam: & Tyrannus delusum videns suum intentum, *Videns quoniam illusus esset à Magis*; Dicat nobis idem sanctus Joannes Chrysostomus, quid passus fuerit. *Considero quænam Herodem pati probabile fuerit, qui certè suffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit, cùm se ita illusum atque irrisum videret.* Pœnam quam Herodes sensit videns artes dolosque suos in cassum abiisse, intentionemque suam fine frustratam, consideret & expendat, quid sit invidia, sciens; quod verba explicare non sufficiunt. Millies utique accepto laqueo vitam sibi sustulisset (condigna planè tam indignè coronato capite pœna) & mirum est, quod cholericus iste dolor furorem illi inducens non etiam instar laquei ipsum suffocârit. De Achitophele meminit Scriptura: *Videns quod non fuisset factum consilium suum, abiit, & suspendio interiit.* Eodemque modo Chrysostomus de Herode pronunciat: *Videns quoniam illusus esset à Magis, suffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit.* Proinde nos modò videamus, utrum condemnatio Herodis illi Principum Sacerdotum queat æquiparari. Illi condemnati, quia decreta eorum tantùm residerunt in intentionibus: *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent*: Et ille condemnatus, quia intentio ipsius fine suo fuit frustrata, & Magi illuserunt ei: *Videns quoniam illusus esset à Magis.*

Ibid. 16.

Secunda pœna secundo obvenit judicii Diabolo: quæ fuit videre Christum triumphantem ingredi Ægyptum, sicut Principes Sacerdotum triumphantem procedere ipsum viderant per mediam Jerusalem. Quod nobis admirabundè depingit Isaias Propheta; *Et ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Hæc nubes levis (inquit sanctus Ambrosius) est beatissima Virgo Maria, ejusdem viri pueruli mater, quæ suis illum brachiis detulit in Ægyptum: nubes, quia illa à radiis Solis justitiæ protegit; & levis, quia ipsa sola inter omnes creaturas peccati pondere nunquam gravata fuit. Et quid Diabolo conspecto hoc triumpho accidit? idem Propheta hoc innuit; *Et commovebuntur à facie ejus simulachra Ægypti.* Id est, ad conspectum triumphalis hujus ingressus, in terram prostrata corruent omnia Ægypti Idola. Ita factum est; parvulus enim exul, postquam evasit manus Herodis, cùm vivus & triumphans maternis gestatus manibus ingrederetur plateas Ægypti, mox in templis & altaribus, falsorum imagines Deorum, in quibus Diabolus fuerat adoratus, collapsæ in pulverem redigebantur.

Indubitatum est Theologiæ assertum, quod, Deo Angelos rebelles & apostaticos deturbante ex cœlo, nonnulli eorum statim descenderint in abyssum inferni, aliis in regione hac aëris remanentibus, quos propterea sanctus Paulus *aereas potestates* appellat. Ita ut eodem in loco multi nos audiant Dæmones, & utinam illi invisibiles tantùm. Consilii hujus divini rationem divinè S. Bernardus assignat: *Diabolus in pœnam suam, in aere medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat, & invideat,* S. Bern.

 ipsa-

ipsáque invidia torqueatur. q. d. In majus Diaboli tormentum Deus illi liberum hunc aëris carcerem assignavit, elementum cœlum inter & terram medium; ut vidente ipso homines de terra ascendere in cœlum, & de hac Ecclesia militante, ubi eos persequitur, pergere ad fruendum & gaudendum gloria in triumphante, ex visione & hujus invidentia triumphi graviorem patiantur infernum in aëre morantes, quàm in pœnis ardentes. S. Petrum Chrysologum audivimus asserentem, mitiorem diviti epuloni intulisse pœnam flammas quas patiebatur, quàm gaudia & glorias quibus Lazarus in Abrahæ sinu fruebatur. Proinde hæc fuit pœna plus quàm infernalis, ad quam Deus diabolum in ipso condemnavit exilio, quo filium suum de manibus ipsius liberavit: ut triumphantem illum Ægyptum intrare videns, magis tortus invidia contabesceret, deficiens, non aliter, ac marmora & imaginum simulachrorumque metalla deficiendo sunt collapsa, in quibus adorabatur: *Et commovebuntur à facie ejus simulachra Ægypti.*

§. VII.

ABsolvi. Et supposito quod Evangelio, locoque fecerim satis, pars quædam justitiæ videtur, eandem ab auditorio satisfactionem exigere: in Evangelio Christum triumphantem habemus in Ægypto. Justissimum igitur protinus est, Auditores, ut etiam Christus, seu per Ægyptum, seu per Jerosolymam animas nostras ingrediatur triumphans. Quid, amabò, aliud est anima, ubi altare erigitur Veneri, idolo turpitudinis; ubi sacrificia offeruntur Marti, Idolo vindictæ; ubi adoratur Jupiter, Idolum vanitatis: quid, quæso, est inquam, animarum harum quæpiam, nisi idololatria Ægyptus? triumphans igitur Ægyptum animæ hujuscemodi intret, *Et commoveantur à facie ejus simulachra Ægypti*, & cuncta ad pedes ejus prosternantur & corruant ista Idola. Cadat turpitudo, corruat vindicta, collabatur vanitas & tam parum Christianæ deficiant Idololatriæ. Quid ex opposito est anima, ubi regnat ambitio; ubi leges dat invidia; ubi omnia gubernat odium: quid est, inquam, talis quædam anima, nisi Jerusalem depravata & perdita, ubi per odium, ambitionem, & invidiam contra Christum ipsum mortis sententia pronunciatur? Age nunc Jerusalem, Jerusalem, *Convertere ad Dominum Deum tuum.* Expirent odia; cessent invidiæ, desinant ambitiones; ad pedes Christi corruant omnia ista vitia, erigantur in manibus omnium palmæ in signum victoriæ: *Acceperunt ramos palmarum, & exierunt obviam ei.*

Nullus dubito quin id faciant omnes, Christiano nomine insigniti, non meorum vi & efficacia verborum permoti, sed à temporis sanctitate obligati. Hebdomadam sanctam ingredimur, in qua Christianorum nullus tam modicæ & infirmæ dabitur fidei, & pietatis tam tepidæ, qui non victum se prosternat ad pedes Christi. Veruntamen quod ego recommendatum persuasumque cuperem omnibus, est, ut caveamus ne nobis eveniat quod illis Christum triumphantem comitatis. Hoc animadvertit, & admonet S. Bern. Christo per plateas Jerusalem incedente, multi sublata ab humeris pallia sternebant in via, ut super

ea

ea graderetur ; mox verò ut Chriſtus tranſierat, pallium quiſque ſuum reſumebat, & humeris reſtituebat & imponebat ut ante. Idem nobis hâc hebdomada uſuvenit, exuimus, vel exuiſſe videmur pravos vitiorum noſtrorum habitus, ad pedes Chriſti illos projicimus, ut deſuper crucem humeris portans tranſeat. ſed mox præterita, & tranſacta Hebdomada ſancta, præſente jam Paſchate, ad eadem quilibet vitia revertitur, ut ſe iiſdem reinduat, ac ſi peccata non fuiſſent: ah cum Chriſto mortuo ea ſepeliamus, eorumque habitus non ſecus ac Chriſtus mortuales veſtes in ſepulchro, derelinquamus! Coram Beatiſſima Virgine Maria propoſita faciamus firmiſſima ipſius nec non filii ejus ſervitio perpetuo nos mancipandi, illum ſequentes, & ubique ſervientes, vel in Ægypto ſicut exules hujus mundi, vel in Jeruſalem, velut eidem mundo mortui: nullo labore, ærumna, ſeu felicitate, neque fortuna proſpera, neque adverſa, ab ejus ſervitio, ab ejus obedientia, ab ejus amore & gratia nos ſeparante; ut viventes & morientes cum, & pro illo, ipſum comitemur ad vitam, ubi mors exulat, per omnem æternitatem, Amen.





SERMO
DE
S. JOANNE BAPTISTA
In Professione

Dominæ

M. Sor. Mariæ de Cruce,

Filiæ

Excellentissimi Ducis de Medina Sidonia,

Neptis

Reginæ Lusitaniæ.

Religiosæ

Ord. S. Francisci in Monasterio Beatissimæ Virginis Mariæ, Das Framengas in Alcantara.

Expositum fuit Sanctissimum Sacramentum: astiterunt suæ Majestates


Rex & Regina.

Dixit R. P. A. V. S. I. Prædicator Regius.

Anno 1642. 24. Junii.

Elisabeth impletum est tempus, & reliqua, Luc. 1.

§. I.



N die quo nascitur vox Dei; justè silent voces hominum, diei hujus rethorica, sunt admirationes, *Mirati sunt universi*: Actus hujus eloquentiæ timores sunt & tremores, *factus est timor super omnes vicinos eorum.* Hodie dies est, ut loquantur corda, & linguæ taceant: hinc lingua Zachariæ obmutuit, & habitantium in Montanis corda loquebantur, *posuerunt in corde suo dicentes.* Et si in qualibet Baptistæ die loqui periculosum

ſum eſt, quid erit hodie in tantarum materiarum concurſu, ubi timoris cauſæ, admirationiſque rationes & motiva adeò addenſata videntur? ſi in Baptiſtæ nativitate ſtuporis omnis cauſa erat, videre quod Deus animæ cuidam amici porrigeret manum, *Etenim manus Domini erat cum illo*: Quantò potius hodie admirationem noſtram attonitam hærere neceſſe eſt videndo, quod Deus alii manum præbeat ſponſi, *Etenim manus Domini erat cum illo*? Non ignoro Originem dicere, quod Deus manum dederit Joanni Baptiſtæ, idem fuiſſe, quod animam ſibi deſponſare: verum utraq; ſponſalia valde differunt, quia utraq; valde differunt & diſcrepant loca. Deum ſe deſponſare in deſertis, eſt ordinarium: ſed Deum ſe deſponſare in Palatiis, Deus deſponſatus in Palatio, mirabilium omnium maximum eſt. Ego in hoc caſu totam mihi ſcripturam contrariam invenio. Oſeam Prophetam revolventes, inveniemus Deum cum anima aliqua ſe deſponſaturum dicere: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* (*Oſea. 2.*) Jeremiam Prophetam legentes inveniemus, quod Deus commemorando locum, quo cum Ieruſalem ſe deſponſavit, deſertum illum fuiſſe innuit: *Charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* (*Jerem. 2.*) Si Cantica Salomonis inſpexerimus, reperiemus, quod ſponſalia cum anima Deo præ cæteris dilecta, in uno ſint deſerto contracta, & in altero conſummata: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* (*Cant. 3. Cant. 8.*) Ait cap. 3. & cap. 8. dicit, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, innixa ſuper dilectum ſuum?* Sed quid opus eſt accumulare Scripturas, cum ſponſus ipſe præſens ab onere probandi nos liberare poſſit? Myſterium quo mediante ſe Deus cum animabus vel maximè propriè deſponſat, eſt ſublimiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; in illo enim (ut doctè notat S. Auguſtinus) mediante unione Corporis Chriſti verificatur inter Deum & Hominem: *Erunt duo in carne una.* (*S. Aug. Gen. 2.*) Porrò ſi inquiſierimus ubinam locorum Deus figurative iſta celebrarit ſponſalia, tam in veteri, quàm in novo teſtamento deprehendemus loca principaliora fuiſſe deſerta. In teſtamento veteri potiſſima Sacramenti figura fuit Manna, quod quadraginta duravit annis, & omnes degebant in deſerto: *Patres veſtri manducaverunt Manna in deſerto.* In Teſtamento novo potiſſima figura fuit miraculum de quinque & de ſeptem panibus, quod utrumque contigit in deſerto: *Deſertus locus eſt, & non habent quod manducent. Vnde eos quis poteſt hic ſaturare panibus in ſolitudine?* (*Marci 6. Marci 8.*) Agedum, quænam eſt ratio (& quo majore ex fundamento admiremur omnes, repeto) quænam eſt ratio evincens, quod Deus ſe ſemper deſponſet in deſertis? Nunquid ipſe univerſalis eſt Monarcha mundi? Nunquid ipſe æternus eſt Gloriæ Princeps? ut quid igitur inæqualiter ſe deſponſat in terra? ut quid minore ſaltem imparitate ſponſam non quærit in aulis palatiiſq; Regũ: ſed in ſolitudinibus & deſertis.

Ratio eſt iſta, quia ſponſa ad Dei complacentiam & placitum qualificata non invenitur in Palatiis! invenitur in deſertis. SS. Sacramentum poſuit nobis dubium: S. Ioannes dabit ejus ſolutionem; Chriſtus panegyrin de Baptiſta protulit (tanti enim viri Encomiaſtes ſolus Deus eſſe poteſt) verba fuere numero pauca, ſed Emphaſi & energiâ multa, & hoc modo Chriſtus exorſus eſt. *Quid exiſtis in deſertum videre, hominem mollibus veſtitum?*

tum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt. q. d. Scitis quis sit Joannes iste, quem omnes videre existis? Est homo (inquit Christus) in deserto vivens, & non ex hominibus qui morantur in Palatiis. Dictum notabile! Pace tua, Domine Jesu Christe, num thema hoc assumis prædicaturus de Baptista? Conclusurus quod non sit major inter natos mulierum, discursum in eo fundas, quod in deserto, & non in Palatio vivat? Ita omninò. Tota perfectio ad compendium reducta, ut ajunt Theologi, in prosecutione & fuga consistit, id est, in sectando virtutem, & vitium fugiendo. Hinc Ecclesiæ Divinaque præcepta alia sunt affirmativa, alia negativa: affirmativa mandant prosequi bonum: Negativa præcipiunt vitare malum. Christus igitur ut solidè & paucis perfectionem Baptistæ probaret & exprimeret, quid fecit? Dixit illum hominem esse sequentem omne bonum, & fugientem omne malum. Et ut demonstraret quod prosequeretur omne bonum, dixit, & optimè quidem, quod viveret in deserto: & ut probaret quod fugeret omne malum, eundem in Palatio non vivere asseruit. Per locum Christus explicavit vitam: & ut innueret quis qualisve esset, ubinam habitaret aperuit. Nondum bene dico: ut insinuaret quis esset, ubive non habitaret, ut hominem esse cælestem significaret, desertum ipsum inhabitare affirmavit: ut iudicaret terrestrem non esse hominem ipsum in Palatio vivere negavit. Proinde cum Palatia Regum tam parvi æstimentur à Deo, quod Dominum illum, qui se in desertis tantum desponsare consueverat, hodie desponsatum videamus in Palatio: Grande miraculum!

Verum enim verò quare hoc tanta admiratione dignum? quare Deus in desertis tantum sese desponsare solitus, hodie desponsatur in Palatio? ratio est, quia Palatium Reginarum Lusitaniæ, commune quid habet cum propriis deserti. Deus communiter sese desponsat in desertis, quia ibidem non invenit conditiones Palatii: Hodie se desponsat in Palatio, quia in Palatio invenit conditiones deserti. S. Job mediis in doloribus mortem sibi vita meliorem ratus, inter querimonias de vita prolatas, ajebat. *Et nunc requiescerem cum Regibus & consulibus, qui ædificant sibi solitudines.* Job. 8. Notabilis loquendi modus! *Cum Regibus qui ædificant solitudines!* Si dixisset, cum Regibus qui ædificant Palatia, bene haberet; sed cum Regibus qui ædificant deserta & solitudines! ergone etiam deserta ædificantur? Adite videamus quinam sint isti Reges deserta ædificantes; quinam isti sunt Reges architecturæ terminos immutantes! Hi sunt Reges illi (inquit S. Gregorius Papa) in Greg. Papa. quorum Palatiis sic proceditur cum vanitate terrestri, ut principaliter tractetur de veritate cœlesti. Et Palatia, in quibus servitur Deo tanquam in Eremo, deserta sunt potius quàm Palatia. *Qui ædificant solitudines.* Benè dictum est, *Qui ædificant*: Duo quippe dantur ædificandi modi. Ædificare scilicet per ædificium, & ædificare per ædificationem: ædificium ex desertis Palatia facit, ædificatio ex Palatiis deserta facit. Palatium in quo servitur Deo, est desertum ædificatum: Palatium in quo servitur Deo tantum, & mundo suo tantum tempore patet accessus, ubi clausura convenit cum ea quæ servatur in Religionibus & asceteriis; ubi exteriorum vestimentorum ornatior cultus

tus ciliciorum est velamen, ubi libertas & pompa aulica, ubi in comœdias & epulationes prodigalitas, ubi pro aliis vanitatibus exercitia sunt Spiritus; ubi exire de Palatio ad noviciatum, est mutare domum potius, quàm vitam: Eremum istam aulicam non Palatium, sed desertum appellabo: *Qui ædificant sibi solitudines.* De Imperatore Theodosio secundo refert Socrates, tam Religiosum fuisse Principem, sicque Imperatoriam reformâsse aulam, ut Palatium Monasterii speciem referret; *Palatium sic disposuit, ut haud alienum esset à Monasterio.* Idem ego maximas inter Regis nostri felicitates refero. Hinc cum in Lusitaniæ Palatio cœlum tot tantasque deserti habeat prærogativas, quid mirum, quod Deum in desertis sese desponsare solitum, hodie desponsatum videamus in Palatio? Cessent igitur admirationes cum Monticolis, rumpatur silentium cum illo Zachariæ, & in hoc actu loqui incipiamus, timore & tremore dante nobis copiam; *Et apertum est illico os ejus.*

§. II.

VEre in tantarum concursu materiarum hodie intricatum me vidi, cum earum quælibet integrum sermonem exigeret. Ne errarem, Baptistam ipsum consului, cujus doctrinam sequar; ait enim: *Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi gaudio gaudet.* Ego sum amicus Christi, inquit Joannes, sponsa est sponsi, festum est amici. Sit ita. Festum erit de S. Joanne; Dies erit sponsæ: Evangelium sic se accommodabit utrique, ut de utroque scriptum videatur. Progrediamur itaque cum illo, ne latum quidem unguem recedentes.

Elisabeth impletum est tempus: & peperit filium.

Completis novem mensibus, Elisabeth filii unius mater extitit. Verba illa, *Impletum est tempus.* Quibusdam Doctorum superflua visa fuere. Nonne liquet clarè, S. Joannem more cæterorum hominum, transacto tempore, quod natura nativitati determinavit, fuisse nasciturum? ut quid igitur otiosum quid Evangelista addit, dicens, S. Ioannem tempore completo natum, *Elisabeth impletum est tempus?* Cardinalis Toletus, nec non Scholastici omnes, notam istam superfluam negant; immò verò pernecessariam affirmant, supposito quod in S. Ioanne leges naturæ tantum sint anticipatæ, ut sex mensibus à conceptione elapsis, rationis jam habuerit usum: Et qui tot annis usum anticipâsset rationis, nativitatem anticipâsse cogitari posset aliquot mensibus. Sed ut hoc non factum constaret, Evangelista S. Ioannem tempore impleto natum asserit, *Elisabeth impletum est tempus.* Hic genuinus textus hujus est sensus: sed quò verior, eo magis dubium meum confirmat. Quod natus dicatur S. Ioannes tempore impleto, eo quod nativitatem non anticiparit, bene dictum est: sed quare non anticipavit? Quare non anticipavit tempus nativitatis, sicut anticipavit tempus usus rationis? Usus rationis juxta ordinariam naturæ legem, anno à nativitate septimo incipit, nativitas mense nono à conceptione contingit. Quæro igitur, si usum rationis tot anticipavit annis, quare nativitatem non anticipavit aliquot mensibus? ratio est ista, quia nativitas vitam concernit naturæ: usus rationis, vitam concernit Gratiæ: & in rebus temporalibus quod solet facere

tempus, bene eſt ut faciat tempus: in rebus ſpiritualibus quod facere ſolet tempus, melius eſt ut hoc faciat ratio: ad naſcendum muudo faciat tempus, quod facere ipſius eſt: ad naſcendum Deo, quod faciendum eſt tempori, idipſum faciat ratio. Ibat Chriſtus ex Bethania Jeroſolymam verſus, vidit eminus in via ficulneam, appropinquavit ei, cumque nihil in ea præter folia inveniret, maledixit illi: & advertit S. Marcus Evangeliſta (quod reverà notatu erat dignum) non fuiſſe tempus fructum afferendi pro
Marc.12. illa arbore: *Non erat tempus ficorum.* Deus bone! Hîc attoniti mirantur Doctores omnes. Enim verò ſi non erat tempus fructus, quare Chriſtus illum quæſivit? Et ſi illum non invenit, quando tempus non erat, quare arborem punivit? ſi punivit, ergo fructum ferre debuit: ſi verò non erat tempus, quomodo debuit? de-
S. Chryſoſt. buit (dicit Chryſoſtomus) licet enim, eo quod vernum eſſet, fructum tempori non debebat: Deo exigenti debebat ex ratione, & debita rationis non eſt quod expectent ſpatia temporis. Ad fructificandum mundo, tempus faciat quod temporis eſt: *Eliſabeth impletum eſt tempus*: ad fructificandum Deo, quod eſt temporis, exequatur ratio, *exultavit infans in utero.* Hæc excellentiarum & prærogativarum una eſt quam inter cæteras in Baptiſta ſingulariter veneror, ſcilic. quod ſit homo, in quo fecit ratio, quod aliis in hominibus fuit tempus. Quod anni expectent rationem, commune eſt omnibus: ſed quod ratio præveniat annos, & hoc faciat, quod faciendum erat tempori, iſtud in ſolo Baptiſta invenitur: & hodie glorioſè videmus imitatum.

O quàm glorioſè hodie æquivocatum habemus annum, Aprilem mutatum in Septembrem, & fructus quibus maturitatem dare debebat tempus, in ratione maturos! quis autumnum frugum, in ver convertere poterat florum, niſi dilecta Chriſti ſponſa? *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit*: Sic obediunt tempora, ubi ſic dominatur ratio. Quod jam mundus & vita neſciant decipere, quod tantas circumſpectiones videamus vitæ, in tam paucis vitæ annis, quid eſt hoc? non aliud quàm ratio fecit, quod tempori facere incumbebat. Ut cautelæ ſequantur annos, eſt, quod tempus faciat, quod ſuum eſt: ſed quod cautelæ præveniant annos, eſt quod ratio faciat, quod temporis erat. Querebatur Marcus Tullius, quod cùm homines ra- Cicero.
tionales eſſent, nihilominus plus in illis diſcurſus valeret temporis, quàm diſcurſus rationis: aſt hodie rationis diſcurſum temporis diſcurſui videmus prævalere. Non ſufficerent nonaginta anni ad judicii prudentiam impertiendam Heli, & ſufficiunt decem & octo anni ad eandem 1. Reg. 1.
conferendam Samueli? O grandem rationis victoriam contra illam temporis ſine ratione: Cauta contra fallacias juventus, maxima eſt rationis victoria. Sara comam non abſcindit ut canos tollat: & Abſolonis aurei capilli in ætate aurea ſentiant rigorem ferri! Maria Magdalena à Chriſti pedibus lachrymas capillis ſuis abſtergit, nec abſcindit: & alia ſit Maria, quæ oculis ſiccis reſciſſos capillos ad pedes Chriſti ponit! quod Jacob Rachelem ſepeliat in ætatis vere, inconſtantiæ adſcribendum eſt vitæ: ſed quod Rachel in vere floreque vitæ ſepeliat ſeipſum, grandem prodit rationis vigorem. Dare Deo vitam dum eam ipſe attrahit, eſt violentiam diſſimulare:

lare: illam Deo reddere cùm ipse donat, est voluntatem sacrificare, Deo dedicans annos ultimos, id facit quod Christianus timore mortis; primos illi consecrans annos, id facit, quod Religiosus amore vitæ.

Rationis lucta cum annis est bellum, in quo pauci plus resistant quàm multi. Quod ratione multi vincantur anni, non est multum: sed quod vincantur & convincantur pauci, magnum arguit rationis vigorem, majoremque ex eo si spectetur resistentia cui locus favet. Quod pauci anni, & in montanis (quales Baptistæ erant)
Luc. 1. non se defendant vi rationis, multùm non est: sed quod anni pauci, & in palatio delusi & convicti! victoriæ magnæ nomen meretur. David Bercellai magnam obtulit dignitatem in palatio, & ipse octogenarius jam quid responderet? *Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine.* 2.Reg.19. Respondit (eo quod tot jam annorum spatio, aula sibi cavere didicisset) ut Rex in posterum quietè & solitariè ipsum vivere, & de sepultura sua disponere permitteret, ita tamen ut locum acceptaret & dignitatem oblatam pro juniore filio suo dicens: *Est servus Chamaam, ipse vadet tecum.* In actu isto amor patris ampliare videtur; sed mundi fallacia sese benè explicat: docuerunt Bercellai multi anni sui, non sibi Palatium affectare: & deceperunt illum anni pauci alieni, palatium prensare pro filio. Nescio quid inter se habeant palatium & anni pauci, dum, licet palatium cognoscunt anni multi, nihilominus illud relinquere, vel unicum illi remittere non audent anni pauci: scivit senex cur palatium desereret: ad idem consulendum juveni animus ipsi defuit; cùm facilius sit suggerere consilium, quàm præbere exemplum: Bercellai præbuit exemplum non ausus dare consilium; imò videtur pater se substituisse in annos filii, ut in juventute lucraretur aliena, quod in senectute non valebat propr...: & cùm mundum deserere non valeret, quem mundus deserebat, è converso hodie in juventute mundum subjicere voluit pedibus, quæ ipsum antea gestabat in capite, ó quàm benè se hodie humana transponit natura! S. Paulus ajebat: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ad Gal. Quando mundus crucifixus erat Paulo, Paulo terga vertebat mundus: quando Paulus crucifixus erat mundo, mundo terga obvertebat Paulus. Et si ego tergum obvertam mundo, dum ille mihi facit idem, nihil est magnum: sed si læta mihi fronte abblandienti mundo, austeriorem exhibeam vultum majoris est virtutis. Si irridente vos mundo, ex affectu ploretis pro illo, magna infirmitas! verùm si illum blandè vobis arridentem rideatis, generosa magnanimitas!

Magnanimitas hæc tanta est, ut cum rationis viribus sit propria, S. Paulus tamen non eam illi, sed temporis potestati adscripserit. De Moyse loquitur S. Paulus dicens: *Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi* Heb. 11. *cum populo Dei.* Ubi noto & expendo verba illa, *Grandis factus.* Quorsum hic tangitur ætas; S. Paulus de Moysis generosa resolutione & non de annis ejus tractabat; porrò si resolutio in animo & in annis consistebat, quare Moysen grandem factum asserit, quando se filium filiæ Pharaonis denegavit, magis eligens affligi cum populo Dei? dicam quare. Quod Moyses in palatio

Regis Pharaonis educaretur, totum gratiæ favorique filiæ Principis Ægypti debebatur, quæ ipsum in filium adoptârat; & quà talis habebatur & honorabatur cum respectu & magnificentia regali: sed quod aulæ majestatem & delicias desereret, sancto Paulo factum fuisse visum est, non quod de annis paucis tale quid præsumendum esset, proinde resolutioni adjunxit, *Moyses grandis factus*, q. d. de heroico isto Moysis actu non est quod quis dubitet; jam enim grandis erat, actusque talis annis ipsius congruebat. Concesso igitur, quod resolutionem Moysis tempus evicerit: de glorioso hoc actu, quem celebramus hodie, cùm sit illi per omnia similis, de hoc inquam actu glorioso, non tempori quicquam, sed rationi gloriandum est: Hic operata est virtus rationis, quod ibi fecit vis temporis; *Elisabeth impletum est tempus.*

§ III.

ET *audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Deus misericordiam suam cum illa.* S. Joanne nato (ait Evangelista, mox in tota circumjacente regione fama percrebruit, quod Deus cum Elisabeth misericordiam suam magnificasset: *Quia magnificavit Deus misericordiam suam.* Dictum notabile Textus hujus consequentia quadrare non videtur: quod per regionem percrebruit, id tantùm esse fas erat, quod in domo Zachariæ accidit, aliud contingere, & aliud divulgari aulis tantùm solemne est; in quibus adulationibus & malitiis locus est; non domibus simplicibus & montanis. Evangelium inquit: *Divulgabantur omnia verba hæc*, id est, divulgabatur quod acciderat: ergo si quod accidit, fuit Baptistam esse natum, *Elisabeth peperit filium*: Quo pacto ait Evangelista percrebruisse, quod misericordiam suam Deus magnificasset? *Et audierunt, quia magnificavit Deus misericordiam suam.* O grande Baptistæ encomium! quando in Zachariæ ædibus Baptistam natum voces clamabant, in Montanis resonabat echo, quod Deus misericordiam suam magnificasset: ubi enim Joannes prodit in mundum, Dei amplificantur attributa; Joanne nato, crescit Deus. Istud AA. non excessum sed planam manifestamque innuit veritatem; hoc ipsum S. Joannes sed modestè asseruit: *Illum* (ait) *oportet crescere, me autem minui.* Verbum istud, *illum*, nonnisi ad Verbum incarnatum refertur. Sed quomodo hoc futurum quæro? Deus enim, etiam quà homo factus, crescere nequit: quomodo igitur S. Joannes inquit, *Illum oportet crescere?* Et dato, quod crescere possit, quo pacto incrementa Dei à Baptistæ imminutionibus dependent? Deus absolutè magnus à nemine dependet; quomodo ergo dicit, *Illum oportet crescere, me autem minui*? Estne possibile quod Deus crescat? estne possibile ut crescere ipsius à Joanne Baptista dependeat? est planè. Licet enim Deus, cùm sit infinitus, crescere non possit in seipso, per esse intellectu humano limitatum, in æstimatione nostra crescere potest; & in æstimatione hominum Deus crescere nequibat sine decremento Baptistæ; nec Baptista minui sine incremento Dei. Animadvertite quomodo olim formatus de Deo conceptus fuerit talis, ut natus in mundo Baptista putatus fuerit Deus. Opinioni huic convenienter exibant homines in desertum ipsum venerandi ergo: Ubi S. Joannes Baptista veritatem ipsis declaravit. Et quia

quia Deus & Baptista in hominum opinione erant æquales, eatenus ut testimonio ipsius, opinio hæc evanuerit, Deus necessariò crevit, & Joannes Baptista est imminutus. Imminutus est Joannes quia Deo minor est factus: crevit Deus, quia major factus est Joanne. Ita ut postquam Baptista venit in mundum, Deus major factus sit æstimatione hominum quàm ante: ante enim habitus fuerat ut Baptista, postmodum cœpit haberi major: unde in eximium Sancti hujus laudem infertur, quod Baptistæ sit mensura, minorem esse Deo; & mensura Dei sit majorem esse Baptista. Meliorem conclusionis hujus confirmationem non habeo, quàm S. Augustinum, qui ait: *Quisquis Ioanne plus est; non tantùm homo, sed Deus est.* q. d. Scitis quis sit Joannes? minor est Deo; scitis quis sit Deus? major est Joanne: cum hac nihilominus differentia, ut scilicet, quousque S. Joannes hoc non assereret, essent æquales, ipso hoc attestante, Deus cœperit esse major. Quid igitur mirum quod Deus in suis crescat attributis, Joanne Baptista nascente in mundum? *Et audierunt quia magnificavit Deus misericordiam suam.*

Hoc modo Deus isto crevit tempore, & ego similiter hodie (nisi mea me consideratio fallat) ipsum crevisse multùm video. Tunc crevit imminuto Joanne; hodie crescit imminuto mundo. Apparuit Nabuchodonosori, illa toties decantata prodigiosa statua: viditque Rex lapide pedibus fictilibus illiso statuam comminutam & in cineres redactam, lapidemque crevisse in montem magnum: *Factus est mons magnus, & replevit terram.* Dan. 2. Ad intelligendum figuræ hujus ænigma, scire nos oportet, quis lapide, quisve statura significetur. Conformiter sensui Sanctorum Ambrosii & Augustini, statuâ mundus, lapide figurabatur Deus. Attendite. Si lapide exprimitur Deus, quo pacto lapis crescit? num Deus crescere potest? & si statuâ significatur mundus, quo pacto statua imminuitur? quomodo mundus imminuitur? Hæc omnia humani sunt judicii & æstimationis effectus; juxta æstimationem de Deo & mundo conceptam, vel statua crescit & diminuitur lapis, vel lapis crescit & diminuitur statua. Si Deum ponimus ad pedes mundi, mundus crescit diminuto Deo: si mundum ponimus ad pedes Dei, crescit Deus diminuto mundo. Deum derelinquere pro nihilo mundi, est Deum minoris æstimare nihilo; sed relinquere omnia mundi amore Dei, est pluris æstimare Deum quàm omnia mundi, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*: Psal. 66. Benedictus ille, cùm Deum toties videamus tam parvum & parvifactum in aulis Regum, illum hodie tantùm, tantùmque crevisse videamus! tantùm accrevit auctusque est in sua magnificentia, quantas mundi glorias ad pedes ipsius prostratas videmus. Statua Nabuchodonosoris staturâ suâ repræsentabat glorias, materiâ divitias, & mysterio statum & terras: & hæc omnia igne cordis hodie concremata ad Christi pedes rediguntur in cineres. Nemo melius mundum sacrificat, quàm qui illum in statua offert: mundus quippe in statua major quàm in se ipso est. Ad prosternendum lapide Goliath Davidis funda suffecit: ad dejiciendam lapide alio Nabuchodonosoris statuam (licet invisibiles) necessarii fuere brachii divini impulsus. 1. Reg. 17. Habebat Goliath altitudinis cubitus sex, statua sexaginta, licet in pom- Dan. 3.

paticis mundi gloriis, Gigantes ſtatuis ſemper majores exiſtant. Machinæ vivæ ſomniatarum menſuram nunquam adæquant. Phantaſia ſomniat, ſpes promittit, deſiderium prophetizat, imaginatio repræſentat; quamvis ſomniorum iſtorum interpretatio, promiſſorum iſtorum adimpletio, Prophetiarum iſtarum placitum, repræſentationum iſtarum veritas nunquam eveniant. Attamen amor divinus glorioſius triumphât, tam phantaſticum, quàm verùm, tam ſperatum, quàm poſſeſſum conculcans. Derelinquere antequam poſſidere, eſt uſura merendi; quia plus dans plus meretur: & qui bona dat adhuc ſperata, illa dat unde ſunt majora; Bonorum hujus vitæ pars melior, eſt illa ſperare: plus ergo præſtat, ad illa ſperanda ſeſe inhabilitans, quàm eorum ſe poſſeſſione privans. Hinc Chriſtus vocavit Apoſtolorum Principes, quando retia mittebant, & non quando trahebant,
Matth.4. *mittentes rete in mare.* Plus enim præſtat retia relinquens laxata, quàm tracta: retia dum mittuntur, jactu quolibet ſpem faciunt, dum trahuntur miſſa, vacuum frequenter rete trahitur. O quantæ, quamque benè fundatæ ſpes! ô quantæ, quamque benè intellectæ magnificentiæ pio hodie ſacrificio honorant altaria
Rom. 11. Chriſti! S. Paulus ad Romanos dicit: nemo poteſt Deo dare, niſi quod accepit ab eo: verùm ego ſpiritum hodie tam ingenioſè liberalem intueor, qui poſtquam à Deo accepit, plus adhuc Deo offert, quàm accepit ab eo. Nullus ambigit, quin mundus liberalior ſit, in ſuis bonorum temporalium promiſſionibus, quàm Deus in ſuis liberalitatibus. Non aſſolet Deus tantùm dare, quantùm mundus ſolet promittere: ergò benè ſequitur, quod Deo plus dat mundi promiſſa offerens, quam ſua illi dona reddens. Deo tantùm dona ſua reddentes, dabitis multum: ſed mundi promiſſa ipſi offerentes, multò plus datis. O quam liberalis eſt erga Deum, qui eminentes dando glorias, adhuc artes inquirit, ut illas auctiores exhibeat! ſed enim quæ ars bona magnificentiaſque mundi adaugendi dari poteſt? ego dicam, aliud fieri nequit, niſi ut multùm hoc agendi exemplo diſcemus. Gloriæ bonaque mundi falsò vocantur bona, eò quod ſint mala, & ſine ratione vocantur magnificentiæ; quia ſunt exiguitates. Quid igitur remedii ad faciendum de exiguitatibus magnificentias, & bona ex malis? remedium eſt & illa, & ſperata relinquere: illa enim nuncupativa mundi bona, ſolùm ſunt bona quando relinquuntur; ſolùm ſunt magnifica quando ſperantur: ſpes ipſis magnificentiam, contemptus bonitatem ipſis conciliat: deſpecta ſunt bona; ſperata ſunt magnifica: proinde plus dat qui ſperata deſpiciet, quàm qui poſſeſſa donat. Hæ & illæ poſſeſſæ & ſperatæ magnificentiæ cinerum ſunt ſpolia, quæ hodie ad ſupernos lapidis hujus divini redduntur impulſus. O quomodo ſtatua diſparet! ô quomodo mons creſcit! noſtris iminutionibus & decrementis Deus ſuam auget gloriam; noſtris deſpicientiis ſuam amplificat majeſtatem.

Illud S. Joannes in ſua vidit Apocalypſi, viginti quatuor ſeniores depoſitas ex capitibus coronas ad Throni Dei pedem mittentes contemplatus: *Mittentes coronas ſuas ante thronum.* Evangeliſta ad videndum reverſus, in Dei capite multas vidit Apoc. 4.
coronas; *Et in capite ejus diademata multa.* Apoc. 9.
Agedum hîc quæro, ſi coronæ mittebantur ad Dei pedes, quomodo Deus eas in

in capite gestat? Respondeo, quia Deo tantùm gloriæ accrescit, quantùm homines ejus amore despiciunt. Coronæ in Dei capite, erant incrementa ipsius magnificentiæ: coronæ ad Dei pedes, humani erant amoris despectus, iisdemque coronis quas despectus humanus deponebat, divina confirmabatur majestas: tantundem enim Deo accrescit magnificentiæ, quantæ sunt, quas ad pedes Dei amor noster ponit, gloriæ. Dicatur igitur, Deum crevisse & magnificatum hodie fuisse dupliciter. Semel commensuratum sancto Joanni, iterumque commensuratum mundo. Antepositum esse mundo, & prælatum esse Joanni, est Deum in æstimatione sui multum crescere, & in attributis suis valde magnificari. *Quia magnificavit Deus misericordiam suam.*

§. IV.

ET *venerunt circumcidere puerum.* Supposito quod puer iste S. Joannes erat, circumcidendus non fuisse videtur; circumcisio tempore illo remedium erat peccati originalis, sicut hodie Baptismus. Ergo si S. Joannes à peccato originali jam erat liberatus; si gratia Dei jam sanctificatus erat in utero matris, quare circumcisionis se subjicit rigori? Ratio est, quia licet peccatum originale ab ipso non auferret circumcisio, à quo jam liber erat; gratiam ipsi adaugebat justificationis quâcum sanctificatus nascebatur: Et hoc vel maximè in servis Dei gratiam perficit, quod in augmentum gratiæ, labores & molestias subeant, quos in remedium culpæ Deus reliquit. Circumcisio aliis in hominibus remedium erat culpæ: in sancto Joanne augmentum erat gratiæ. Et S. Joannem in augmentum gratiæ remedium subire culpæ, à quo liber & immunis erat! ô facinus grande, & ingens sacrificium! Zacharias de maximo legis gratiæ sacrificio, de SS. scilicet Sacramento loquens ait ita: *Quod bonum ejus; & quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* q. d. Quid Deus fecit bonum, quid Deus fecit pulchrum nisi panem electorum, & vinum castorum? quod sacrificium Corporis & Sanguinis Christi Eucharistici bonum sit & optimum, nullus erit qui neget: sed quod Propheta asserat, nihil illud adæquare bonitate: *Quod bonum ejus, & quod pulchrum ejus?* quomodo hoc concedendum sit ignoro. Porrò ut terminis insistamus: nonne sacrificium corporis & sanguinis in cruce, bonitate sacrificio corporis & sanguinis in Sacramento est æquale? est idem substantialiter. Ut quid igitur Zacharias sacrificium corporis & sanguinis Christi in Sacramento omnibus melius pronunciat? rationem excellentiæ dabo. Sacrificium corporis & sanguinis Christi in Cruce sacrificium fuit in remedium peccatorum: sacrificium corporis & sanguinis Christi in Sacramento, Sacramentum est in gratiæ augmentum. Quamvis Christus non haberet peccata propria, nec sibi indigeret gratia: nihilo secius in se satisfactionem pro peccatis nostris, justificationisque nostræ media susceperat, & Christus in Eucharistia tantùm sacrificet, pro augmento gratiæ, quantùm in cruce pro remedio sacrificavit culpæ! corpus & sanguinem suum, tantùm ad augenda impendat innocentiæ merita, sicut corpus suum

Zach. 9.
Zach. 9.

suum & sanguinem impendit ad obtinendam peccatis veniam! Hæc sacrificii circumstantia est tanta, ut de eadem identitate accipiat differentias, & de æqualitate eadem accipiat excellentias: *Quod bonum, & quod pulchrum ejus*? Hujusce modi fuit circumcisi Baptistæ actus reliquorum Adæ filiorum circumcisioni comparatus. Carnem & sanguinem, quem alii subjecerunt pœnæ dolorique circumcisionis in remedium culpæ, sanctus Joannes exposuit [quia culpa carebat] in augmentum gratiæ. Et quod innocens se offerat, ut in gratia crescat, ad idem, quod facere tenetur peccator! O heroicum Baptistæ actum! verum facinus idem ista vice non fuit suum solum.

Hodie duas habemus innocentias culpæ remediis subjectas, ambas ad pœnalitates & austeritatem pœnitentiæque habitum condemnatas, quia similes illis injustitias divinus facere novit amor: hic innocentias censurat ut culpas? merita corripit ut delicta. Magnos peccatores magnas quoque agere pœnitentias justo consonat: quia pœnitentia peccati remedium est: sed quod Baptista in desertum fugiat, ad cilicium se damnet, corpusque jejuniis mancipet & maceret! O Puer, in quonam tua deliquit innocentia? corpus tenellum ad tantam asperitatem damnatum! innocens animá tantis rigoribus subjecta! si Baptista maximus extitisset peccator, quid nisi istud facere debuisset? verum istud fecit, quia maximum Sanctum illum evadere oportebat. Ardentissimum sanctitatis desiderium ulterius pertingere nequit, quàm ut peccati sese remediis subjiciat innocentiæ privilegiis gaudens.

Sanctus Paulus amorem Christi erga homines commendans, Corinthios hoc alloquitur modo: *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit*. Insolita sententia! Nunquid Christus erat innocentissimus, immò innocentia ipsa? nunquid etiam ratione unionis cum verbo, anima ejus impeccabilis erat? ipsa hoc verba innuunt: *Qui peccatum non noverat*. Quæro igitur, quomodo peccatum in innocentiam cadere potest? quo pacto impeccabilis peccatorem se facere potest, *Pro nobis peccatum fecit*? Respondeo. Impeccabilis peccatorem se facere nequit, quoad culpas; ast peccatorem se facere potest quoad pœnas: peccatum committere nequit quo ad culpam: sed quasi illud commisisset, peccati se pœnalitatibus subjicere potest. Hoc ipsum Christus amore nostri fecit, quodque sanctus Paulus in amore ipsius plurimum commendat, *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit*. Ad majus extremum amor pertingere nequit; ad majorem subtilitatem pervenire non valet; quàm peccati pœnis se devovere à culpis immunem. Peccator ex culpis peccatoris subiens, in pœnitentia peccatorum suorum remedium quærit: sed peccatoris subire pœnas immunem à culpis, est in pœnitentia refrigerium sui quærere amoris. Pœnitentia in peccatore solvit, & pœnitentia in Innocente obligat: in illo solvit, quia offendit: in illo obligat, quia amat. Vide quænam Deo magis placuerint, num satisfactiones in offendente, an obligationes in amante?

O amate non minus quam amans Domine! æqualitatis admitte terminos, quantum Divinum inter & humanum permittitur, cum videamus hodie amoris tui excellentias cum obligationis nostræ

ſtræ certare redditis debitis. Animam unam innocentem à culpis, ſed peccatricem in pœnis; Innocentiam unam in pœnitentiæ habitu, tibi hodie offert terra, Sponſe Cœli: iſti enim tui ſunt colores conceptus; iſti tui ſunt amoris ornatus: iſtæ tui ſunt purpuræ Regni. *Filiæ Babylonis induuntur purpura & byſſo*, (in ſimili actu dicebat S. Bernardus ad virginem Sophiam,) *& ſubinde conſcientia pannoſa jacet; fulgent monilibus, moribus ſordent: E contra tu foris pannoſa, intus ſpecioſa reſplendes, ſed divinis aſpectibus, non humanis, intus*
S. Bern. *eſt quod delectat, quia intus eſt quem delectat:* iſta ſolum repetam verba, *Econtra tu foris pannoſa, intus ſpecioſa reſplendes.* S. Bernardus vult dicere, tu ô Sponſa Chriſti, ſicut intus habes cui placere ſatagis, ſic intus ſpecioſos habes ornatus; foris groſſis veſtita pannis, intus ſplendoribus, *Foris pannoſa, intus ſpecioſa reſplendes.* Verè dum iſta conſidero verba, extremi judicii Diei ſigna ob oculos mihi verſari videntur. Ex judicii diei ſignis erit unum (ut S. Joannes in Apocalypſi ſua teſtatur) quod Sol ſaccum induet cilicinum: *Sol*
Apoc. 6. *factus eſt niger tanquam ſaccus Cilicinus.* Porrò ſi modo ſolem veſtitum videamus cilicio, ſi lucem ejus mortificatam, ſi radios ipſius ſub tam denſarum Eclypſium aſperitate pœnitentes, quid dicemus? finem adeſſe mundi dicemus? appropinquare judicii diem dicemus? perpropriè ſic dici poteſt; quia melius nomen meretur diei judicii iſte in quo relinquitur mundus, quàm in quo finitur: Quantò magis mundus finitur illi, qui propter illum finit cum illo! ſicut quilibet noſtrûm ſuum habet mundum, mundus univerſalis finit cum omnibus, mundus particularis finit cum ſingulis. Et quid mirum, quod hodie diei judicii ſigna videantur in anima, cui hodie finitur mundus? interrogarem potius ſolem, quare pœnitentiæ indicat amictum ¿ num propter culpas? Non: quia natura ipſum condidit innocentem. Cur igitur? oculis hominum, propter luctum; oculis Dei, propter ornatum: Sol innocens pœnitentiæ aſſumit amictum, quia non eſt pulchrius, neque acceptius oculis Dei ſacrificium, quàm innocentia pœnitentiæ habitu illuſtris.

Pelles iſtæ quibus Deus primos veſtivit dominos mundi, valdè malè ornabant Adamum: ſed optimè Abelem, Adamum ornabant valdè malè, quia amictus erat peccati cum pœnitentia: Abelem ornabant optimè, quia veſtes erant pœnitentiæ ſine peccato. In Adamo habitus erant pœnitentiæ deputatus, in Abele habitus erant pœnitentis: Hoc diſcrimine peccatorum, & innocentum pœnitentia diſtat: quod pœnitentia peccatorum eſt remedium; & pœnitentia innocentum eſt virtus. Dicere nolo quod pœnitentiæ actus in peccatore & innocente ſemper non ſint virtuoſi, hoc ſolummodo dico, quod peccatores ſubeant remedium pœnitentiæ, quia habet virtutem. Unde ſequitur, quod pœnitentia peccatores honorat, innocentes honorant pœnitentiam: pœnitentia honorat peccatores, quia infamiam illis aufert peccati; innocentes honorant pœnitentiã: quia pœnitentiæ auferunt mixturam remedii. O felix Baptiſta! ô felix tui imitatrix anima! ambo in pœnitentium habitu, & ambo pœnitentiam honorantes. Felices vos, qui inſtrumenta pœnitentiæ facitis trophæa victoriæ, prærogativa gaudentes pœnitentium, abſque quod ha-

habeatis cujus vos pœniteat! in vobis est virtus quod in aliis est remedium: in vobis est electio, quod in aliis est necessitas. In vobis solis non est remedium peccati pœnitentia; cùm solùm vestra pœnitentia remedium esse possit peccati; non meritas enim Dei offensas, solæ non meritæ innocentum pœnæ persolvunt. O quantum est Sacrificium illud apud Deum? Christus dixit in Evangelio majus esse gaudium in cœlo super uno
Luc. 15. peccatore pœnitente, quàm super justo non pœnitente. Advertite. Si innocentia justi placet multum, & pœnitentia peccatoris placet magis: quantùm excellens status placebit ille, qui amborum complectitur perfectionem, & pœnitentiam peccatoris cum innocentia justi conjungit? istud hodie S. Joannes in circumcisione fecit, innocentiæ exemptiones remediis subjiciendo peccati: *Et venerunt circumcidere puerum.*

§. V.

Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Completo circumcisionis actu, de nomine puero imponendo tractatum est: porrò circumstantes nomine Patris sui Zachariam vocari volebant. Quo audito Elisabeth, nequaquam eum ita nuncupatum voluit. Et quare? cur non vocetur Zacharias Zachariæ filius? nunquid nomen erat sanctum? nunquid nomen erat illustre? nunquid nomen erat authoritativum? nunquid nomen erat gloriosum? erat sanè: sed erat nomen patris, *vocabant eum nomine patris sui*: Et nomen parentum quantò illustrius, quantò gloriosius, tantò minus illud assumere fas est eum, qui Deo se serviturum profitetur, sicut profitebatur Baptista: in nomine perennat parentum memoria: in Religione perennat parentum oblivio. *Obliviscere populum tuum & domum patris tui.* Psal. 44.
Et quia Baptista esse debebat (prout etiam fuit) primus religiosorum fundator & exemplar: prudens S. Elisabeth nomen illi imponi noluit Zachariæ; non enim justo consentaneum erat, ut memoriam parentum conservaret in nomine, qui parentum oblivionem profitebatur vitâ. Zachariam vocari vultis, quia nomen est sui patris? contra vos allegatis: immò verò quia nomen est sui patris, non ita vocari debet: *Vocabant eum nomine patris sui Zachariam: & ait Mater ejus, nequaquam.*

Quàm propè expressum, immò quantum excessum videmus hodie illud magni Baptistæ exemplum! S. Lucas, qui scribebat pro memoria sequentium, hoc loco enarrationi genealogiæ parentum S. Joannis Baptistæ immoratus est. Loquenti mihi ad oculos præsentium haudquaquam necessarium est, materiæ adeò notæ & manifestæ diu immorari; uti etiam in tam amplo assumpto impossibile esset. Multùm præstitit qui nomen tandem Zachariæ tiarâ honoratum reliquit: multò verò plus præstitit, quæ gloriosissimum nomen de Guzman reliquit [nomen in cœlo & in terra gloriosum] cujus Regio claroque sanguine omnes Europæ purpuræ semper sunt tinctæ, & hodie gloriâ majore, quàm in ullo regno alio (posito quod majestate æquali in tot & tantis) nomen illud coronatum videmus, & videbimus in progenie immortali, in nostro Protugalliæ Regno. Nomen istud famosissimum in omni-

omnibus sæculis: eminentissimum in omnibus personis: singularissimum facinoribus: celebratissimum omnibus historiis nomen de Guzman: & istud nomen derelictum hodie videmus pro humili nomine crucis. Nescio utrum in hac electione, vel virtuosum vel discretum admirari debeam. Sit ut sit; & virtus & discretio omnia mihi angelica esse videntur.

Angeli ad sepulchrum Christi interrogando Marias, quid quærerent, pro differentia Evangelistarum, differentibus sunt terminis usi. Angelus apud S. Matthæum rogavit, *Jesum qui crucifixus est, quæritis?* Angelus apud S. Marcum, suscitatus est,
Matt. 28. *Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum?* Hic quæro, si Angelus apud S. Marcum Christum
Marc. 16. vocat, *Jesum Nazarenum Crucifixum*: quare Angelus apud S. Matthæum illum nominavit, *Jesum Crucifixum*, tantum? subticens *Nazarenum*? Optimus in Evangelistas Commentator Maldonatus prudenter notavit, quod Angelus apud S. Matthæum apparuit ut Angelus; & angelus apud S. Marcum, ut homo apparuit: *Matthæus angelum, Marcus hominem appellat.* (Maldonat.) Correspondet textus. Nam S. Matthæus dicit ita: *Angelus Domini descendit de Cœlo, qui dixit mulieribus*: Et S. Marcus hoc modo dicit: *Intrantes monumentum viderunt juvenem sedentem.* Proinde quia ille apud S. Marcum Marias allocutus, erat homo, & apud S. Matthæum erat Angelus. Hinc ille apud S. Marcum Christum vocavit, *Jesum Nazarenum crucifixum*: & ille apud S. Matthæum illum tantùm *Jesum Crucifixum*, appellavit, subticens *Nazarenum*. Hic noto. Inter Nazarenum & Crucifixum, ista in Christo erat differentia, quod *Nazarenus*, nomen erat parentum; & *Crucifixus* nomen erat Crucis; & nomen *Nazarenum* anteponere *Crucifixo*, nomen parentum præponere nomini *Crucis*, Angelorum est, qui homines referunt: suscipere nomen *Crucis* dimisso nomine parentum, Angelorum est in figura angelica apparentium. Angelus apud S. Marcum ut homo terrestris locutus, *viderunt juvenem sedentem*, præponit nomen parentum nomini crucis, *Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum.* Angelus apud S. Matthæum, ut Angelus locutus cœlestis, *Angelus Domini descendit de cœlo.* Assumpto nomine Crucis, nomen parentum dereliquit: *Jesum qui crucifixus est quæritis.* O discretio plus quam humana! O electio verè angelica! Scio equidem Marias Angelos audiisse: sed nulla earum nomen didicit mutare. Maria Magdalena non se, de Cruce, sed Magdalenam nominavit: Maria Cleophæ non se, de Cruce, sed Cleophæ nominavit: Maria Salome non se, de Cruce, appellavit, sed nomen Salome retinuit. Nesciebant istæ Mariæ nomine parentum dimisso, Crucis nomen assumere; quia Religiosa ista excellentia & prærogativa alii reservabatur Mariæ, quæ devotione Marias erat superatura; & prudentiâ Angelis æquiparanda.

Sed sicut in domo Zachariæ exorta fuit quæstio super nomen Baptistæ: æquum est similem hic hodie super nomen Crucis instituere quæstionem. Ibidem nomini S. Joannis contradicentes personæ erant authoritate præfulgentes, quæ festi celebritati intererant, *Qui venerant Celebritatis gratia*, commentatur Cardinalis Toletanus. Hic impugnaturus Toletus.

rus nomen Crucis similiter maxima præfulgens authoritate erit persona Festi hujus Celebritati assistens. Et quis ille? Christus in Sacramento. Enim verò sicut dicebant ibi, quod non vocari deberet Joannes, sed Zacharias: sic dicit hîc Christus; quod non Maria de Cruce, sed de Sacramento sit appellanda. Hoc non mea fundamento carens est speculatio, sed verissima & congruentissima ex ipso textu desumpta applicatio. Nomen quod imponere volebant Baptistæ erat. *Zacharias.* Quod interpretatum significat, *Memoria Domini.* Istud ipsum est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, hoc est memoria Domini, quam nobis in absentia sua pignoris loco reliquit: *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Argumentum est solidè fundatum. Ego nunc quæro, quænam Christo sit ratio in Sacramento, quod nolit nomen esse de *Cruce*, sed de *Sacramento*? ratio est multum urgens: quia Religionem profiteri, potius est in Sacramentum abire, quàm crucifigi: omnes sancti statum Religiosum vocant: crucem: sed bonâ ipsorum veniâ & pace ego statum Religiosum plus de Sacramento, quàm Cruce participare affirmo. Rationis meæ fundamentum est, quia Christus in Cruce semel duntaxat mortuus est: in Sacramento singulis moritur diebus. Crucis Sacrificium fuit cruentum, sed fuit unicum: Sacrificium Altaris fuit incruentum, sed est quotidianum. Maxima amoris excellentia est mori: *Majorem charitatem nemo habet.* Verùm Excellentia hæc magnum involvit inconveniens, dum qui illam exhibet opere, aliam exhibere impeditur. Excellentia est maxima sed extrema & ultima. Porrò Christus tam extremè amans homines, videns quod morte sua in Cruce cessatura esset excellentissimi amoris sui materia, quid fecit? miraculosè adinvenit modum sine fine moriendi in Sacramento, ut moriendo dare posset vitam, & sine fine posset repetere mortem. De hac excellentia in Christo gloriatur amor ille quem nobis exhibuit in Sacramento, præ illo quem nobis exhibuit in cruce. In cruce mortuus est semel; in Sacramento moritur quotidie. In cruce dedit vitam; in Sacramento perennare facit mortem. Christi sponsa, utpote melior æquiorque gloriarum istarum æstimatrix prærogativæ hujus veritatem nobis indicabit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Amor Cant. 1. intensus (quod innuere vult dilectio) similis est morti: intensior autem (quod dicere vult æmulatio) similis est inferno. Dictum notabile? qua de causa Salomon, amorem vehementem morti, vehementiorem verò comparat inferno? ego dabo; quia inter mortem & infernum hoc distat, quod mors vitam tollit; infernus mortem continuat. Idcircò amor intensus morti, & intensior comparatur inferno; quia plus est mortem continuare quam vitam tollere. Vitâ privari est mori semel, mortem continuare est mori semper. Ecce amoris Christi in cruce, & in Sacramento inæqualitatem! contenderunt amor Christi in Sacramento, & amor ejusdem in cruce: amor crucis fuit instar mortis, qui vitam tollere venit; *fortis ut mors dilectio!* Amor Sacramenti fuit instar inferni, quia transiit ad continuandam mortem: *Dura sicut infernus æmulatio*: Multò plus fuit perpetrare mortem quàm tollere vitam: vitâ privari est mori in instanti,

ſtanti, mortem perpetuare eſt tota vita mori.

Ecce rationem, quare ſtatus religioſus Sacramento magis quàm cruci aſſimiletur: in cruce obitur mors tantùm ſemel, in Sacramento obitur mors quotidie. Scio equidem quod S. Auguſtinus dicat, ſolos Martyres Chriſto ſolvere excellentiam illam, quam exhibuit ſe relinquendo in Sacramento, qui moriuntur pro illo, qui pro ipſis moritur: *Qui accedis ad menſam principis debes ſimilia præparare, hoc beati Martyres fecerunt.* S. Aug. Verùm enim verò iſta ſancti Auguſtini ratio (pace luminis Eccleſiæ) facillimè oppugnatur: multæ quippe mortes non una morte tantùm perſolvuntur. Chriſtus in Sacramento moritur ſingulis diebus, Martyres moriuntur tantùm ſemel: ergo Martyres non correſpondent Chriſto in Sacramento. Quid igitur dicemus ad hoc? Martyres Chriſto in cruce; religioſos Chriſto in Sacramento correſpondere affirmo. Martyres correſpondent Chriſto in cruce, quia moriuntur ſemel; ſemel enim pro ipſis mortuus eſt. Religioſi correſpondent Chriſto in Sacramento, moriuntur enim quotidie pro eo, qui indies moritur pro ipſis. Num quis hoc dicit? ita plane. Nec religioſus minus, quàm omnium exemplar, S. Paulus, *Quotidie morior.* Ita ut quemadmodum Chriſtus in Sacramento modum adinvenit moriendi ſine fine, ut moriendo dare poſſit vitam, & non finiendo iterare poſſit mortem: ſic Religionum Patriarchæ judicantes nimis tepidum & remiſſum eſſe amorem non mori, & minus generoſam eſſe mortem, ſemel tantùm mori, hinc iſtum miraculosè naturalem moriendo vivendi invenêre modum: ut in morte multiplicarent inducias vitæ, & in vita perpetuarent ſacrificia mortis.

Sanctus Baſilius Religionum Protho-Patriarcha loquitur de Religionum ſtrictiorum cellis, ajens: *O cella dominicæ ſepulturæ æmula!* S. Baſil. Quid, quæſo, ſimile habet cella cum tam nobili comparato collata? Quomodo præſumptuoſa adeò fundatur æmulatio? ut cella cum qualibet comparetur ſepultura, ſimilitudinis limites non excedit: ubi enim habitus mortuorum eſt amictus, ubi lectus feretrum refert, ubi anguſti parietes modico illuſtrantur lumine, ſepulturæ merito nomen ſortiatur. Sepultura? Ita: ſed non alia niſi Chriſti. Quare? quia aliis in ſepulturis mors ſola moratur: in ſepultura Chriſti morata fuit mors ſimul cum vita. In ſepultura Chriſti fuit vita mortua, & mors reſuſcitata: Et tales ſunt cellæ veſtræ ô religioſi ſpiritus! *O cella dominicæ ſepulturæ æmula! quæ mortuos tuos ſuſcipis, & reviviſcere facis.* S. Baſil. O cella verè Chriſti ſepulturæ æmula, cùm in te vita eſt mortua, & mors reſuſcitata: Vita mortua, quia uſibus & exercitiis deſtituta; & mors reſuſcitata, quia alimenta habet mortis. Cella glorioſa eſt mortis ſuſpenſio: & vita (licet cum pœna glorioſa) ubi anima inter vitæ mortiſque limites conſtituta, rigidiſſimum indecisè participat cum utroque: inſenſibilis inſtar mortuæ quantum ad oblectamenta vitæ, ſenſitiva inſtar Vivæ, quantum ad pœnas mortis. In te multiplicatum videtur naturale Phœnicis miraculum, cum ſis patria quotidianumque ſepulchrum, ubi moritur vita & mors naſcitur deficientibus cineribus, & non deficientibus incendiis. In te (& vel maximè propriè hodie) Horizontium

metaphora vera esse videtur; cum Oriens & Occidens simul existis, ubi Sol eodem instanti mortuus & ortus, in Hemisphærio exurgit uno, quando sepelitur in altero. Denique in te (cum optima paradisi sis portio) sine figmento verificari videtur fabula de inferno, cum quilibet Religiosus Spiritus sit Tityus in felicitate pœnarum, qui cum mori non possit, ut mori possit: sæpius vitam habet mortuam, & mortem immortalem, semperque renascens non perit, ut possit sæpe perire. Nec miri quippiam habet, quod in Inferno comparationes inveniam pro maximo Sacramnnto: de utroque affirmari potest similitudine satis propria, *Dura sicut Infernus æmulatio.* Et quemadmodum Sacrificium Religionis, eo quod sit mors perpetua Sacramento potius assimilatur quàm Cruci; & officium sit nominum declarare essentiam rerum; hinc Religionem professurus non de cruce, sed, de Sacramento nuncupandus videtur. *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam*, id est, *memoriam Domini.*

§. VI.

Nihilò secius S. Elisabeth respondet, *Nequaquam*: & quidem non sine gravi ratione. Et quænam illa? non alia, quàm quæ hoc persuadet. Enim verò si nomen de Sacramento, totum quod in religioso statu est exprimit, & nomen Crucis minus, ex hoc ipso capite assumendum nomen crucis, dimisso nomine Sacramenti. In electione magna occurrit differentia, à finibus pro quibus eliguntur desumpta. Nomina assumpta per veritatem, exprimunt totum: nomina assumpta per vanitatem, exprimunt plus. Nomina assumpta ex humilitate dicunt minus. Proinde quia humilitas eadem quæ Paternorum nominum Magnificentiam despexit, nomen Religiosi elegit: improprietate discretâ, nomen dimminutivum Crucis assumpsit, in quo plus est quod tacetur, quàm quod dicitur. Quemadmodum Christo respondeo in Sacramento; sic eodem Sacramenti nomine responsum confirmo. Altaris Sacramentum, Corpus & Sanguis Christi vocatur: quo nomine Christus ipse illud vocavit: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei. Quæro num quid amplius in Sacramento contineatur? Continetur & anima, & divinitas. Agedum si in Sacramento non tantùm corpus & sanguis, sed etiam anima & divinitas continetur: quare Sacramentum non vocatur corpus & anima, sanguis & divinitas Christi, sed corpus & sanguis tantùm? Ratio est, quia nomen istud Christus illa hora Sacramento imposuit, quâ humillimum se exhibere parabat. Hora, quâ humillimum se Christus ostendit, fuit illa, quâ corporis sanguinisque sui Sacramentum instituit, disponens Apostolos munditie lavacri, & semet humiliter pedes eorum lavando. Et sicut Christus mysterio huic nomen imposuit humilis alicujus insigniis, hinc minus tantummodò quod in continebatur declaravit: nomina enim quæ Humilitas componit minùs semper sonant, quàm continent. Quod dicit, est corpus & sanguis: quod subticet, & anima & divinitas. Idem in nostro accidit casu: quia licet à Sacramento nomen non est desumptum; præclarè tamen exemplum est imitatum. Relinquitur nomen Sacramenti, quia plus dicit; assumitur nomen crucis quia plus exprimit; verus etenim amor ab eo æsti-

æstimatur quod est, & non ab eo quod significat. Sufficiat Religioni quod crux sit ex vi verborum, quamvis multò plus sit ex concomitantia. Itaque tam justum fuit, dimittere nomen Zachariæ, tum significatione, tum realitate: *Et ait mater ejus: Nequaquam.*

§. VII.

Thema meum absolutum est, ni fallor, omnes ejus clausulas ponderavi, aliqualiter illud duplici hujus diei solemnitati accommodans; sed enim simul adverto, nonnullos curiosiorum præ cæteris considerabunt & excutient, quare verba illa Evangelii silentio præterierim: *Audierunt vicini & cognati, & congratulabantur ei.* Nihil me his super verbis locutum, similiterque me ista dereliquisse confiteor, quia in illis non inveni similitudinem, sed magnam à proposito nostro discrepantiam: *Cognati & vicini congratulabantur ei.* In nativitate Baptistæ (ait Evangelium) cognati & vicini optimè erant contenti, gaudium suum & complacentiam desuper contestantes, hîc verò aliter se res habet. Tantùm abest ut vicini & cognati queant esse contenti, ut potius vicinitas & cognatio justam habeant querimoniæ causam, quia se videt derelictam: neque vicinitati sua conquerendi deest ratio, quia extraneos videt esse Prælatos. Quando derelictus cernitur sanguis, quare non conqueretur cognatio? Et quando personæ extraneæ nativis conspiciuntur prælatæ, quare non conquereretur vicinitas? non ergo dicatur hîc: *Cognati & vicini congratulabantur ei.* Geminam hanc querimoniam dissolvo, & hoc facto finio. Dico primò, non est quod conqueratur consanguinitas, quando enim sanguis & stemma amore Dei relinquitur, consanguinitas non offenditur, sed blandimentum recipit. Totum probo. Martha Christum in domo sua recepit hospitio, cui erat soror, juxta textum nomine Maria, *Et huic erat soror nomine Maria.* Luc. 12. Hæc ad Christum confugiens, humiliterque ad pedes ipsius residens ipsum audiendo contemplabatur: porrò Martha accessit dicens: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Sic habet historia ubi duo considero. Martham conquerendo de Maria, magnum Christo obtulisse sacrificium affirmo; & Mariam occasione conquerendi datâ Marthæ satisfecisse assevero.

Difficultatem intendo. Christus Mariam non vocavit; Maria ad sacros pedes ejus se collocavit. Advertite. Si justam seu injustam querelæ causam dedit Maria & non Christus, quare Martha querelam suam non Mariæ sed Christo proponit? Ratio est, quia Martha actu isto non tantùm querelas intendit deponere de Maria, quantùm sacrificium offerre Christo, q.d. Ne putes, Domine, quod sola Maria tibi exhibet reverentiam, cùm similiter & ego tibi offero & exhibeo meã: Maria suam sacrificat devotionem; ego meam sacrifico solitudinem. *Reliquit me solam ministrare.* Illa tibi offert esse tecum; ego tibi offero esse sine illa: ita ut unico actui duo inessent sacrificia: unum Mariæ quæ erat cum Christo; alterum Marthæ, quæ relinquebat Mariam. Utrum verò sacrificiorũ istorum majus fuit, Marthæ vel Mariæ? ego in causa ista sententiã pronunciare non præsumo, tantum dico, quod si in loco hoc prædicaret Petrus Chrysologus, sacrificium Marthæ, sacrificio Chrysol. Mariæ

Mariæ præferendum diceret quærit Chrysologus, uter amplius quid præstiterit, num Abraham Isaac immolando, vel Isaac in sacrificium offerendo se ipsum? resolvit quod Abraham: & faventem parti suæ habet Scripturam. Attendite, si Isaac erat victima interficienda: Si Abraham erat Sacerdos vivus remansurus, quo, quæso, pacto aut erat, aut esse poterat, ut majus reputandum videretur sacrificium in Abrahamo, quàm in Isaaco? Ratio est; quia Isaac suam sacrificabat personam; Abraham suam sacrificabat solitudinem: Isaac offerebat manere sine vita; Abraham offerebat manere sine Isaac: & secundum quod Abraham multùm diligebat filium istum, majus offerebat sacrificium dando illum, quàm dando seipsum. Benè igitur dico magnum fuisse sacrificium quod Martha quærelas inter obtulit Christo, non minùs illi quàm solitudinem sacrificando. *Reliquit me solam ministrare.*

Nec ambigendi ullus relinquitur locus, quin Maria illâ ipsâ datâ querelæ occasione magnam dederit satisfactionem: nam quod Maria non cujuscunque rei alterius amore deserat Martham, quàm ut esset cum Christo, fuit illi quasi claris dicere verbis, quod tanti faceret ipsius societatem, ut nonnisi propter Deum eam deserere, ejusque præsentiâ carere, & solius Dei consortio absentia ista suppleri possit. Videntes Israëlitæ, quadraginta jam diebus Moysen cum Deo agendo emanere, à pede montis recedere, & movere decreverunt; accesserunt igitur Aaronem dicentes: *Fac no-*
Exod. 33. *bis Deos qui nos præcedant, Moysi enim huic viro nescimus quid accederit.* Pulchra sanè consequentia! da nobis Deum, quia Moyses abest. Nunquid Moyses erat homo? ipsi illi idem affirmabant, *Moysi huic viro.* Si igitur Moyses erat homo, quare Moyse deficiente unum petunt Deum? Ratio est, quia dantur societates & præsentiæ, quæ propter solum Deum deseri possunt: similiterque dantur absentiæ quæ solo Deo suppleri possunt. Hebræi tantò tamque ardenti Moysis sui amore flagrantes, viso quod necessariò præsentia ipsius carere oporteret, hujuscemodi formabant discursum. Cùm jam Moyses deserendus sit, propter Deum deserendus est: & cùm jam locus ipsius supplendus sit alio, Deo solo & non aliter supplendus est. Hinc ab Aarone Deum aliquem, & non alium absentiæ hujus substitutum postulabant: *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Hanc satisfactionem dederunt Israëlitæ Moysi ipsum deserturi: eandemque Maria dedit sorori suæ Marthæ ipsam dimittens: desiit esse cum illa, ut esset cum Deo. *Quæ sedens secus pedes Domini.* Nullam igitur hodie quærimoniæ acerbiorisve sensus rationem habet consanguinitas, sed ut contentissima applaudat: *Congratulabantur ei.*

Et audierunt vicini. Similiter nec vicinitatem conqueri fas est, cùm personas extraneas suis conterraneis vidit esse prælatas. Et quare? quia anima ad melius serviendum Deo, clausuram peregrinationi junctura, populares suos necessariò deserere & extraneos inquirere debet. Unum ex multis, quod Deo singulariter placuit, fuit peregrinatio. Hinc Abrahamo tanquam peregrinum è terra sua Gen. 12.
egredi mandavit. Hinc Jacob in Mesopotamiam peregrinari præcepit; Joseph Gen. 29. Gen. 39.
in Ægyptum: Hinc totum populum Israëliticum dilectum & electum, toties tot-

totque annos peregrinari fecit. Et quia Deus sibi adeò complacet in peregrinis (ut & ipse talis esse voluerit in hoc mundo) quid faciet aliqua anima Deo multùm placere desiderans, quando juxta statum suum ad clausuram se obligatam cernit, & ex placito divino ad peregrinandum inclinatam? peregrinatio & clausura simul-consistere nequeunt. Quid igitur remedii? remedium fuit, intrando Religionem eligere Monasterium extranearum, ut hoc pacto clausuram peregrinationemque consociatas inveniret: clausuram in hoc; peregrinationem in societate & sociabus. Quis possibile futurum cogitâsset, simul morari in Lusitania, & peregrinari in Belgio? istud nos hodie coram oculis intuemur.

NB. Moniales fundatrices hujus Monasterii vocatæ sunt ex Belgio, & tales hodiedum ibidem inveniuntur.

David de peregrinatione filiorum Israël in Palæstinum loquens, sic ait: *Cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.* Singularis est iste loquendi modus. Si David Israëlitarum peregrinationem expendit, dicendum ei fuisse videtur, quod transierint Climata incognita; quod ignotas perambulaverint Regiones. Ut quid igitur non terras, sed linguas notat & considerat? sed linguas notat & considerat? Ratio est, quia Propheta prudenter judicavit ipsam peregrinationis formalitatem non tam in locorum mutatione, quàm in linguarum differentia & diversitate consistere. Esse peregrinum non consistit in extraneitate terrarum quæ peragrantur: sed in extraneitate gentis quâcum conversamur. *Cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.* Exire de Ægypto, ubi alia lingua auditur, est peregrinari: & si verè peregrinari est inter alienæ linguæ Gentem vivere, benè dico, quod hic consociatæ se viderint clausura & peregrinatio: clausura in loco, peregrinatio in societate & sodalibus. Non igitur est quod conqueratur vicinitas, posito quod justa videbatur quærimonia: est potius quod religiosæ Lusitaniæ ædificentur, multumque gaudeant videndo (præter hocce tam grande exemplum) tam novum peculiaremque spiritum in sui status professione: mutando apparentias doloris in motiva congratulationis: *Vicini congratulabantur ei.*

Absolvimus Sermonem, & cum eo victoriam de impossibili sic dicto. Non illi hoc nomen idcircò do, quod sit de nativitate Baptistæ, qua Angelus probavit apud Deum nihil esse impossibile: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*; Sed quia Sermo est de solennissima professione, quam hodie celebramus, in qua sex noto & probo impossibilitates. In nativitate Baptistæ una tantum impossibilitas victa fuit, quæ fuit sterilitas unita cum partu: *Elisabeth peperit filium.* In actu verò hodiernæ professionis sex impossibilitates victæ sunt, quas ordinatè in his sex videmus: primò quod aula conjuncta sit cum deserto: secundò juventus cum prudentia: tertiò magnanimitas cum contemptu: quartò innocentia cum castigatione: quintò vita cum morte: sextò clausura cum peregrinatione. Sex hæ impossibilitates in hoc mundo victæ quas non sperare faciunt coronas in cœlo? Dabit vobis Serenissima Christi sponsa Aula cum deserto coronam solitudinis in

choro Eremitarum : juventus cum prudentia dabit coronam prudentiæ in choro Doctorum : magnanimitas cum contemptu dabit coronam humilitatis in choro Apostolorum : innocentia cum castigatione dabit coronam pœnitentiæ in choro Confessorum : vita cum morte dabit coronam mortificationis in choro Martyrum ; clausura cum peregrinatione, dabit coronam peregrinationis in choro Virginum. Sic triumphat, qui ita vincit : Sic præmiatur qui ita meretur : sic impetrat qui ita laborat : sic regnat qui ita servit : in hac vita per Dei gratiam, in altera cum Deo per gloriam, quam mihi & vobis, &c.

FINIS.



INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ,

Numeri Paginam significant.

Ex Libro Genesis.

Ex Libro Exodi.

Ex Libro Levitici.

Ex Libro Deuteronomii.

Ex Libro Josue.

Ex Libro Judicum.

Ex Libro primo Regum.

Cap. 28.

Ex Libro secundo Regum.

Ex Libro tertio Regum.

Ex Libro quarto Regum.

Ex Libro primo Paralipomenon.

Ex Libro Tobiæ.

Ex Libro Esther.

Ex Libro Job.

Ex Libro Proverbiorum.

Ex Libro Ecclesiastæ.

Ex Libro Cantic. Canticorum.

Ex Libro Sapientiæ.

v. 6. *Er-*

Ex Libro Ecclesiastici.

Ex prophetia Isaiæ.

INDEX LOCORUM.

Ex D. Marco.

Ex D. Luca.

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.
Numeri significant Paginam.

C.

Dia-

Finis.

in-

Q.

R.

pro-

T.

V.

sufficit

FINIS PARTIS QUINTÆ.



89-08

CA 708
V 658 s
v. 2

